00078443

BOMBAY BRANCH
OF THE
Royal Asiatic Society.

Digitized with financial assistance from
Observer Research Foundation
on 01 June, 2019

IO. GOTTLIEB

HEINECCII,

I.C. CELEBERRIMI,

OPERA,

In VIII. Tomos diſtributa.

Heineccius

IOH. GOTTLIEB

HEINECCII,

POTENT. PRVSSORVM REGIS
*quondam a Conſil. Sanctior. Iur. ac Philoſoph.
in Ill. Frideric. Academ. Profeſſoris Publ. ord.*

OPERVM

Ad

VNIVERSAM IVRIS PRVDENTIAM,
PHILOSOPHIAM ET LITTERAS HVMANIORES

Pertinentium,

TOMVS PRIMVS,

Qui continet

I. FVNDAMENTA STILI CVLTIORIS,
II. HISTORIAM PHILOSOPHICAM, ELEMENTA PHILOSOPHIAE RATIONALIS ET MORALIS,
III. ELEMENTA IVRIS NATVRAE AC GENTIVM.

78443
N. a

GENEVAE,

Impenſis HERED. CRAMER & FRATR. PHILIBERT.

cIↄIↄCCXXXXIIII. = 1744

O
.340
Hei/Ioh
78443

00078443

REGIAE CELSITVDINI
SERENISSIMO PRINCIPI AC DOMINO
DOMINO

MAXIMILIANO IOSEPHO,

REGIO AC ELECTORALI
BAVARIAE
PRINCIPI,
REL.
DOMINO LONGE CLEMENTISSIMO,

PERENNEM FELICITATEM
PRECATVR

IOANNES LVDOVICVS VHLIVS.

* * *

ADfectamus iter dominae penetralia ad aulae,
Qua Moenus famulas hoſpes adurguet aquas.
Haud mediae plebis blando contenta fauore,
Muſa petit magna regis in aede locum.
Parcite ſtipantes ſolium regale cohortes,
Auribus aut oculis nos prohibere ducis.
Seu nimium ius hoc, ſeu non ciuile vocetur,
Poſcimus haec ſtudiis tecta patere piis.
Ecquis ſacrata ſuperum de ſede repellit
Portantem caſta turea dona manu?
Ecquis purpurea tincturum altaria caede
Triſtibus a templo cogit abire minis?
Et nos pro ſacrae pecudis, pro turis honore,
Caeſareo ferimus munera iuſta Ioui.
Portamus diuam: date ſacra gerentibus aulam:
Legiferae ſedes illa roganda deae eſt.
En Themis, HEINECCII rurſus de vertice nata,
Condere quaerit in hac aurea ſecla domo.
Salue flos Boiae gentis, ſpes vrbis & orbis!
Deliciae populi, deliciaeque deûm!
O ſtirps pulcra patris, rerum qui flectit habenas,
Qua patet in longas Teutonis ora vias.
O decus! o ſacris noua lux exorta Camaenis!
Quam ſibi quiſque bonus conciliare velit.

Ad

EPISTOLA

Ad TE tentat iter proles orbata parente,
Indiga praeſidii, digna fauore TVO.
Concordes veniunt vnoque volumine iuncti
Fratres Muſei ſcrinia ad alta TVI.
Reſpice, quo clarius vultu pater aëra purgat:
HEINECCII prima nomina fronte leges.
Nomen adeſt, quo ſe melior Germania iactet
Aſtraeam & Muſam teſtor, vtraſque deas:
Dulce morae eſt pretium, tantum cognoſcere nomen,
Cui nil fert aetas par, meliuſque feret.
Legiferae ille deae coluit ſic ſacra ſacerdos,
Panderet vt Muſis hoſpita tecta ſimul.
Has rude vulgus amat ſocias diſiungere diuas:
Doctior has ſocia pars pietate ligat.
Scilicet eſt praui moris plebeia libido,
Litigiis famulam proſtituiſſe Themin.
Sordida ſectantes pingui magis apta culinae
Rimamur: Muſae, nomen inane, iacent.
Aſtraëae flores roſtro ſpurcamus adunco:
Pierias quis non nauſeat vſque dapes?
HEINECCII virtus veteres coniungit amicas,
Vt conſtet vulſis gratia priſca deis.
Barbariam iuris, legum harpyiaſque forenſes
In ius, tam gnaua eſt vindicis ira, rapit.
Hunc eſt cum gelidis mirata Trionibus Arctos,
Suſpenſis illi Sequana plauſit aquis.
Commodat illi auidas aures exculta Britannis:
Illius ore trahi Tibris amoenus auet.

De

De tanto patriae nuper certamen alumno
  Mouerat haud vnis Belgica Muſa modis.
Iacturam tanti quomdam feciſſe magiſtri
  Poenituit Friſiae, prouida corda, patres.
Ergo, excuſatura ſuam res Batáua ſortem,
  Non parua reuocat conditione virum.
Praemia proponens paucis oblata magiſtris,
  Hic fixos inſtat ſollicitare lares.
Nempe tuos Batauus plauſus, famamque perennem,
  Inuidit ſtudiis, nobilis Hala, tuis.
Auctori huic docto concede palatia, PRINCEPS,
  Clara TVI patris numine, clara TVO.
Da faciles aditus, ſaepe haec monimenta reuolue.
  Non erit illa TVO pectore cura minor.
Eſt TIBI laudis amor: TIBI tot natura benigna
  Fecundo indulſit munera laeta ſinu.
Eſt calor auguſtus; virtuſque in pectore praeſens,
  Eſt celſus placidae frontis & oris honos.
Ingeniumque capax & par regalibus actis,
  Quaeque animi doctas lingua miniſtret opes.
Dat melior ſanguis laetas in corpora vires,
  Formoſo virtus pulcrior ore ſedet.
Ordiris regem non luxuriante iuuenta,
  Sed duras aequo membra labore magis.
Culmina ſumma tenes, titulis fruerisque paternis,
  Sic tamen has laudes adſtruis ipſe TVIS.
Doctrina menſuram auguſti nominis imples,
  Fulgeat vt gemino lumine grande genus.

Iam tener excoleris, viridi iam totus ab aeuo
Imperii tractas vſibus apta TVI.
Annales aeui voluis canentis, & inde
Addiſcis rerum digna potente viro.
Magnanimi herois quae ſint ad ſingula partes,
Siue colat pacem, ſeu fera bella gerat?
Num bello ramus pacatae praeſtet oliuae?
An ſint ſumendi commoda ſigna ſagi?
Parendi leges quae ſint, legeſque regendi?
Quae tutela foro ciuica iura tegat?
Quid fortuna duci, quid det prudentia? quorſum
Pullatae plebis concitus ardor eat?
Quid firmet populos, vrbes quid moribus ornet?
Qua fiat populi dux ratione Deus?
Quam pulcra reges videantur ſorte beati,
Quos amor ipſe timet, quos timor aequus amat?
Denique, quae ſoluant peſtes florentia regna?
Queis ſurgant rurſus regna caduca viis?
Aurea quid lapſis praeſtet conſtantia rebus,
Vt ſis fortuna fortior ipſe mala?
Sceptrigera ſibi Boiorum defixit in aula
Regnandi ars olim tecta lareſque ſuos.
Ad ſimilem metam laudis contendis auitae,
Fallor an auguſtos hic ſuperabis auos.
Accipe poſteritas! ſpe diuinante futura,
Omina fauſta TVAE proſperitatis eunt.
Accipe, quae fuerint Boia miracula in aula,
Maioris canitur mentis & oris opus.

Res canitur celebris, numeroſi conſcia teſtis,
  Cui vix praebuerint extera regna fidem.
Carminis ille mei PRINCEPS, hoc flore iuuentae
  Maſcula doctrinae iam documenta dedit.
Publica ſubtilis ſophiae monumenta leguntur,
  Voluitur auguſti pagina docta libri.
Scilicet ingenio felix variaſque incenſus ad artes
  Ignea caeleſti ſemina mente ciet.
Ex adytis haurit, quidquid ſapientia promit
  Cultior, altorum numine feta virûm.
Ille Syracuſii myſteria callet ad vnguem,
  Ille Stagiraei dogmata clara ſenis:
Da numeros? Samium credas audire magiſtrum.
  Da radium? Eucliden dixeris vſque nouum.
Tempora da? veterem & noſtrum celebranda per an-
  Digeret, vt par eſt, ordine feſta ſuo. [num
Da partes oculi? viſus miracula pandet.
  Da vitrum? lentis mira videbis ope.
Inuida quae nudis oculis natura negauit,
  Armatis iſta viſibus arte leges.
Da pondus? leges pariter fraudeſque bilancis
  Proferet, & quo ſint quaeque cauenda modo.
Da ſolem? dicet quouis curatius horas.
  Da radios? pictum pariete ſiſtet opus.
Redde Syracuſiae fraudes & furta coronae?
  Commiſſum mirae deteget artis ope.
Da flumen? cernes infuſo flumine caeca,
  Rectaque, viſa prius recta fuiſſe, neges.

Da nitrum? igniuomo moles emiſſa metallo,
  Hoſtica, quo capies, foedere caſtra petet.
Da glaciem? glacies poterit ſuccendere ligna.
  Da vectes? digitus pondera vaſta reget.
Ingenio docili ſupponit & aethera pictum,
  Natus ad arma licet, digerit aſtra poli.
Scrutatur clarum placidi penetrale tonantis,
  Qua plaga ſtelligerum lactea ſignat iter.
Siderea heroas contemplans luce receptos,
  Quam conſtent meritis praemia ſera, putat.
Corporis aetherii motus legeſque decenti
  Expendit ſtudio iudicioque pari.
An ſol tellurem, num tellus ambiat iſtum?
  Aſtra quis, at vulgo certior, error agat?
Sanguineus terrens ferali crine cometa
  An nihil, an rerum triſtia fata notet?
Brumales humilis Phoebus cur contrahat ignes?
  Tardius aeſtiuo cur agat orbe feros?
Cur lateat Phoebe, primoſque recolligat ignes?
  Quo poſitu fratris contegat ora ſui?
Quae cauſſae vultus iubeant palleſcere ſolis?
  Quod capiat florens Iridis arcus iter?
Num, Bauaro primum ſcriptis tradente magiſtro,
  Agnoſcat maculas ſolis imago ſuas?
Ardua quo reboënt caeli conuexa fragore?
  Quoue ſecet rutilum flamma tricuſpis iter?
Pondere quo pendens libretur in aëre tellus?
  Caeruleum ſalſas cur mare voluat aquas?

Ignibus ac ſaeuis cur aeſtuet Aetna caminis?
 Cur vomat epotas dira Charybdis aquas?
Quî properet virtus ſemper magnetis ad arcton,
 Quî torpens rigidi ferri alimenta petat?
Venerat illa dies, qua TE, doctiſſime PRINCEPS,
 Ferret ad aetherios culta palaeſtra polos.
Palladios foetus, patria ſapienter in vmbra
 Formatos Phoebi lumen adire iubes.
Regia ſic volucris laribus ſublata paternis
 Lucida Phoebeae lampadis ora ſubit.
De genio prolis, natura & viribus aptis
 Conſulit aetheriam cura paterna facem.
Vis animi generoſa, potens, & fulminis heres,
 Indeclinato luminis orbe patet.
Conueniunt proceres, ſtat turba ſororia Phoebi:
 Laudibus ad rectum pectus & ora geris.
Maieſtatis apex, diuina parentis imago,
 Ancipiti pugnae ſigna ſecunda vehit.
O felix qui te potuit ſpectare loquentem!
 Hunc optaſſe putem tardius ire dies.
Pierio pulcre ſtabas in pulvere miles,
 Aduertens iuvenes, adficienſque ſenes.
Pectus erat ſollers & pulcris dexter in armis
 Vitabas valida tela rotata manu.
Seruabas corpus, ne incautus in arma pateres,
 Cum peteret dubias lubrica pugna vias.
Hoſtis & ipſe, cauo telis vmbone refixis
 In proprium ſenſit ſpicula verſa caput.

Inſtabas pugnax fugienti atque ordine verſo
 Sumebas partes illius, ille TVAS.
Ingenii flumen diuinaque copia fandi
 Plauſus non fictos, praemia certa, tulit.
Quid referam Aonias, TVA gaudia prima, ſorores?
 His quoque Caeſarea tradis in aede locum.
Hae TIBI deſpondent certam poſt funera vitam,
 Hae ſunt convictus dulcia membra TVI.
Iam TE Naſo tenet, iam TE tuba magna Maronis,
 Iamque Venuſinae carmina culta lyrae.
Macte TVA virtute, ducum celſiſſime PRINCEPS,
 Laudibus ingenii ſic aperitur iter.
TE duce Pegaſides preſſae ſua colla leuabunt,
 Et carmen pariter diues inopſque colet.
Sic nec egens virtus, nec ditis inertia gazae,
 Illa animos ponet, luxurie illa fluet.
Ante vigil caelo Phoebus decedat, & auro
 Collibus illudat verticibuſque ſuo:
Quam totum memori poſſim TE condere verſu:
 Quam numeris meriti conſequar omne genus.
Vt biferi virgo mirata roſaria Paeſti
 Nulla, quid hic primo pollice carpat, habet:
Sic ego nil video, rerum doctiſſime PRINCEPS,
 In TE quid primum, quidue deinde canam?
Hoc ſcio, quidquid agis, plauſu fremituque ſecundo
 Cultores: TIBI tot, quot, fouet orbis, habes.
Mens diuina vale, firmi ſis corporis hoſpes!
 Spes de TE ſummas adprobet vſque Deus.

* * LEC-

LECTORI HONORATISSIMO

S. P. D.

BIBLIOPOLAE.

DOCTORUM virorum opera in vnum cogi, vtilis non minus, quam gratus labor dici meretur, nec, niſi inepte ſtultus, vocabit in dubium. Quam facile pereunt opuſcula minora, vel in alia regna non vehuntur, quae ab omnibus legi, quam maxime intereſt rei publicae litterariae. Hiſtoriae litterariae nobis enarrare ſolent vel libros deperditos, vel rariores: vtrumque vero caput vel plane non, vel ſaltim minutiſſimum adpareret, ſi ita cum doctorum hominum ſcriptis ageretur. Immo ipſe euentus hactenus noſtram ſententiam firmauit ſatis, atque, ſperamus, in poſterum firmabit amplius. Quod ſi, quae diximus, vera ſunt, nemo facile vituperabit inſtitutum noſtrum, quod cepimus, in vnum quaſi cogere, & coniunctim exhibere viri toto orbe celeberrimi, IO. GOTTL. HEINECCII, pot. Pruſſ. regis nuper a conſil. ſanctior. iurium ac philoſ. in ill. Frideric. Profeſſ. publ. ord. iam vero immatura morte nobis erepti, *Opera omnia, ad vniuerſam iuris prudentiam, philoſophiam, atque litteras humaniores pertinentia*, de quibus pauca in praeſentia monebimus. Ad formam quod attinet, elegimus commodiſſimam tractantibus libros, nempe quartam, quam vocare ſolemus; quae vero res effecit, vt plures Tomi fiant, quorum primus iam tibi, honoratiſſime lector, ſiſtitur. Id vero incommodum maximum habet commodum, vt, qui vnum emere velit, non neceſſe habeat

reliquos

reliquos ſimul ſibi comparare, eaque re apud multos magnam gratiam nos inituros confidimus. Ex eadem cauſſa, quae praefationis loco eſſe debebat, commentatio *de vita ac ſcriptis* diui viri, ſeparatim excudetur, eadem tamen forma, vt vel tomo alicui iungi, vel ſeparatim legi poſſit. Chartae nitor, typorum elegantia, atque impreſſio emendatiſſima diligentiam noſtram adhibitam, & ipſum opus adeo, commendabunt quam maxime. Ad primum huncce tomum quod attinet, in eo comparent *Fundamenta ſtili cultioris*, quorum vndecima impreſſio indicium luculentiſſimum eſt, auide ea emtores reperiſſe. Retinuimus annotationes celeberrimi Goettingenſium Profeſſoris, *Io. Matthiae Geſneri*, vt & praefationem, quam Lipſienſis bibliopolae nomine ſcripſerat iuuenis doctiſſimus, *Georgius Guilielmus Oederus*. Additas praeterea hinc vides notulas quaſdam, quas debemus beniuolentiae amici cuiuſdam noſtri, cuius nomen adponere non licet. Inſequuntur *Hiſtoria philoſophica*, atque *Elementa philoſophiae rationalis ac moralis*, ſaepius itidem recuſa; ac denique *Iuris naturae ac gentium elementa*, tertium impreſſa, de quibus omnibus in laudata commentatione plura dicta reperies notatu digna. Tu interim vale, beneuole lector, atque alterum tomum propediem a nobis exſpecta. Scribebamus *Genevae* Kal. Iul. cIↃIↃCCXXXXIIII.

IO. CHRIST. GOTTL. HEINECCII,
POT. PRVSS. REGIS A CONSILIIS AVLAE, AC IN REG. ACAD. EQUESTRI LIGNIC. PROF. IVR. PRIMARII

COMMENTARIVS

DE VITA, FATIS ET SCRIPTIS

IO. GOTTLIEB

HEINECCII, IC.

POT. PRVSS. REGIS QVONDAM A CONSILIIS SANCTIORIBVS, IVRIS AC PHILOSOPHIAE IN ILLVST. FRIDRICIANA PROF. PVBL. ORDINARII,

DESIDERATISSIMI PATRIS.

DE VITA, FATIS ET SCRIPTIS IO. GOTTLIEB HEINECCII, IC. COMMENTARIVS.

§. I.

CELEBRE olim nomen in triga academiarum, Halenſi, Franequerana et Viadrina, jus, philoſophiam et litteras elegantiores docendo, clariſſimamque in republica litteraria famam ſcribendo conſecutus eſt IO. GOTTL. HEINECCIVS, Iureconſultus, Philoſophus et litterator quondam inſignis, deſideratiſſimus pater meus. Huius viri adgredior vitam ſcribere, viri, inquam, quem non minus libri bene dixiſſe, quam diſcipuli bene docuiſſe teſtantur: pietate potius, quam ſingularium et memorabilium fatorum vbertate aut varietate motus, non ab obliuione eum vindicaturus, memoriae enim ſatis ipſe conſuluit tot ingenii monimentis; ſed quod ſacram eſſe debere magnarum animarum memoriam, et ad ingenii humani *hiſtoriam* noſcendam apprime vtile cenſeo, priuatorum quoque hominum, meritis quibuſcumque eminentium, mores, indolem, animum, ingenium, ſtudia, fata noſſe. Non equidem egeremus mea opera, ſi quod ipſe olim inſtituerat, perfeciſſet. Memini enim Beatum Patrem, donec ſuperſtes erat, aliquando de rebus ad ſe pertinentibus commentarium moliri, idque tum conui-

cio amicorum tum flagitatione in primis CHRISTIANI GODOFREDI et IOANNIS GVILIELMI HOFFMANNORVM, quorum Francofurti ad Viadrum ſumma et familiari conſuetudine fruebatur. At neque horum expectationem neque noſtrum deſiderium expleuit, taedio, modeſtia, negotiis, an fati inuidia impeditus, ignoro, expleturus tamen, vt videtur, ſi monitores vixiſſent diutius. Rem profecto feciſſet gratam, eademque vel maiore forſan voluptate nunc legeremus illa *εἰς ἑαυτὸν*, quam qua legimus veterum aliquot iureconſultorum, veluti SEX. POMPONII, P. IVVENTII CELSI, C. AQVILLII GALLI, SALVII IVLIANI, et recentiorum FRANCISCI BALDVINI, IAC. CVIACII, BARTH. CHESII, GVID. PANCIROLI (*a*) vitas eleganter ab ipſo conſcriptas, in quibus dictionis cultum, praeceptorum vbertatem, iudicii vim, eruditionem variam, obſeruationum copiam facile vnuſquiſque agnoſcet. Magis certe accurata eſt inſpectio, et maturior pleniorque meditatio, facilior quoque narratio eorum, quae in vita experimur ipſi, quam quae ex relatione aliorum ſiue audimus ſiue legimus. Magna certe praerogatiua, maximaque fides debetur hiſtoricis, qui aut ea, quae ipſi geſſerunt, aut quibus interfuerunt, memoriae produnt. Sed ſpe illa, a Beato Patre olim facta, excisi, hoc interea Catone contenti ſimus. Sequar ego, paſſibus licet non aequis, exemplum et pietatem *Merici Caſauboni*, cuius elegans exſtat vitae paternae hiſtoria, narraturus ea, quae tam ex ſermonibus, quos Pater mecum ſaepe familiariter de fatis ſuis habuit, quam quae mihi aliunde conſtant. Recenſebo at breui, quae in vita fortuniſque eius fuere notabilia, plura forte et certiora allaturus iis, quae in *variis Ephemeridibus* (*b*) de vita paterna leguntur.

§. *II.*

(a) Variae iſtae ICtorum vitae Tomo II. et III. et vltimo Operum paternorum inſertae ſunt.

(*b*) Veluti in *der Potz-damichen Quint-Eſſentz de a.* 1742. In *den aller-neueſten Nachrichten von Iuriſtiſchen Buchern*, Parte XVI. Dans *la nouvelle Bibliothéque Germanique*, quae Amſtelodami prodit, Tomo II. Art. V. *p.* 51. et forte aliis.

§. *II.*

Natus diuae memoriae Pater eſt Eisenbergae, Principatus Altenburgenſis municipio, in Thuringiae oppidis et ſitus amoenitate conſpicuo, et tum Christiani, ex Gothana ſtirpe Saxoniae Ducis ſede, anno erae Chriſtianae mdclxxxi. a. d. iii. Idus Septembres. Pater illi fuit Ioannes Michael Heinecke, ſiue vt a filiis poſtea Latine redditum eſt gentilitium nomen, Heineccivs, Lycaei patrii Collega, vir ad formanda ingenia, inſtituendamque iuuentutem non doctus, ſed a natura veluti factus. Iſtud certe obſtetricium munus, quemadmodum Socrates apud Platonem in *Theaeteto* lepide vocat, & quo omnium maxime gloriari ſolebat mortalium ſapientiſſimus, et hanc vmbraticam vitam, quam multi moleſtiſſimam et deſpicabilem ducunt, ita ſemper amauit, vt non contemnenda ſacerdotia, ipſi ſubinde oblata, cum illa permutare nollet. Neque deſeruit vmquam ſtationem, in qua et Optimi Principis, cuius munificentia ſchola alebatur, gratiam, et ciuium ſuorum laudem doctrina, moribus, diligentia, integritate meruerat. In maioribus numeramus Martinvm Hayneccivm, Theologum, ſcriptis quibuſdam et maxime *Soteria aeterna*, quae Lipſiae an. 1603. prodiit, non ignotum. Matrem habuit Dorotheam, Matthaei Prvferi, honeſti in patria civis, ſenatoris et mercatoris filiam, quae eum poſt ſororem unicam, Ioannam Dorotheam, adhuc ſuperſtitem, et duos fratres, Io. Michaelem, *olim S. Theologiae Doctorem, ſacri in Ducatu Magdeburgico Tribunalis Conſiliarium, ſuperintendentem generalem Vicarium, Inſpectorem Eccleſiarum in Tractu Salano, Paſtorem Halenſium primarium et Gymnaſii Scholarcham*, iam anno 1722. vita functum, et Io. Andream, *rerum Silveſtrium in Tractu quo-*

 dam

dam Ducatus Brunſuicenſis quondam Praefectum, eodem quo noſter anno defunctum, poſtremo partu enixa eſt. Et ita quidem enixa eſt, vt infantulum pro mortuo haberent parentes, jamque nulla vitae indicia dantis corpuſculum terrae mandandum praepararent. Conſilio tamen et ope cuiuſdam, quae forte aderat, matronae, probe perfricatis pedum plantis, excitatus quidem infantulus, ſed tam infirma per aliquot annos vſus eſt valetudine, vt vix ſpiritum duceret, ipſique parentes illi non longam vitae vſuram ominarentur. Omen tamen avertit Deus O. M. Ex quo enim infantiae annos tranſgreſſus eſt, firma ſemper et ſtabili per omnem vitam valetudine vſus eſt.

§. *III.*

Primam aetatem ſub fauſtis penetralibus patris, oculatiſſimi morum ſpectatoris, egregiique ingeniorum indagatoris egit. Is, ſimul ac in puero primus ingenii vigor, emicuit, iis doctrinis, quibus puerilis aetas impertiri ſolet, erudiuit. Neque ſine fructu fuit haec patris tam ſolliciti cura, vt pote qui vſu in aliis diſcipulis decernere didicerat, quo tendendum et qua, cuiue tamquam perito alicui explorata erant omnia, in quae procedendum. Magnopere patrem, vti deinde ceteros praeceptores, iuuit ſumma diſcendi cupiditas, ingenii docilitas, & naturalis quaedam ſollertia. Haec tanta in puero fuit, vt condiſcipuli animum illius, bonarum rerum auidiſſime adpetentem, et a rebus ludicris auerſum aequo animo non ferrent, ſed tamquam moroſum et difficilem traducerent. Cette iam tum immoderatius in ſtudia ferebatur, quam aetas patiebatur. Pater autem hoc impenſius amauit filium, filiique amorem, indeque ſpem concepit non vanam, fore vt aliquando in rei publicae et litterariae bonum adoleſcat. At ille

matu-

mature deceſſit, filio vix vndecim annos nato. Triſtis hoc caſu in familia conuerſio, mater vidua, liberi orbi, non lauta res domi. Nihil niſi deſiderium ſui et bona omina liberis, matri tamen amicos reliquit. In Deo et matre liberis maximum praeſidium. Neque hoc defuit illis. Mater enim et pietate Deo et moribus amicis cara facile inuenit, qui opera, conſilio, re iuuarent. Hoc itaque praeſidio amicorum ſuffulta in primis operam dedit, vt filii probe inſtituerentur. Permiſit itaque illos fidei ac diſciplinae Diterici, Pezoldi et Gschwendii, qui ad litteras docendas in patria publice conſtituti erant. Numquam ſine voluptate meminit illius temporis, quod in ſchola patria tranſegit, quin recordaretur Conrectoris, cuius diſciplinae traditus erat, cuiuſque nomen tacere praeſtat, quam dicere, Orbilium per omnia referentis, imaginarii, vehementis, plagoſi, ſordidi & ridiculi, vt ſunt haud pauci, qui in *ſcholae vmbra ſeneſcunt, litteris tamen inquinati*, et in Graecis verſatiſſimi. Is enim non tulit praecox diſcipuli in illa aetate ingenium, et quo laetiora illius indicia dabat, hoc magis illum tamquam ſciolum et ante pilos ſapientiae inhiantem increpauit. Oderunt alii puerulos praecoci ſapientia, exemplo veteris poetae apud Apuleium, ſed non eo, vt in adoleſcentibus improbarint haud vulgarem diligentiam, et ſciendi curioſitatem. Adeo verum eſt, quod ait ille, *Virtus non habet oſores, niſi ignorantes*, et: *numquam eminentia inuidia carere.* Certe inſanum aut necromantam illum crediſſes, ſi quod elogium Heineccio collegae darent, aut hic concinnius aliquid vel promtius reliquis condiſcipulis elaboratum traderet. Saepe ſcripturam in cathedra pedibus conculcare ac geſticulatione plus quam pantomimica conſpuere, non quod eſſet male concinnata, ſed quod opinionem illius ſuperaret. Tali cum eſſet ingenio magiſter, eo ſiue inuidia, ſiue animi impotentia ſe abripi paſſus eſt, vt apud Franc-

kivm,

KIVM, Superintendentem et Lycaei tum ſcholarcham inſiſtere non intermitteret, vt ex ſuo ordine in ſuperiorem tranſlocaretur. Qui cum interrogaret, quidnam eſſet, quod HEINECCIVM, de quo nemo collegarum vmquam queſtus eſſet, pati nollet? reſpondit: *me miſerum, de rebus quaerit, quas ipſe non intelligo, et ludibrio ideo apud diſcipulos ſum. Certe Spiritus ſanctus in puero eſt.* Haec ipſa verba magiſtri ſunt, quae referre non piguit, quod honori cedant patris, in bona quaeuis tum adoleſcentis. Interea Rector illius ſcholae, GSCHWENDIVS, cuius diſciplinae tradebatur, vir doctus et aequior ingenii aeſtimator, nihil intermiſit, quo diſcipulus ad optimarum rerum cultum formari poſſet.

§. *IIII.*

Vſus autem eſt horum praeceptorum inſtitutione ad annum vſque 1698. in quo temporis interuallo aſſidua lectione veteres auctores Graecos et Latinos verſando fundamenta poſuit ſcientiae elegantiorum litterarum et eloquentiae Latinae, in qua poſtea excelluit maxime. Frater interea natu maior, IO. MICHAEL, in libera Imperii ciuitate Goſlarienſi muneri eccleſiaſtico admotus, multos et magnos ſibi doctrina, morum cultu et eloquentia ſacra, qua in primis pollebat, conciliauerat patronos. Qui cum eſſet fratris amantiſſimus, et profectuum, quos in vtraque tam Graeca quam Latina, quin et Hebraica lingua ceteriſque ſtudiis humanioribus fecerat, gnarus, illum ad ſe vocavit. Patria itaque exiit, et Goſlariam venit anno 1698. ibique breui tempore adeo ſe bonis quibuſque probauit, vt commendatione fratris adiutus in domum et familiam Illuſtris SEIDENSTIKERI, Iudicii Imperialis aulici Conſiliarii receptus benigniſſime haberetur. Multum haec commoratio vtrique fratrum profuit. Nam cum patruus meus

meus illo potiſſimum tempore praeclara illa opera, alterum *de Antiquitatibus Goſlarienſibus*, alterum *de Sigillis veterum Germanorum*, aliaque ſcripta moliretur, illaque ex chartis membraniſque veteribus inſtrueret, multa fratri deſcribenda dedit, alia excerpenda permiſit. Magnopere haec opera patruum ſubleuauit, patri vero identidem non infructuoſa fuit. Praeterquam enim, quod ille ſuperſedere poterat operoſo librorum euoluendorum et vetuſtos caracteres in chartis medii aeui obuios expediendi et deſcribendi labore, obſeruationes quandoque patri natae ſunt, de quibus non cogitauerat auctor, quasue in rem ſuam vertere adeo non dubitauit patruus, ut memor ſemper fuerit nauatae operae fraternae. Pater vero hoc ipſo variarum rerum cognitione imbuebatur, et laborioſae inquiſitioni et meditationi rerum a vulgi notitia abſtruſarum paullatim adſuefiebat. Scriptorum etiam meliorum, medii antiquiorisue aeui inſtituta et mores illuſtrantium, tum ſe primum adquiſiuiſſe notitiam, grate ſaepe profeſſus eſt.

§. V.

Etſi vero multum apud Patrem fraterna conſuetudo et exempli vis valeret, bonarumque rerum cognitio maiora indies incrementa meliorum lectione librorum, quos diurna nocturnaque manu verſabat, caperet, non tamen hanc ſtudendi viam rectam et ſatis commodam aut ſufficientem arbitrabatur. Accedere oportebat inſtitutio viuae vocis, quae iudicio doctiſſimorum hominum maiorem lectione vim et efficaciam habere ſolet. Firmius certe haerere in animo et memoria ſolent, quae audiuntur, quam quae leguntur, et compendium diſcendi facimus audiendo viros doctos, de pulpito dicentes. *Vno enim momento temporis*, vt verbis vtar ALEX. FICHETI, (*) *effundunt in ſinum noſtrum, quod longiſſimo*

(*) *In arcana ſtudiorum methodo Cap.* 10.

ſimo plurium annorum labore coacervarunt, atque hoc nullo noſtro labore, magnaque cum animi noſtri voluptate contingit. Fratri inde expoſuit deſiderium, Academiam aliquam adeundi, ibique ſenerioribus litteris operam dandi. Fratri non abnuit frater, qui ne feruorem illum diſcendi reſtinguere videretur, illum ex amplexibus ſuis aegre tandem dimiſit. Anno itaque 1700. almam Lipſiam adiit, beneficiis Illuſtris Seidensticker i potiſſimum et commendatione fratris ſubleuatus, eoque animo adiit, vt ſacris litteris operam ſedulo nauaret, munerique eccleſiaſtico, cui tum a matre deſtinabatur, ſeſe praepararet. Lipſiae in contubernio vixit Seidenstickeri iunioris, cui ab illuſtri parente tamquam ſtudiorum ſocius et moderator additus erat. Iam ibi erat, vbi ingenii neruos intendere, illudque tamquam in palaeſtra aliqua ſapientiae et virtutis iuuare, ornare, roborare et in maius meliuſque promouere poſſet. Academia illi obtigerat elegantiarum omnium ſedes, ſapientiae bonaeque mentis domicilium, muſarum ac gratiarum auguſtiſſimum ſacrarium. Docebant ibi tunc temporis Io. Schmidivs, Adamvs Rechenbergivs et Thomas Itticivs, magna in Theologia, Philologia ſacra et Hiſtoria eccleſiaſtica nomina. His aliiſque claris viris operam ſedulo dedit. Neque ſatis illi fuit, tantos Doctores audire. Expendere enim ſingula ſolebat, et quam firmis probationibus quaeque niterentur diſpiciebat, perque bibliothecas exquirebat, quid conſignatum ab antiquiſſimis atque fide digniſſimis auctoribus extaret. Magno autem vſui illi tum fuit continua conſuetudo Adami Rechenbergii, in cuius aedibus ſibi ſocioque muſeum conduxerat, cuiuſque ex ore et diſciplina maxime pependit. Hic vir paterno diſcipulum amore complexus eſt, atque vt aſſiduae diligentiae ſubueniret, bibliothecam ſuam, quam inſtructiſſimam habebat, illi vtendam fruendam benigne con-

conceſſit. Omnium autem maxime tum Pater delectabatur hiſtoriae eccleſiaſticae et ſacrarum Antiquitatum ſtudio. Hanc ſitim expleturus BARONII *Annales* diligentiſſime legit, atque ex optimis rariſſimiſque libris grandia aliquot aduerſariorum volumina excerptis obſeruationibuſque repleuit, iis aliquando vſurus ad nouam et pleniſſimam Eccleſiae hiſtoriam, cuius ſibi iam tum ideam impreſſerat, concinnandam. Sed mutata paullo poſt vitae ſtudiorumque ratione in ſpongiam tandem incubuit hic Aiax, ipſaque Aduerſaria magno diſpendio pridem, fraude an caſu, non dicam, perierunt. Ex vngue tamen, vt dicitur, iudicare leonem poterit, quiſquis illius diſſertationem, *de habitu et inſignibus Apoſtolorum ſacerdotibus*, anno 1701. ſub praeſidio Io. SCHMIDII publice defenſam, legerit. Primus hic ingenii foetus fuit, et cum auctor ipſe huius ſcriptionis hiſtoriam texat, (*) ipſum audire iuuabit. *Vt vero*, inquit, *de ſingulis nonnulla, quae ſcire te, tua intereſſe videtur, moneam, primum locum occupat Diſſertatio paullo diffuſior, de habitu et inſignibus Apoſtolorum ſacerdotalibus, quam vndeuiginti annorum adoleſcens Lipſiae, vbi tum prima ſtudiorum academicorum tirocinia faciebam, ſub praeſidio* V. C. Io. SCHMIDII, *e cathedra philoſophica defendi. Deſtinatus tunc a matre veneranda ſtudio theologico, facile animaduertebam, me vix operae pretium facturum, niſi cum illo et elegantiores litteras et philologiam ſacram, et quod tum in iſta Academia quam maxime florebat, antiquitatum eccleſiaſticarum ſtudium coniungerem. Cum itaque ea diligentia mihi viri ſumme reuerendi* D. ADAMI RECHENBERGII, *cuius in aedibus mihi muſeum conduxeram, amorem ac beneuolentiam conciliaſſem, vir iſte doctiſſimus, qua erat humanitate, mihi bibliothecae ſuae vſum liberaliter obtulit, eaque re factum, vt dum virorum doctiſſimorum*, RECHENBERGII *et* THO-

(*) *in Praef. Opuſculorum variorum* συλλογῇ *praemiſſa. Tomo II. Opp.*

Iᴛᴛɪɢɪɪ *praelectiones aſſidue audio, dieſque ac noctes antiquae eccleſiae monimenta voluo, notitiam non mediocrem hiſtoriae eccleſiaſticae mihi compararem, quam deinde non parum locupletaui, cum relicta academia Lipſienſi in fratris* τȣ μακαρίτȣ *contubernio aliquamdiu viuere, eiuſque et conſiliis, et inſtitutione et bibliotheca frui contingeret. Cum ergo profectuum ſpecimen a me exigerent patroni, a quorum arbitrio tum pendebam, et legens inter alia* Bᴀʀᴏɴɪɪ *Annales animaduertiſſem, Cardinalem illum Apoſtolis habitum atque inſignia ſacerdotalia, qualibus hodie Clerus Romanae Eccleſiae inter ſacra ſuperbit, paſſim tribuere non dubitare: miratus ſum eam viri purpurati audaciam, et audire mihi viſus ſum clamantem Melicertam,*

Periſſe
Frontem de rebus.

Itaque iuuenili feruore arripui calamum, illaque Bᴀʀᴏɴɪɪ *aliorumque Pontificiorum argumenta excuſſi, et diſſertationem ea de re conſcriptam obtuli venerabili* Sᴄʜᴍɪᴅɪᴏ, *qui illam vnice probauit, ſuumque mihi obtulit praeſidium. Quamuis vero iuuenile hoc ſit opuſculum, et multa ſint, quae ipſe iam vel in dictione vel in elaboratione deſiderem: eo tamen magnopere me delectari fateor, tum quod hae ſint ſtudiorum meorum primitiae, tum quod mihi poſtea viam ad beneuolentiam Reuerendiſſimi* Vʀѕɪɴɪ ᴅᴇ Bᴀᴇʜʀ, *ſummi in aula Regia ſacrorum Antiſtitis, muniuit, cui perlecta diſſertatio ita placuit, vt mihi auctor eſſet, ne illam auctiorem edere dubitarem. Ita prodiit altera editio in forma minore, quam octauam vocant, eaque ita locupletata, vt iuſti molem libelli ferret, qui ita ad palatum fuit viro reuerendiſſimo, cui dicatus fuerat, vt eius commendatione paullo poſt publicum docendi munus mihi in Academia Halenſi longe clementiſſime demandaretur.*

§. VI.

§. *VI.*

Edito illo ingenii ſpecimine, non indignus a praeceptoribus habitus eſt primo honorum Academicorum gradu, qui tamquam praemium vigiliarum et in vicem ſtimuli ad conandum maiora olim tribuebatur, iam vero, vt ſunt tempora, petentibus potius, quam merentibus dari mos eſt. Hortantibus itaque amicis et conſilio fratris, quo inſalutato adhuc nihil agere audebat, ordini ſeſe philoſophico ad examen magiſteriale obeundum obtulit. In hoc cum plauſu inter ceteros magiſterii candidatos ſtetit, et anno 1703. a. d. VIII. Februarii magiſterii philoſophici honoribus ornatus eſt, lauream tribuente CHRISTOPHORO PFAVZIO, Matheſeos profeſſore publico. Hoc quoque doctore in mathematicis et chronologico in primis ſtudio, in quo prae aliis excelluit, aliquamdiu uſus eſt. Praelectionibus enim chronologicis, quibus AEGIDII STRAVCHII *Breuiarium chronologicum* explicabat, aſſidue interfuit, non ſine interiore temporum notitia hiſtoriam ſiue profanam ſiue eccleſiaſticam, quam in deliciis habebat, addiſci poſſe ratus. Decurſo hoc modo ſtudiorum academicorum ſtadio, deſiderium in illo naſcitur reuiſendi fratrem, cuius idemtidem litteris inuitabatur. Eodem ergo anno Goſlariam redit, aut ſacerdotium, ſi quod vacaret, aut aliud munus data copia ambiturus; ſin minus, Lipſiam rediturus. Deo aliter viſum. Nihil enim horum accidit. Apud fratrem interea otio obtorpere non paſſus eſt ingenium, omni exercitationum genere in academia, legendo, ſcribendo, dicendo docendove excultum. Multum iuuit fratris inſtructa ſatis ſupellex libraria, neque minorem illi vſum praeſtitit eiuſdem fratris et inſtitutio et exemplum ad perficiendum oratorem ſacrum. Ipſe enim, vt dixi, ſacro muneri erat dicatus, et

et frater in eloquentiſſimis ſui temporis oratoribus numerabatur, nec facile in alio maior erat oris atque orationis commendatio. Pater itaque meus nihil fecit reliqui, vt in dicendo ad perfectionem aliquam perueniret. Iam Lipſiae aliquoties non ſine plauſu e ſacro ſuggeſtu verba fecerat. Idem ſaepe fecit Goſlariae, quoties erant, qui vicaria eius opera egere profiterentur. Hic vero praeter omnem ſpem et opinionem conſilium cepit, gradum mutandi. En rationes. Primo quidem obſequii magis lege, quam ex animi ſententia Theologico ſtudio mentem adplicuit. Deinde ſemper animum geſſit auerſum a muniis quibuſdam Eccleſiaſticorum, quae ſunt cum officio aegrotos et moribundos viſendi coniuncta. Tanta enim illi nauſea erat, vt natura quaſi abhorreret ab huiuſmodi commercio. Accedebat poſtremo anhelatio et dyſpnoea, quacum iuueni colluctandum erat, cuius tamen poſtmodum non magnopere incommoda ſenſit. Illo tamen tempore verebatur, ne, ſi vocem, quam a natura ſonoram et plenam acceperat, in ſuggeſtu iuſto plus intenderet, grauius pectori malum arceſſeret. His aliiſque rationibus motus ſerio de nouo ſtadio ingrediendo cogitare coepit, non diſſimulans apud matrem fratremque conſilium. Vterque equidem initio reluctabatur, ſed a propoſito ſe deterreri non paſſus eſt contrariarum rationum momentis. Neque profecto illi male ceſſit priſtini ſtudii deſertio, quae et in aliis doctiſſimis viris in magnum rei publicae et litterariae commodum vertit. Quot et quanti viri e Theologorum in Themidos caſtra tranſierunt, et tantum abeſt, vt ſacratam Themidem poenituerit transfugarum, vt potius ad ſummos et ampliſſimos honores euexerit, illaque non inhoneſta defectione neque litteris neque ſibi ipſis defuerint.

§. VII.

§. *VII.*

Lipſiam procul dubio rediiſſet, ibique rerum ſuarum ſategiſſet Pater meus, niſi Deus praeter opinionem aliam eamque percommodam occaſionem obtuliſſet, conſilium iuriſprudentiam addiſcendi, exſequendi. Dum enim has animo volvit curas, ampliſſima fratri ſaepius laudato munera ſacra in vrbe Halenſi ſub lautis admodum conditionibus offeruntur. Recuſandi nulla cauſſa erat, et tum maxime florens Fridriciana, ac doctiſſimorum hominum copia tanto magis inuitabat virum et doctrinae laude florentem et litteras amantem. Itaque breui quantumuis aegre dimiſſus a Goſlarienſibus, Halam acceſſit, non ſine fratre, quem ſibi comitem itineris et fortunae adiunxerat. Huic iam non perdendum aut inaniter conſumendum tempus videbatur, vt qui ſerio ad iuriſprudentiae *ſtudium animum adiicere ſtatuerat.* Neque ad *illam* rem deerat copia. SAM. STRYCKII enim et CHRISTIANI THOMASII aliorumque, quos ſibi moribus et diligentia conciliauerat, patronorum opera et commendatione continuo in Golloukinorum, ex praecipua Ruſſorum nobilitate iuuenum, Halenſem Academiam tum ornantium, contubernium adſociatus eſt; tum vt priuatim illos inſtitueret, tum vt in acroaſibus SAM. STRYCKII audita domi repeteret, praeceptaque percepta redderet. Inter haec non intermiſit philoſophiae et litteris elegantioribus, in quibus a puero non mediocriter verſatus erat, porro operam dare. Et cum docendo plurimum diſci ſciret, ſibi vna aliiſque profuturus hanc excolendi ingenii viam ſtatim ex quo Halam acceſſit ingreſſus eſt. Saepe in memoriam reuocare ſolebat primos hos publice docendi conatus. Proſcriptis enim in albo Academico acroaſibus in IO. FRANC. BVDDEI *Elementa philoſophiae* habendis, tanta frequentia confluxit

fluxit ſtudioſa iuuentus, vt ipſe miratus ſit adplauſum, veterani autem doctores inuiderent. Fuerunt ſane inter auditores, et forte plerique, qui explorandi tantum cauſſa, quale principium adueniens ſit daturus, concurrerant. Quod cum facile praeuideret, tanta diligentia ſeſe ad lectiores praeparauit, vt omnia memoriter ediſceret, quae tradere vellet. Quod inſtitutum diu poſtea ſollicite retentum multum illi profuit ad luculentam et diſtinctam docendi rationem, qua poſtea plurimum polluit. Auditoribus autem iis, qui initio animi nouitatiſque tantum cauſſa aduenerant, vt viderunt, nouellum magiſtrum facundia, ſolida rerum tractatione, libero et ſaepe iocoſo dicendi genere praeſtare, ſubſellia illa adeo placuerunt, vt nuſquam frequentiores irent. Veterani contra doctores aequo animo non tulerunt illam gloriolam. Rara profecto docendi dona ſunt, doctiſſimis ſaepe viris negata. Sed figulus figulum, et faber fabrum. Certe iam tum ſuo exemplo didicit, academiis obiici poſſe, quod Megaricorum ſcholae olim obiecit Diogenes: οὐ σχολὴν ἀλλὰ χολὴν, *non ſcholam ſed meram bilem eſſe.* At pater inuidiam, tamquam virtutis comitem, eo tempore non magnopere moratus, hoc egit, quod officium et ratio poſtulabat, et ſic ſe geſſit, vt dexteritate, eruditione, et diligentia ſe non paucis patronis probaret, quin illos idemtidem ad ſe ornandum prouocaret.

§. VIII.

In primis autem ſpem potiundi loci inter publicos Academiae Doctores tum fecit ſupra laudatus Vrsinvs de Baehr, vir magnae in aula regia auctoritatis, Epiſcopi dignitate fulgens, patri amiciſſimus. Huic viro, vt multa alia, ita hoc etiam debuit, vt anno 1708. ordini philoſophico adiungeretur. Auſpicatus eſt nouum illud munus more maiorum exercitatione

citatione ad diſputandum propoſita: *de genuina natiuitatis Chriſti era, e numis et inſcriptionibus illuſtrata.* Quo animo, inſtituto et adparatu illam ſcripſerit, ipſe nos docet in praefatione, opuſculis Academicis praemiſſa. Nimirum iam a prima aetate ardere coepit in rei antiquariae, lapidariae et numariae ſtudium. In ſchedis adhuc habemus excerpta numorum, marmorum, gemmarum, ipſius manu delineatarum, ex codicibus et libris rariſſimis, quin et ipſis archetypis congeſta; ex quibus colligere licet, quanta diligentia olim hoc ſit ſtudium ſectatus. Et niſi poſtea ſeuerioribus ſtudiis, et multis ſaepe quam magnis negotiis diſtrictus eſſet, plura eius ſpecimina non poenitenda dediſſet. Sed vti numquam antiquitatibus pretium ſtatuit, quam quatenus lucem ſeuerioribus diſciplinis accendunt, ita lapidarias et numarias muſas non aliter amauit, quam generatim antiquitates. Itaque illud ſtudium primo ad hiſtoriam tam ſacram quam profanam, deinde ad iuriſprudentiam tranſtulit, ceu ſcripta iuridica, poſtea edita, pluribus teſtantur. Sed de vero et recto vſu antiquitatum in omni eruditionis genere, et ſpeciatim in iuris ſcientia ipſe ſatis in ſcriptis et operibus ſuis paſſim dixit.

§. *VIIII.*

In medio ſtudiorum curſu praeripiebatur illi, anno ſcilicet 1710. praeceptor et patronus inſignis, Sam. Stryckivs, iuris conſultorum ſui ſaeculi facile princeps. Qui caſus non poterat non et Fridericianae, in quam immortalia, et patri, in quem multa magnaque eiuſdem merita exſtabant, luctuoſus et feralis eſſe. Magno tum animorum motu de extremo officio tanto viro rite praeſtando certatum eſt. Diſcipulus autem praeceptori pietatis, venerationis et grati animi monimentum poſiturus, ſempiternae eius memoriae conſecrauit panegyricum, qui adhuc omnium manibus teritur.

Quam-

(*) Quamuis autem hoc modo pietas ſimul et eloquentia HEINECCII illuſtraretur, hanc tamen laudem non ſine inuidia inuenit. Quidam enim patri, vt lenius dicam, aemulus, atque inſuper Io. SAMVELIS STRYCKII, SAM. FILII, patri neſcio cur infenſi, amicitia abutens in fraudem patris, honorificum illud pietatis officium illi variis machinationibus extorquere conatus eſt. Neque ſatis ſcio, an publice dicere integrum illi fuerit.

§. X.

Nondum illo tempore adeo candidi patri fulſere ſoles, vt non de meliore et ſtabiliore fortuna, ſi non ipſe, amici tamen, ſubinde eſſent ſolliciti. Fratrem in primis amicoſque angebat illa patris aequanimitas, qua iuxta Plautum, *virtute ambire oportere, non fautoribus*, arbitrabatur, cum ſine his perraro aliquid effici probe intelligerent. Erat certe eo animo a natura factus, vt litterarum ſtudiis et ornandae ſpartae vnice intentus, diſſimilis ſemper fuerit iis, qui vt aliquid aucupentur, ardelionum more trepide concurſant, potentiorum limina ſine fine modoque exoſculantur, amicos anxie quaeritant, minutum et puſillum animum quauis occaſione prodentes, Graeculis eſurientibus ſimillimi. Longe his aliter animum induxit pater meus, qui nullo quidem officiorum genere defuit patronis, ſed vt non facile neque niſi parciſſime ab iis ſibi emendicaretur gratiam aliquam. Saepe haec negligentia, ſi ita adpellare fas eſt, qua ſibi ſuiſque magnopere defuit, vitio illi ab amicis non immerito data eſt. Magnis tamem vſque ad exitum patronis probatus fuit, qui eius cauſſa omnia voluerunt, effeceruntque. Vtcumque ſit, illa animi ſententia ei tum non male ceſſit, praeter ſpem et opinionem eorum,

(*) Iunxit auctor illum *Fundamentis ſtili cultioris. Tomo I. Operum.*

eorum, qui bene maleque illi cupiebant. Leui enim opera conſecutus eſt, vt ſibi munus philoſophiam publice docendi auguſtali codicillo anno 1713. demandaretur. Non placuit nouum illud dignitatis augmentum obtrectatoribus, et ſtimulus ita factus eſt aduerſariis, inque iis difficili tum Theologorum Halenſium nationi, quorum odium non tam ſua quam fratris, vt putabatur culpa, incurrerat. Hic nimirum ab illis multum diuerſus, non probabat ſimulatam et adfectatam quorumdam pietatem, ac peruerſam et prorſus fanaticam, qua tamquam Circeo poculo inebriati erant, opinionem; non decere homines, diuinarum maxime rerum ſtudioſos, philoſophiam et profanas litteras. Et quo magis iis vterque frater dediti erant, hoc magis illis obtrectabatur ſcrupuloſiſſimum et irritabile illud hominum genus. Quibus calumniis ſub idem fere tempus concuſſus et paene proſtratus fuerit philoſophorum huius ſaeculi princeps, Illuſtris CHRIST. L. B. de WOLF, et ii ſciunt, qui aliud nihil. Interea cum fratre ſenſit frater, illiuſque partibus addictus erat, et ſic fieri potuit, vt per occaſionem illi, cui difficile erat, ſatyram non ſcribere, exciderint ſcommata, iis, qui nihil ferre ſolent, intoleranda et tantum non cruce digna viſa. Rem itaque inuidia plenam deferunt ad Regem, qui tandem vtrumque fratrem clementiſſimo reſcripto admonuit, ne turbas darent, abſtinerentque ſe porro a litibus. Crabrones etiam, vt coniicio, irritauerat edito ſub auſpiciis noui muneris, programmate, *de verae falſaeque ſapientiae characteribus*, quo cum ciuibus academicis communicabat, quibus potiſſimum partibus illos iuuare animus eſſet. Legenti certe cuiuis iudicandi poteſtas eſt, in quale hominum genus faba cudatur. Mox ſequebatur illa *de inceſſu animi indice* elegans diſſertatio, qua illud phyſiognomoniae genus, hominum mores et indolem ex variis ſignis externis, vultu et maxime inceſſu coniectandi egregie illuſtrat.

trat. Occaſionem huic diſquiſitioni procul dubio dedit ridiculus eorum, qui ficto ſimulabant pia pectora vultu, quibus tum Hala ſcatebat, inceſſus. Qui cum ſuos haberent fautores, non facile cuiquam impune licebat hanc mouere camarinam.

§. XI.

Viam, quam ſemel ingreſſus erat, indeſeſſo pede perrexit, neque a coepto vitae genere, quod erat in docendo ſcribendoque poſitum, curſum deflexit. Huius induſtriae ſpecimen ſequente anno vulgauit, edita Commentatione *de philoſophis ſemichriſtianis*. Non eſt, quod hic de ratione inſtituti quidquam dicamus, cum id ipſe iam praeſtiterit auctor, tum in ipſo libello, tum in praefatione Opuſculis praemiſſa. (*) Quidquid autem hactenus publici iuris fecit, materia erat, aut ex hiſtoria eccleſiaſtica, aut philoſophia, aut illius hiſtoria, hanc enim numquam neque a Theologia, neque philoſophia, neque adeo a iure ſeiunxit, depromta. Tantum tamen abeſt, vt ſubinde amorem, quo in iuris legumque peritiam ferebatur, depoſuerit, vt potius ſerio ac ſumma ope niteretur, illam eruditionis partem, cui ſe ſtatim vt Halam conceſſit, dedit, animo complecti. Non tamen auſus eſt quidquam in illa ſcientia moliri aut ſcribere ante annum 1716. quo ſe iureconſultorum ordini, ſummis in iure honoribus ornandum, obtulit. Auſpicalem enim tum, more in Academiis recepto, diſſertationem publico eruditorum examini propoſuit: *de origine atque indole juriſdictionis patrimonialis. Quandoquidem vero*, „ inquit Auctor, *ea tum erat rerum mearum ratio, vt intra quatuordecim dierum ſpatium et capiendum eſſet conſilium et exſequendum: temporis excluſus anguſtiis, omnia, quam*

(*) Tomo II. Operum.

quam fieri poterat, breuiſſime propoſui, easque theſes ſine alterius praeſidio defendi. Dicam vero, ne quid intactum relinquam, quid ſit, cur tam cito et tamquam in arena capiendum eſſet conſilium. Varie quippe ſollicitatus de coniugio contrahendo, adhuc tamen non adpetiit, donec non contemnendae demum rationes offerrentur, quas repudiare et adſpernari religioni ſibi ducebat. Intra breue temporis ſpatium cum actum tranſactumque eſſet, legi etiam ſponſo a ſponſa dictae ſatisfacere non detrectauit; vt nimirum Doctoris iuris gradum ante nuptias, quibus iam dies conſtitutus erat, ſuſciperet. Hinc nulla mora nectenda, indeque cauſſa breuiſſimi intervalli ad hoc negotium conceſſi.

§. XII.

Venio nunc ad id tempus, quo domi ſatis clarus exteris quoque innoteſcere coepit. Priuatus enim iuris Doctor cupidae legum iuuentuti docendo apprime ſeruiit. Iam vero iuris et antiquitatum ſingularem ſcientiam publicis monimentis teſtatam ſaeculo fieri, reliquum erat. Factum id eſt autem inſigni illo *Antiquitatum ius Romanum illuſtrantium ſyntagmate*, quod primum Halae 1717. prodiit. Dici non poteſt, quam auide exceptum ſit venuſtiſſimum illud opus. Toties certe repetitae editiones, inueniſſe emtores, ſatis teſtantur. Recuſus enim liber iſte emendatior auctiorque eſt primum Argentorati, deinde Venetiis, Baſileae, Traiecti ad Rhenum et poſtremo Geneuae inter Opera omnia. Hoc certe ſpecimine, tamquam eſca aliqua allecti Bataui, illum poſt aliquot annos ad ſe vocarunt. Eodem libro et hanc laudem promeruit, vt inter iuriſprudentiae humanioris, in Germania fere euileſcentis, reſtauratores haberetur. Incubuerat nempe vitio practicorum, ſi Diis placet, vſum et praeſtantiam elegan-

tiorum litterarum ignorantium, Academiis Germaniae quaedam barbaries, quam a iuriſprudentia depellere elegantioribus litteris, antiquitatibuſque et hiſtoria cum illa coniunctis exemplo doctiſſimorum hominum ſumma ſemper ope niſus eſt Beatus Parens. Licet tamen hoc opere doctiſſimum quemque domi foriſque in admirationem traxiſſet, non tamen, vt ſuum cuique iudicium eſt, omnia in illo placuerunt omnibus, vt non ſubinde cenſores et aduerſarios inuenerit. Notarunt certe eum viri clariſſimi B. Branchv *in Obſeruationibus*, Gottl. Cortivs, *in Vindiciis Praetoris jurisque honorarii*, quibus quid repoſuerit pater contrauindicans, legere eſt in *Hiſt. Edictorum Edictique perpetui. Lib. I. Cap.* 6. §. 19. *ſequ.* nec non in *Hiſtoria iuris Lib. I. Cap.* 3. §. 70. Iac. Voorda *in Commentario ad L. Falcidiam*, Io. Avg. Ernesti, *in Indice Ciceroniano*, aliique maiorum minorumque gentium litterati. Nemo tamen maiore animi motu adparatuque contra auctorem huius operis inſurrexit, quam laudatus Cortivs. Hic enim initio amicus, mox aemulus, poſtremo infeſtum animum non alia de cauſſa geſſit, quam quod ſpe potiundae profeſſurae alicuius excidit, ex quo Patri illa demandaretur. Ex quo tempore non aliud fere ſibi negotium credidit datum eſſe, quam vt tam in praelectionibus, quas Lipſiae in hoc ſyntagma inſtituit, quam ſcriptis, doctis ceterum et laborioſis, patrem cenſeret, notaret. Sunt et alii, qui in hoc muſtaceo laureolam quaeſiuerunt. Inuenerintne, non dixerim? Non equidem mihi harum litium arbitrium ſumo, cum meo auxilio nec me defenſore pater egeat, et bella eiuſmodi ſemper putarim nullos habitura triumphos, neque ita vmquam in Patris verba iurauerim, vt credam, numquam illum aliquid humani paſſum. Rem potius iudicio eorum relinquo, quibus iudicandi vis eſt et poteſtas et otium. Hoc tamen diſſimulare nequeo, fuiſſe in aduerſariis, qui magnum putarunt,

in re

in re illiquida et dubia, qualia ſunt multa in Antiquitatibus capita, probabilem ſententiam contra aeque probabilem vel etiam probabiliorem ſumma contentione defendere. Sed miſſis his ad alia tranſeamus. Eodem fere tempore, quo iuriſprudentiam antiquitatibus illuſtrare adgreſſus erat, hiſtoriam etiam iuris Romani et Germanici, ad quod, ab hoc lumine deſtituti, non poſſunt non caligare, meditabatur. Sed tum quidem in aliud tempus differre propoſitum coactus, CHRISTIANI THOMASII *delineationem hiſtoriae iuris*, breuem illam quidem, ſed inſtituto ſatis aptam, in vſum auditorum recudi curauit, eamque praefatione commendatitia ornauit.

§. XIII.

Eloquentiae famam ſibi pridem parauerat Pater, et cum NIC. HIER. GVNDLINGIO in facundiſſimis ſui aeui oratoribus numerabatur. Stili ſane Latini omnes elegantias callebat, et ſiue ſcriberet, ſiue diceret, facile intelligebatur, illum fere quod ſummum eſt in dicendi arte attigiſſe. Eminuit certe in Parentis mei dictione Latinae linguae puritas, rerum copia et pronunciandi grauitas. Neque haec dicendi facultas et fructus, qui ex eius inſtitutionibus oratoriis in ſtudioſam iuuentutem manabant, Fridericianae curatores, neque per hos ipſum Principem latebant. *Cum itaque*, (inquit ipſe *in Praef. Fundamentorum ſtili*) *beatiſſimus et immortalis gloriae princeps*, FRIDERICVS, *rex Pruſſiae, publicum docendi munus in illuſtri hac Academia mihi decreuiſſet, eo potiſſimum conſilio id ſe facere profeſſus eſt rex ſapientiſſimus, vt iis, qui ſe politioribus litteris conſecraſſent, viam, qua ad pulcherrimam iſtam laudatiſſimamque doctrinam poſſent peruenire, commonſtrarem. Quam bene de ſtudioſa iuuentute merendi occaſionem tametſi mihi tunc, neſcio quae praeriperet inuidia: tamen ex quo poten-*

tiſſimus

tiſſimus rex, FRIDERICVS GVILIELMVS, *publice docendi prouinciam mihi impoſuit, dandam mihi operam exiſtimaui, ne nullum ex illa beatiſſimi principis voluntate fructum caperetis.* Et ſic nata ſunt *fundamenta ſtili cultioris*, Halae primum 1717. excuſa et poſtea vndecies et amplius recuſa. Gratus in primis hic labor docentibus, commoduſque diſcentibus fuit, adeo vt claſſicam fere auctoritatem conſecutus, ac in pleriſque Germaniae ſcholis introductus ſit libellus, ab eo profectus, qui ad alia plane quam vmbratica et ſcholaſtica ſtudia natus videbatur. Fuerunt, qui imtempeſtiue ſeduli neque rogati obſeruationes ſuas, a mente auctoris non raro alienas, huic libro interſeruerunt, cum quibus aliquoties recuſus exſtat. Non ſine indignatione alienam illam operam tulit, tametſi honorificum illud officium grate agnouerit, quod in commentando illo libro praeſtare haud grauatus eſt, Vir celeberrimus muſiſque Heineccianis amiciſſimus IO. MATTH. GESNERVS. Adhuc non ſine vberrimo fructu inſignique gratia priuatus iurium Doctor ius ciuile auditoribus legum cupidis enarrauerat, cum in dies magis magiſque effloreſceret B. Parentis nomen. Itaque triennio poſt commendatione eorum, quorum curae Fridericiana et res Palladia in orbe Pruſſico erat, in primis illuſtriſſimi MARQVARDI LVDOVICI A PRINZEN dignitas ab auguſto Rege illi profeſſoris iuris extraordinarii decreta eſt. Huic iungebatur aſſeſſura facultatis iuridicae, Profeſſoribus iuris, qui extra ordinem ſunt, non facile concedi ſolita. Inde publico diſputantium examini propoſuit diſſertationem *de leuis notae macula, ad l. 27. Cod. de inoffic. teſt.* in qua enucleata illa lege, et querelae inofficioſi hiſtoria, cur Conſtantinus M. fratribus praeteritis aduerſus heredes, probro aliquo diffamatos, ſuccurrendum putarit, deinde quae ſit illa leuis notae macula, quam in animo habuerit Imperator, et denique num tota illa de hac macula doctrina ICtorum vllum in iſta lege

lege praeſidium inueniat, cum cura diſquiſiuit. Dubia quaedam contra nouam ſententiam, in diſſertatione illa propugnatam, mouit Collega olim coniunctiſſimus, Vir Illuſtris Ivstvs Henningivs Boehmervs in diſſertatione *de querela inofficioſi fratrum conſanguineorum*, quibus in praefatione Opuſculorum variorum συλλογῇ praemiſſa occurrendum putauit.

§. XIIII.

Nec defuit porro amicorum et patronorum in ornando patre gratia, auctoritas et voluntas, neque Optimi Principis clementia. Sequente itaque anno, 1721. Anteceſſor ordinarius factus eſt, illique dignitati etiam honorificus aulae Regiae Conſiliarii titulus additus. Et ſane nouum hoc dignitatis ac fortunae augmentum nouos etiam ſtimulos addidit patri, dignum ſe expectatione iudicioue patronorum probandi. Itaque non curam aliam priorem habuit, quam vt ſtudioſae iuuentuti docendo, reique litterariae ſcribendo prodeſſet. Neque intermiſit publicum diſputandi exercitium. Specimina huius induſtriae edidit binis diſſertationibus, altera *de collegiis et corporibus opificum*, altera *de nauibus ob vecturam vetitarum mercium commiſſis*, quam calculo ſuo probauit Illuſtris Bynkershoekivs *Obſeru. iur. publici Lib. I. cap.* 14. licet in quibuſdam a patre diſſentiat. Et alienis hoc tempore aliquot egregiis ſcriptis hanc operam nauauit, vt recuderentur, quo in plurium manus venirent. Hinc Triadem diſſertationum Iacobi Perizonii, *ad Legem Voconiam*, *de conſtitutione diuina ſuper ducenda defuncti fratris vxore*, *et de variis antiquorum nummis*, et elegantiſſimos Corn. van Bynkershoek *obſeruationum libros priores* recudi fecit, illiſque luculentas praefationes *de antiquitatum et artis criticae vſu in iurisprudentia* praemiſit. Aliquot annos Bibliothecae Marianae Halenſi

lenſi

lenſi praefectus erat, ex quo munere non vnum ipſe et res litteraria fructum retulit.

§. *XV.*

Quae adhuc vulgauerat B. Pater ingenii monimenta, aliaque in Academiam Halenſem et iuriſprudentiam merita non latere eum ſinebant. Famae quidem non admodum ſtudioſus, ac propemodum, ceu ipſe fatetur, (*) illud λάθε βιώσας a puero adfectans, eam tamen nominis celebritatem ſatis mature conſecutus eſt, vt iam expeti ab exteris coeperit. Magnus certe ille in Aula Regia adminiſter et Academiarum Curator MARQV. LVDOVICVS A PRINZEN non deſtitit illum enixe commendare REGI. Quo factum eſt, vt anno 1723. in Viadrinam anteceſſor deſignaretur. Conditiones oblatas repudiandi nulla cauſſa erat, mox tamen conſilium mutandi noua nata eſt. Eodem enim tempore ab Illuſtriſſimis Friſiae ordinibus Franequeram, in locum ORTVINI WESTENBERGII ſufficiendus, euocatus, voluntati tam prolixae non prorſus abnuendum duxit. Dubius tamen adhuc et anceps animi, et quo ſe verteret neſcius. Quemadmodum enim ea indole erat, vt quieto et tranquillo vitae genere, ſtabilique ſede nihil prius nihilque antiquius haberet; ita vix à ſe impetrauit, vt mutatis ſedibus coeloque in tam diſſitas regiones migraret. Mox tamen verum expertus eſt illud Senecae ſapienter dictum: *ducunt volentem fata, nolentem trahunt.* Quod poſtea adeo animo infixit, vt ſymboli loco haberet, ac philothetis amicorum et commilitonum memoriae cauſſa inſcriberet. Quid tamen fuerit, quod poſthabitis Viadrinis conditionibus, Franequeranas acceperit, dicam. Primo quidem morte ereptus illi fuerat frater amantiſſimus, Io. MICHAEL, qui illo ipſo anno diem obie-

(*) *in Epiſt. Amoeb. p. 19. T. III. Oper.*

obierat ſupremum. Tali praeſidio orbato iactura videbatur irreparabilis, ipſaque Fridericiana ingrata ſedes, a qua iam abeſſe quam longiſſime non admodum dolebat. Neque minus momentum lautiores Friſiorum conditiones. Et hoc denique multum apud patrem valuit, quod ſciret, nullibi quam in Belgicis academiis largius et honeſtius otium, muſis amiciſſimum, concedi, quo in Germania non facile fruantur Anteceſſores, moleſto ſatis et ingrato reſpondendarum cauſſarum labore diſtenti, ac prope ciuilibus vndis merſi. His itaque aliiſque rationibus motus, impetrata prius a Rege honeſta miſſione ſub hiemem anni 1723. cum familia Franequeram migrat, amicis et diſcipulis ingenti ſui deſiderio relicto.

§. XVI.

Confecto ſatis moleſto itinere, ingruebat enim hiems, vrbem ingreditur, tanto concurſu et adplauſu a ciuibus collegis et ſtudioſa iuuentute exceptus, vt facile adpareret, quanta fuerit illius exſpectatio. Florebant tum in illa Academia, multis olim magniſque nominibus illuſtri, viri clariſſimi Rvardvs Andala, Albertvs Schvltens, Venema, Melchioris Theologi, Zacharias Hvbervs, Dom. Balck Iureconſulti, Mvys et Regws Medici, Tiberivs Hemsterhvis, Petrvs Wesselingivs Philologi et litteratores clariſſimi, cum quibus collegis adeo amice vixit, vt numquam ſe cum his in gratiam rediiſſe meminerit. Anteceſſoris autem munus non ita multo poſt auſpicatus eſt oratione ſollemni: *de iuriſprudentia veterum Romanorum formularia, ritibuſque quibus negotia ciuilia explicabantur ſollemnibus.* Deinde ſummo auditorum plauſu cathedram iuridicam adperuit. Ante quam Franequeram concederet, Leouardiam digreſſus innotuit celſiſſimo Arauſionenſium Principi, Magnae Britanniae Regis nunc

 gene-

genero, totiuſque foederati Belgii cum maxime gubernatori hereditario, vti et Sereniſſimae eius matri, quorum gratiam continuo adeo ſibi propriam fecit, vt non multo poſt Princeps hic iuuentutis, Franequeram ſtudiorum cauſſa accedens ſuae inſtitutioni committeretur. Eadem ſimul vſi ſunt plurimi ex praecipua Angliae nobilitate iuuenes, praeſentia Principis, futuri regis ſui generi, illuc allecti. Quamdiu Franequerae docuit, ſequentia in lucem miſit: *Elementa iuris ciuilis ſecundum ordinem Inſtitutionum et Pandectarum*, quibus luculentiſſimis iuris compendiis ſatis docuit, iuris ciuilis non ſolum vſum ſed et artem in eo fuiſſe. Nouam quidem ſed commodiſſimam auditoribus et diſcentibus viam et rationem ſecutus eſt auctor, et quiſquis cogitauerit, quibus inſtructus praeſidiis huic operi manus admouerit, ab eo non ſine ſummo iudicio hanc methodum electam eſſe, libens fatebitur. Auctor ſane, qui iam inde ab ineunte aetate ita percoluerat ingenium, vt omnem doctrinae elegantioris adparatum referret ad iuriſprudentiam, ex illa ſola arti in ſe abſtruſae et interpretum plerorumque inſcitia mirae inuolutae caligini lucem accendi poſſe arbitrabatur. Ea opinione imbutus in omnem antiquitatem litteraſque et Graecas et Romanas ita ſe penetrauerat, vt ſibi eorum nihil, quae ad eruendas legum rationes pertinent, praetermittendum putaret. Quumque ſatis animaduerteret, veteres iuriſconſultos certa artis ſuae praecepta ac veluti principia ante oculos habuiſſe, ex quibus omnes deciſiones ſuas foecundo ingenio deriuarent, omni ope incubuit, vt puros iſtos et limpidiſſimos fontes recluderet. Quo id demum conſecutus eſt, vt omnes iuris ciuilis doctrinas non male cohaerentes nec tamquam ſparſa Hippoliti membra diſtractas disiectaſque, ſed nexu arctiſſimo copulatas iſtis libellis ſiſteret, incredibilique fructu e cathedra explanaret. Dici non poteſt, quantam initio inuidiam ſibi conciuerit noua illa

illa ac politiore ſcribendi docendique ratione, mox tamen calculum vel inuitis extorſit. Sed de lite illa methodo paternae a quibuſdam intentata infra pluribus erit diſſerendi locus. Et *Commentarius ad Legem Iuliam et Papiam Poppaeam*, Halae quidem conceptus, Franequerae natus editusque eſt. Diſſertationem quoque *de vitiis negotiationis collybiſticae* ibidem, vt et aliam de *origine teſtamentifactionis et ritu teſtandi*, quae tamen maximam partem Reſpondenti debetur, edidit. Repetitis Vinniani *Commentarii in Inſtitutiones iuris ciuilis*, Boeckelmannianique *iuris Compendii* editionibus praefationes addidit, quae Tomo III. Operum, iunctim editorum, leguntur. *Grotius et Puſendorfius illuſtratus*, opera poſtuma a V. C. Io. Lvd. Vhlio, Anteceſſore Viadrino edita, praelectiones ſunt, quibus auctores iſtos Franequerae explicauit. Anno 1725. vacationum tempore animi cauſſa iter Amſtelodamum inſtituit, cuius hunc praecipue fructum retulit, vt Ampliſſimum tum curiae ſupremae, quae Hagae vice ſacra iudicat, Senatorem, mox Praeſidem, iureconſultorum noſtrae aetatis facile principem, Cornelivm van Bynkershoek, qui tum forte eamdem vrbem inuiſerat, coram ſalutare et venerari liceret. Tanto viro patris adeo placuerunt ſtudia, vt amicitiae illum ſuae ac iuriſprudentiae honorem adpellare non dubitarit. Iam diu vnus alterius propius noſcendi deſiderio flagrabat, et iam forte fortuna vtrique copia inſperato data. Nihil hoc congreſſu iucundius aut amicius, neque, vt ipſe pater in Dedicatione Commentarii ad Legem Iuliam meminit, retuliſſe piget. Pater nimirum apud Waesbergivm, ni fallor, Bibliopolam, virum honeſtiſſimum integerrimumque diuertens, ab hoſpite ad coenam cum aliis quibuſdam viris litteratis vocatur. Vt Bynkershoekius vna eſſet curatum, ignarus vterque conuiuarum, quibuſcum coenandum eſſet. Coenae pater, ſuauibus vt erat moribus, rem ſic con-

ſulto et dedita opera inſtituerat, vt vtrique ſuauiſſima captio eſſet. Itaque varios ſermones, qui forte ſerebantur, eo tandem inflectere, vt cum patre de Bynkershoekio colloqueretur. Pater, ignarus fraudis, tanto viro iuſtas debitaſque laudes plena manu admetiri, votumque addere propius venerandi. Tum idem ad Bynkershoekium conuerſus nunciare, ſe breui Heineccium hoſpitio excepturum. Hic vero non minus neque ſine elogio optare ſibi illius ſalutandi copiam. Vtrimque admiratio, de ſe tam honorifice dici, et ſciſcitatio ex hoſpite. Hic tandem animi impatientiam in vtroque animaduertens, non poſſum, inquit, quin innocentem vobis fraudem meam palam faciam, ſuauiſſimumque errorem demam. Amore et cultu vnus alterius tenemini; En ergo tibi, Ampliſſime Bynkershoeki, Heineccium, tibique Bynkershoekium. Quanta tum laetitia, quantaque voluntatis mutuaeque amicitiae ſignificatione ſe inuicem amplexi ſint, facile eſt ad intelligendum. Praeter Bynkershoekium quam maxime etiam coluit Sicconem a Goslinga, Virum togae artibus illuſtrem, Friſiorum Academiae curatorem, qui certe patrem vnice patriſque ſtudia probauit, neque vllam ornandi augendique occaſionem elabi paſſus eſt.

§. XVII.

Non diuturna tamen apud Belgas commoratio fuit, tametſi ſuo res acta ſi arbitrio eſſet, numquam has terras dulciaque arua, vbi nihil fere triſte expertus eſt, praeter obitum ſuauiſſimae coniugis, quam primo poſt aduentum anno, florentiſſima aetate, puerperam amiſerat, liquiſſet. Fautorum enim copia, amicorum conſuetudo, ſplendidae conditiones, altero anno auctae munificentia Ordinum, et quae primo loco nominanda erat, libertatis, qua Belgae fruuntur, dulcedo,

do, vſuraque amplioris honeſtioriſque otii, ac vitae veluti deſultoriae taedium, ſpes etiam fulgentioris in Belgio fortunae, facile eum dimouiſſent a conſilio in Germaniam, ſi qua occaſio naſceretur, reuertendi. Sed valetudinis et corporis, continuis febribus attriti, magis habenda ratio erat, quod non aliter, quam hauſtu aurae ſiccioris, nam marina iſta et paluſtris corpori non omnino amica erat, refici poſſe videbatur. Animo haec voluenti offeruntur binae Profeſſurae in Academia Viadrina morte BERNARDI HENRICI REINOLDI et ARNOLDI WESENFELDII vacantes, ad ius ciuile et philoſophiam in ea Academia docendam, cui iam ante quadriennium deſtinatus erat. Oblatae conditiones acceptandae videbantur. Rem itaque, venia ſimul diſcedendi rogata, ad Illuſtriſſimos Ordines nec non Arauſionenſem Principem defert. Propoſitis quibuſcumque melioris ſortis conditionibus a conſilio auertere ſtudent. Sed praeualuit, neque iniuria, corporis ratio. Miſſione itaque impetrata, nam haec quidem in Belgio nemini denegatur, conclamatis vaſis, iter adgreditur non ſine dolore votiuiſque acclamationibus amicorum. In his V. C. PETRVS WESSELINGIVS elegante proſphonemate diſcedentem proſequitur.

O, qui flos hominum es venuſtiorum,
HEINECCI, et Themidos decus ſacratae,
Id, quod nunc agitur, iter vorabis
Aptis ſarcinulis et expeditis:
Non vmquam metues graues ruinas,
Nec caſus alios periculorum,
Saluus peruenies, domumque figes,
Qua muſae Viadri colunt fluenta.
Quin ſemper Tibi erit bene ac beate,
Si caros modo me, et meos ſodales,
Qui te plus oculis ſuis amarunt,

Haud

Haud vnquam ex animo tuo repelles.
Hinc me, ſi ſapis, et meos ſodales
Inſcribes penitus tuis medullis,
Heinecci, Aonidum decus ſororum.

Sub autumni ingreſſum Francofurtum adpellitur, ab amico in primis vetere, cuius deſiderium vix ferebat, quoue illi nemo coniunctior alter, V. Ill. Christ. Godofredo Hoffmanno, cuius opera plurimum illi apud Regem regioſque adminiſtros valuit, amiciſſime exceptus. Compoſitis ſarcinis, feſſoque ab itinere corpore, necdum a febre libero, paullisper refecto, auſpicium noui muneris fecit ſollemni oratione: *de iureconſultis ſemidoctis, cauſſiſque cur tam pauci hodie ad veram iuriſprudentiae laudem perueniant.* Hanc autem publico programmate indixit: *de* P. Ivventio Celso, *ſaeculi ſui ornamento.* Varia poſtmodum ſcripta edidit, quorum rationem auctor in praefationibus, quantum ſatis eſt, dixit. Actum itaque non acturi, ſummam tantum exhibemus. *Elementa philoſophiae rationalis et moralis*, quibus praemiſit *hiſtoriam philoſophicam.* Haec aliquoties ſummo auditorum plauſu e cathedra explicauit, et hinc natae ſunt adnotationes Germanico idiomate ſcriptae in Hiſtoriam philoſophicam, quas poſt fata Viri edidit diligentiſſimus patris diſcipulus, V. cl. Io. Lvd. Vhlivs, *Marchioni Brand. Onoldino a Conſil. aulae, et in Viadrina Profeſſor iuris publ.* Huc pertinent variae Diſſertationes Academicae: *de vſufructu materno iuris Germanici, maxime Hamburgenſis*; *de mercatorum, qui foro ceſſerunt, rationibus et codicibus*; *de lubricitate iuriſiurandi ſuppletorii*; *de religione iudicantium circa reorum confeſſiones*; *de ſuprema principum magiſtratuumque tutela*; *de eminentioribus ducatus Lotharingiae praerogatiuis.* Poſtrema honori maieſtatique tranſeuntis tum Francofurtum, Celſiſſimi Principis, Francisci Stephani, Auguſtiſſimi iam Imperatoris dicata ab auctore et Reſpon-

Reſpondente, iam Tribunalis Eccleſiaſtici Meclenburgici Conſiliario ENGELKENIO eſt. Programmata variis occaſionibus publicauit *de Vlpiani Hebraiſmis*, *de iuriſconſultis reformationi praeludentibus*, *de variis Saturninis iureconſultis*. Alterum adornauit anno 1730. quo ſaecularia ſacra ob exhibitam Carolo V. Imp. confeſſionem Auguſtanam celebranda eſſent. Anno, qui ſequebatur, munus Rectoris Academici ſuſcepit, eaque occaſione publice dixit orationem: de C. AQVILLIO GALLO, *Iureconſultorum ſua aetate Coryphaeo*. Sed et de alienis ſcriptis quibuſdam bene meritus eſt. Non enim ſolum recudi curauit BALTH. GRACIANI *Aulicum*, Io. SELDENI opus *de Synedriis et praefecturis iuridicis Hebraeorum*, nec non EZECH. SPANHEMII *orbem Romanum*; ſed elegantiſſimas etiam illis praefationes praeſcripſit, et tamquam hederam ſuſpendit. Illa *de vtilitate litterarum orientalium in iuriſprudentia* quantiuis pretii eſt, alteraque, qua perperam dicta quaedam ab Ez. Spanhemio emendantur, doctiſſima.

§. XVIII.

Francofurtum illi gratiſſima et optata ſedes, nec vſpiam ſibi magis placuit. Hinc inter muſas Viadrinas ſeneſcendi perpetuumque ibi et immotum, ſi fata vellent, domicilium figendi, firma ſedet animo ſententia. Itaque aedes ſibi comparare, Bibliothecam inſtruere, quaſi de ſtabili manſione certus. Vndique iam confluere ad virum audiendum, cuius fama late vagauerat per orbem. Et certe nimium non tribuo patri, ſi dixero, numquam illam Academiam neque florentiorem neque frequentiorem exterorum ſtudioſorum concurſu fuiſſe, neque ſtatum, quo nunc eſt, vlla ex parte comparandum eſſe cum illo tempore, quo ibi docuit HEINECCIVS. Cum illo fere natum eſſe florem, et interiiſſe dixeris, neque

ibi ciuium eſt quiſquam, in quo non viuat gratiſſima HEINECCII memoria, quiue non florentiſſima illa tempora cum deſiderio reminiſcatur. Quanti propterea apud illuſtriſſimos Academiae curatores fuerit, et quantum momentum in hoc vno Doctore ſitum exiſtimarit ipſe Princeps, ex eo adparet, quod poſt aliquot annos eumdem in Fridericianam, cuius ſingularem et praecipuam curam geſſit, inuitum paene et reluctantem migrare iuſſerit, perſuaſus, neminem illi maius HEINECCIO adlaturum incrementum. Eadem aliis quoque Regibus, Germaniae ordinibus, et foederati Belgii ordinibus de hoc viro ſtat ſententia. In Academias enim Hafnienſem, Marburgenſem, Gieſſenſem, Ienenſem, Lugdunenſem, Traiectenſem, honeſtiſſimis et ſplendidis conditionibus euocatus eſt, quae neſcio an vlli facile euenerit gloria. Quod cum intellexiſſet Potentiſſimus Pruſſiae Rex, noua clementiae ſingularis erga illum documenta editurus, operamque illius ſibi tanto magis addicturus, anno 1731. contulit ſplendidiſſimum *Conſiliarii Intimi* honorem, addita inſigni gratiae teſtificatione. Ex quo tempore rogatus a Principe ſententiam in magnis et momentoſis negotiis publicis conſilia edidit. Nihil autem in Francofurtana commoratione illi ſuauius fuit conſuetudine CHRIST. GODOFREDI HOFFMANNI, ordinis iuridici Praeſidis, fratriſque IO. GVIL. HOFFMANNI, in omni ſcientiarum genere verſatiſſimi, quibuſcum tam indiuulſam amicitiam coluit, vt nulla paene dies praeterierit, quin aliquot horas vna conſumerent. Locupletiſſima HOFFMANNO ſeniori bibliotheca erat, in qua tamquam communi aliquo amicorum nido, plurima de communibus ſtudiis, ſcriptiſque, quae moliebantur, conferre ſolebant conſilia.

§. XIX.

§. *XIX.*

Ex voto et animi ſententia apud Francofurtanos iam ſextum, et quod excurrit, annum egerat, cum de ſe Fridericianae reddendo Clementiſſimi Regis voluntatem cognoſceret. Deſtinabatur tertius in ordine iuridico locus poſt Cancellarium Io. PETRVM DE LVDEWIG et Directorem IVSTVM HENNINGIVM BOEHMERVM, ſeruato Francofurtano ſtipendio ampliſſimo M. Ioachimicorum. Deprecatus, quibus rationibus poſſet, mutationem ipſe, deprecati ciues, memores, quam aduentus illius res Francofurtanas prouexiſſet, nihil haec tamen tenacem propoſiti Principem, non ſine ſumma ratione quidquam decernentem, mente quatiunt ſolida.' In obſequio ergo gloria relicta. Quare iuſſui Principis obtemperaturus, ſine mora itineri Halenſi ſeſe accingit. Ex quo Lipſiam, veterem alumnam et formatricem excurrens, doctiſſimos, quos ſinu ſuo fouebat, viros ſalutauit. Fridericianae poſtliminio reſtitutus, factum id eſt autem anno 1733. Maio exeunte, eo anni tempore, quo iuris ceterarumque diſciplinarum Profeſſores acroaſium, quas ibi ſtato tempore ſingulis ſemeſtribus exordiri ſolent, initium iam fecerant, praelectiones ordinarias differre coactus eſt. Otium itaque aliquot menſium in aedibus comparandis, bibliotheca inſtruenda, adornandaque *hiſtoria iuris Romani et Germanici*, idque ſatis feſtinante calamo, conſumſit. Vix primae huius libelli plagellae typis exſcriptae erant, cum praelectiones, quibus illum publice interpretaretur auditoribus, indiceret programmate: *de* SALVIO IVLIANO, *Iureconſulto*, *Edicti perpetui conditore.* Ingenti numero et plauſu auditores habuit. Ex quo tempore omnes fere iurium partes, ciuile Romanum, Germanicum, feudale, publicum, cambiale, tum et philoſophia moralis, ciuilis, ius naturae et gentium, Hiſtoria et Antiquitates iuris, notitia optimorum

iuris

iuris ſcriptorum diſputandi artificium, argumentum praelectionum fuerunt. Quod temporis reliquum erat, libris ſcribendis aut de iure quaerentibus tribuit. Creſcit fama, et cum illa fortuna, et Hala iam non ingrata ſedes, ſtatioque, occupatiſſima licet, non honorifica minus quam lucroſa. Plurima identidem ſcripta prodeunt in lucem. Nam praeter *hiſtoriam iuris*, quae auctior ſubinde emendatiorque Traiecti recuſa eſt, edidit *Elementa iuris Germanici tum veteris, tum hodierni*; *Elementa iuris naturae et gentium*, quae in Anglia etiam, in Anglicanam linguam verſa, prodiiſſe ſcimus. Tum quoque Diſſertationes: *de marito tutore et curatore vxoris legitimo*; *de teſtamentifactione, iure Germanico arctis limitibus circumſcripta*; *de praeſcriptione iuris Lubecenſis a iure communi diuerſa*; *de pecunia in caſum, ſi cauſſa ceciderint, ab adpellantibus alioue remedio vtentibus, deponenda*; *de reductione monetae ad iuſtum pretium*; *de iure principis circa commerciorum libertatem tuendam*; *de iure principis circa ciuium ſtudia*; *de cauſſa ſeruitutum perpetua*; *de locatione conductione iuriſdictionis*; *de venditione illicita fructuum in herbis*; *de dominis ſubditos ſuos in iudicio ſuo conuenientibus*. Illa *de tutela pactitia Diſſertatio* alieno nomine a patre concinnata eſt, nec vmquam antehac typis expreſſa. Praefatus eſt libris ſequentibus:

1) Opuſculis quibuſdam hiſtoriam iuris et maxime Pomponii Enchiridion illuſtrantibus. Praefatio eſt *de Sex. Pomponio iuriſconſulto, eiuſue Enchiridio*, Halae 1735. 4.

2) Io. Iac. Wiſenbachii Emblematibus Triboniani, et Io. Wybo Triboniano ab Emblematibus Wiſſenbachii liberato, Halae 1735. 8.

3) Corpori Iuris ciuilis. In praefatione *defendit Iuſtinianum Imperatorem, Tribonianum, et compilationem Iuris Romani*, Lipſiae 1735. 4.

4) Sam. Stryckii Cautelis contractuum. *Praefatio eſt de iuriſprudentia cauente*, Berolini 1736. 4.

5) Faſciculo ſcriptorum iuris nautici et maritimi, Io. Fr. Stypmanni ius maritimum, Rein. Kuricke de adſecurationibus diatriben, et Io. Loccenii ius maritimum complexo. Praefationem praemiſit *de iuriſprudentia, diuinarum humanarumque rerum notitia*, Halae 1740. 4.

6) Nic. Hier. Gundlingii Exercitationibus academicis, cum praef. *de vſu et praeſtantia numiſmatum in iuriſprudentia*, Halae 1735. 4.

7) Pet. Georgiſch Corpori iuris Germanici veteris. Praef. *de Lege Salica, eiuſque origine et vſu*. Halae 1738. 4. mai.

8) Iac. Cuiacii Obſeruationibus iuris Romani. Praef. *de obtrectatoribus et aduerſariis Cuiacii*, Halae.

9) Iuriſprudentiae Romanae et Atticae, quae Lugduni Batauorum tribus Tomis prodiit. Praefationes primo et altero praemiſit de *vita, fatis et ſcriptis* Franc. Balduini, Gvid. Panciroli *et* Barth. Chesii, *horumque interpretandi genere*. Tertius Tomus Samuelis Petiti Comm. ad Leges Atticas complectens poſt fata demum Patris prelo exiit, illique praefatus eſt vetus Collega Petrus Weſſelingius.

10) Io. Ge. Sulpicii (hoc eſt Culpiſii) libello de ſtudio iuris publici recte inſtituendo. In praefatione comparauit Ser. Svlpicivm Rvfvm cum Io. Ge. Cvlpisio. Halae 1738. 4.

11) Io. Chriſt. Fiſcheri Selectis et rarioribus purioris Latii monimentis, Ienae 1737. 4.

Schediaſma illud *de eo, quod admirandum eſt in arte typographica* anno 1741. ſcripſit, quo ſaecularia feſta inuentae tertio abhinc ſaeculo diuinae iſtius artis celebrabant Typographi Halenſes.

§. XX.

Quam vtiliter tempus ſuum Halae triuerit Venerandus Parens, ex tot tantiſque ingenii monimentis, operaque indefeſſa, diſcipulis nauata, ſatis adparet. Sed hic non ſubſtitit indefeſſa animi cura, aſſiduuſque labor viri, non ad ſpeciem docti, ſed ad vſum et vitae commoda traducentis late patentem ſcientiam. Taceo enim innumeras ſere quaeſtiones iuris, quae ad collegium iuridicum, tamquam commune totius orbis oraculum, ſiue ab aduocatis, ſiue a litigantibus rerum ſuarum dubiis, ſiue a iudicibus deferri ſolent, quibus illi cum collegis reſpondendum fuit. Adhuc priuatim ipſe conſultus in arduis et maximi momenti cauſſis ſententiam dicere non detrectauit. Specimina aliquot poſt fata optimi Parentis editi in *Volumine Conſiliorum, Deciſionum et Reſponſorum iuris, cauſſas illuſtres complectente, ex iure Imp. Germ. publico, feudali et matrimoniali tractatus*, quod Vratiſlauiae 1744. in forma maiore prodiit, pluraque adhuc volumina ſelectorum iuris ciuilis Reſponſorum edi poſſent. Fuerunt extraordinaria quoque munia ſubeunda, illiſque temporis aliqua pars tribuenda. Magiſtratum academicum ſemel Halae geſſit, ſaepius Decani tam iuridici quam philoſophici ordinis prouincia ad illum rediit, quae omnia labore non vacant. Societati litterariae vni alterique nomen dedit. Cum enim prae ceteris Halae amicos coleret, virum ſumme reuerendum Iac. Sigism. Bavmgarten, SS. Theologiae Doctorem, Fridericianae et litterarum inſigne ornamentum, fratremque Alex. Gottl. Bavmgarten, V. C. iam Prof. Viadrinum, nec non V. C. Io. Henr. Schvlzivm, Medicinae, Eloquentiae et Antiquitatum Profeſſorem, iam fatis functum, aliquot ante obitum annos cum his litterarium commercium iniit, eo conſilio, vt ſtato ſingulis hebdomadibus die conuenirent, et circa hiſtoriam ſacram et pro-

profanam, litteras elegantiores Graecas et Romanas, et maxime rem numariam Schvlzii in primis delicias, conſilia conferrent. Sed et Societati Latinae, quae Ienae floret, ceu ſocius honorarius adſcriptus eſt. Poſtremus labor fuit ſplendida accuratiſſimaque Lexici Briſſoniani editio, quae poſt obitum Halae 1743. lucem vidit. Abſoluit autem ipſe XIII. priores libros, partemque Libri XIIII. reliquos iuſſu et mandato moribundi tum patris eadem cura et induſtria ipſe exigere conatus ſum. Poſtremum hunc laborem dixi. Et poſtremum quidem, nam huic immortuus eſt. Et vere labor fuit, integrum hoc opus ampliſſimum deſcribere, omnes et ſingulas leges ex Corpore Iuris ciuilis excitatas, omniaque loca auctorum veterum euoluere, numeroſque, paragraphos et capita ſigillatim notare, articulos omnes rectius diſponere, diuerſas vnius verbi ſignificationes accuratius eruere, ſuoque loco inſerere, nouis denique obſeruationibus locupletare. Animus auctori erat, luculentam ex prolixam *de vſu artis Grammaticae et criticae in iuriſprudentia* praefationem addere, ſed morte praeuentus eſt. Praefandi tamen officio functus eſt Vir Illuſtris. Ducatus Magdeburgici Cancellarius, et Fridericianae Director, Ivst. Henning. Boehmervs, amiciſſimus quondam patris collega.

§. XXI.

Multa, vt vidimus, ſcripſit diligentiſſimus auctor, plura editurus, niſi aut mutatum toties domicilium, et vitae genus, et cum hoc ſtudia, negotia item multa magnaque, vitae denique ſumma breuis vetaſſent ſpes inchoare longas. Liceat mihi Catalogum breui texere ſcriptorum, quae viuus olim meditatus eſt, vti ſi forte alios inuitare queam, ſiue ad telam coeptorum pertexendam, ſiue ad idem conandum. Equidem memini, me iam ſupra referre, ſtatuiſſe illum

aliquando

aliquando *hiſtoriae Eccleſiaſticae Syntagma* adornare, noua autem ſtudia illum auocaſſe a priſtinis amoribus. Alte tamen infixum menti haeſit hoc propoſitum. Sub extremum enim vitae tempus, cuius non minimam partem contemplationi diuinarum rerum, Annaliumque Eccleſiae inueſtigationi impendit, iterum repetiit, diuerſo licet conſilio. Conſtituerat enim hiſtoriam eccleſiaſticam condere, quatenus iuriſprudentiae lucem accendit. Sed nihil tamen, aliis diſtrictus negotiis perfecit. Cum apud Friſios ageret, tria opera meditatus eſt. Edere enim illi animus erat *Edictum perpetuum*, a Saluio Iuliano Hadriani Imp. auſpiciis conditum; cuius reſtitutionem iam ante tentarunt Viri doctiſſimi, Iac. Gothofredvs, Hvb. Giphanivs, Gvl. Ranchinvs et forte alii, deinde Sex. Pompeivm Festvm *de verborum ſignificatione*, poſtremo Iac. Cviacii *opera omnia*. Certe ſi otium ſuppetiiſſet, quo Franequerae certis anni interuallis fruebatur, non dubium eſt, quin perfecerit Edictum perpetuum, opus iureconſulto et votis eruditorum dignum. Conſilium autem illius in hoc verſabatur, primo vt pleniorem Edictorum Edictique perpetui hiſtoriam conderet. Quidquid illius perfecit, *Opuſculis poſtumis* a me editis inſerui. Deinde Edictum ipſum priſtino ordini ſuaeque integritati, quantum fieri poſſet, reſtituere, ſimulque probationes, ac poſtremo Commentarium pleniorem adiicere animus erat. Sub calcem ordinem reſtituiſſet librorum, quo varii apud Romanos iureconſulti commentati ſunt in Edictum perpetuum. Sed praeter primas reſtituti Edicti partes cum probationibus nihil in ſchedis paternis inueni. Feſti quoque noua editio in ſpongiam abiit. Iam ſchema operum omnium Cuiacii a ſe edendorum publicauerat ὁ μακαρίτης. Enimvero iuſto minor ſubſcribentium, vt vocant, numerus a propoſito deterruit Bibliopolam Io. van-der Linden. Priuſquam in Friſiorum Academiam tenderet,

de

de *Antiquitatibus iuris Germanici* eodem inſtituto, quo illud Antiquitatum Rom. ſyntagma, edendis non cogitauit ſolam, ſed etiam ad finem perduxit. Egerat autem cum Dulſeckero, Bibliopola Argentinenſi, de illis nitide accurateque imprimendis, ſimulque de honorario. Conuenerat res per litteras. Hic autem, rogato Auctore, vt expectaret, donec Lipſia, quo ad nundinas autumnales ire ſtatuerat, Halam ipſe excurreret, conuentioniſque legibus coram ſatisfaceret, expectari a patre tum non potuit. Nam itineri in Friſios intentus, Franequeram feſtinabat. Itaque cum Io. Christ. Franckio, cui totum negotium commiſerat perficiendum, conuenit, vt honorarii a Dulſeckero promiſſi partem aliquam ab illo praeciperet, autographo in pignoris vicem tradito, ea lege, vt nomine expuncto Dulſeckero redhiberet pignus. Tum Auctor in Friſios tendit, ignarus fatorum, quae habiturus ſit libellus. Triſtis tamen illorum nuncius continuo perfertur. Franckius enim foro cedens fuga ſalutem petierat, ceſſo creditoribus, quidquid bonorum ſupereſſet. In his cum libraria ſupellex eſſet, illam illuſtris quandam Cancellarius Io. Petrvs de Lvdewig, cui plurimum debebat, ad ſe deriuat. Inter libros latebant quoque Antiquitates illae Germanicae. Equidem Pater non minus quam Dulſeckerus nihil fecerunt reliqui, vt redimerent pignus. Sed irrito conatu. Diſſimulauit enim poſſeſſor vſque hanc praedam, donec totam rem palam fecerunt illuſtris viri heredes, inſerto Catalogo Bibliothecae Ludewigianae illo manuſcripto. In manibus adhuc illorum deliteſcit elegans illud opus, quod luce dignius eſſet, niſi poſtea hanc iacturam aliquo modo reparaſſet Auctor, editis Elementis iuris Germanici. Sed et alia minatus eſt diligentiſſimus ſcriptor, veluti Lexicon iuris Germanici, ſyllogen paroemiarum iuris Germ. Hiſtoriam Ludouici Germanici,

nici, Hiſtoriam genealogicam Ser. Domus Haſſiacae, Elementa prudentiae ciuilis, vti et iuris publici Imp. Germ. Et Gellii aliquando nouam editionem procurandi mens erat. Faſciculos quoſdam Diſſertationum iuris rariorum edendi conſilium ſubſtitit in Triade Diſſertationum Perizonianarum.

§. *XXII.*

De amicis, quos ſibi iudicio quodam delegit, et patronis ex nobilitate et optimatibus, ſuarum virtutum aeſtimatoribus, nec non de obtrectatoribus et aduerſariis, ſi quos habuit praeter eos, apud quos inuidiae fama erat; nonnihil dicendum reſtat. Quos in primis coluerit amicos, paſſim me referre memini, noloque repetere. Patronos autem veneratus eſt maximos in Aula Regia adminiſtros, viros illuſtriſſimos, Marqv. Lvdov. L. B. de Prinzen, Fridericvm Ernestvm S. R. I. Bar. in Cnyphavsen, Lvdov. Ottonem Nob. Dom. de Plotho, Christ. de Brand, Frid. de Reichenbach, et qui primo loco nominandus erat, virum illuſtriſſimum, quouis elogio maiorem, Samvelem Lib. Baron. de Cocceii, magnum orbis Boruſſici Cancellarium, iuſtitiae ſtatorem, litterarum decus et praeſidium. Taceremne ego patronum, cui Pater innumera, ego vero aliquando per integrum biennium in domo familiaque benigniſſime habitus, munereque ac dignitate, qua nunc fruor, ab illo ornatus, omnia debeo? Magnopere etiam probatus fuit Illuſtriſſimis Friſiae ordinibus, et in his Sicconi a Goslinga, Academiae Franequeranae Curatori quondam ſplendidiſſimo. Sua etiam gratia dignum exiſtimarunt Germaniae heros ſagatus et togatus, Frid. Henricvs S. R. I. Comes de Seckendorf, nec non alter eiuſdem nominis et gentis, vir illuſtriſſimus

luſtriſſimus Christophorvs Fridericvs Lib. Baro de Seckendorf, ſenatus ſanctioris Onoldini princeps. In magnis quoque patronis cenſendus etiam Illuſtriſſimus Henricvs VI. Ivn. Stirpis Comes Rvthenvs, Regis Daniae et Norvagiae Cubicularius; nec non in aula Hanouerana Adminiſter ſtatus, illuſtriſſimus Gerl. Adolphvs de Mvnchhavsen, conditor Academiae Goettingenſis. Hos inter innumeros memorare ſufficiat. Nam quis non probauit Patrem, ingenio, ſcriptis et meritis illuſtrem?

§. *XXIII.*

De amicis hactenus. De obtrectatoribus et aduerſariis horumque in patrem iris adhuc pauca. Non vnius ſeculi fuit ea labes et macula, virtuti inuidere. Et pater aut ſine merito, aut *ſolus inter* mortales *inuidiae* non *obnoxius* fuiſſet. Hoc vitium et famae ſtudium plerarumque inter eruditos aemulationum et contentionum cauſſa, ſed non omnium. Et amor veritatis, laudandus quidem, ſed temere plerumque praetenſus, non iniuſta quandoque bella mouet. Huic forte adſignanda eſt amica diſceptatio, a V. C. E. A. O. C. Pagenstechero, Anteceſſore Herbornenſi Patri meo de ſenſu *l.* 1. *D. de curat. furioſ.* illata, quam ſine pulueris iactu agitatam videmus in *Epiſtolis Amoebaeis*, Tomo III. Operum iunctim editorum inſertis. Vnum tamen, et inſigne illud quidem maleuolentiae ſpecimen, memorare non dubito, quod in Patrem quondam edidit collega quondam Io. Wolfgang Trivervs, non modo nulla a collega iniuria prouocatus, ſed non vno etiam officio deuinctus. Vir ille, non nullius doctrinae aut ingenii, impotentis tamen animi, ingenio feruido, ambitioſus, vt qui neminem nec ſuperiorem nec aequalem fe-

rebat, vaniſſimus ore et geſtu, Patri, luminibus forte ſuis officienti, occaſionem nocendi, exemplo lupi in fabula, diu anquiſiuerat. Inuenit tandem, vel rapuit potius, cum non nemo patrem aduerſus CHRIST. MATTH. PFAFFII iniquum de methodo axiomatica, qua interpretatus erat ius Romanum, iudicium defendiſſet.

Sic nocet innocuo nocuus, cauſamque nocendi
Inuenit. Heu regnant qualibet arte lupi.

Originem litis ab ouo, vt dicitur, repetam. Claſſicum cecinit Vir ſumme reuerendus CHRIST. MATTH. PFAFFIVS, Tubingenſis Academiae Cancellarius et ornamentum, edita oratione, de *Chirographo Apoſtoli Paulli*, in quā refutaturus eorum ſententiam, qui illud negotium, quod inter D. Paullum et Philemonem interceſſit, *pro expromiſſione* cum ZACH. HVBERO et qui hunc ſequitur Ven. Patre habent, ὡς ἐν παρόδῳ in methodum axiomaticam, qua in Elementis iuris ciuilis vſus eſt Parens, calamum ſtrinxit. Vix in lucem prodiit magni huius Theologi de iuriſprudentia eiuſque docendae ratione iudicium, cum addictiſſimus quidam diſcipulorum, edito *Examine orationis Pfaffianae* defenſorem methodi Heineccianae agens, nimio in praeceptorem amore abreptus, aſperiore, quam par erat, (cur enim diffitear,) ſtilo in celeberrimum aduerſarium inueheretur. Non omnino probauit nimium in ſe ſtudium Pater, a litium feruore et tantis iris alienus. Et certe ſi rem tanti exiſtimaſſet, ſatis ipſe in ſe praeſidii inueniſſet. Interea IO. WOLFG. TRIERVS occaſionem ſibi opportunam natam ratus, aliquid contra optimum Patrem, cuius ſemper aemulus fuerat, moliendi, ſub perſona GOTHOFREDI IAC. SCHVTZII *Examen methodi axiomaticae, qua in Elementis iuris ciuilis vſus eſt Heineccius*, protrudit.

Prae-

Praetendebatur cauſſa, intolerandus Examinatoris orationis Pfaffianae comtemtus Compendii Lauterbachiani, et immodica eiuſdem methodi Heineccianae aeſtimatio. Nihil ipſe, tametſi male habitus, initio repoſuit, ven. Pater. Vindicem tamen breui inuenit virum celeberrimum GODOFREDVM SELLIVM, qui in *Vindiciis methodi, qua in Elem: iur. ciu. vſus eſt* Io. GOTTL. HEINECCIVS, Traiecti ad Rhenum 1734. in forma octaua editis depexum dedit TRIERVM, nihilque quod ad vſum et praeſtantiam methodi axiomaticae pertinere videbatur, intactum reliquit. Ipſe etiam Pater vexatus denuo, neſcio quibus vindiciis examinis, a TRIERO oppoſitis Selliano ſcripto ſtilum acuit, ſed quaſi aliud agens, in *praefatione Corporis iuris ciuilis nouae editioni praemiſſa*, *Tomo III. Operum p.* 166. *ſequ.* vti et altera, *Opuſculis Pomponii Enchiridion illuſtrantibus, praefixa, p.* 104. *ſequ. T. III. opp.* Obmutuit tandem maleuolentiſſimus ille obtrectator, et Principis reſcripto monitus, et auctoritate Illuſtriſſimi COCCEII interpoſita.

§. XXIIII.

Vitam venerandi Parentis praeclare actam, fata memorabilia, ſtudiorum rationem, ſcripta, dignitates, honores, praemia, et quidquid ad eum pertinere videbatur, deſcribendi dulci officio functus ſum. Iuuabit adhuc imaginem compendio expreſſam ſiſtere, vt indolem, animumque et mores priuatos cognoſcas. Corpus illi robuſtum et decorum, ſtatura mediocris, inſignis oris atque orationis commendatio. Equidem ab ineunte aetate parce ac frugaliter, non tamen ſordide vixit. Genium defraudare, auaritiam, pecuniam in tempore negligere, lucrum reputauit. Firma inde ſta-

biliſque valetudo, ingenium ad omnia promtum. Labores multiplices, quos ſibi vel ipſe imperabat, vel imperabantur, ſuſtinere facile et perferre. Adeo negotioſus, vt cathedra, libri, reſpondendi munus omne tempus abſumerent. Parum temporis amicis, animo fere nihil, dediſſe, vitio datum eſt. *Rei familiaris et domeſticae*, vitium doctiſſimis hominibus *proprium*, admodum incurius. Vix ſenas *horas*, etiam ad ſenectutem vergens, ſomno dedit, muſeo adeo adfixus, vt ne hortulum quidem, quem aedibus proximum eumque peramoenum habebat, vix ſemel iterumque per annum inuiſeret. In concinnandis ſcriptis tam expeditus, vt calamus vix cogitationes ſequeretur, et autographa nitide ſcripta, et fere ſine litura. In litteris ſcribendis parcus et talibus officiis prope mancus, multum temporis his inaniter abſumi ratus. Non defuerunt tamen in doctiſſimis clariſſimiſue aeui ſui viris, qui litterarum commercium exoptarunt, tam in Germania, quam Belgio et Italia. Exſtant adhuc apud me Hoffmannorum, Eu. Ottonis, Io. Matth. Geſneri, Io. Pet. de Ludewig, Petri et Caſp. Burmannorum, Corn. van Bynckershoek, Tib. Hemſterhuſii, Alb. Schultens, Io. And. Duckeri, God. Sellii, Io. Barbeyracii, Toullieu, Matthaeuccii IC. Lucenſis, Curſi de Riccis Florentini, Iſelini, Iac. et Godofredi Maſcouiorum, Ab. Wielingii, Pet. Weſſelingi cet. epiſtolae ad illum exaratae, quarum pleraeque de rebus litterariis agunt. Cetera hilaris, iucundus, facilis medius inter omne genus occupationum. Numquam difficilis, moroſus aut grauis, ſiue amici, ſiue peregrini, ſiue liberi aut domeſtici turbarent circulos. Abrumpere ſaepe filum in ſcribendo, et confabulationi ſe totum dare. Vt erat ſuauibus moribus et affabilis, iocari non inſcite et ſalibus ſermones miſcere, ſiue in cathedra, ſiue inter amicos haberet. Hiſtorias nemo

melius

melius recitare, nihilque narrationibus eius facetius aut ſuauius. Inter amicos et familiares ſine adfectatione et exſerto animo riſit, atque alios ridere fecit, nihil inſulſius ducens, quam in amicorum concione de rebus agere ſeriis aut eruditis, quamuis cum eruditis non inerudite iocaretur. Nemini grauis, niſi quod ne in amicis quidem, nedum familiaribus, ridiculum ferret. Difficile tum illi erat, ſatyram non dicere. Si verum eſt, vti profecto eſt, acerrima quaeuis ingenia maxime ſatyrica eſſe, neſcio an quiſquam illum ingenio ſuperauerit. Certe ironicum illud ingenium ſic in mores abiit, vt ſi vel minimum, in liberis maxime et familiaribus, animaduerteret, quod abſonum eſſet, continuo ſalſe et ſcommate aliquo perfricaret, illis autem minime omnium parceret, qui ſenſu abundare et altius ſapere viderentur. Si cui illudere vellet, vocem, vultum, geſtus, actionem ita *imitabatur, vt coram videre putares. In hac ſane arte* Roſcius. Idem tamen ingenium ad ſatyram pronius negotium aliquoties faceſſiuit. Hinc ſimultas illa cum Theologis quibuſdam Halenſibus, de qua ſupra. Et poſtea ſi quod eo adhuc iuuene in lucem prodiret dicacius ſcriptum, ii qui naſum habere credebant, continuo ad illum referre. Nic. Hier. Gvndlingivs, coniunctiſſimus quondam collega, ediderat Syſtema Logicum, ſub titulo: *Via ad veritatem.* Mox cenſor prodibat, editoque libello, qui inſcriptus erat: *Salebrae in via ad veritatem*, Gundlingium durius habuit; Gundlingius aequo animo non tulit iſtum conatum, et ſollertius inquirens in auctorem, Fatri tandem adſignauit. Res in ſimultatem erupiſſet, niſi hic mature, vt facile erat, diluiſſet ſuſpicionem. In adfectibus vehemens, et in iniuriis ad animum reuocandis ardentior, ita tamen vt temperaret impetum rationis vſu. In adiuuandis amicis ſtrenuus ac diligens, in commendandis ſuis paullo negligentior vel, vt le-

nius

nius dicam, cautior, probe memor illius dicti Horatiani:

Qualem commendes; etiam atque etiam aſpice: ne mox
Incutiant aliena tibi peccata pudorem.

Futilitatis, inconſtantiae et leuitatis oſor acerrimus. Nihil temere, omnia ſerio et velle et agere, ita vt quidquid volebat, agebat, valde vellet, ageret. Summus et religioſus Dei cultor, rerumque diuinarum ſtudium, ſumma voluptas. Cum vxore, quam anno 1716. duxit, anno vero 1724. Franequerae puerperam, praematura morte anno aetatis viceſimo octauo ereptam, amiſit, ſuauiſſime vixit. Duxerat autem virginem omnibus animi corporiſque dotibus ornatiſſimam HENRICAM CLARAM IOANNAM, Viri ampliſſimi IACOBI HEIRINGII, hereditarii domini in Gros-Winnigſtadt, tractibus ditionis Brunſuicenſis Heſſumenſi, Lerkheimenſi et Vogtsdalenſi Praefecti ſupremi, filiam natu minorem. Ex quo auſpicatiſſimo matrimonio ſuſcepit praeter me, FRIDERICVM ANTONIVM, in copiis olim Danorum, nunc Caeſarianis militantem, et HENRICAM LVDOVICAM, Viro clariſſimo CHRISTOPHORO ANDREAE MEYCKIO, Iurium Doctori, nec non iuris et hiſtoriarum in Regio Altonaenſi Gymnaſio Profeſſori ante decennium nuptam. Vxore amantiſſima amiſſa, ſepulta autem eſt Leouardiae in Templo Lutherano, viduus reliquam aetatem tranſegit.

§. XXV.

Venio nunc ad ſummum, ad triſtia illa et exceſſum viri incomparabilis, deſideratiſſimi Patris. Quam vellem acerbum illud et luctuoſum parentandi officium longius dilatum. Sed vixit cheu! Optimus Parens, ſublatumque ex oculis quaerimus

mus fruſtra. Diuturnior illius vſura bonis omnibus optanda erat; ſed noluit ſummus rerum humanarum votorumque arbiter DEVS O. M. illum diutius inter mortales ſuperſtitem. Ita voluiſſe Numen, cuius decreta nobis pro ratione merito ſunt, ſufficiat. Vitam tranſegit dignam DEO, a quo creditam acceperit, dignam coelo, quo rediit, neque nimio funera fletu facere fas eſt; nam ipſa morte praemium virtutis et laborum conſecutus eſt immortalitatem. Exiit autem ex vita, tamquam virtutum ſuarum theatro, anno ſeculi huius quadrageſimo primo, pridie Calendas ſextiles, aetatis ſexageſimo. Eo quidem tempore, quo alium plane, quam ex vita, diſceſſum, (corpore enim ad votum valebat,) meditabatur. Cum enim Pot. Suecorum Rex, Landgrauius Haſſiae paullo ante Fridericianae redonaſſet ſplendidum illud, quo nunc fulget, lumen, *Illuſtrem Cancellarium* CHRIST. L. B. DE WOLF; vacuum in Marburgenſi Academia locum claro aliquo viro ſupplere ſummo ſtudio nitebatur. Itaque egit cum Patre, oblataque ſplendidiſſima Procancellarii, et Conciliarii Regiminis dignitate, primariaque iuris Cathedra, illum ſacro diplomate euocauit, ab ipſo Pot. Pruſſiae Rege, veniam, quam ipſe iam enixe rogauerat, impetraturus, ni fata interceſſiſſent. Dum haec aguntur, ſolita haemorrhoidum incommoda acrioraque mala ſenſit, quibus pediluuio aliquo ſalino conſulturus, vlcus in altero pede natum, cuius non rationem habuerat, adeo excitat et irritat, vt dolores illum diutius extra lectum non ſinerent. Medici, quibus curandi negotium permiſſum erat, in arte medica & chirurgica peritiſſimi, HOFFMANNVS, IVNCKERVS et BASSIVS initio nihil minus quam vitae diſcrimen ab vlcere metuebant. At inuſitata virium defectio, quam ſimul ac decubuit aeger, ſenſit, ſpem recuperandae valetudinis valde minuit. Quippe natura ipſa in expellenda noxa ſe-

gnior, mox deficere videbatur. Inde vlcus tam profunde et pertinaciter haeſit, vt ad vicinas partes decurreret. Abſcindi digitum, vlceris ſedem, paſſus eſſet, ſi ſuaſum maturius eſſet a medicis. Succedentibus deinde ſpaſmis veſicae, vrinam acribus et eroſiuis humoribus repletam non ſine ſummo dolore propellentibus, gangraena ad has partes ſubnata eſt, et iam omnis ſpes euanuit. Tantae labis origo non poteſt non ad inſueti coeli, ſub quo aliquot annos vixit, rationes, vitamque ſedentariam et nocturnas vigilias, ne ingraueſcente quidem aetate intermiſſas referri. Ita ergo diem obiit ſupremum, animamque Deo reddidit, in quo per omnem vitam vnicam fiduciam, omnemque ſalutis ſpem collocauit. Poſtremis vitae annis, quibus ſolus ego ex liberis iucundiſſima Patris conſuetudine vſus ſum, ſacrae doctrinae ſtudiis ſe totum dedit, et tamquam praeſaga mente proximae migrationis, piis cogitationibus pectus impleuit. Cum morbum ingraueſcere, horamque decretoriam appropinquare animaduerteret, arceſſi iuſſit Senem venerandum, Virum S. R. Franckium, fratris quondam in miniſterio ſucceſſorem, coram quo, poſt confeſſionem, venia peccatorum a Deo ſuppliciter rogata, et ſacrae ſynaxeos ſymbolis rite vſurpatis, tam graues mortis meditationes habuit, vt diſcedens Franckius mihi confiteretur, ſe, qui conſolaturus aegrum acceſſiſſet, multo fortius ab aegro ſolatium reportare. Eodem mane grauiſſima et conſilii plena oratione, cuius non ſine lacrimis memini, adfectu plane paterno fauſta mihi omina adprecatus, vltimum vale dixit. Reliquis vitae diebus placide et fere ſine ſenſu dolorum, quibus ante vexatus eſt, ſine vlla alienatione mentis obdormiuit. Sepultus autem eſt in hereditario monumento Illuſtris quondam Ludewigii, in quo iam ipſius, et patris et Sam. Stryckii et doctiſſimi quondam iuuenis Io. Phil. Baraterii

oſſa

oſſa quieſcunt. Tu vero ter quaterque beate Pater, ſalue, et inter coelites coram Deo ſorte tua laetare.

Memoriae beati viri epitaphium, quod in calce praefationis ad Briſſonii Lexicon iuris legitur, conſecrauit illuſtris Cancellarius, quondam Collega, Ivstvs Henningivs Boehmervs.

LVGE
QVI HAEC ATTONITVS LEGIS
ET ACCEDIS AD HOC MONIMENTVM
SVB QVO NON CINERES CLAVDVNTVR
SED IN QVO PVBLICA LVGENDI CAVSSA PANDITVR
EXSTINCTVM MOESTISSIMO FVNERE FLEMVS DOC-
TOREM
OCCASVM SIDERIS GERMANIAE MICANTIS
QVOD LVXIT SPLENDVITQVE PER ERVDITVM ORBEM
LVGEMVS OBITVM
VIRI ILLVSTRIS OMNIQVE ELOGIO MAIORIS
IOANNIS GOTTLIEB HEINECCII
IVRISCONSVLTI CONSVMMATISSIMI
POTENTISSIMO REGI BORVSSIAE A CONSILIIS INTI-
MIS IVRIVM ET PHILOSOPHIAE PROFES-
SORIS PVBLICI
IN REGIA FRIDERICIANA

VEL HOC SOLVM NOMEN SVFFICIT
AD COMMVNEM PLANCTVM ET LVCTVM EXCI-
TANDVM
QVIS ENIM AEQVO ANIMO FERRE POTEST
VIRI DOCTISSIMI EXITVM EX HAC VITA
LVGET ACADEMIA REGIA
MOERET ORDO IVRECONSVLTORVM INCLITVS
SQVALENT CIVES ACADEMICI ET HVIVS CIVITATIS
ADFLICTANTVR EXTERI
TOTVS ORBIS LITTERATVS TAM SALVTAREM CIVEM
DESIDERAT
PLVRIMAE VBIQVE FLENDI CAVSSAE GRAVISSIMAE
QVIS ENIM NON DOLVIT CASVM VIRI
QVEM REX POTENTISSIMVS BORVSSIAE COLVIT
ORBIS LITTERATVS OBSERVAVIT
ACADEMIA NOSTRA DILEXIT
SINGVLI STVDIORVM CVLTORES IN OCVLIS TVLE-
RVNT
QVOD MENTIS CVIVSVIS OCVLOS SVA DOCTRINA
ILLVSTRAVERIT
PLVS VIDENS QVAM TOT ALIORVM OCVLI
SED EHEV IAM OCVLOS CLAVSIT

QVO-

QVORVM ACIES OMNIA PENETRAVIT
IN RE LITTERARIA ABSCONDITA RESERAVIT
TOT INGENII FOETVS FELICISSIMOS EDIDIT
IN RE LITTERARIA IVRIDICA PHILOSOPHICA
QVIBVS ALIARVM GENTIVM ERVDITIS PALMAM
PRAERIPVIT OSTENDENS
GERMANIAM ETIAM DECORA PLVRIMA ET INGENIA
MAGNA ALERE.
NEC ERVDITIONEM SOLIDAM SOLIS EXTERIS GEN-
TIBVS PROPRIAM
DOCVIT ELEGANTISSIMO ELOQVIO
CIVES IN TRIBVS ACADEMIIS DEGENTES
SED SCRIPTIS SVIS ETIAM REMOTISSIMAS GENTES
DOCVIT
EOSQVE IN VIAM DEDVXIT VERITATIS
QVIBVS EIVS AVDITORIVM ADIRE NON LICVIT
IMMO
EFFICACIVS ET PLENIVS DOCVIT IN SCRIPTIS
QVAM VIVA VOCE ET LINGVA
ILLA MORTE EIVS PRAEMATVRA OBMVTVIT
HAEC LOQVI DESIIT
DIE XXXI. AVG. ANNI MDCCXLI.

SED SCRIPTA EIVSDEM ADHVC SEMPER LOQVVN-
TVR
PER OMNE AEVVM DOCEBVNT
ET ITA DOCTOR PERPETVVS ERIT
QVI VIX AD SEXAGINTA ANNOS VIXIT
VIXIT EHEV
SED ITA SEMPER VIXIT
VT POST MORTEM OMNIBVS PERPETVO PRODESSET
QVI IN LITTERIS VIVVNT
SINGVLIS EXEMPLVM PRAEBENS
ITA VIVENDVM ESSE
QVO VIVENTES GENERI HVMANO SINT IN DELI-
CIIS
MORTVI COMMVNIBVS HOMINVM COMMODIS IN-
SERVIANT ET ITA
OMNIVM SECVLORVM VIVANT PROSINT CONSV-
LANT POSTERITATI.

IO. GOTTLIEB. HEINECCII,

POTENT. PRVSSORVM REGIS quondam a Conſil. Sanctior. Iur. ac Philoſoph. in Ill. Frideric. Academ. Prof. publ. ord.

FVNDAMENTA STILI CVLTIORIS,

Quibus Accedit

SYLLOGE EXEMPLORVM.

ADNOTATIONES

Adiecit

IO. MATTH. GESNERVS,

Prof. Goetting. Celeb.

EDITIO VNDECIMA.

GENEVAE,

Impenſis HERED. CRAMER & FRATR. PHILIBERT.

---

cIↄIↄccxxxiiii.

AVDITORIBVS SVIS PEREXIMIIS

S. P. D.

IO. GOTTL. HEINECCIVS.

Quae adhuc calamo veſtrum haud pauci exceperunt, *cultioris ſtili fundamenta*, ea iam typis exſcripta vobis offero, auditores, ſed ſecundis perpolita curis, variiſque hinc inde animaduerſionibus locupletata. Multae ſunt, quae mihi id conſilium extorſerunt, rationes, quas a vobis non ignorari, mea haud parum intereſſe arbitror. Quum beatiſſimus, atque immortalis gloriae princeps, FRIDERICVS, rex Pruſſiae, publicum docendi munus in illuſtri hac academia mihi decreuiſſet, eo potiſſimum conſilio id ſe facere profeſſus eſt rex ſapientiſſimus, vt iis, qui ſe politioribus litteris conſecraſſent, viam, qua ad pulcherrimam iſtam laudatiſſimamque doctrinam poſſent peruenire, commonſtrarem. Quam bene de ſtudioſa iuuentute merendi occaſionem tametſi mihi tunc, neſcio, quae, praeriperet inuidia: tamen, ex quo potentiſſimus rex, FRIDERICVS GVILIELMVS, publice docendi prouinciam mihi impoſuit, dandam mihi ope-

ram exiſtimaui, ne nullum ex illa beatiſſimi principis voluntate fructum caperetis. Quare non temere vllum praeterire paſſus ſum annum, quin terſae ac cultioris Latinitatis praecepta ſelectioribus ingeniis traderem, eaque non ſolum explicarem adcurate, verum etiam exemplis luculentiſſimis illuſtrarem. Quo in opere inſtitutoque pulcherrimo, ſextum iam annum, magna animi contentione verſantem, tanto alacriorem me reddidit fructus, quem veſtrum haud pauci ſe hinc cepiſſe, profeſſi ſunt, vberrimus. Plures enim, qui, me duce ac comite, in adſequenda elegantiorum litterarum ſcientia operam & induſtriam ſuam collocarunt, iam in aliis erudiendis *inſtituendiſque* ad humanitatem, cum plauſu, verſantur. Alii ad eamdem laudem, pleno, vt ita dicam, gradu, contendunt. Enimuero, toties id ſaxum voluenti, duae potiſſimum ſuperandae mihi fuerunt difficultates. Primum enim, quum deeſſent, quibus cum fructu vti poſſem, praecepta, ipſe ego hunc mihi laborem impoſui, vt de concinnandis elegantioris Latinitatis elementis cum cura cogitarem. Deinde, quum ea nobis calamo eſſent excipienda; id & operoſius, & cum magno temporis diſpendio coniunctum, eſſe, deprehendi. Quare, vt, & hac in re, ſtudiis veſtris conſulerem, praelo haec committere decreui, ſed multis locupletata animaduerſionibus, ac ita vbique adornata, vt & intelligi facilius, & diuturna exercitatione, in ſuccum & ſan-

ſanguinem conuerti, poſſent. Facile intelligitis, auditores, hoc, quidquid eſt, laboris me, non gloriae cuiuſdam captandae, ſed veſtrae vtilitatis cauſſa, ſuſcepiſſe. Neque enim vllum mihi erit tam moleſtum onus, quod non, veſtri cauſſa, promto atque alacri animo ſim ſubiturus. Veſtrum erit, fauere hiſce conatibus meis, atque ita rationes veſtras componere, vt & meae mihi, & vobis operae veſtrae, ratio conſtet. Valete. In academia Fridericiana, menſe Sept. cIↃIↃCCXVIIII.

GE. GVILIELMI OEDERI

PRAEFATIO.

SEPTIMA haec libelli praeſtantiſſimi editio e ſexta expreſſa eſt, quae multa habuit additamenta ex ipſius illuſtris auctoris ore a quodam accepta, ejuſque ſtudio ad ipſum libellum accommodata. Cuius ea, quae in praefatione annotauerat, ſuis iam locis inſerenda curauimus. In praeſenti autem ne ſine nouo ſplendore proderetur vtilis in medium libellus, fecit IO. MATTHIAE GESNERI, celeberrimi viri, & in his litteris ſummi, facilitas, qui e ſuis in eum praelectionum commentariis impetrari a ſe paſſus eſt ea, quae vel emendando illi, vel augendo viderentur idonea. Qua quidem ab opera quid ſperari iure poſſit, verbis exponere nihil attinet; ne aut adſtruere aliquid gloriae illius videar, quam illi & veriorem & magis propriam pridem pepererunt grauiora multo merita; aut bibliopolam me ſic demum probem, ſi congeſtis vndiquaque laudibus, vt fit, vendibiliorem facere mercem meam ſtudeam. Illud praetermittere non poſſum, quod monitos lectores voluit vir celeberrimus, ſi qua reprehendi videant illuſtris viri dicta, non id eo conſilio factum, vt illius laudi vlla ex parte obtrectetur, quam ille aliis ſuis operibus factiſque & conſiliis tantam conſecutus eſt merito ſuo, vt ſi numquam hunc libellum edidiſſet, vel is plane aboleretur, nihilominus illius eſſet illuſtre ad omnem poſteritatem nomen futurum. Ita iudicaſſe ipſum illuſtrem virum, ſatis apparet; qui hunc tamquam partum ingenii ſui, iuue-

iuuenili aetate ſuſceptum, maioribus rebus admotus abdicauerit velut, certe aliis comendum ornandumque reliquerit. Non igitur hoc agitur Geſnerianis annotationibus, vt laus Heineccii imminuatur, Geſnerus inde creſcat, temerentur illius Manes, hic quaſi ruinis illius famam ſuam ſuperſtruat; pulchre id quidem fuerit ridiculum: cum Geſnerus, quod ſciunt, quicumque illum audierunt, inculcare diligenter ſuis auditoribus ſoleat, ſi diſputandum ſit contra Heineccium, non cogitandum eſſe virum meritis & gloria gravem, qualis nunc eſt Heineccius, ſed iuuenem, ingenioſum illum, diligentem, doctum, eum tamen, qui per aetatem & difficultates alias nondum legere, colligere, diiudicare potuerit omnia; qui ſuo praeceptori Thomaſio quaedam crediderit, iudici aliarum rerum acerrimo, ſed ab his ſtudiis aliquantum alieno. Hoc igitur voluit Geſnerus, vt libellus, qui plurimis adhuc profuit, vtilior etiam eſſet in poſterum, abſterſiſque naeuis quibuſdam, nonnullis autem rebus adiectis, magis placere poſſit. Si quis quid aliorſum interpretetur, ille vero de ſuo animo indicabit, non de Geſnero, cuius eſt candide & ſimpliciter agere. Inſultare autem mortuo qui potuit, quem viuum coluit, a quo beniuolentiae pignora habuit publica & privata. Quo nomine libenter fecimus, vt obtemperaremus Geſnero, qui de ea re poni hic quaedam voluit, ſi qua poſſit anſa hoc modo praecidi hominibus, male interdum ad coniectandum ingenioſis, ad proferendas ſuſpiciones ſedulis. Geſnerus igitur in prima *proluſione, de interrogandi in ſtudiis litterarum vtilitate*, qua Goettingae 1734. indicauit academicorum laborum initia, de Heinecciano libello iſta poſuit: *explicabimus ill. Heineccii fundamenta ſtili cultioris, libellum ita ſtudioſe arreptum, tritumque iuuenum ad haec ſacra contendentium manibus, vt claſſicam prope auctoritatem conſecutus eſſe non immerito videatur; libellum tanto maioris faciendum, quod earum rerum praeceptiones luculentas oppido continet, quibus ſubnixus magnus illius auctor ad id faſtigium peruenit, in quo cum venerabunda quadam admiratione illum conſtitutum videmus.* Ill. Heineccius *epiſtola* quadam quae *Halae Magd. id.*

Nouembr.

Nouembr. 1735. excuſa eſt, ita de Geſnero: *meminiſti procul dubio, - - quam ſaepe tibi eam apprecatus ſim felicitatem, vt ex humaniſſimi Geſneri acroaſibus fructum iam pridem capere potuiſſes*, reliqua. Geſnerus paullo poſt hanc epiſtolam ita ad illuſtr. Heineccium:

Qui tacita potius veneratione & candida apud alios commemoratione laudum tuarum, quam litteris meis colendum te adhuc putaui, vir illuſtris, videbar mihi ſine ruſticitate tacere diutius non poſſe, poſtquam tot deinceps tuae in me beneuolentiae ſigna exſtare vidi. In epiſtola, qua ciui meo gratularis, eam de me mentionem iniecisti, quae in ſuperbiam me inducere poſſet, niſi olim didiciſſem potius indicari talium virorum laudibus, quales nos eſſe velint, quam quales judicent: tum apud Caſp. Fritſchium tuae in me voluntatis pignora quaſi certiſſima depoſuiſti. Denique illud probe video, non facturos fuiſſe clientes tuos, iuuenes ornatiſſimos, vti me in præfationibus ſuis, alter Stephaniani libelli, alter tui, inuidendis adeo elogiis mactarent, ſi laudibus meis tuum offendi animum putaſſent. Habes itaque, vir illuſtris, hanc quaſi ſyngrapham, non tantum gratiſſima eſſe, quae abs te profecta modo commemoraui, ſed numquam me aliter de te eſſe, quam de ſummo viro, & de litteris noſtris optime merito, locutum: quod quidem tanto facilius mihi crederes, ſi otium eſſet tibi totius vitae meae tenorem & commentandi rationem inſpiciendi, qui numquam magnorum virorum obtrectationibus iter mihi ad famam parandam duxerim; ſed potius iis officio mihi, ſi poſſem, conciliandis, veſtigiis certe illorum pro mediocritate noſtra perſequendis, eo ſtuduerim peruenire, vt & mihi aliquando locus inter homines non ignauos adſignaretur. Haec ita ſe habere, & me candidiſſimum laudis tuæ maximae fautorem, admiratorem virtutis, & dignitatis, modo ferret noſtra tenuitas, defenſorem eſſe, vti credas, omni ſtudio abs te contendo. Bene vale, & rem tuam publicamque gere feliciter.

Agnoſcimusne ſummos viros, doctrina & ingenio aequiparare, humanitate etiam antecellere alterum alteri ſtudentes? Sed non

poeni-

poenitebit etiam quid reſcriptum ſit his litteris ab Heineccio, cognoſcere :

Tametſi mirificam voluptatem capio ex amicorum litteris, quae me minus amoenis diſtractum negotiis recreare quodammodo, eorumque ſeueritatem ſuauitate ſua, tamquam condimento quodam mitigare ſolent: iam pridem tamen eſt, quod nihil me magis oblectauit epiſtola tua, quamuis eamdem & pudorem mihi, tot laudes, quas mihi admetiris, non agnoſcenti, excuſſiſſe fateor. Equidem ex quo ab amoenioribus Muſis, quibus ego me iuuenis totum conſecraſſe videbar, diuulſus aliis ſeuerioribus, & nonnumquam illitteratiſſimis litteris vacare coepi, (quod tamen non ſine Dei optimi maximi voluntate ac conſilio factum eſſe intelligo,) fieri profecto non potuit, quin ab illa ἀκμῇ, ad quam iuuenis adſpirabam, iam aetate prouectior abſim quam longiſſime, ac proinde virorum doctiſſimorum amicitiam, quam ſtudiorum ſimilitudo, doctrinaeque paritas conciliare ſolet, vix mihi poſſim polliceri. At amo tamen & ſuſpicio eos omnes, qui, quod ſummum eſt in elegantioribus litteris, ſunt conſecuti, neque vmquam eorum litteras lego, quin impetum quemdam, ac nouos velut igniculos, quibus ad priſtina illa ſtudia recolenda inflammer, in me perſentiſcere mihi videar. Quumque tu, vir celeberrime, huius elegantioris doctrinae laudem in Germania fere ſolus hodie ſuſtineas, ac litteras iam prope fugientes ſiſtas : facile profecto intelliges, quam mihi non modo iucunda ſed & honorifica futura ſit amicitia tua, quam tanta humanitate tamque liberaliter polliceris. Age vero, vir celeberrime, patere vt tecum iungam manus, tibique certo perſuade, me tecum facturum mutuum, & quum tibi in omnibus facile cedam, in amore tamen nihil tibi vmquam eſſe conceſſurum. Ex Sellio veſtrate Quinctilianum iam tibi in manibus eſſe, intelleximus, cuius ego deſiderium vix fero. Neque enim aliud quid exſpectamus, quam quod eximium, perpolitum, ſuiſque abſolutum numeris futurum ſit, maxime quum limam adhibeas poſt Burmannum, qui nihil ſibi videbatur aliorum ingenio atque induſtriae reliquiſſe. Meum eſt, vir celeberrime, vitam vireſque labori pulcherri-

mo pares, quin & fauentem Lucinam tibi ex animo precari. Vale itaque rei publicae litterariae bono quam diutiſſime, meque tui ſtudioſiſſimum, quod facis, ama. Halae Magdeb. V. Id. Iun. cIↄ Iↄ CCXXXVI.

Habetis, lectores, quae ſcire vos e re veſtra putabam, ipſamque hanc epiſtolam integram, etiam ea parte, qua aliud agitur, ne quid eius ereptum aut interuerſum adeo ſibi querantur harum elegantiarum ſtudioſi. Habetis ceteroquin libellum, quantum cura nunc praeſtari potuit, emendatum, indices etiam non ad hanc modo editionem accommodatas, ſed paſſim auctiores. Nos laboris noſtri fructum praecipuum percipiemus tum demum, ſi eorum commodis, qui vtuntur hoc libro, etiam noſtra opera conſultum aliquo modo eſſe intellexerimus. Scr. Gottingae mercatu verno cIↄ Iↄ CCXXXXIII.

FVN-

JO. GOTTL. HEINECCII, J.C.
FUNDAMENTA
CULTIORIS LATINITATIS.

PROOEMIUM.

I.

DUo potiſſimum in Latinae orationis cultu cavenda ſunt elegantiorum litterarum ſtudioſis. *Alterum*, ne auribus ſint tam agreſtibus atque impolitis, ut omnem orationis nitorem atque elegantiam, tamquam rem inanem ac ſupervacuam, omnino negligendam eſſe exiſtiment *). *Alterum*, ne per omnem vitam id unice agant, ut quaſi calamiſtris intorqueant orationem, eique colores adſcititios, tamquam fucum, inducant **). Duo extrema in Latinitate cavenda.

*) Talis fuit veterum ſcholaſticorum & gloſſatorum barbaries, qui ſe eruditos non putabant, niſi omnem orationis cultum ejeraſſent. (Intellige *verum :* nam ſubſtituerant illi ineptias quaſdam ex ſoni quacunque convenientia captatas, in quibus decus omne orationis collocabant. G.) Contra eos (qui putant, ornatu omni ſuperſederi poſſe. G.) elegans exſtat oratio *M. Antonii Maioragii*, quae inter ejus orationes eſt XII. (Neque vero putave-

rim fuiſſe unquam ita barbarum quemquam, ut eo ipſo nomine ſibi doctus videretur, ſi ruſtice & imperite ſcriberet. Sed de eo quod pulchrum eſſet, diſputabatur nimirum. Illi quos refutat *Maioragius*, *eum ſatis eſſe diſertum dicebant, qui ſenſa mentis aperte atque intelligenter explicare dicendo valeat.* G.)

**) Talis fuit ſophiſtarum veterum eloquentia, de qua erudita exſtat diſſertatio Ge. *Nicol. Kriegkii*, edita *Ienae* CIↃ IↃ CCVII. Stilus purus & concinnus praeclarum eſt eruditionis omnis ornamentum, non ipſa tamen eruditio †), quae non in verbis, ſed rebus earumque cauſſis pernoſcendis poſita eſt. Cavendum itaque ab illo faſtu & ſupercilio quorumdam grammaticorum, qui ſe ſolos ſapere, ceteros volitare veluti umbras exiſtimant, lepida oratione, quae *pro ſtudiis humanitatis* inſcribitur, exagitati a *V. C. Alberto Schultenſ. Franequ.* CIↃIↃCCXX.

†) (In hac quaeſtione, An facultas Latinae linguae ſit eruditio? caute verſandum eſt. I. Si eruditio eſt quaecunque perfectio hominis, in quantum rationalis eſt: tanto illum eruditiorem eſſe, quo plures linguas novit, non eſt dubium. II. Si eruditio eſt rerum utilium cognitio ſolida; lingua nulla per ſe eruditionis nomen ſibi vindicare poteſt, ſed poteſt eſſe utile ad illam cognitionem perveniendi inſtrumentum. III. Graeca & Latina linguae non poſſunt recte addiſci, ut non multa ſimul diſcas, quae ſint pars eruditionis. Qui intelligere Demoſthenem & Ciceronem voluerit, (ne de ſcriptione & ſermone dicamus, quae ex intellectu illo demum oriri poſſunt) illum egregie multarum rerum diſciplina eruditum eſſe oportet, quod ipſe curſus harum praelectionum docebit. IV. Eloquentia vero ſ. facultas de rebus omnibus bene dicendi plane eſt gradus magnus eruditionis, quin ipſa loquens ſapientia. Rerum enim ſimulacra quaedam ſunt cogitationes, cogitationum verba imagines: tanto veriores cogitationes, quanto ſunt rebus aptiores, tanto pulchriora verba, quo accuratius cogitationes illas pingunt. In hoc differunt magiſter linguae vulgaris, & rhetor philoſophus, quod ille rerum vulgarium appellationes & formulas quotidianas docet, hic de rebus omnibus apte, & ut decet, & cum dignitate dicere. Vid. *Iſr. Theoph. Canzii Oratoria ſcientiarum familiae toti cognata, ſ. rationis & orationis arctiſſimum vinculum. Tubingae* 1735. 8vo. G.)

Hujus cautionis ratio.

II. Quemadmodum enim ſententiae, quamvis eruditiſſimae; quodammodo viléſcunt, ſi genus orationis ſit ſpinoſum, exile, jejunum, languidum, enervatum, incultum: ita nimiae illae orationis veneres omnem ſententiarum vim ac gravitatem infringunt, ac prorſus effeminant *).

*) Quantum ergo intereſt inter feminae ſordes, meretricium fucum, & cultum matronalem: tantum oratio barbara, ſophiſtica, & caſta inter ſe diſtant. Vid. *M. Ant. Maioragii laudata oratio*, p. 227. (272). Praeclara ſunt, quae hanc in rem ſcripſit *Quinctilianus Inſtit. orat. lib. V. cap.* 12. ubi de nimiis illis orationis veneribus, &, uti eleganter *Synesius* vocat, περὶ τῶν λόγων, διαπθέντων ἐν ἡδονῇ τὸ μεγάλεια, ita judicat: *qua propter eloquentiam licet hanc, (ut ſentio enim, dicam,) libidinoſam reſupina voluptate auditoria probent, nullam eſſe exiſtimabo, quae ne minimum quidem in ſe indicium maſculini & incorrupti, ne dicam gravis & ſancti viri oſtendet.* (Caeterum hoc ipſum ſcire, quae ſint *nimiae Veneres*, quid *ſpinoſum*, quid *exile* &c. non niſi ejus eſt, qui conſuetudine atque uſu ſubactum habeat harum rerum judicium, in quo caput eſt,

ut

ut tum ipſarum rerum naturam, tum propriam vim vocum atque ſignificationem bene inſpexerit. Quod ipſum quomodo conſequamur, per partes jam declarabitur. G.)

III. Recte proinde ac praeclare decorum Latinae orationis habitum nobis ob oculos poſuit ille elegantiarum pariter ac nequitiarum arbiter, *Petronius* *): *Grandis*, inquit, *&*, *ut ita dicam, pudica oratio non eſt maculoſa, nec turgida, ſed naturali quadam pulcritudine exſurgit.* Stilus quiſnam vere elegans?

*) *In Satyr. cap.* 2. (cujus verba peculiari commentatione proſecutus eſt Ill. *Bergerus* in prooem. lib. *de naturali pulcritudine orationis* p. 8. ſq. G.)

IV. Quamvis vero ad adſequendam pudicae illius ac caſtae orationis facultatem permultum faciat ingenii ubertas aſſiduaque exercitatio: ratio tamen procul dubio fugit eos, qui eloquentiae laudem omnem in quodam ingenii atque exercitationis genere unice eſſe ponendam, neque eam arte ulla obtineri (certe adjuvari G.) poſſe, arbitrantur *). Id quod demonſtratur.

*) Fuit in hac ſententia *Q. Tullius Cicero*, Marci frater, ut patet ex hujus de *Orat. lib. I.* a quo tamen ipſe frater hac in re merito ſuam ſejungit ſententiam.

V. Omnis vera pulcritudo in juſta partium proportione, aptoque earumdem nexu ac diſpoſitione ſita eſt. Haec omnia autem (pleraque ſaltem G.) quum regulis quibuſdam certis atque indubiis deſcribi poſſint: conſequens ſane eſt, ut & eloquentia arte conſtet, certaque adeo poſſint oſtendi cultioris Latinitatis fundamenta *). An poſſit doceri?

*) Sic quum abſoluta aedificiorum pulcritudo, quam vocant architecti, quae per ſe & neceſſario omnibus, etiam architecturae ignaris, placeat, in tribus potiſſimum conſiſtat, teſte *Vitruvio lib. I. cap.* 2. in *ſymmetria*, ſeu conveniente partium conſenſu, *materiae excellentia*, & in *ἀκριβείᾳ* ſeu *exacta membrorum ſingulorum elaboratione*, nulla autem res accuratioribus regulis conſtet, quam *συμμετρία*, utpote in quibus magna geometriae pars verſatur, & reliquae pulcritudinis partes: nemo dubitat, quin architectura poſſit doceri. (Verior ſententia ſic videtur poſſe comprehendi. 1 Sine praeceptis ad faſtigium perducta eſt facultas dicendi. 2. Ex praeſtantiſſimis exemplis demum ars formata. 3. Facilius aliquis ſine praeceptis, ſola exercitatione eloquens fuerit, quam contra. 4. Praecepta tamen minime contemnenda. Nam *a*) juvant intellectum pulchri & obſervationem dirigunt, *b*) ordinem quendam exercitationis praeſcribunt. *c*) ad judicium de ſuis aliiſque ſcriptis ferendum proſunt. G.)

VI. Attamen ſimul exiguntur ingenium felix *), & exercitatio in legendo ſcribendoque diuturna **), quibuſcum ſi conjungas praecepta accurata, tum vere locum habent illa *Ciceronis* ***): Accedere tamen oportet in-

genium & exercitatio.

Quum ad naturam eximiam atque illuſtrem acceſſerit ratio quaedam conformatioque doctrinae; tum illud neſcio quid praeclarum ac ſingulare ſolet exiſtere.

*) Ad eloquentiae ſtudia qui apti aut inepti ſint, cum cura inquirit *Melch. Iunius Method. eloqu. III. IV. p.9.ſ.*

**) Hinc Cicero *de Orat. I. 33.* Stilum *optimum & praeſtantiſſimum dicendi effectorem & magiſtrum vocat.*

***) Cicero *pro Archia cap. 8.*

Quotuplicia ſint ſtili elegantioris fundamenta?

VII. Cogitanti autem de genuinis elegantioris ſtili fundamentis, ad duo potiſſimum mihi videtur reſpiciendum. Illa enim demum elegans viroque eloquente digna videtur oratio, quae & verbis ſelectis ac bene compoſitis, & ſententiis praeclaris conſtat. Verba enim, quantumvis nitida, niſi gravis ſubſit ſententia, vanam potius loquentiam, quam maſculam eloquentiam arguunt *).

*) Bene *Craſſus* apud *Ciceronem de Orat. I. 12. Quid eſt enim tam furioſum, quam verborum vel optimorum atque ornatiſſimorum ſonitus inanis, nulla ſubiecta ſententia nec ſcientia.* Hinc *Quinctilianus* in *prooemio Inſtit. orat.* totus in eo eſt, ut oſtendat, *fuiſſe haec olim quemadmodum iuncta natura, ſic officio quoque copulata, ut iidem* Sapientes atque Eloquentes *haberentur. Scidiſſe deinde ſe ſtudium, atque inertia factum eſſe, ut artes eſſe plures viderentur: nam ut primum lingua eſſe coeperit in quaeſtu, inſtitutumque eloquentiae bonis male uti, curam morum eos, qui diſerti habiti ſint, reliquiſſe, eam vero deſtitutam infirmioribus ingeniis veluti praedae fuiſſe.* Ex hoc artium diſcidio quid naſci oportuerit, nemo non videt. Philoſophia enim eloquentiae nudata ornamentis, in ſiccum & ſpinoſum diſſerendi genus; eloquentia, philoſophiae ſubductis praeſidiis, in inanem & enervem verboſitatem abiit. Sic demum *ſemel corruptae eloquentiae regula ſtetit, & obtinuit*, uti conqueritur *Petronius in Satyrico cap. 2.* (Verborum plane alia vis non poteſt intelligi, quam ut ſint ſigna cogitationum, ipſarumque adeo rerum. Itaque pulcra ſunt in tantum, in quantum rem ipſam exprimunt. *Sonora* cum vocantur, illud ſolum intelligitur, ſonum illum pertinere ad intellectum eorum iuvandum. G.)

Pars huius opuſculi prima.

VIII. Iuſtam verborum (flexionem, &) compoſitionem *Grammatica* docet; ſententias neceſſarias ſuppeditat *Philoſophia*: eaſdem denique apte diſponit atque exornat *Rhetorica*. Unde trium generum ſeſe nobis offerunt elegantioris ſtili fundamenta, GRAMMATICA, RHETORICA, PHILOSOPHICA. Et in his omnibus prima pars huius opuſculi verſabitur.

Item ſecunda.

IX. Quum vero varia ſint ſcriptionum genera, aliusque in *epiſtolis*, alius in *orationibus*, alius in *dialogis & ſatiris*, alius denique in aliis ſcribendi generibus exigatur orationis habitus: de ſingulis iſtis ſcriptionum generibus parte ſecunda praecipiemus.

Nec non tertia.

X. Denique quum ſupra etiam exercitationem in adipiſcenda elegantioris ſtili facultate utramque paginam facere oſtenderimus: poſtrema

ſtrema hujus opuſculi parte de optimorum auctorum lectione atque imitatione, variiſque ſtili exercitationibus nonnulla haud proletaria monebimus.

PARS I.

DE GENERALIORIBUS TERSAE LATINITATIS FUNDAMENTIS.

CAPUT I.

DE FUNDAMENTIS STILI GRAMMATICIS.

I.

Quaenam hic intelligantur fundamenta grammatica?

QUamquam non temere quiſquam ſtudia tam cruda in academiam proferre debeat, ut ne prima quidem illa linguae Latinae elementa animo imbiberit, adeoque jure quodam noſtro ab ejuſmodi rerum tractatione abſtinere poſſe videamur: attamen, quum multa in vulgaribus grammaticorum libellis negligi, multa etiam perperam doceri *) ſoleant; pauca quaedam, & quae prae ceteris neceſſaria videbuntur, obſervabimus. Neque enim negligenda ſunt minora, ſine quibus majora conſtare haud poſſunt.

*) (Si non praeceptis, quae plerumque certe ſatis bona hodie, at exemplis: cum perverſe loquantur & ſcribant ſaepe, etiam qui aliis exempla debent. Caeterum, quod juvenes etiam ingenioſi & boni hac parte, id eſt negligenda Grammatica, peccant, ejus rei has fere cauſas comperiet, qui attenderit. *a*) Haec res prima libertatem naturalem ademit pueris. *b*) Plerumque procreavit alias quoque moleſtias. *c*) Difficile autem eſt ſejungere notiones & perceptiones ita olim conjunctas. Vid. praefat. Grammaticae Cellarianae Goting. 1740. ubi calamitatem fundi literarii deſcripſimus, &, *quomodo* ea averti *poſſit, indicavimus. G.*)

In orthographia quaenam cavenda?

II. Prima grammatices pars ORTHOGRAPHIA eſt, de qua poſt *Aldum Manutium*, *Dausqueium*, *Cellarium*, *Schurzfleiſchium* nonnulla praecipiemus, quae praecipue obſervanda exiſtimamus iis, qui ſunt elegantiae ſtudioſiores. Quemadmodum enim & hic adfectatio fugienda eſt: ita nec omnia ſibi permittunt adcuratiores *).

*) Recte enim obſervatum eſt a *Quinctiliano Inſtit. orator.* 1. 5. *alios barbariſmos ſcribendo fieri, alios loquendo: quia, quod male ſcribitur, male etiam*

dici neceſſe ſit. (Fontes Orthographiae Latinae, vel externi vel interni. *Externi a*) libri MSS. ſed rariſſimi ultra aetatem barbaram adſcendunt. *b*) Lapides literati. *c*) numiſmata. Liticula Gudii & Spanhemii ſalutaris literis, cum pepererit nobis praeclara utriuſque opera. *Interni*, intra ipſam nempe Grammaticam. *a*) Derivatio e Latinis vel Graecis. *b*) Analogia. *c*) Proſodia. G.)

In vitio ponitur orthographia adfectata.

III. Adfectationis notam vix effugiunt, qui ſingulare ſibi fingunt ſcribendi genus, quod vel non eſt publici ſaporis, vel aliis harum lautitiarum parum gnaris crucem figit *).

*) Non probandi itaque,

I. qui in ſcribendo omnem euphoniam negligunt, ſcribentes. v. c. *conlega* pro *collega*, *conruit* pro *corruit*.

II. qui archaiſmos ſtudioſe conſectantur, veluti *heic* pro *hic*, *ſeine* pro *ſine*, (forte *ſeive* pro *ſive*, G.) *ploſtrum* pro *plauſtrum*, (*Suet. l. VIII. c.* 22.) *coitidie* pro *quotidie*. Etiamſi enim haec & ſimilia in vetuſtis monimentis legamus: non tamen hodie Evandri matri ſcribimus, ſed noſtrae aetatis hominibus. Et ſi ſaeculum noſtrum non fert Plautina: *Aula* pro *olla*, *volgo* pro *vulgo*; vel Lucretianum: *terrai* pro *terrae*, & ſimilia: cur illis non minus obſoletis delectemur? Sane & *orthographia conſuetudini ſervit, ideoque ſaepe mutata eſt*, ait *Quinctilianus Inſtit. orat. l. I. c.* 7. (Antiquatam illam orthographiam Catonis, Plauti, Terentii, Varronis, ad Analogiam quandam & regulam revocavit Cl. *Pontedera notis poſterioribus ad Catonem de R. R.* quas exhibet mea editio p. 1282. ſq. G.)

Nec ferendi,

III. qui ipſi ſibi analogiam fingentes, ad eam receptam ubique ſcribendi rationem refingunt, & hinc ſcribere malunt *ſcribſi*, quam *ſcripſi*, *labſus*, quam *lapſus*. Multa enim, quae analogia admittit, plane repudiat uſus, quem penes non modo loquendi, ſed & ſcribendi arbitrium eſt. Quis ferret ſcribentem *legtum* pro *lectum?* & tamen illud a *lego* eſt. Haud minor eorum quoque κακοζηλία eſt,

IV. qui vetera ſigna rejiciunt, novaque ſuo fingunt arbitrio. Sic multi Graeca vocabula ſine accentibus & ſpiritibus ſcribunt, in Latinis contra recipientes lineolas quaſdam, accentus, circumflexos, v. c. απογραφη, επιςημη, *longè*, *penitùs*, *Muſâ*, *veſtrûm*. At accentus tamen & ſpiritus Graecorum jam a multis ſaeculis recepti, ſuiſque incluſi ſunt regulis; qui Latinis vocabulis adpingi ſolent, ludi magiſtrorum debentur induſtriae, nec ullam juſtam habent rationem. (Conſiderari tamen meretur *Quinctil.* I. 7. pr. de apice. G.)

Nec laudanda tamen nimia negligentia.

IV. Omnia ſibi permittere videntur, qui nullam plane vel linguae ipſius *), vel antiquorum monimentorum **), in ſcribendo habendam eſſe rationem exiſtimant.

(*) Peccant itaque, qui etymologiae nullam habent rationem. *Convicium* ſcribunt adcuratiores, non *convitium*, eſt enim quaſi *convocium. l.* 15. §. 4. *D. de injuriis & famoſis libellis.* Probant hanc *Ulpiani* etymologiam *Feſtus*, & apud eumdem *Nonius*, quamvis hic in libello de proprietate ſermonis *convicium* dictum velit, quaſi *e vicis jocum*: *Laurentius Valla* autem a *con* & *vitium*, vel a *con* & *vita*. Vetus gloſſa convicium καταβόησις. Erudite *Ulpiani* ἔτυμον defendit *Menagius Amoenit. jur. civ. cap.* 39. *p.* 273. *ſequ.* *Heres* magis placet

eru

eruditis, quam *haeres*, eſt enim ab *aerus*. Sed repugnat modus Syllabae prioris, quae in *heres* longa eſt, brevis in *herus*. G.) Ita & *Cujacius Obſervat. V.* 10. *Menagius* vero *p.* 327. id vocabulum deducere mavult a Graecis χήρος, χήρα, χήραξ, χήρηξ, *heres*. Utrumvis eligas, ſcribendum erit *heres*, non *haeres*. Addantur tamen, quae de his ſimilibuſque etymologiis, in jure noſtro traditis, diſputant *Aegidius Menagius* in *Amoen. juris civ. cap.* 39. & v. c. *Carolus Andreas Dukerus* in *Opuſculis de Latinitate veterum JCtorum*. Talia qui negligunt, ſatis oſtendunt, parum ſibi curae eſſe ſcribendi ἀκρίβειαν.

**) Diſtinguenda tamen cum cura ſunt monimenta vetera. Adcuratiſſimam plerumque ſcribendi rationem ſequuntur numi, ut recte docuit *Ezech. Spanhemius de uſu & praeſtantia numiſmatum, diſſ. II. p.* 82. Aſt in marmoribus ſaepe aberrant indocti lapicidae, atque opifices ſemigraeculi. Quis enim ſcriberet *ſcaena*, pro *ſcena*, *temptare*, pro *tentare*, *epiſtula*, pro *epiſtola*? Et tamen haec paſſim leguntur in lapidibus. Deinde in marmoribus vetuſtiſſimis multa exſtant, quae paſſim emollivit elegantior aetas. Unde fruſtra eſſet, qui ex columna illa roſtrata DUILLII orthographiae petere exemplum ſuſtineret. Sane jam ſua aetate in multis mutatam eſſe veterem ſcribendi pronunciandique rationem, exemplis quibuſdam demonſtrant *Cicero* in *Orat.* 48. & *Quinctilianus* in *inſtitut. orat. lib. I. cap.* 7. *lib. IX. cap. ult.* (E quibus locis & multis aliis, Grammaticorum praeſertim veterum intelligimus, non tantum veterem pronunciandi rationem funditus fere interiiſſe apud nos, ſed multa etiam in Orthographia immutata, quae magnos tamen auctores habent. G.) Ex quibus omnibus ſane colligimus, e monimentis antiquis numos praeferendos eſſe lapidibus: ex his vero eos, qui aurea aetate poſiti ſunt, antiquiſſimis & recentioribus; publico autem clarorum virorum nomine ſcriptos privatis, & a vulgo poſitis, eſſe ante habendos. Idem etiam dicendum de orthographia, quae in codicibus MSSC. obſervatur. Sunt ex his quidam antiqui, quidam ſaeculo nono recentiores. Illi partim emendati, partim inemendati. Unde ſaepe ſub calcem legas: *contuli, emendavi, recognovi.* (Sed hanc ipſam formulam cum reliquis deſcribere ſolebant etiam librarii ineptiſſimi, imperitiſſimique. Quare non ſimpliciter fides haberi illis poteſt. G.) Vide *Fontanini Vindic. diplom. cap.* 3. §. 7. Horum & ex antiquis pauciores ſunt. Nam pleriqne ſcripti a librariis indoctis, qui bibliopolis operas locaverant, & de quorum oſcitatione conqueruntur *Strabo lib. XIII. p.* 419. & *Gellius N. Att. Attic. lib. VIII. cap.* 20. Poſt ſaeculum IX. immo & antea, monachi hunc deſcribendi laborem occuparunt, iique plerumque indoctiſſimi. Quare pauciores tantum illi veteres, a viris doctis recogniti, atque emendati in formandis orthographiae regulis aliquam utilitatem praeſtant. Vitioſiſſima ſcribendi ratio obſervatur in monimentis Chriſtianorum, a quorum imitatione omnino abſtinendum.

V. Obſervandae ergo quaedam regulae, tum de *litteris*, earumque *mutatione*, tum de *abbreviatione* & *diviſione* vocum, tum de ipſis *vocabulis* quibuſdam, quae perperam vulgo ſcribuntur. — *Regulae orthographicae quotuplices.*

VI. Ad litteras majuſculas quod attinet, in iis ſcribendis eo tutius veterum ſequimur ſcribendi rationem *), quo certius conſtat, antiquos vix aliis, quam characteribus majuſculis **) eſſe uſos. — *Quid obſervandum in litteris majuſculis.*

*) Ex veterum itaque monimentorum contemplatione haec fere colliguntur regulae:

I. *Cavendae ſunt formae litterarum, quarum nullum in antiquitate exſtat exemplum.* Tales ſunt litterae J vel J pro I, Ü pro V, Æ pro AE. U enim littera ex Gothico charactere eſt, ut patet ex *Mabillonio de re diplomatica* I, 11. 4. *p.* 47. Reliquas formas typothetae invenerunt. AE vel OE quamvis in numis quibuſdam contrahantur ob ſpatii anguſtiam, in iiſdem tamen numis etiam AD, AL. ANT. AR. VAL. aliaque in unum contrahuntur, quae tamen nemo temere imitaturus eſt. Vid. *Cellarii Orthogr. Lat. p.* 18. 19.

II. *In litteris majuſculis una littera altera major haud eſto.* Sine exemplo ergo ſcribitur *AvctOr, Ioannes*: multoque magis ridiculum eſt, ſi omnia vocabula a litteris majoribus auſpicemur, e. g. DE DONATIONIBUS INTER VIRUM & UXOREM. Id quod nonnullos diligenter obſervare video. (Bibliopolis, eorumque de pulchritudine notioni, quam haurire ipſi ab emtoribus ſolent, interdum hic aliquid eruditi tribuunt. Et quid ni? G.) Aſt ſolebant tamen veteres duplex I plerumque contrahere in I maximum, & hinc ſcribere DEIcITO, SULPICI. Quin & I quantitate longum reliquis characteribus grandius pingi conſueviſſe novimus. Hinc illa CAPTIVI, pro CAPTIVI, LUDIS, pro LUDIS,**) & ſimilia. Prius quum aetate Auguſtea paene perpetuum fuiſſe doceat *Henr. Noriſius Cenotaph. Piſ. p.* 473. ſine adfectatione & nobis aliquando imitari licebit.

III. *Majuſculae litterae minoribus non ſunt miſcendae, niſi initio vel orationis, vel periodi, vel nominis proprii.* Unde falluntur, qui omnia ſubſtantiva litteris majuſculis diſtinguenda putant, ſcribentes v. c. *Tollebat Plumas Aura volitantes. Pinnaſque per Maria Spuma torquebat.* Nec adeo neceſſarium eſt, ut tituli honoris ſcribantur litteris majuſculis, veluti *Rex, Princeps, Dominus.* Quamquam enim nonnihil dandum ſit opinioni ſaeculi, elegantius tamen ſcribes REX, PRINCEPS, DOMINUS. Quod & tunc obſervandum, ſi compellandi ſint viri illuſtres; tunc enim elegantius ſcribes TE, TUI, VIR, ILLUSTRIS, quam mixto ſcripturae genere, *Te, Tui, Vir, Illuſtris*, Cellarii *Orthogr. p.* 76. *ſeq.* Adfectationem tamen & hoc redolet, ſi in adjectivis gentium nomina deſignantibus a litteris majuſculis abſtineas, ſcribaſque *germanus, graecus, francicus*, pro *Germanus, Graecus, Francicus.* Sunt enim & haec nomina propria. (Cum totum hoc diſcrimen ſit inſtituti recentioris, utamur ea in re ratione eorum, quos probari videmus, cum libertate, & in alios, qui aliud ſequuntur, modeſtia, cum nihil ſit putidius, quam ſerio de talibus contendere, aut lauream petere ex hoc muſtaceo. G.)

**) Attamen non ſemper majuſculis vel uncialibus litteris uſi ſunt Romani, ſed minutis etiam nonnumquam, forma tamen a reliquis parum diſtantibus. Saeculo ſane quarto minores litterae adparent in marmore Romano; quod exhibet *Mabillonius* in *Supplement. libri de Re Diplomat. p.* 114. & *Relandus* in *Faſtis Conſularibus p.* 344.

ANIMAE INNOCENTI.
GAVDENTIAE.
QUAE VIXIT AN. V. M. VII. D. XXI.
IN PACE.
Mercurius pater filiae d. IV. id. Novembris Vrſo & Polemio Coſſ.

Vides hic exemplum minuſcularum litterarum jam ſaeculo quarto adhibitarum. Urſi enim ac Polemii conſulatus incidit in annum Chriſti CCCXXXXVIII.

VII. In minuſculis litteris, quae in vncialium locum celerioris ſcripturae cauſſa ſuccenturiatae ſunt, pauciores obſeruandae ſunt regulae *), quas itidem veluti per lancem ſaturam exhibebimus. Quid in minuſculis?

*) Tales ſunt, quae ſequuntur.

I. *Cauendae & hic formae litterarum a typothetis ſine neceſſitate inuentae*, qualis eſt j pro i. Scribendum ergo *iuuo*, non *juuo*, *adiicere*, non *adjicere*. Formam enim illam j ignorant monimenta vetera, eamque ſolis debemus typographis.

II. *In diphthongis* ae *vel* oe *ordinarie ſeparatim ponuntur vocales, rarius contrahuntur.* Antiquiſſimi codices non minus ac diplomata vetuſta ſaepius praeferunt *ae*, quam *æ*, ceu obſervarunt *Herman. Conringius* in *Cenſura diplom. Lindau. p. 316. & Mabillonius de re diplomat. II, 1, 11. p. 58.*

III. *Littera* v *ab initio*, u *in medio & fine litterarum rectiſſime adhibetur.* Scribendum ergo, *vt*, pro ut, *iuuo*, pro juvo, *vua*, pro uva. Veteribus enim non alia nota erat figura litterae illius, quam *v*. Quoties autem illa in medio vocabulo occurrebat, eam lineola iungebant litterae ſequenti, & inde nata figura *u*. Sane hanc ſcribendi rationem primos illos elegantioris litteraturae vindices adcurate ſeruaſſe, & nouum admodum eſſe illud *u* vocalis, & *v* conſonantis diſcrimen, editiones auctorum vetuſtiores ſatis euincunt. Multo recentior quoque forma *u* qua hodie multos ſine diſcrimine vti animaduertimus, ſiue illa littera vocalis ſit, ſiue conſona, ſiue initio vocis ſiue in eiuſdem medio occurrat; e. g. *unde*, *ualde*, *uulnus*. Suum cuique pulcrum. Sed talia fere exemplo carent, & κακοζηλίαι redolet adfectatum iſtud nouitatis ſtudium. (Quin vſum eſſe ea ratione Ioſ. Scaligerum, manus ipſius teſtatur, qui ſemper u minuſculum, ſemper majuſculum V, facit. Typographi Galli, Angli, Belgae in ſplendidiſſimis antiquorum editionibus u vocalem, & conſonantem v faciunt. G.)

VIII. Sunt & regulae communes litteris maiuſculis & minuſculis, quarum tres hic potiſſimum dabimus, prae reliquis accurate obſeruandas *). Quid in vtriſque communiter?

*) Priores regulae ad litteras Graecas, ultima ad litteras in compoſitione vel mutandas vel retinendas pertinent.

I. *Litterae* Z. Θ. K. Y. Φ. X. *Graecorum propriae, adeoque non niſi in vocabulis origine Graecis adhibendae ſunt.* Male ergo ſcribitur *Author*, *lethum*, *Thuſcia*, *Anthonius*, *kalumnia*, *ſydus*, *tyro*, *hyems*, *ſtylus*, *lachryma*, *ſepulchrum*, *charus*, pro *auctor*, *letum*, *Tuſcia*, *Antonius*, *calumnia*, *ſidus*, *tiro*, *hiems*, *ſtilus*, (Neque tamen στύλον ignorant Graeci. G.) *lacryma*, *ſepulcrum*, *carus*. Conf. *Cicero* in *Orat. cap. 48.* Ob εὐφωνίαν tamen *ch* admittunt *pulcher*, *inchoo*, quae & *Cicero* probat *loc. cit.*

II. *Adſpiratio poſt* r *nuſquam locum habet, niſi in vocabulis origine Graecis.* Hinc recte dicitur *Rhodus*, *Rhetor*, *Pyrrhus*, ſed male *Rhaetia*, pro *Raetia*, *Rhemi*, pro *Remi*. Conſtanter tamen etiam numi & lapides habent *Rhenus* & *Rhodanus*.

III. *Vbicumque non repugnat euphonia* †), *in compoſitione retinenda conſonans vltima praepoſitionis, alias conſona vel praepoſitionis, vel ipſius vocis mutatur.* Hinc recte dicitur *adgredior*, *adſigno*, *exſpiro*, *exſilium* ††): quum contra κακοζηλίαν redoleant illa: *accipio*, *conlega*, *adgnoſco*, *obgannio*, & quae ſunt huius generis alia.

†) (Illud de euphonia judicium nimis lubricum, & tironibus certe minime

nime permittendum. Itaque praeſtat primo auctoritatem ſequi, v. g. ipſius huius libelli, aut Cellarianae orthographiae, quo viro nihil fuit modeſtius, cautius, caſtigatius. G.)

††) Non placet haec forma *Maffeo*, qui in erudita *praefatione*, *Hilarii operibus* Veronae cIↃ IↃ CCXXX. recuſis *praemiſſa*, *pag.* 3. orthographiam antiquam commendans, addit: *Nolim tamen vrgeatur haec regula vndequaque, ita, vt etiam* exſilium *ſcribere teneamur; quamuis quibuſdam e veteribus grammaticis edicentibus.* Enimuero quum & veteres grammatici edicant, & in monimentis optimis ita ſcribatur vocabulum, & ejus etymologia ab *ex* & *ſolum* hanc formam ferat, & vix ferendus videatur, qui ſcribendum exiſtimet *exenator* pro *exſenator*; non video, cur in exſilium agi oporteat *exſilium*, ſcribendumque ſit *exilium*.

Qui in abbreuiatione vocum?

VIIII. A vocibus abbreuiandis maxime in minuſcula ſcriptura, quantum fieri poteſt, abſtinent eruditi *), qui & operam dare ſolent, ne male vox quaedam diuidatur **).

*) Veteres Romani in vncialibus litteris multa abbreuiare ſolebant. Nam vt *Valerii Probi*, *Magnonis*, aliorumque libellos *de Notis* praetermittamus, notum eſt, *Iani Gruteri* & *Thomae Reineſii Inſcriptionibus* ſubiectum eſſe indicem litterarum ſingularium, quae integras voces deſignant, qualem etiam ex lapidibus *Sertorius Urſatus*; ex numis confecit *Hubertus Golzius*. (Optabile eſt vt in lucem proferatur praeclarus labor *Woltereckii*, de quo *Fabric.* B. Gr. 4, 15. p. 471. G.) Sic ſcribere ſolebant. *Pr.* pro *Praetor*; S. P. Q. R. pro *ſenatus populuſque Romanus*; *lub.* pro *lubens*. Aſt in ſcriptura minuſcula recte & ordine facies, ſi omnia ſine abbreuiatione exſcripſeris. Neque tamen reiiciendae ſunt abbreuiationes praenominum Romanorum, quae & veteres vix vmquam, niſi vel vna littera, vel binis, vel pluribus ſcribere ſolebant. Sic vna littera exprimuntur praenomina: A. id eſt *Aulus*, C. id eſt *Caius*, D. id eſt *Decimus*, L. id eſt *Lucius*, M. id eſt *Marcus*, M' id eſt *Manius*; duabus: *Cn.* id eſt *Cnaeus*, *Sp.* id eſt *Spurius*; cet. tribus: *Sex.* id eſt *Sextus*, cet. Sed accuratiorem horum praenominum indicem dedit, quotque litteris exprimi conſueuerint, oſtendit *Carolus Sigonius* ſingulari *de nominibus propriis Romanorum* libello, qui ſubiunctus eſt commentario ipſius in faſtos Romanos.

**) Locum hic habet regula, quam probauit etiam *Quinctilianus Inſtitut. Oratoriar. lib. I. cap. 7. ita diuidendae ſunt voces, quemadmodum id patitur earum origo & compoſitio.* Alias enim in ſimplicibus & primitiuis vulgaris ſyllabarum ratio obtinet. Sic recte diuiditur *aru-ſpex*, dicitur enim a *ſpectando*: *abs-temius*, eſt enim a *temeto*. Ita & *ab-igo*, *ſuſ-cipio*, *et-iam*, *neg-otium*, *pot-eſt*. Hinc facile patet, *prod-it* eſſe a *prodeo*, *prodit* a *prodo*.

Nomina propria multa vulgo perperam ſcribi ſolita.

X. Vocabula integra parum emendate a multis ſcribuntur, maxime nomina propria, quae, ſi antiqua ſunt, merito ad vetuſta monimenta, tamquam ad Lydium lapidem, exigenda ſunt *).

*) Falſo ergo vulgo ſcribitur *Aemylius*, pro *Aemilius*, *Aenobarbus*, pro *Ahenobarbus*; *Brunduſium*, pro *Brundiſium*, *Carthaginenſis*, pro *Carthaginienſis*, *Adrianus*, pro *Hadrianus*, *Annibal*, pro *Hannibal*, *Moecenas* vel *Mecenas*, pro *Maecenas*, *Mauritius* pro *Mauricius*, *Heliogabalus*, pro *Elagabalus*, *Nicanor*, pro

Nicator,

Nicator; *Paulus*, pro *Paullus*, *Schaeuola*, pro *Scaeuola*, *Ptolomaeus*, pro *Ptolemaeus*, de quo vide ſis ea, quae monuit *Henricus Stephanus de abuſu Graecae linguae p. 97.* editionis, quam mox nitidiorem, & obſeruationibus doctiſſimis *Jo. Henr. Kromayeri*, viri in his litteris eximii, & cuius praematurum diſceſſum merito luget reſpublica litteraria, auctam, daturum ſperamus clariſſimum *Fridericum Guilielmum Roloffium*, tanti magiſtri veſtigia pleno gradu prementem. Plura nomina propria ex numis & marmoribus integritati ſuae reſtituit *Ezechiel Spanhemius de Uſu & Praeſtant. Numiſm. diſſert. II. p. 83. ſeq.* (Propria nomina tanto corrupta facilius, quod analogia, atque etymologia minus illis ſuccurrunt. *G.*)

XI. Denique nec omittenda alia quaedam vocabula, quae perperam a pleriſque ſcribuntur, quorum breuem indicem e prolixiore *Cellarii* dabimus *), ne in his nimis videamur critico indulgere ſupercilio. Nec non alia vocabula.

*) In recenſendis vocabulis perperam plerumque ſcriptis tota pars poſterior orthographiae *Cellarii* occupatur. Potiora tantum hic notaſſe ſufficiet.

Alucinari ſcribendum eſt, non *hallucinari*. Eſt enim idem, ac *a luce aberrare*. Videatur *Feſtus Pompeius* voce *alucinatio*, & *Gellius Noct. Attic. lib. XVI. c. 12.* Dubiae originis hoc verbum eſt, quod alii ab *hallus* vel *hallux*, *Gellius* ab ἀλύειν, alii aliunde arceſſunt. Sunt, qui diſtinguenda putent *hallucinor* & *alucinor*: ſunt, quibus haec συνώνυμα videntur. Mihi ſe probant illa *Iſaaci Voſſii ad Catullum p. 90. Dicuntur* alucitae *vel* alucitae *a priuatiua particula* a *vel* ab *&* luceo, *vnde &* alucinari *vel* allucinari, *quaſi* ablucinari *quidam dici exiſtimant. Pari ratione aues, nocturnas alucos veteres vocarunt. Philoxeni Gloſſae*: νυκτικόραξ, alucus, bubo. *Sed & Seruius ad VIII. Eclogam*, vlulae aues *ἀπὸ τοῦ ὀλολύζειν*, *id eſt, a fletu nominatae*, *quas vulgo alucos vocant. Sic lege, non* vlucos, *vt vulgo*.

Ancora ſcribendum, non *anchora*. Eſt enim ea vox a Graeca ἀγκύρα.

Arceſſo vetus & genuinum eſt, pro quo male vulgo ſcribitur *acceſſo*. Cellarii *Orthogr. Lat. p. 76. Cortius ad Salluſt. p. 250. 251.* (*ar* pro *ad* ponebant etiam in *Aruorſum*, *Aruehere*, *Arfuiſſe*. Sicut *r* & *d* alternant in *Meridies* pro *Medidies*, *Auricula* pro *Audicula*. G.)

Auctor ſemper olim ſcribebant veteres, & recte quidem, quia ab *augendo* dicitur. Vnde ſpuria ſunt illa *author* vel *autor*, quae recentioribus ſunt in deliciis, quamuis poſterius paullo ſit tolerabilius, & forma *artus* pro *arctus* defendi quodammodo poſſit. Vide *Henr. Noriſium* in *Cenotophia Piſana*.

Caelebs antiquum & genuinum eſt, pro quo male hodie ſcribunt *coelebs*. Attamen & hoc in marmore eſt apud *Gruter. pag.* IↃ LXXVI.

Caerimonia, non autem *ceremonia*, ſcribunt veteres. Neque aliam ſcribendi rationem fert vocis origo, tradita a *Valerio Maximo Hiſtor. I, 1.*

Camara ſcribendum eſſe, non *camera*, docuit V. Cl. *Petrus Burmannus ad Petron. p. 112.*

Comiſſari ſcribendum eſſe, non *commeſſari*, vel deriuatio docet. Eſt enim a Graeco κῶμος. Vide *Feſtum* voce *comiſſatio*.

Femina, pro quo vulgo *foemina* ſcribitur, ſed falſo. Eſt enim a femine dictum. Id vero ſine diphthongo ſcribi, ex *Feſto* diſcimus. In lapidibus ſane fere ſemper ſcribitur *Femina*. Vide *Gruteri Inſcript. p.* CCCLIX. & CCCLXXX.

Increbeſco veteres codices habent. Vnde perperam vulgo ſcribunt *increbreſco*. Accedit analogia. Quemadmodum

dum enim a *ruber* fit *rubeſco*, ab *acer aceſco*, (Certius eſt a *macer maceſco*. G.) ita a *creber crebeſco*. Exceptio tamen eſt in *niger*, a quo fit *nigreſco*.

In dies, in primis, in poſterum diuiſim ſcribunt veteres. Perperam recentiores conjunctim *indies, inprimis, inpoſterum*. Multo minus ferenda illa *imprimis, impoſterum*. Vere enim haec ſunt duo vocabula.

Lacrima fere ſemper praeferunt vetera monimenta. Y in hac voce non temere reperies. Non raro tamen veteres ſcribunt *lacruma*. Et ſane quum procul dubio haec vox a Graeco δάκρυον deſcendat, non multum referre videtur, vtram adhibeas litteram, modo conſtanter eamdem ſcribendi rationem teneas. Vide *Oberti Giſanii Praefat. in Lucretium*.

Lapicidina ſcribendum eſſe, non *lapidicina*, cum Etymologia docet apud *Varronem de lingua Latina VII*, 33. tum marmor apud *Gruterum pag*. IↃXCIII, 8.

Littera cum duplici *t* ſemper habent libri veteres, & lapides apud *Aldum Manutium Orthogr. p*. 8. & *Sponium Miſcellan. Erud. Antiquit. p*. XXXVI.

Litus contra ſimplici *t* ſemper exaratur in marmoribus & codicibus. *Cellarii Orthogr. p*. 104.

Maeniana, non *moeniana*. Vide *Aſconium ad Ciceronis Diuinationem, c*. 16.

Obſcenus ſecunda vocali ſcribendum eſſe vel inde patet, quod a Graeco σκηνὴ deſcendit, *Varro de lingua Latina VI*, 5. Vnde male vulgare *obſcoenus* per *oe* tuetur *Scaliger de cauſſis Lat. linguae I*, 34.

Paene per *ae* habent libri veteres & marmor apud *Gruterum p*. IↃCLV. Vnde recentiori ſcribarum conſuetudini debetur *pene*. Solebant enim hi medio aeuo diphthongum illam vel ſimplici *e*, vel certe *e* caudato (ę) exprimere. Videatur *Conringius Cenſur. Diplom. Lindau. p*. 516. *Mabillonius de Re Diplomat*. II, 1, 11. *p*. 58.

Patricius cum *c*, non cum *t*, ſcribendum. Sane ita conſtanter legitur in marmoribus & Graecis ſcriptoribus, quibus ſemper placet forma πατρίκιος. (Eadem ratio *Tribunicu* & ſimilium. G.)

Poſtumus frequenter legitur in numis & marmoribus; rariſſime *poſthumus*. Adſpirationem quoque ex hac voce excludi, iam dudum iuſſit *Eutyches Grammat. p*. 2311. & recte. Eſt enim ſuperlatiuus a comparatiuo *poſterior*. Quod adeo verum eſt, ut id negare non poſſint & ii, a quibus *poſthumus* a *poſt* & *humatus* eſſe dicitur. Diuerſa enim eſſe vocabula exiſtimant *poſtumus*, quod idem ſit ac *poſtremus*, & *poſthumus*, quod ſit μετὰ θάνατον πατρὸς γεννηθείς. Sed ne id quidem verum eſt. Mortuo enim parente natus ideo *poſtumus* dicitur, quia eius liberorum poſtremus eſt. Vidit hoc, qui antea in alia omnia iuerat, magnus *Cuiacius Obſeruat*. III, 4.

Saeculum cum diphthongo. Ita numi & lapides. Nec primae ſyllabae quantitas permittit, vt hoc nomen cum vulgo grammaticorum a *ſenex* vel *ſequi* deriuemus.

Seorſum, non *ſeorſim*. Eſt enim a *ſe* & *vorſum*. Cellarii *Orthogr. p*. 146.

Sollemnis, non *ſolennis* aut *ſolemnis*, eſt enim a *ſollo* (i. e. ſolido) & *amni*. Vide *Cortium ad Salluſt. p*. 151.

Sollers & *Sollicitus* duplex *l* poſtulant. Vtrumque enim eſt ab oſca voce *ſollo*. Vid. *Feſtus* in voce *ſolitaurilia*, & *Cortius ad Salluſt. p*. 163. (Cum non temere geminauerint literas antiqui librarii, orthographia talium incertior eſt. G.)

Strategema, non *ſtratagema*. Henr. Stephanus *de abuſu Graecae linguae p*. 96. *edit. Roloffianae*. (Eſt enim ϛρατήγημα.)

Torus ſine adſpiratione, non, vt vulgo malunt, *thorus* cum adſpiratione. Vide *Cellarii Orthogr. p*. 152.

Triceſimus & *viceſimus*. Ita veteres libri, non *vigeſimus* & *trigeſimus*, quae merito proſcribit *Dauſquejus*. Sane vt a

viginti

viginti & *triginta* dicitur *vicies*, *tricies*, *viceni*, *triceni*, ita & merito dixeris *triceſimus* & *viceſimus*.

XII. Sed ſufficere haec arbitror de orthographia; ſimilia enim facile quiſque ſuo Marte obſeruabit. Ad ETYMOLOGIAM quod attinet, illud praecipue cauendum eſt, ne vel aliena, vel peregrina vocabulis tribuatur ſignificatio *). Id quod tamen in vulgaribus dictionariis ſit frequentius, quam quiſquam crediderit.

In etymologia alienae vocum ſignificationes cauendae.

*) Plura eiuſmodi vocabula, quibus peregrina adiingitur notio, cum cura collegit *Cellarius in Antibarbaro III*. p. 155. Ea huc transſcribere eſſet ſuperuacuum. Neque enim quiſquam nitidioris ſtili ſtudioſior carere praeclaro illo opuſculo poteſt. Addi tamen meretur *Franciſci Vauaſſoris de vi & uſu quorumdam verborum, cum ſimplicium, tum coniunctorum*, tractatus, quem cum notis vna cum ejuſdem auctoris tractatu *de ludicra dictione* recudi curauit V. Cl. *Io. Erhardus Kappius*, *Lipſiae* CIƆ IƆ CCXXII. 8. Acutiſſimus quoque in genuina vocum ſignificatione eruenda, profligandiſque notionibus ſpuriis fuit, vir incomparabilis *Io. Fridericus Gronouius*, & adhuc hodie eſt vir magnus, quem honoris cauſſa nomino, *Petrus Burmannus*, ex quorum notis & operibus ille *Cellarii* catalogus maxime poterit locupletari. (Vtiliſſimus etiam liber eſt *Cyr. Guntheri Latinitas reſtituta* & multis nominibus commendandus: editus Ienae 1700. & altero volumine auctus 1708. 12. *Io. Ienſii purae & impurae Latinitatis collectanea* recuſa Lipſ. 1728. 8. cum notis laudati modo *Kappii*. Sed nuſquam maiorem vim talium obſeruationum reperies quam in *Fabriano eruditionis ſcholaſticae theſauro*, cuius altera *Geſneri* editio prodiit Lipſiae 1735. f. Et ſi quid etiam hic deſit, iam in eo eſt, ut ſuppleatur, edendo *nouo Theſauro Linguae Latinae* ad modum & filum Stephaniani iam pene ad umbilicum perducto. G.)

XIII. Deinde illud quoque haud ſuaſerim, ut vocabula, quae ab omni analogia abhorrent, admittantur *). Recte enim dictum eſt a *Iulio Caeſare* (apud *Gell.* I, 10, & *Macrob.* I, 5. G.) *tamquam ſcopulum, ſic fugias inauditum atque inſolens verbum.*

Abſtinendum etiam a vocabulis, quibus analogia repugnat.

*) Multa eiuſmodi finxit barbara ſcholaſticorum & gloſſatorum turba, quae deinde a lexicorum ſcriptoribus veluti ciuitate donata ſunt, licet ab ipſa Latinae linguae indole plane abhorreant. Nos quaedam duntaxat exempli loco recenſebimus. Sic

E contra hodie vulgare eſt: (c. 2. §. 6.) non autem ſic olim loquebantur veteres. Neque analogia permittit, vt praepoſitio regat aduerbium. Allegant vulgo pro hoc vocabulo *Tacit. Annal. XII*. 47. ſed locum illum in mendo cubare, animaduertit *Io. Fr. Gronouius*. Veteres habent *contra*, vel *contra ea*, quod apud *Cornelium Nepotem* occurrit. Immo & *e contrario* occurrit apud *Tacit. Hiſt. I*, 27. & 88. *II*, 5. *III*, 54. Fieri poteſt, vt quum in codice aliquo legeretur per abbreuiationem *e contra*. pro *econtrario*, librarius indoctus id pro integro vocabulo acceperit.

Extrinſecus & *intrinſecus* adiectiue non minus, quam aduerbia *extrinſece* & *intrinſece* plane abſurda ſunt. Quis enim aduerbium *ſecus*, vnde haec vocabula ſunt, in adiectiuum transformet,

aut aliud inde fingat aduerbium *ſece*? Quare aduerbia ſunt *extrinſecus* & *intrinſecus*, adjectiua: *exterior*, *interior*.

Pientiſſimus veteribus auctoribus ignotum, in ſolis occurrit lapidibus apud *Gruter. Inſcript.* p. CCCCXVIII, 1. CCCCXXI, 4. CCCCLXVI, 5. CCCCLXV, 8. IↃCVI, 9. IↃCVIII, 10.

Vxoratus pro *marito* vulgus dicit, ſed contra analogiam.

Dubium eſt, an in hunc cenſum referenda ſit vox vel voces potius *in praeſentiarum*, de quibus dubitat *Cellar. Antibarb. p.* 123. & *cur. poſter. p.* 178. defendente hujus vocis analogiam V. Cl. *Iac. Perizonio* ad *Sanctii Mineru. II. p.* 117. Id certum, inſolentis formae vocabulum veteribus non ignotum fuiſſe, adeoque auctoritate ſe tueri. At aliter ſentit *Sciopp. iudic. de ſtilo hiſtor. p.* 99. vbi hanc loquutionem, tamquam lutulentam rejicit: quaſi ea non vſi eſſent ſcriptores optimi, *Cato*, *Fannius*, *Nepos*, *Tacitus*, & ex argentea aetate *Apuleius* & *Minucius Felix*. Vt analogiae non aduerſari hanc formam, oſtendat *Sanctius*, *in* genitiuo junxiſſe veteres, exiſtimat, *Perizonius* vero potius per ellipſin vocis *tempore* exponit. Sed ſcire velim, quid ſit *tempus praeſentiarum*. Fateor, me nondum intelligere loquutionis iſtius analogiam. (Legitur etiam apud *Cato.* de R. R. 144, 4. Peculiaris eſt de ea diſputatio *Godefr. Hechtii* Viteb. qua tamen a ſententia ſe dimoueri non paſſus eſt *Perizonius*. G.)

Nec peccandum in flectendis vocabulis.

XIIII. Parum quoque accurati ſunt, qui in declinatione nominum ac pronominum, verborumque conjugatione aberrant. Quum vero nemo ignoret declinationum & conjugationum paradigmata: licebit nobis quaedam tantum, quae vulgo negliguntur, obſeruare *).

*) Obſeruationes aliae criticae ſunt, quae huc non pertinent, aliae vere grammaticae, minime negligendae in elegantiore latinitate. Tales ſunt, quae ſequuntur.

I. *Ambo* & *Duo* accuſatiuum pluralem maſculinum apud meliores auctores, non *ambos* & *duos*, ſed *ambo* & *duo* formant. *Cic. epiſt. ad diuerſ. VII*, 25. *Praeter* duo nos. *epiſt. VII*, 29. duo parietes *dealbare. epiſt. ad Att. VII.* 29. *Vos* duo *delegi. epiſt. V*, 8. *Quos quidem ego* ambo *vnice diligo. Virgil. Georg. IIII*, 88.
Verum vbi ductores acie revocaveris ambo.
Et *Aeneid. XI. v.* 285.
Si duo *praeterea tales Idaea tuliſſet.*
Conferri merentur *Io. Fr. Gronou.* ad *Liu. XXXV*, 21. & *Graeuius ad Suet. Claud. XIIII.* Ita & alii aureae aetatis ſcriptores loquuntur, veluti *Salluſt. de bell. Iug. c.* 21. *qui* ambo *reges adeant.* Et c. 28. filium, & cum eo duo *familiares ad ſenatum legatos mittit.* C. 102. Duo *quam fidiſſimos ad eum mitteret. Varro de re ruſt. lib. I. c.* 18. Duo *villicos*, & *l. III. c.* 1. Duo *libros.*

II. Quoties poſt *ſi* vel *ne* ſequitur *quis* pro *aliquis*: toties ſeruanda eſt declinatio pronominis *aliquis*. Cicero *pro Archia cap.* 1. *Si qua exercitatio dicendi*: non *ſi quae exercitatio.*

III. Verbum *Revertor* apud meliores auctores, veluti *Ciceronem*, *Caeſarem*, *Liuium* praeteritum actiue format, *reuertit*, *reuerterunt*, *reuertiſſe*. *Reuerſus eſt* primi dixere *Aſconius Pedianus*, *Phaedrus* & *Valerius Maximus*. Immo & *Tacit. Annal. XII*, 21. *non ſum dimiſſus ad te*, *ſed* reuerſus. Vtraque forma verbi in vſu fuit, *reuerto* & *reuertor*, vti *diuerto* & *diuertor*, *praeuerto & praeuertor*, *quamuis forma* neutra in praeteritis; deponens in praeſenti & temporibus inde formatis ſit frequentior. Optimum tamen eſt participium

pium *reuerſus*. (*Reuerſus eſt* iam habet *Nepos* 2, 5, 2. it. *Hirtius de B. Hiſp.* 13. G.) Vide *Cellar. Antibarb.* p. 151. & *cur. poſter.* p. 167. (Optime ſibi conſulunt, qui laborem perlegendi boni Lexici, quale eſt Fabrianus Theſaurus, & nouus ille, in quo iam congerendo & exornando verſatur Geſnerus, non defugiunt. Sic enim fiet, vt nihil temere ſit obſeruatione dignum, quod illos fugiat. G.)

XV. In particulis dici non poteſt, quanta ſit linguae Latinae elegantia. Hic vero ad earum tantum ſignificationem & vſum reſpicimus *). Nec in particularum vſu.

*) Praeclarus *de particulis Latinae linguae* exſtat libellus *Hor. Turſellini* acceſſionibus haud contemnendis locupletatus a *Iac. Thomaſio* & a *Io. Conr. Schvvarzio*, *Lipſiae* cIↃ IↃ CCVIII. & cIↃ IↃ CCXVIII. 8. & cIↃ IↃ CCXXXIV. 8. Nos denuo quaedam exempli cauſſa monebimus.

I. *Communiter* non idem eſt, ac vulgo, (gemeiniglich) ſed *indiuiſim*, (gemeinſchaftlich) *Cicero pro S. Roſc. Amerin.* 37. *Iſte Roſcius omnia cum Chryſogono communiter poſſidet.*

II. *Hactenus* & *adhuc* ita differunt, vt illud de loco, hoc de tempore adhibeatur. *Cicero epiſt. ad Att.* XIII, 21. *Sed haec hactenus. Et ad diuerſ.* V, 10. *Caeſar adhuc de meis ſupplicationibus non refert.* Nep. *Miltiad.* 5. *Qua pugna nihil adhuc nobilius. Hactenus* tamen pro *adhuc* eſt apud *Tacit. Agric.* 10. *Diſpecta eſt & Thule, quam hactenus nix & hiems abdebat.* Cellar. *cur. poſt.* p. 407.

III. *Iuxta* non idem eſt ac *ſecundum*. Perperam itaque dicunt: *iuxta Homerum*, *iuxta diuinum oraculum*. Rectius dixeris, *iuxta* modo praepoſitionem, modo eſſe aduerbium, idemque notare, ac *prope*, *poſt*, *aequali modo*. Hinc dicitur: *ſepultus iuxta viam Appiam.* Nep. *Attic.* 22. *Aeſtum hiememque iuxta ferens.* Pompon. Mela I, 19. *Litteris Graecis & Latinis iuxta eruditus.* Salluſt. *Bell. Iugurt.* 95. Hinc dicitur etiam *iuxta ac*, *iuxta atque*, *iuxta cum*. Exempla collegit *Iac. Perizon.* ad *Sanct. Mineru.* I. p. 102.

IIII. *Quamuis* non promiſcue vſurpandum pro *etſi*, *tametſi*, *licet*. Eſt enim contractum ex *quantumuis*, †) atque hinc iis demum locis recte ponitur, vbi ſolui in has voces poteſt. *Virgilius Eclog.* II. v. 16.

Quamuis *ille niger*, quamuis *tu candidus eſſes*.

Id eſt, *quantumuis niger*, *quantumuis candidus*. Sanct. *Mineru.* III. p. 352.

†) Negat hoc v. c. *Petr. Burmannus ad Phaed. l.* I. *fab.* XVIII. p. 60. Et ſane dicere iam malim, compoſitam eſſe particulam ex *quam* & *vis*: *quam* autem idem eſſe ac *quantum*, vt in illis: *quam eſſem occupatus*, *quam velit ſit potens*: *Hic, quam velit, Epicurus iocetur.*

V. *Quandoque* non eſt *nonnumquam*, vt credere nos iubent vocabularia, ſed *quandocumque*. Sanct. *Mineru.* III. p. 359. Io. Fr. Gronou. *ad Liu.* I, 24. Add. Burm. *ad Petron.* p. 638. & Vauaſſor *de vi & vſu quorumdam verb.* voce *quandoque*, vbi eleganter docent, *quandoque* non modo idem eſſe, ac *quandocumque*, ſed & aliquando pro *quando*, *quoties*, *quotieſcumque*, *ſi quando*, *tunc quum* accipi: veluti in illo *Horatii de arte poet.*

- - - *& idem*
Indignor, quandoque *bonus dormitat Homerus.*

id eſt, *ſi quando dormitat.*

VI. *Quod* & *vt* quomodo differant, pauci norunt, etiam qui in vſu harum particularum non aberrant. Reſpiciendum eſt ad comma antecedens, quod quoties ſequentis cauſſa eſt, vel eſſe ſal-

tim

tim debebat, toties ponendum eſt *vt.* Sin minus: vel *quod*, vel *accuſativus cum infinitiuo.* Recte ergo dicitur apud *Plinium epiſt. I, 1. Frequenter hortatus es, vt epiſtolas, ſi quas paullo curatius ſcripſiſſem, colligerem.* Cauſſa enim, cur colligeret, debebat eſſe hortatio. Recte etiam dicitur: *tanta in me exſtant merita tua, vt ingrato mihi viuendum moriendumque videatur.* Cauſſa enim, cur ingrato moriendum ſit, eſt magnitudo meritorum. Contra ea dicendum: *ſpero, eum ſibi haud diſſimilem futurum.* Spes enim non eſt cauſſa, cur ille ſui ſimilis futurus ſit. Ex quibus ſane patet, quam falſo vulgo dicant: *ſequitur, quod.* Veteres enim ſemper hic vſurpare ſolent *Vt.* Vide *Cicer. Paradox. III. & de fato* 11.

VII. (Major etiam corruptela regnat circa vſum Conjunctionis *Quod*, vbi accuſatiuus cum infinitiuo poſtulabatur. Quid diſputatum ſit hac de re, & quid de ſingulis, quae proferuntur, exemplis ſentiam, expoſitum eſt peculiari diſputatione Fabriano theſauro a me intexta. Hic teneamus modo illud: *a*) Diſtinguenda eſſe verba *affectuum quorundam* a *verbis omnium ſenſuum, dicendi & ſignificandi.* Illa poſſunt poſt ſe *quod* habere, ſicut nimirum etiam *quia*; haec non poſſunt. *b*) Quae in contrariam ſententiam pro vſu *τῶ quod* allegantur, illa vel manifeſto corrupta, vel peruerſe accepta ſunt, vt diſputatione laudata luculenter oſtenſum eſt. *c*) Quod ſi ad omnia loca reſponderi non poſſit, & ſunt forte duo, tria, in quibus MSS. conſentiunt: innumerabilis tamen multitudo exemplorum contrariorum, vbi accuſatiuo cum infinitiuo vſi ſunt boni auctores, ſatis perſuadet, illud alterum aut corruptum eſſe, aut ab ipſo adeo auctore male poſitum. G.)

Cauenda denique falſa ſyntaxis.

XVI. Nulla in re facilius labuntur tirones, quam in SYNTAXI. Quum vero noſtrum haud ſit, regulas, quae in libellis grammaticorum omnibus habentur, repetere: ſequemur & hic inſtitutum noſtrum, & de vitioſa ſyntaxi *) animaduerſiones quaſdam ſubiiciemus.

*) Tales ſunt, quae ſequuntur, obſeruationes:

I. *Euadere* ante & poſt ſe habere nominatiuum, recte obſeruant grammatici. At multi tamen elegantius ſe dicere putant: *tu euades in virum doctum.* Notanda ergo regula: *Euadere nominatiuum perſonae, & accuſatiuum rei cum praepoſitione in poſtulat*, id eſt, ſi de perſona loquimur, nominatiuo opus eſt: ſi de re, accuſatiuo cum praepoſitione *in.* Liuius *I, 39. Iuuenis euaſit indolis regiae.* Cic. *in Bruto* 35. *T. Albucius perfectus Epicureus euaſerat.* Terent. *Adelph. III, 4. Haec licentia euadet in aliquod malum.* Nimirum *Euadere* proprie notat terminum, ad quem quid pertingit, vti recte obſeruauit *Cortius ad Salluſt. de bello Iug. c.* 14. *p.* 472. & *c.* 52. *p.* 652. Vnde non modo cum praepoſitione *in*, ſed & cum aduerbiis ad locum iungitur. *Salluſt. Iug. c.* 14. *Huccine, Micipſa pater, beneficia euaſere?* Terent. *Andr. I. 2. v. 4. Heri ſemper lenitas, verebar, quorſum euaderet.* Vbi *Donatus*: *ad quam partem erumperet. Et euadere eſt, per quamcumque difficultatem ad aliquid peruenire.*

II. Genitiuum adſciſcunt verba aeſtimandi. Sed iis perperam vulgo accenſetur verbum *Curo.* Nihili ergo eſt phraſis: *parui hoc curo*, pro qua veteres: *parum hoc curo.* Cellar. *Antibarb. p.* 234.

III. Vbi datiuum alias poſtularet conſtructio, ibi ſaepe vſus exigit praepoſitionem cum accuſatiuo vel ablatiuo,

no; & verſa vice. Hinc Latinis ignota eſt ſyntaxis *communicare cui*, pro qua dicendum: *communicare cum quo*, *vel inter quos*. CICERO *epiſt. ad diuerſ. I*, 7. & *pro P. Quinct. IIII.* (Male pro Datiuo laudatur Liu. 22, 27. *Sibi communicatum imperium.* Nam adiectum eſt, *cum eo*. Caeſ. B. Ciu. 3, 18. habent quidem libri, *quibus communicare de maximis rebus Pompeius conſueuerat.* Sed ex perpetuo vſu aureae aetatis Cellarius & Gronou. Obſ. 2, 6. legunt *quibuſcum*, cui lectioni etiam ſuffragatur Codex laudatus Dauiſio, qui habet *quibuſque*. G.)

Nec Latinum eſt *conciliare cum aliquo*, pro quo veteres ſemper dicunt *conciliare alicui*. CAES. *de bello Gall. VII.* 7. Sic & *incumbere libris* perperam dicitur, pro *ſtudere*. Veteribus enim placebat ſyntaxis: *incumbere in ſtudia*, *in curam*, *in rempublicam*, *ad laudem*, *ad reipublicae ſalutem*, *ad bellum*. Exempla collegit CELLAR. *Antibarb. p.* 337.

IIII. VT, NE, QVO, QVIN, AN numquam recipiunt futurum ſubiunctiui, ſed exigunt coniugationem periphraſticam. Caue ergo dicas, *neſcio an venerit*, pro *neſcio an venturus ſit*. (Nempe quod vulgo futurum ſubiunctiui vocant grammatici, plane ad ſubiunctiuum non pertinet; quare etiam ſub *futuri exacti* nomine indicatiuo adſcriptum eſt a GESNERO in Grammatica Cellariana Gottingae A. CIↃIↃCCXL. edita. Habet ſane ut characterem, ita notionem quoque praeteriti ſ. exacti temporis. *Cum ſcribam*, *vvenn ich ſchreiben vverde*, cum ſcripſero *vvenn ich vverde geſchrieben haben*. G.)

V. Quoties IVBEO accuſatiuo perſonae iungitur, toties exigit infinitiuum actiuum; alias paſſiuus ponendus eſt. Sic recte dico: *librum adferri iuſſit*, *ſeruulum iuſſit librum adferre*. Neque tamen σόλοικα ſed rariora tantum ſunt *iubeo tibi*, *iubeo ut*, ceu exemplis compluribus demonſtrant IAC. PERIZON. ad SANCT. *Mineru. II*, 4, 6. *p.* 125. CELLAR. *Antibarb. p.* 238. & 256. (Aureos falſo laudari, oſtendit in Fabro GESNERVS. Primi vſi ſunt TACITVS, CVRTIVS. G.)

VI. Adiectiua cum infinitiuis non temere iungenda ſunt, quia hoc Graeciſmum redolet. Plerumque enim Latini vel gerundium, vel ſupinum, vel coniunctionem *vt* cum coniunctiuo, prout res poſtulat, poſt adiectiua ſolent vſurpare. v. c. *cupidus diſcendi*, *facile ad intelligendum*, *vel intellectu*, *dignus*, *qui* (*vt*) *laudetur*, *mirabile viſu*. (Poëtae hanc rationem Graecorum elegantiae cauſſa affectant. Vid. VECHNER. *Hellenolex.* 1, 2, 21. SANCT. *Min. III*, 6. & ibi SCIOPP. & PERIZO. G.)

VII. AN in dubitatiua ſententia repetere vix conſueuiſſe CICERONEM, iam obſeruauit CELLAR. in *Antibarb. p.* 228. Semper enim elegantiores, priore loco VTRVM vel encliticum NE; poſteriore demum AN ponunt. CVRT. III, 4. *Alexandro*, *vtrum perſeueraret*, *an abiret*, *ſatis incerto*. Quod ſi tria ſunt quaeſtionis membra, primum comma NE; poſteriora AN exigunt. CIC. *pro S. Roſc.* 41. *Quaero abs te*, *iine*, *qui poſtulabant*, *indigni erant*, *qui impetrarent? an iſte non commouebat*, *pro quo poſtulabant? an res ipſa tibi iniqua videbatur?*

VIII. In conſtructionibus cum praepoſitionibus danda eſt opera, vt ne ſine veterum exemplo loquamur. Sic non optime dicitur: *verſari circa aliquam rem*; melius *verſari in aliqua re*. Ita enim ſemper loquitur CICERO *). Prius tamen placuit SENECAE *ad Marc.* 29. & SVETON. *de Gramm.* 17. Male quoque dicitur: *ita comparatum eſt cum hac re*: melius CICERO *in Lael.* 28. *Ita ratio comparata eſt vitae naturaeque noſtrae*. TERENT. *Heaut. III*, 1. *Ita comparata natura omnium hominum*. Talis etiam eſt formula: *ita ſe res habet cum hoc*, de qua CELLAR. *in Antibarb. p.* 213.

*) Aliquando *verſari* idem eſt ac

circumagi, vexari, agi. Et haec eſt elegans loquutio, quae & ipſa eamdem conſtructionem cum IN poſtulat. Ita SALLVST. *Iug. c.* 14. *Semperne in ſanguine, ferro, fuga verſabimur?* Ita & actiue *verſat nos cura*, & HORAT. *Lib. II. Epiſt. II. v.* 90.

Qui minus argutos verſat furor iſte poetas.
CORT. *ad Salluſt. p.* 473.

Fundamenta ſyntaxeos ornatae.

XVII. Praecipue hic locum inuenit ſyntaxis ORNATA, quippe quam vulgo praetermittunt grammatici. Ea vero quum partim in poſitione, partim in additione, partim in abiectione, partim denique in commutatione vocum conſiſtat: de ſingulis non obiter agemus.

De vocum poſitione an quaedam exſtent certae regulae?

XVIII. Ad poſitionem vocum quod attinet, quamquam is eſt linguae Latinae genius, vt in ea verborum ordo non tam arctis legibus adſtringatur, ac in aliis linguis: caue tamen exiſtimes, plane nullum in ea eſſe certum verborum ordinem *). Quare non perinde eſt, quo ordine colloces vocabula, ſed obſeruandae ſunt regulae quaedam, quae dici non poteſt, quantum elegantiae ſermoni Latino concilient **).

*) Mireris ergo, quo iure ſcribere potuerit IAC. LODOICVS STREBAEVS *de elect. & colloc. verb.* I, 4. *p.* 18. *In oratione nulla verbo propria ſedes eſt, nullus certus & immutabilis locus, nullus umquam fuit ſic deſtinatus ordo, vt eius mutatio deformis & inelegans eſſet.* Sane quantum ratio hunc virum doctum fugiat, vel inde patet, quod ordo verborum, in poetis facile tolerandus, in oratione ſoluta plane abſonus eſſet futurus. Ait HORATIUS *Carmin. Lib. IIII. od. XV. v.* 1. 2.

Phoebus volentem praelia me loqui
Victas & urbes increpuit, lyra.

Iam ſi quis in proſa oratione, eodem ſeruato verborum ordine, diceret: *pater volentem ſeruos filium occidere, miſeras & ancillas, caſtigauit, gladio*: quis, quaeſo, ferret ita loquentem? Ex quo ſane clariſſime patet, in Latina quoque lingua eſſe aliquem verborum ordinem, certasque adeo regulas, quae niſi obſeruentur, confuſum ac hiulcum inde naſci oporteat orationis genus. (Non potuit hoc ſibi velle STREBAEVS, plane nihil referre, quomodocunque collocentur verba. Sic enim ſua ipſius vineta caederet. Sed hoc indicauit, quod res ipſa loquitur, non eſſe certum perpetuumque vt apud Germanos v. c. Galloſque aſſignatum locum verbo, aut alteri orationis parti, non eſſe certum *conſtructionis*, quem vocant grammatici, *ordinem*. Interim toto libro tuetur, ordinem eſſe, numerum eſſe. Sed is nimirum ita fluctuat; ita liber eſt, vt intra praecepta pauca includi non poſſit. G.)

**) Vere ergo ordo & collocatio verborum in eloquentia omne fert punctum, adeo, vt quidquid orationi gratiae ineſt, pereat, ſi verborum turbes ordinem. Elegantiſſima ſunt illa CICERONIS *de orat.* I, 1. *Cogitanti mihi ſaepe numero, & memoria vetera repetenti, perbeati fuiſſe, Quincte frater, illi videri ſolent, qui in optima republica, quum & honoribus & rerum geſtarum gloria florerent, eum vitae curſum tenere potuerunt, vt vel in negotio ſine periculo, vel in otio cum dignitate eſſe poſſent.* Iam verborum tantum collocationem muta, & periodum hunc in modum refinge: *Quincte frater, ſaepe numero mihi cogitanti, & repetenti memoria vetera, illi*

perbeati

perbeati fuiſſe videri ſolent, qui quum & honoribus florerent, & rerum geſtarum gloria, eum potuerunt tenere curſum vitae, vt vel ſine periculo in negotio, vel cum dignitate eſſe poſſent in otio. Tuam fidem, lector, an priſtinae elegantiae Ciceronianae vel vola vel veſtigium ſupereſt? Nonne coquum potius aliquem aut calonem, quam Ciceronem audire tibi videris? Et tamen verba omnia Ciceronis retenta; ſolumque immutatum eſſe ordinem & collocationem verborum animaduertis. Quae quum ita ſint, quantum hac in re poſitum ſit momenti, ſatis ſuperque intelliges. (Contra ea LAZARVS BONAMICVS orationem PHILELPHI ſolo verborum ordine immutato ex ſubagreſtri & inconcinna elegantem & ſonoram reddidit. vid. VOSS. *Inſtit. Rhetor.* p. 164. G.)

XVIIII. Operae pretium itaque fuerit, potiores, quae huc pertinent, regulas paullo accuratius exponere, idoneisque illuſtrare exemplis *), ut quis ſit hac in re linguae Latinae genius, tanto facilius poſſit intelligi. Quales ſint illae regulae?

*) Multi iam inde a renatis litteris prodierunt libelli de elegantiis Latinae linguae, in quibus etiam de ordine & collocatione verborum praecipere ſolent auctores. Sed quum & hic multa parum accurate, multa perperam dicantur: nos ea, quae certa ſunt, conſectabimur.

De tranſpoſitione regulae. I. *Vocatiuus non ſtatim ab initio, ſed plerumque* †) *poſt aliquot verba, nonnunquam etiam in poſteriore periodi membro locum occupat.* NEPOS *in prooem.* I. *Non dubito, fore plerosque,* ATTICE, *qui hoc genus ſcripturae leue, ac non ſatis dignum ſummorum virorum perſonis iudicent.* CICERO *in orat.* I. *Vtrum difficilius, aut maius eſſet negare tibi ſaepius idem roganti, an efficere id, quod rogares, diu multumque,* BRVTE, *dubitaui.* Vbi vocatiuus in poſtremum denique periodi membrum eleganter reiectus eſt.

†) Attamen, ſi adfectus exprimendus ſit, vocatiuus & primum ſtatim locum recte occupat, & nonnumquam bis vel ter repetitur. TERENT. *Andr. I,* 5. *v.* 47. *o Myſis, Myſis, etiam nunc mihi ſcripta ita dicta ſunt in animo Chryſidis de Glycerio.* Vbi DONATVS: *Primum vocandi, alterum increpandi eſt.* Ego vtrumque adfectus cuiusdam eſſe exiſtimo, vti illud CICERONIS *ad Q. Fratrem: Mi frater, mi frater, mi frater.*

II. *Caſus obliqui, ſi id ſenſus orationis ferat, eleganter nominatiuo praemittuntur.* CIC. *orat.* 2. *Nec ſimulacro Iouis Olympii, aut Doryphori ſtatua deterriti, reliqui minus experti ſunt, quid efficere, aut quo progredi poſſent.* Si hic nominatiuum *reliqui deterriti* priore loco poſueris, omnis peribit periodi venuſtas.

III. *Propoſitiones incidentes Logicis vocatae,* (& quaecunque Adjectiuis declarandi vel definiendi cauſſa adiiciuntur G.) *eleganter adiectiuis & ſubſtantiuis, aut certe reliquae orationi interſeruntur.* CIC. *Catilin. III,* 1. *Profecto quoniam illum, qui hanc vrbem condidit, Romulum, ad Deos immortales beneuolentia, fama extulimus.* Hic propoſitio, *qui hanc vrbem condidit*, incidens eſt. IDEM *Catil. IIII,* 10. *Anteponatur omnibus Pompeius, cuius res geſtae atque virtutes iisdem, quibus ſolis curſus, regionibus ac terminis continentur.* Hic denuo incidens propoſitio, *quibus ſolis curſus*, non potuiſſet elegantiorem locum, quam inter adiectiuum & ſubſtantiuum occupare.

IIII. *Idem tenendum eſt de ea propoſitione, quae comparatiuos, aut verba* MALO & PRAESTAT, *ſequitur.* Haec enim eleganter comparatiuo aut certe verbo ſuo praemittitur. Sic eleganter CICERO *pro M. Marcello* 1. *Eſt vero fortunatus ille,*

ille, cuius ex ſalute non minor paene ad omnes, quam ad illum ventura ſit, laetitia peruenerit *). Muta quaeſo vocabulorum ordinem, & propoſitionem, *quam ad illum ventura ſit* poſtremo loco pone; denuo profecto videbis, totam orationem hiulcam fieri. Ita eleganter etiam dixeris *vir pace, quam bello, illuſtrior*; minus eleganter *vir illuſtrior pace, quam bello.*

*) Bis eo loquendi genere in una eademque periodo vtitur QVINCTIL. *Inſtit. orat. l. V. c. 13. Tanto eſt accuſare, quam defendere, quanto facere, quam ſanare, vulnera, facilius.*

V. *Propoſitiones conditionales nonnumquam eleganter veluti per* παρένθεσιν *reliquae orationi inſeruntur.* CORN. NEP. *Ageſil.* 5. *Namque illa multitudine, ſi ſana mens eſſet, Graeciae ſupplicium Perſas dare potuiſſe.*

VI. Eiusdem conditionis ſunt formulae: *mihi crede, pro eo, ac debui, pro tua ſapientia, qua es animi perſpicacia, qui eſt inſignis tuus in nos amor, ut tum erant tempora, cet.* Eae enim omnes quaſi per παρένθεσιν reliquae orationi inſeruntur, e. g. CIC. *epiſt. ad diverſ.* XII, 1. *Finem nullum facio*, MIHI CREDE, *Caſſi, de te & Bruto noſtro, id eſt, de tota republica, cogitandi.* Ad eumdem SVLPICIVS *epiſt.* IIII, 5. *Poſteaquam mihi renunciatum eſt de obitu Tulliae, filiae tuae, ſane quam*, PRO EO, AC DEBVI, *grauiter moleſteque tuli.* NEPOS *Attic.* 1. *Patre vſus eſt diligente, indulgente, &* VT TVM *erant tempora, diti.* Elegantes admodum ſunt hae ſimilesque parentheſes, & hinc veteribus familiariſſimae.

VII. *Coniugationum tempora ex participiis & verbo ſubſtantiuo compoſita pereleganter diuelluntur, & quaedam inter vtraque inſeruntur.* CIC. *epiſt. ad Q. Fratr.* I, 1. *Non dubitabam, quin hanc epiſtolam multi nuntii, famaque denique ipſa* ESSET *ſua celeritate* SVPERATVRA. Reſcribe ſuperatura eſſet, & multum peribit elegantiae: IDEM *de finib.* II, 16. *Nulla quaeſtio* DECRETA *a ſenatu* EST.

VIII. *Nec minor eſt orationis elegantia, ſi duo verba, quorum alterum ab altero regitur, eodem modo ſeiungantur.* CIC. *de fin.* II. 16. *Quae eſt iſta laus, quae* POSSIT *e macello* PETI? IDEM *de offic.* II, 20. *Sed quum in beneficiis collocandis aut mores* SPECTARI, *aut fortuna* SOLEAT.

VIIII. *Comparatiui & ſuperlatiui elegantiſſime periodum claudunt.* V. C. MANVT. *epiſt.* I, 20. *Solent eſſe, quae minus exſpectantur*, LAETIORA. CIC. *de nat. Deor.* I, 20. *Hunc Deum rite beatum dixerimus: veſtrum vero* LABORIOSISSIMUM.

X. *Eleganter quoque poſtremum in oratione locum occupant caſus obliqui a voce* NEMO, PLIN. *epiſt.* IIII, 30. *Ego videor habere multos amicos; ſed huius generis, cuius & tu quaeris, & res exigit, prope* NEMINEM.

XI. *Adiectiua ſubſtantiuis ſiue praeponas, ſiue poſtponas, perinde eſt.* Pronomina tamen poſſeſſiua MEVS, TVVS, SVVS, NOSTER, VESTER, ſubſtantiuis ſuis ſaepiſſime poſtponuntur. Sin addatur praepoſitio cum ſuo caſu, perinde erit, ſiue praeponas, ſiue poſtponas, dummodo praepoſitionem cum caſu ſuo inſeras inter adiectiuum & ſubſtantiuum. Sic ſemper dicunt Latini: *Amici tui, rerum ſuarum, ſententiam meam.* Aſt promiſcue dicunt: *amor erga me tuus, tuorum erga me meritorum.* Vid. CIC. *epiſt. ad diuerſ.* I, 1. (Quin has ipſas obſeruationes ſ. exceptiones parum certas eſſe, & quidquid de ordine adiectiuorum & ſubſtantiuorum diſputatur, certum eſt. Vid. QVINCTIL. IX, 4. & ibi BVRMANNVS p. 835. Vnum forte hoc praecipere auſim, videndum eſſe, vt variemus orationem, nunc praeponamus adiectiuum ſuo ſubſtantiuo, nunc poſtponamus, *Amant alterna Camenae* Romanae. G.).

XII. *Plura unius commatis pronomina ſcite coniunguntur.* V. C. *ſi* QVA TIBI NOSTRAE *cladis eſt memoria.*

XIII. In-

XIII. *Inter adiectiuum & ſubſtantiuum aliquid interponere ſolere Latinos, iam pueris notum eſt.* Prouidendum tamen, ne interpoſitio iſta ſenſum turbet, aut adfectationis aliquid redoleat. Eleganter ait NEPOS., *Alcib. 9. Quem quidem adeo ſua cepit humanitate.* At ſi dixeris: *adeo ſua quidem quem humanitate cepit*: nulla amplius erit orationis venuſtas.

XIV. Coniunctiones, SI, NISI, VT voci uni aut alteri eleganter poſtponuntur. CORN. NEP. *Milt. 1. Id ſi feciſſent.* Elegans in primis eſt NIHIL VT: *litterae tuae ita conſcriptae ſunt*, NIHIL VT *iis eſſe poſſit elegantius.* Immo generatim TVRSELIN. *de partic. Lat. orat. c. 200. §. 4. p. 146. edit. Rich. Ketelii*: VT *ſaepe elegantiae cauſſa ex primo loco recipit ſe in ſecundum, praeſertim ſi cum* VIX, NVLLVS, NEMO, TANTVM, *copuletur: vix vt, nullus ut, nemo vt, tantum vt. Exempla paſſim exſtant.* Idem obſeruat de coniunctione SI, quae pronominibus praecipue eleganter poſtponitur. *c. 168. §. 4. p. 118.*

XV. *Si aliena verba recenſentur, non vtendum eſt formulis*: ITA DIXIT, IN HAEC VERBA ERVPIT, *cet. ſed verbis* INQVIT, AIT, *quae ſemper poſt verba nonnulla ipſi inſeruntur orationi.* CORNEL. NEP. *Att. 4. Cui quum perſuadere tentaret: noli, oro te,* INQVIT *Pomponius, adverſus eos me velle ducere, cum quibus ne contra te arma ferrem, Italiam reliqui.* Et *c. 21. Hos vt veniſſe vidit, in cubitum nixus: Quantam,* INQVIT, *curam diligentiamque in valetudine mea tuenda hoc tempore adhibuerim, quum vos teſtes habeam, nihil opus eſt pluribus verbis commemorare.*

Locum id habet, ſi verba directe recenſeantur. Nam ſi oblique; omnia per accuſatiuos & infinitiuos proferuntur, ſine verbo *inquit.* TAC. *Annal. I, 4. Pars multo maxima imminentes dominos variis rumoribus differebant, trucem Agrippam, & ignominia accenſum, neque aetate, neque rerum experientia tantae moli parem. Tiberium Neronem maturae aetatis, ſpectatum bello, ſed vetere & inſita Claudiae genti ſuperbia; multaque indicia ſaeuitiae, quamquam premantur, erumpere.*

XVI. *In ordine & collocatione vocum quam maxime etiam cauenda* ὁμοιοτέλευτα, *ſeu ſimiliter cadentia, quae vix fert ſubtile Romanorum aurium iudicium.* Sic ſtatim aures offenderent haec: *non aliquo timore, ſed partim dolore.* Aſt elegantius CICERO *pro Marcello 1. Diuturni, inquit, ſilentii, quo eram his temporibus vſus, non timore aliquo, ſed partim dolore, partim verecundia finem hodiernus dies attulit.* Si ergo transponas quaedam vocabula, facile ὁμοιοτέλευτα cauebis. Sic κακοφωνία offendent, quae ſequuntur: *neque vero disiunctiſſimas terras citius potuiſſe peragrari cuiusquam* paſſibus, quam tuis curſibus. Elegantius CICERO *pro Marcell. 2. Nec vero disiunctiſſimas terras citius cuiusquam potuiſſe peragrari paſſibus, quam tuis non dicam curſibus, ſed victoriis illuſtratae ſunt.* Mireris ergo, eccleſiae patres, & maxime AVGVSTINVM, maximas in hiſce ὁμοιοτελεύτοις quaeſiuiſſe delicias.

XVII. Denique & id cauendum in ordine & collocatione verborum, *ne imprudenti tibi verſus loco proſae orationis naſcantur.* QVINCTIL. *Inſt. orat. Lib. VIIII. c. 4.* Sane nec ipſe CICERO ſibi ab hoc orationis naeuo ſatis cauere potuit. En enim hexametrum, qui illi in oratione *pro Archia 1.* obrepſit:

In quo me non inficior mediocriter eſſe
Verſatum.

Et *Libro III.* de oratore, ubi ipſe hoc vitium inceſſit, totum diſtichon imprudens inſeruit: *ac mihi quidem veteres illi maius quiddam animo*

Complexi, plus multo etiam vidiſſe videntur,
Quam quantum noſtrorum ingeniorum acies

intueri poteſt. (De verſu in proſa plu-

rimos laudat FABRIC. *Bibl. Lat.* T. 2. p. 746. ſq. G.)

Regulae de additione vocum.

XX. Haec de poſitione atque ordine vocabulorum ſufficiant. Non minor in additione vocum quarumdam ſita eſt elegantia, de qua ipſa quoque paucas eaſque perſpicuas dabimus regulas *).

*) Regulae potiores hae fere ſunt.

I. *Initio periodi ſaepe ponitur* EGO, *quod alias omitti poſſet, & tunc ei additur* VERO. CIC. *epiſt. ad diverſ. IIII, 6. Ego vero, Serui, vellem in meo grauiſſimo caſu adfuiſſes.* Immo generatim hoc indicium eſt reſponſionis, qua alterius dicta probamus. CICERO *l. VIIII. ad diverſ. epiſt. 5. Mihi vero ad Nonas bene maturum videtur fore.* IDEM *l. XVI. epiſt. 23. Tu vero confice profeſſionem, ſi potes.* TER. *Eunuch. V, 2, v. 45. Ego vero maneo.* Vbi DONATVS: *modo* VERO *conſentientis eſt aduerbium.*

II. Quoties de nobis ipſis loquimur, modeſtiae cauſſa addimus QVIDEM. PLAVT. *Epidic. I, 2. v. 8. Iam iſtoc probior es, meo quidem animo, cum in amore temperes.* (In vniuerſum vim quandam reſtringendi habet, ut CERTE, MINIMVM. G.)

III. *Superlatiuis eleganter adduntur aduerbia* QVAM, LONGE, MVLTO, *v. c. longe audaciſſimus, multo iucundiſſima, quam occultiſſime traiecto amni.* LIV. *Hiſt. XXI, 27.*

IIII. *Eleganter quoque iisdem ſuperlatiuis additur* QVISQVE. *v. c.* CIC. *pro Archia* 11. *Trahimur omnes laudis ſtudio, & optimus quisque maxime gloria ducitur.*

V. *Comparatiuis quoque non ſine elegantia addes ablatiuos* IVSTO, SOLITO, DICTO, SPE, OPINIONE. *v. c. ad rem iuſto attentior, ſolito maior, dicto citius, ſpe melior.* Exempla plura collegit CORTIVS *ad Salluſt. p.* 785. Ipſe SALLVST. *Iug. c.* 85. *Opinione aſperius eſt.* CIC. *in Bruto c.* 1. addit *omnium*: *opinione omnium maiorem cepi dolorem.* SALL. *Iug. c. 75. Commeatus ſpe amplior.* SENECA *de morte Claud. c. 16. Dicto citius.*

VI. Verbis quae *ſpem* vel *opinionem* denotant, Latini eleganter addunt FORE vel FVTVRVM ESSE, *ſequente vel* QVI, *vel* VT *cum praeſente vel imperfecto coniunctiui.* NEP. *prooem.* 1. *Non dubito, fore plerosque, Attice, qui hoc genus ſcripturae leue, & non ſatis dignum ſummorum virorum perſonis iudicent.* Eodem modo dicitur *ſpero fore, ut in gratiam tecum redeat. Numquam ratus ſum fore (futurum) ut tantae opes tam celeriter conciderent.*

VII. *Eamdem prae ſe elegantiam ferunt formulae,* ACCIDIT, FIT, FACTVM EST, FVTVRVM EST, *quae verbis additae euentum vel conſequentiam indicant.* Sufficeret ſane, ſi diceres: *putaresne, mihi vmquam verba deeſſe poſſe?* Sed elegantius CICERO: *putaresne vmquam accidere poſſe, vt mihi verba deeſſent?* Ita & NEPOS *Alcib. 3. Id quum adpararetur, priusquam claſſis exiret,* ACCIDIT, *vt vna nocte omnes Hermae deiicerentur.* Eodem exemplo dices: *quum in eo eſſet, vt oppido potiretur,* FACTVM EST, *neſcio quo caſu, ut pars muri corrueret.* Item: *niſi ſignum receptui dederis,* FVTVRVM EST *profecto, vt rem famamque perdas.*

VIII. *Quaeſtio* QVID *vel* CVR *eleganter augetur formula veteribus frequentiſſima:* QVID EST, QVOD, *v. c. quibus ſubtractis, quid eſt, quod delectare nos poſſit?*

VIIII. *Nominibus propriis obſcurae famae, contemtus cauſſa additur* QVIDAM. Sic apud NEPOT. *Pauſ. 4. eſt Argilius quidam,* Et in *Cimon.* 1. *Callias quidam.* In *Dione* 8. *Callicrates quidam*, & paullo poſt, *c.* 10. *Lyco quidam.* In *Timoleonte, c. 5. Huic quidam Lameſtius, homo petulans & ingratus, vadimonium quum vellet imponere.*

X. Con-

X. *Coniunctionibus* SI & NISI *ſaepe praemittitur* QVOD. NEP. *Eumen.* 8. *Quod ſi quis illorum veteranorum legat facta, paria horum cognoſcat.* Et in *Hannib.* I. *Quod niſi domi ciuium ſuorum inuidia debilitatus eſſet, Romanos videtur ſuperare potuiſſe.* (Hic probe notandum, QVOD illud non eſſe pleonaſticum; ſed retinere vim relatiuam, & ſignificare *qua in re*, vel *circa quod negotium.* Itaque initio totius ſententiae, & orationis adeo, poni non poteſt. G.)

XI. *Similis pleonaſmus eſt in ſequentibus*: ID QVOD, pro *quod*, VT NE pro *ne*. NEP. *Datam.* 4. *Exiſtimans, id quod accidit, facturus ſe imprudentem parua manu oppreſſurum.* CICERO *pro Ligar.* 4. *Vt Romae ne ſit.*

XII. *Emphaſeos cauſſa adiectiuis aeque ac ſubſtantiuis eleganter additur* ISQVE, v. c. *ſ...um habeo eumque vnicum.* CICERO: *Panſa, isque conſul, non erit...us det...onare.* (Non eſt adhibenda haec ratio, niſi vbi creſcit oratio, vt poſſit addi, *& praeterea, & quidem, und noch dazu.* G.)

XIII. Verbo ſaepe iungitur participium, tamquam conſequenti antecedens. NEP. *prooem.* *Quum* RELATVM *legerint.* *Relatum* eſt antecedens; *legerint* conſequens. Sufficiſſet alterutrum, ſed vtrumque iungitur elegantius. Eodem exemplo dicitur: *per manus traditum accepimus*, vel *antiquitus traditum accepimus*, vti apud QVINCTIL. *Inſt. orat. lib. V. c.* 2. Quin immo aliquando fere *συνώνυμα* iunguntur, vti apud SALLVST. *Catil. c.* I. *vtrumque per ſe indigens, alterum alterius auxilio eget.* Plura huius generis collegit CORT. *ad Salluſt. p.* 356. veluti illa CAES. *de bello ciu. lib. I. cap.* 65. *Quos ubi Afranius procul* VISOS CONSPEXIT: & LIVII *lib. II. c.* 5. *Ille eſt vir, qui nos* EXTORRES EXPVLIT *patria.*

XIIII. Interrogationibus eleganter additur: QVAESO, OBSECRO, AMABO, aut ſi ex ira procedunt, MALVM. TERENT. *Haut. I,* I. *v.* 31.

Quaeſo, quid de te tantum meruiſti?

PLAVT. *Caſin. I,* I. *v.* 3.

Quid tu, malum, me ſequere?

XXI. Quemadmodum vero additio elegantiam conciliat orationi: ita & quarumdam vocum abiectio vel omiſſio mirifice eamdem ornat. Nos, miſſis rarioribus ellipſibus, quas ſtudioſe collegerunt SANCTIVS & PERIZONIVS *), nitidiores tantum & optimas tum aphaereſes, tum ellipſes hic more noſtro recenſebimus **). Nec non de earumdem obiectione.

*) Multae apud veteres occurrunt ellipſes, quae excuſandae potius, quam laudandae videntur. Et has ſane inculcat SANCTIVS *lib. IIII. Min. c.* I. *ſeq.* Quis enim cum HORATIO diceret: *ventum erat ad Veſtae*, ſcilicet aedem? Non quidem exemplo iſta carent, nec abſtinent CICER. *ad diuerſ. lib. XIIII. epiſt.* 2. & LIVIVS *Hiſt. I,* 33. & 41. ſed haec Graeciſmo excuſari poterunt. (Quin ita frequens eſt haec ratio optimis auctoribus, vt excuſatione potius opus eſſe videatur, ſi ea non vtaris. Vid. v. g. viri docti ad Cic. Philipp. I, 7. Monuit hoc iam Cl. HEVSINGERVS ad VECHNERI *Hellenolex. p.* 126. G.)

**) Potiores de vocum ſyllabarumque defectu regulae hae fere ſunt.

I. ALIQVIS, ALIQVANDO, ALICVBI, *priores ſyllabas* ALI *ſaepe amittunt poſt coniunctiones* SI, NE, NISI, QVVM, NVM, QVO, QVANTO. CIC. *pro Arch.* I. SI QVID *in me eſt ingenii*, PLIN. *epiſt. I,* 10. SI QVANDO *vrbs noſtra liberalibus ſtudiis floruit, nunc maxime floret.* CICER. *epiſt. ad diuerſ. X,* 14. *Epiſtolas decerpito*, NE QVANDO *quid emanet.* Similis

milia ſunt: SICVBI *hoſtis futurus eſt.* QVO QVIS *doctior eſt.* QVANTO QVIS *ditior eſt.*

II. Totum pronomen ALIQVIS abiicitur, ſi ſequatur relatiuum, QVI. SALLVST. *Catil. c.* 22. *Fuere ea tempeſtate, qui dicerent.* Sic eleganter dixeris: *eſt, quod te velim. Eſt, de quo tecum confabuler.*

III. *Frequenter etiam omittuntur ſubſtantiua,* LOCVS, TEMPVS, OCCASIO, *v. c. non eſt, vbi pedem ponat. Erat, quando ſerio iſtiusmodi agebantur.* CIC. *Catil. I,* 10. *Habes, vbi oſtentes illam praeclaram patientiam tuam.*

IIII. *Nihil quoque frequentius eſt omiſſione coniunctionum* VT, NE, *v. c. fac venias: haec curae tibi ſint, precor: caue exiſtimes: malus homo ſit, oportet.*

Fundamenta variationis grammaticae.

XXII. Denique, quum nihil ſit, CICERONE iudice, taedioſius, quam ſi ſtilus ſemper ſit idem: eae quoque regulae, quae ad mutationem variationemque grammaticam *) vel omnium propoſitionum **), vel vocum quarumdam ***), pertinent, non erunt nobis praetermittendae.

*) Variatio vel grammatica eſt, vel rhetorica. Vtramque, at non eodem modo, inculcant ERASMVS ROTEROD. *de copia verborum & rerum,* MICRAELIVS *de copia verbor.* & qui inſtar omnium eſt AVGVSTVS BVCHNERVS *de commutata ratione dicendi, Lipſ.* cIↃIↃCLXXXVIIII, 12. Nobis, quum in fundamentis grammaticis verſemur, cum variatione rhetorica nihil hic eſt negotii.

**) Variatio grammatica duorum generum eſt. *Vel* enim in vniuerſum ad omnes pertinet propoſitiones, adeo, vt quemadmodum ex una cera plures imagines, ita ex eadem ſententia plures fingi poſſint periodi. *Vel* quibusdam tantum formulis & loquutionibus eſt propria. Et ad primam quidem quod attinet, ad illam referendae ſunt regulae ſequentes:

I. *Simpliciſſima eſt variatio per phraſes, ut loquutiones ſynonymicas.* Ait TERENT. *Andr. I,* 1. *v.* 50. *ingenium eſt omnium hominum a labore procliue ad libidinem.* Hanc ſententiam per phraſes ſynonymicas ita variabis: *Ea eſt mortalium omnium indoles, vt a labore ad voluptatem ruant. Ita comparata eſt omnium hominum natura, ut labor cedat voluptatis illecebris, & quisque libidini, quam rei familiari, operam dare malit; cet.*

II. *Talis etiam eſt variatio per caſus,* cui mature adſueſieri oportet adoleſcentes, ne meras pro elegantiore ſtilo proferant enunciationes logicas. Ait NEPOS *Alcib.* 1. *In hoc* NATVRA *efficere quid poſſit, videtur experta.* In genitiuo dixeris: *In hoc,* NATVRAE *quanta vis ſit, quantaque efficacia, ſatis perſpectum eſt.* In datiuo: NATVRAE *efficere quid liceat, vel huius exemplo compertum eſt.* In accuſatiuo: *In hoc* NATVRAM, *efficere quid poſſit, experiri voluiſſe arbitror.* Denique in ablatiuo: *In hoc, quid a* NATVRA *effici poſſit, eſt intellectum.*

III. *Adiectiuum eleganter in ſubſtantiuum, & hoc in illud commutatur.* Eſto propoſitio: *Erat ſatis eloquens, liberalis, prudens iuris ciuilis aeque ac rei militaris.* Hanc ita commutat NEPOS *in Cimon.* 2. *Habebat enim ſatis eloquentiae, ſummam liberalitatem, magnam prudentiam cum iuris ciuilis, tum rei militaris.* Ita ſi propoſitio eſſet haec: *Inuidi obſtiterunt eius virtuti,* variatio poſſet peti ex NEPOT. *Hannib.* 1. *Multorum obtrectatio deuicit vnius virtutem.* Sic perinde erit, ſiue dicas: *tanta in me exſtant beneficia tua,* ſiue: *tanta eſt tuorum in me beneficiorum multitudo.* (In primis amat CICERO, & vt quisque illius

eſt

eſt ſimilior, abſtracta ponere pro concretis, *Ignoſce errori meo*, *Faueo laudi tuae*, pro *mihi erranti*, *tibi cum laudetis*, & ſexcenta talia. G.)

IIII. *Saepe nomen mutari poterit in verbum, vel contra*, maxime ſi ſuperlatiui vel comparatiui adſint. e. g. *Omnibus par, & plerisque melior.* Aſt elegantius NEPOS *Themiſt.* 1. *Anteferetur huic nemo, pauci pares putantur.*

V. *Superlatiui ſaepe in comparatiuos mutantur*, e. g. *In virtutibus aeque ac vitiis fuit excellentiſſimus.* Pro quo NEPOS *Alcib.* 1. *Nihil illo fuit excellentius, vel in vitiis, vel in virtutibus.*

Multo elegantior haec fit variatio, ſi iſtud *nihil* aliquoties κατ' ἀναφορὰν repetatur. CICERO *ad diuerſ. l. VIIII. epiſt.* 14. *Nihil eſt enim, mihi crede, virtute formoſius, nihil pulcrius, nihil amabilius.* Loco *eſt* in eadem formula eleganter nonnumquam adhibetur *excogitari poteſt, fingi poteſt*, v. c. *Nihil hoc puero excogitari poteſt venuſtius.*

VI. *Saepe etiam variatio optime procedit per participia*, quae dici non poteſt, quantum ornent orationem. Participia vero ponuntur, partim, vbi occurrit relatiuum QVI, partim, vbi in Germanica lingua ſunt particulae *nachdem, als, da, vvenn, vveil*, partim, quando duo commata per coniunctionem copulatiuam ET coniunguntur. De ſingulis dabimus regulas.

(I) Quoties occurrit pronomen, QVI, toties omiſſo illo, ponitur participium eiusdem ſignificationis & temporis, PHAEDR. *Fab. I, 15. v. 1. Malus quum ſutor, inopia deperditus, medicinam ignoto facere coepiſſet loco.* Hic *inopia deperditus* *) idem eſt, ac *qui inopia perierat.* Ita & recte dicit CICER. *Catil. II*, 1. *Catilinam, furentem audacia, ſcelus anhelantem, peſtem patriae nefarie molientem.*

*) SCHEFERVS *ad h. l.* notat, omiſſam videri particulam *&*, vel potius, legendum eſſe *inopiaque perditus*, quod poſterius & ipſe probo. At ſi vtrumque concedas, tamen quadrabit exemplum. Nam *& deperditus* vel *inopiaque perditus* idem eſt, ac *& qui inopia perierat.*

(II) Si occurrunt particulae, *als, da, nachdem, vveil*, videndum, vtrum duo adſint nominatiui, (duo certe ſubiecta orationis, quorum alterum interdum alio caſu efferri poteſt. G.) an vnicus. Si duo; prius comma mutatur in duo ablatiuos conſequentiam deſignantes, e. g. *Quum amici hortarentur, vt Graeciam in ſuam redigeret poteſtatem. Darius claſſem quingentarum nauium comparauit.* Duo hic adſunt nominatiui: *amici* & *Darius.* Hinc NEPOS *Miltiad.* 4. prius comma mutat in duo ablatiuos; *Darius autem, hortantibus amicis, vt Graeciam in ſuam redigeret poteſtatem, claſſem quingentarum nauium comparauit.* Sed abſurde diceres: *Chriſto cruci adfixo, ſanguinem effudit.* Vnicus enim hic adeſt nominatiuus. Recte vero: *Chriſto cruci adfixo, ſolis defecit lumen.* Negari equidem nequit, eſſe exempla, vbi duae orationes, hoc modo iunctae, ſunt eiusdem ſuppoſiti: e. g. PLAVTVS *in mil. glorioſo*: *Si ego, me ſciente, paterer vicino meo eam fieri iniuriam.* Qualia quam plurima collegit SANCTIVS *in Minerua lib. II. c. 7. p. 196. ſeq.* Sed haec tamquam rariora non frequentanda putauerim. (In PLAVTI l. c. *me ſciente* pertinet ad *fieri iniuriam*, atque adeo huc plane referri non debebat, vt plura apud SANCTIVM l. c. Pauca tamen ſunt, in quibus extra controuerſiam haec ratio obtinet. G.)

(III) *Si vnicus adeſt nominatiuus, prius comma itidem poteſt in participium commutari, ſed ita, ut illud in eo caſu ponatur, quem adſumit nomen vel verbum commatis poſterioris*, e. g. *Quum Chriſtus cruci adfigeretur, manus eius ſanguine ſtillabant.* Hic manus eſt ſubſtantiuum, quod quum genitiuum regat, participium neceſſario in caſu ge-

nitiuo ponitur, hoc modo: *Chriſti cruci adſixi manus ſanguine ſtillarunt. Quum hac de re cogito, mirum mihi videtur.* Hic *videtur* poſtulat *datiuum*. Ergo participium in datiuo ponendum, dicendumque: *cogitanti mihi hac de re, permirum videtur. Poſtquam eum ſatis excruciauerant, denique necarunt.* Necare poſtulat accuſatiuum, ergo dicendum: *excruciatum denique necarunt.*

(IIII) Si duo commata per & copulantur, vel prius vel poſterius in participium commutatur, omiſſo ET. e. g. NEP. *Milt.* I. *Ex his delecti Delphos deliberatum miſſi ſunt*, id eſt, *ex his quidam delecti, & Delphos deliberatum miſſi ſunt.* Eodem exemplo dixeris: *quem retractum ex itinere parens necari iuſſit.* SALLVST. *Catil.* 39. *Muneribus ornatum a ſe demiſit. Alloquutus milites, in vrbem rediit.*

VII. *Gerundia eleganter in participium in* DVS *commutantur*, e. g. NEPOS *Miltiad.* 3. *Miltiades hortatus eſt pontis cuſtodes, ne a fortuna datam occaſionem liberandae Graeciae dimitterent.* Vbi *liberandae Graeciae*, ponitur pro *liberandi Graeciam*. (Exuendus error ex Grammaticis vulgo hauriri ſolitus, quaſi ſolius futuri temporis ſit hoc Participium in DVS, cum ſit re vera ἀόριστον ſ. indefinitum. Praeſentis exemplum eſt CIC. de fi. I. c. 10. *Qui ſtudioſe antiqua* perſequeris *claris & fortibus viris* commemorandis, *eorumque factis* laudandis, *i. dum commemoras, laudas.* Praeteriti Liu. X, 11. *Neque illos Conſul* vaſtandis *agris* vrendisque *tectis ad certamen elicere* potuit, *i. dum vaſtauit, dum vſſit.* G.)

***) Sed haec de variatione generali. Sunt praeterea variationes quaedam, quae ad has vel illas formulas pertinent, e quibus paucas veluti exempli cauſſa delibabimus.

I. Initio huc pertinent variae deſcriptiones ſuperlatiui, quales ſunt quae ſequuntur. CICER. *epiſtol. VI.* 9. *Cum A. Caecina mihi tanta familiaritas conſuetudoque ſemper fuit, ut nulla maior eſſe poſſit.* NEP. *Miltiad.* 1. *Et antiquitate generis, & gloria maiorum, & ſua modeſtia vnus omnium maxime floruit.* IDEM *Timoleon.* 1. *Namque huic vni contigit, quod neſcio, an vlli, vt cet.* Item: *ſic rogo, vt qui maxime & ſumma contentione ſolent.* TERENT. *Andr. act. I,* 1. *Adoleſcentula forma & vultu, Soſia, adeo modeſto, adeo venuſto, ut nihil ſupra.* TAC. *Germ.* 9. *Auſpicia ſorteſque, vt qui maxime, obſeruant.* VELLEI. PAT. II, 35. *Vir in tantum laudandus, in quantum virtus intelligi poteſt.*

II. QVO, EO, *vel* QVANTO, *ſi occurrunt, eleganter mutari poterunt ita, vt in priore commate* VT QVISQVE; *in poſteriore* ITA *ponatur*: SALLVST. *Iugurth. c.* 81. *Poſt vti quisque opulentiſſimus videatur, ita Romanis hoſtem fore*: id eſt, *quo quis erit opulentior, eo magis hoſtis Romanis videbitur.* Nec aliter CICERO *de orat. c.* 2. SENECA *de conſtant. c.* 11. CAES. *de bello ciu. lib.* 7. *c.* 2. Sed pro eo TAM & QVAM vtitur SALLVSTIVS *Iugurt. c.* 31. QVAM *quisque peſſime fecit, tam maxime tutus eſt.* Similia exempla ex LVCRETIO & VARRONE adducit CORTIVS *in notis p.* 562. vbi etiam obſeruat, GELLIVM *noct. Attic. XVIIII,* 3. iunxiſſe QVANTO & TAM MAXIME. *Qui maledicit & vituperat*, QVANTO *id acerbius facit*, TAM MAXIME *ille pro iniquo & inimico ducitur.* Sed non eſt inter elegantiſſimos ſcriptores GELLIVS, vt, quae ille ſingularia habet, imitari velis.

III. NON MODO, SED ETIAM *variis modis eleganti variatione redduntur.* Exempla id docebunt. NEPOS apud LACTANT. *Inſtit. III.* 15. TANTVM ABEST, *vt ego magiſtram eſſe putem vitae philoſophiam, beataeque vitae perfectricem*, VT *nullis magis exiſtimem opus eſſe magiſtris viuendi, quam plerisque, qui in ea diſputando verſantur*, id eſt, *non modo philoſophia non eſt magiſtra vitae, ſed ipſis etiam philoſophis magiſtris opus eſt.* CICER. pro Marcell. c. 2. *Nullius eſt*

tantum

tantum flumen ingenii, nulla dicendi aut ſcribendi vis, tantaque copia, quae NON DICAM *exornare*, SED *enarrare res tuas geſtas poſſit*, id eſt, *non modo exornare, ſed & enarrare res geſtas tuas nemo poteſt.* TACIT. *Annal. XIII.* 20. *Sed cuicumque, nedum parenti, defenſionem tribuendam*, id eſt: *non parenti modo, ſed cuicumque etiam defenſionem tribuendam.*

IIII. DICO, *ſequente* NON, *mutatur in* NEGO. CICER. *Catil. III. Negavi, me eſſe facturum.*

V. OPORTET *variis exprimitur formulis, quales* ſunt, quae ſequuntur: CICER. *Phil. XI*, 6. NON POSSVNT NON *prodige viuere, qui noſtra bona ſperant, quum effundant ſua.* FACERE NON POTVI, *quin te hortarer. Dandum tibi hanc operam* DVXI.

VI. QVIDAM *etiam exprimitur per* NESCIO QVIS. TERENT. *Adelph. IIII*, 4. *Prodit neſcio quis.*

Ita & *forte fortuna*, exprimitur NESCIO QVO CASV. NESCIO QVO PACTO. NESCIO QVO FATO MEO.

VII. *Pro* TOTVS *ſaepe occurrunt formulae*, QVAM LONGVM EST. QVANTVS QVANTVS EST. QVAM LATE PATET. V. C. *Mare, quam longum eſt. Germania quam late patet.* Eleganter CICERO *pro Marcello c.* 2. *Totum hoc, quantumcunque eſt, quod certe maximum eſt, totum eſt, inquam, tuum.* Plura hujus generis dedit V. C. PETRVS BVRMANNVS ad illa *Ouidii Amor. I*, 2. *v.* 3.

Et vacuus ſomno noctem, QVAM LONGA *peregi.*

ita enim & VIRGIL. *Aen. IIII, v.* 193.

Nunc hiemem inter ſe luxu, QVAM LONGA, *fouere.*

& *l. VIII, v.* 87.

Thybris ea fluuium, QVAM LONGA EST, *nocte tumentem Leniit.*

CAP. II.

DE FVNDAMENTIS STILI RHETORICIS.

I.

LEuiora fuerunt, quae ſuperiore capite monuimus, eaque, ſi mens non laeua fuiſſet, iam in ipſis ſcholis inferioribus diligentius imbibi oportuerat. Iam ad grauiora pergimus, id eſt, ad fundamenta RHETORICA. Quemadmodum vero ſuperiore capite non ipſam complexi ſumus grammaticam: ita & hic non vniverſam rhetoricam *), ſed ea tantum, quae ad ſtilum faciunt, trademus fundamenta. Qualia hic intelligantur fundamenta rhetorica?

*) Rhetoricam de *inuentione, diſpoſitione, eloquutione & actione* praecipere, nemo ignorat. Verum nobis cum ſola eloquutione negotium eſt: de qua operam dabimus, vt multa, quae in pleriſque rhetoricis ſcriptis fruſtra quaeſiueris, moneamus.

II. Ceterum quidquid de eloquutione praecipit rhetorica, illud omne ad quatuor potiſſimum capita videtur referendum. *Quis enim eſſet dicendi modus melior, quam vt* LATINE, *vt* CONCINNE, Quotuplicia ea ſint?

CINNE, *vt* ORNATE, *& ad id quodcumque agetur*, APTE CONGRVENTERque *dicamus* *)?

*) Verba haec ſunt CICERONIS *de orat. III*, 10. niſi quod ille, omiſſa concinnitate, *dilucidam* eſſe debere orationem, monet. (Cicero *concinnum* ſub *ornato* & *congruo* comprehendit: Auctor noſter, cum *Latine* & *ornate* nos iubet ſcribere, *plane etiam* ſcribendum eſſe, ponit. G.) Ne vero praeter rem quatuor iſta poſuiſſe fundamenta videamur, operae pretium fuerit, quadripartitae iſtius diſtributionis reddere rationem. Qui aedes elegantiores molitur, eum ſollicitum eſſe oportet de *materia* bona, ſolida, ac exquiſita. Qua comparata, nihil tamen, quod oculos hominum ferat, exſtruet, niſi accedat conformata quaedam regulis architectonicis *idea*, cuius ad exemplum fabri exſtruant aedificium. Praecipue enim ad elegantiam aedium pertinet iuſta partium omnium menſura & proportio, quae ſine idea illa vix poterit obtineri. Exſtructae vero ad hanc menſuram aedes deinde variis coloribus, tectorio opere, picturis exornantur. Enimuero ſi vel maxime haec omnia acceſſerint: non placebunt tamen aedes, niſi τὸ πρέπον fuerit obſeruatum. Alia enim aedificandi ratio in palatio principis, alia in templis, alia in priuatorum aedibus vrbanis, alia denique in praediis ruſticis locum invenit, ludibriumque merito is deberet hominibus, qui columnas Corinthiacas praedio ruſtico adaptaret. Iam eadem eſt ſtili elegantioris ratio. Materia, qua ſermo elegantior componitur, ſunt *voces* & loquutiones vere Romanae, atque inde ante omnia oſtendendum, quid ſit LATINE dicere. Sed voces illae ac loquutiones Romanae, quantumuis elegantiſſimae, parum delectabunt, niſi ad *periodorum menſuram*, veluti ad ideam architectonicam, componantur. Quod qui facit, is demum CONCINNE dicere videtur. Sed quamuis & hoc fuerit obſeruatum, tamen ne ſic quidem placebit oratio, niſi ei *ornamenta quaedam*, tamquam picturae & colores accedant. Vnde diximus, ORNATE eſſe dicendum. Denique vt non vna omnes aedes decet aedificandi ratio: ita nec omnibus ſcriptionibus idem conuenit *ſtilus*, eademque dicendi forma. Alio enim ſtilo epiſtolas, alio hiſtorias, alio orationes, alio panegyricos, alio ſatiras, alio diſſertationes conſcribi oportet. Quas ſtili formas, ſi quis recte ac decore expreſſerit, is demum APTE CONGRVENTERque dicere videtur. (Malſem comparaſſet Auctor *concinnitatem* cum *linea & perpendiculo*, ad quod exigere pleraque Architecti debent: Congruentiam autem cum eo, quod domus omnes partes cum vſu & commoditate, ornamenta autem cum fortunis & conditione domini conuenire debent. G.)

Quid ſit Latine, concinne, ornate, apte dicere?

III. LATINITAS orationi puritatem conciliat; CONCINNITAS eam in iuſtas periodos ac decoram veluti menſuram compingit: ORNATVS vt admirationi ſit; & CONGRVENTIA denique, vt ne a decoro aberret, efficit. Si vlla harum virtutum deſit, vix reprehenſionem doctorum effugiet oratio, tantum abeſt, vt vlla laude digna videatur *).

*) Non rectius hoc, quam exemplo, poterit a nobis demonſtrari. Si quis Corinthi deſcripturus excidium, ita loqueretur: *L. Mummius Corinthum crudeliter ruinauit*, quisque intelliget, hanc orationem lixis & calonibus, quam docto homine, eſſe digniorem. Neque enim LATINVM eſt *ruinauit*, atque

atque hinc ſtilo ſua *puritas deeſt.* Sed emendabimus iſtum naeuum, & ita dicemus: *L. Mummius Corinthum funditus deleuit.* Sic *Latina* quidem & pura erit oratio; verum ne ſic quidem haec verba quemquam delectabunt, quia nondum audimus periodum, ſed propoſitionem logicam. Dabimus ergo operam, vt his verbis etiam ſua conſtet CONCINNITAS, eaque proinde hac periodo concludemus: *L. Mummius Corinthum, quod Romanam maieſtatem parum reuereri videretur, mira ſeueritate euertit.* Sic omnia erunt *Latina*, iuſta quoque & *concinna* erit periodi menſura: & tamen nondum quidquam audies, quod admireris. Nondum enim vllus acceſſit ORNATVS. Age, ne hic quoque poſſit deſiderari, ita dicemus: *L. Mummius Corinthum, Graeciae oculum, quum Romanam maieſtatem parum ſuſpicere videretur, mira ſeueritate effodit.* Iam demum & *Latina & concinna & ornata* eſt oratio, adeoque non poteſt non placere. Et tamen ſi quis hac periodo in ſtilo hiſtorico vel diſſertatione didactica vteretur, is τὸ πρέπον vix videretur obſeruaſſe. Ex quo ſequitur, vt & APTE CONGRVENTERque dicendum ſit. (Verum enim vero quid *aptum* & *congruens* ſit, iudicari non poteſt, niſi ex tota compage & velut corpore orationis, totaque adeo illius circumſtantia, vt cogitemus, *Quis, quid, vbi, quando, apud quos, qua in cauſſa, qua affectione animi* etc. dicat. CICERO *Orat. c.* 21. *Eſt eloquentiae, ſicut ceterarum rerum fundamentum ſapientia. Vt enim in vita, ſic in oratione, nihil eſt difficilius, quam quid deceat videre. Huius rei ignoratione non modo in vita, ſed ſaepiſſime & in poëmatis & in oratione peccatur.* Et *de Orat. I. c. 29. Roſcius dicebat, Caput artis eſſe decere, quod tamen vnum id eſſe, quod tradi arte non poſſit.* G.)

IIII. LATINE & pure quomodo dicendum ſit, ita oſtendere conati ſunt eruditi, vt integris libris voces parum Latinas ac ſuſpectas collegerint *). Enim vero quum taedioſa ſit ea methodus: ſatius erit, regulas quasdam, quales neminem adhuc dare memini, de vocabulis ſuſpectis ſuppeditare. Quomodo vocabula pura a ſuſpectis diſcerni poſſint?

(Non eſt certior ratio, quin non eſt alia ratio diſcendi, quae ſint verba Latina, quae item non-Latina ſ. barbara, quam vt de ſingulis vel ex ipſis ſcriptoribus, vel e bono Lexico edoceamur. Oſtendemus, nullam harum, quas regulas vocat, eſſe vniverſalem, ac ne poſſe quidem a tirone applicari aut aſſumi. Cumque nemini temere contingat, vt non audiat legatue, niſi quae Latina & pura ſunt, ſupereſt, vt cum accurate ſcribendum eſt, de ſingulis, quae non certe recordetur bona eſſe, in conſilium eat cum bono Lexico. Ad cauenda tanto facilius verba minus Latina ſubſidio eſſe poſſunt libri quos laudat Auctor, & quidam alii. *Regulae* autem, h. e. obſeruationes quaedam, quibus plura exempla comprehenduntur, memoriam iuuare poſſunt: quo nomine Voſſianae de vitiis ſermonis laudari debent. G.)

*) Multi exſtant hujus generis libri. Noti ſunt GER. IO. VOSSII *de vitiis ſermonis*, IO. VORSTII *de Latinitate falſo meritoque ſuſpecta*, CHRIST. CELLARII *Antibarbarus & curae poſteriores*, & quae ea occaſione cum viris doctis Danis diſceptauit auctor celeberrimus. CAR. ANDR. DVKERI *de Latinitate veterum iureconſultorum*, DAN. GEORG. MORHOFII liber *de pura dictione*, cui notas adiecit IO. LAVR. MOSHEMIVS, atque edidit *Hanouerae* cIↃIↃCCXXV. 8. Eodem pertinent IO. KER *Obſeruationum linguae Latinae Part. II. Lond.* cIↃ IↃCCVIIII, 8. IENSII *collectanea purae & impurae Latinitatis, Lipſ.* cIↃ IↃ CCXXVIII.

CCXXVIII. 8. a V. C. KAPPIO edita, GVNTHERI *Latinitas reſtituta*, Ienae edita. Immo & ANT. SCHORI *phraſes linguae Latinae*, HADRIANI, Cardinalis de ſermone Latino, GASP. SCIOPPII *Obſeruationes linguae Latinae*, & OB. GIPHANII *Obſeruationes ſingulares in linguam Latinam*, quas vna cum aliis ejus generis opuſculis ſub titulo: *de elegantiore Latinitate comparanda ſcriptores ſelecti*, editas nouimus apud Wetſtenios. *Amſt.* cIↄIↄCCXIII. 4.

Cauendae ſunt voces hibridae.

V. Prima ergo haec eſto regula: *ab omnibus diverſarum originum vocibus tamquam ab hibridis* *), *niſi magna nos vrgeat neceſſitas* **), *eſt abſtinendum.*

(Sed nec vniuerſale eſt hoc enunciatum: & quis docebit tironem, quae ſint diverſarum originum voces? G.)

*) Vocantur *hic hibridae voces*, quae ex diverſis linguis conflatae ſunt, veluti ex Graeca & Latina, ex Graeca & Germanica, ex Latina & Germanica, cet. Sine veterum exemplo itaque dicitur MONOCVLVS. Eſt enim haec vox hibrida, conflata ex Graeco μόνος, & Latino *oculus*. Veteribus magis placet VNOCVLVS. Vid. PLAVT. *Curcul. III.* 1. GELL. *noct. Att. III.* 11. vel LVSCVS, nam & hoc non ſtrabonem notat, *einen Schielenden*, vt vulgo putant, ſed *unoculum*. CELLAR. *Antibarb. p.* 203. Aeque abſurdum eſt BIGAMVS, compoſitum quippe ex Latino *bis* & Graeco γάμος. Excuſatius HIERONYMVS *adu. Iouin. I*, 8. *&* *vlt.* dixit *digamus*, *bimaritus*. Non magis Latina ſunt ARCHIDAPIFER, ARCHIPINCERNA. Priores enim ſyllabae Graecae, poſteriores Latinae ſunt. *Voces* vero *hae ſemper Latinis auribus viſae ſunt intolerabiles*, niſi quod nonnumquam comici ioci cauſſa eiusmodi vocabula fingunt: tale eſt INANILOGVS apud PLAVT. *Pſeud. I*, 3. *v.* 264. ſi is locus ſanus eſt. (Certe ſic etiam Gronouiana. G.) *Hibrides* vel *hibridae* per metaphoram vocantur huiusmodi vocabula. Proprie enim *hibridae* ſunt genus mixtum, ex diverſis parentibus natum, veluti ex apro & ſue. PLIN. *Hiſt. nat. lib. VIII. c.* 52. Ceterum quamuis Latini ſermonis caſtitas huiusmodi vocabula vix ferat: quaedam tamen probaſſe uſum animaduertimus, eorumque recenſum dedit QVINCTIL. *lib. I. Inſt. Orat. c.* 5. Talia ſunt BICLINIVM apud PLAVT. *Bacchid. IIII*, 4. *v.* 69. *&* 102. EPITOGIVM, EPIRHEDION & quaedam alia. (Talia *Cryptoporticus*, *Poſtſcenia* etc. de quibus VOSSIVS *Rhet. III*, 2, 1. AVSO. POPMA *de vſu anti. locut.* I, 15: & ad CIC. *Attic. II*, 1. *p.* 171. ſq. Graeu. G.) At neſcio an eiusdem generis ſit ANTICATO, vti CAESAR inſcripſit librum, quem Ciceronis Catoni oppoſuit. Quum enim nomina propria Latina non aliter Graece exprimi poſſint, quam ſeruato ſono Latino: ἀντικάτων aeque Graecum vocabulum eſſe poteſt, ac ex Graeco & Latino mixtum.

**) Contingere huiusmodi quid poteſt in titulis magnorum principum, qui vix aliquando poſſunt elegantius Latiniusque reddi, vt non eorum dignitati quidquam detrahatur. Hic ſane prudentia ſuadet, vt malimus parum Latine, quam parum reuerenter loqui. Exemplo eſſe poteſt ARCHIDVCIS titulus, Auſtriacae genti proprius. Hibrida hoc eſt vocabulum, ſed quocumque modo illud reddideris, vix effugies reprehenſionem. Si *magnos duces* vocaueris, pares illos reddes magno Duci Hetruriae, ſin *ſupremos duces*, a nexu cum Romano imperio eos abſolues. *Si primos duces*, hoc quoque inſolens erit. Recte igitur atque ordine feceris, ſi *Archiducis* titulum, parum Latinum licet, retinueris. Neſcio an idem dicendum de titulo ARCHIMARSCHALLVS. Nullum enim eſt vocabulum Latinum, quod

quod *Marſchalli* notionem ſatis exprimat. Stultum eſſet, vt placeas grammaticis, principibus diſplicere velle, & hos laedere, ne Priſciani maieſtatem laeſiſſe videaris.

VI. Secunda regula haec eſto: *voces omnes, quae analogiae grammaticae repugnant, vel barbarae* *), *vel certe ſuſpectae ſunt* **). Ut & quae analogiae grammaticae repugnant.

(Sed I. ſunt multa ſolitaria, quae ad Analogiam referri nullam poſſint, & tamen recta. II. Analogiam tenere non niſi eius eſt, qui iam magnam linguae facultatem habeat. G.)

*) Hinc quilibet videt, barbaras eſſe voces, quae ſequuntur:

AEQVANIMITER. Non patitur enim analogia, vt a ſubſtantiuo animus deducatur aduerbium *animiter*. Purius ergo dixeris *aequo animo*, *aequiſſimo animo*.

AMICABILITER, eiusdem generis eſt. (Nihil hic analogiae aduerſum. Sed auctoritas deeſt nimirum. G.)

ECONTRA. Non enim praepoſitio e aduerbiis ſolet iungi. (Quin *Exinde* habet eandem formam. G.) Caſtioris Latinitatis amantes ponunt CONTRA, E CONTRARIA PARTE, E CONTRARIO, CONTRA EA. Vid. CELLAR. *Antibarb. p.* 30.

Huc etiam pertinent, quae ſupra p. 27. notauimus: EXTRINSECVS, in forma adiectiua, INTRINSECE, VXORATVS, aliaque hujus generis.

**) Sunt enim quaedam dubiae auctoritatis, & licet analogiae repugnent, tamen apud veteres occurrunt. Tale eſt illud IN PRAESENTIARVM, de quo ſupra p. 27.

VII. Sequatur regula tertia: *omnia vocabula barbarae originis* *) *in cultiore Latinitate, tamquam ſcopuli, fugienda ſunt, niſi ea iam pridem ciuitate donata eſſe conſtet* **). Nec non vocabula barbarae originis.

(Quis vero docebit tironem, quae ſint barbarae originis? quae item, abſterſa velut illa originis labe, in ſermonem Latinum recepta? Vſus ſcilicet, obſeruatio, &, quod vicem illam hodie ſubire ſolet, Lexicon. G.)

*) Quum barbari, maxime Gothi, Vandali, Langobardi, Franci, veluti ex compacto, prouincias Romani imperii inuaderent, Latinitas antiqua ſenſim ad dialectos, Italicam, (Hiſpanicam G.) & Gallicanam, deflexit. Vid. CAR. DV FRESNE *diſſert. Gloſſar. med. & infimae Latin. praemiſſ.* CELL. *diſſ. de origine linguae Italicae.* Ex quo ſequitur I. *vt omnia vocabula ex lingua Italica vel Gallica in Latinam inuecta barbara iudicentur.* Talia ſunt pleraque adiectiua in OSVS, v. c. *affectuoſus, miraculoſus, rigoroſus, ſerioſus, pompoſus, virtuoſus.* Proba tamen ſunt *vitioſus, probroſus, pretioſus, prodigioſus, cet.* Nec minus Gallicifmo atque Italiciſmo originem debent, *vacantia, ſuperioritas, ſuccurſus, ſubalternus, ſituari vel ſituatio, reuolutio, reuiſio, reſiſtentia, recompenſare, recommendare, ratificare, protectio, prioritas, partialis, neutralis, modernus, maxima,* pro regula, *liga, lubricitas, irregularis, irreconciliabilis, importantia,* pro momento vel pondere, *fortalitium, diſtrictus, correſpondere, confortare, condolentia, condeſcendere, complacentia, capitaneus, beſtialitas, aſſiſtentia, approximare, appropriare,* & quae ſunt huius generis alia, quae iamdudum e Latio proſcripſit in *Antibarbaro* ſuo CELLARIVS. (Non ſatis haec vel cum re ipſa, vel cum DVFRESNII, CELLARIIque laudatis obſeruationibus conueniunt. Ita breuiter habendum. I. Aucto ſupra modum non imperio tantum ſed & ciuitate Romana, multitudo loquentium & ſcribentium Analogiam nimis dilatauit, vt v. g. ad formam *vitioſi, probroſi, pretioſi,* etiam

virtuoſum, & *miraculoſum*, & *affectuoſum* dicerent. Haec enim profecto prius in Latinam conſuetudinem inuecta, quam in Italorum, Gallorum, Hiſpanorum, quales nunc ſunt linguas tranſirent. II. Quaedam ex origine barbara acceperunt caſum Romanum & formam, vt *Biera*, *Feodum*, *Allodium*, *Vaſallus*, *Gerada etc.* III. Nunc illud accidit quotidie, vt prioris generis vocabula ex uſu Gallice, Hiſpanice, Italice loquentium quaſi retro in linguam Latinam inferantur ob id ipſum, quod Latinae ſunt originis, Latinam formam ſiue analogiam adhuc praeferant, habeantque proinde naturam, vt ſic dicamus Latinorum, ſola auctoritate aeui illius deſtituantur, quo merito Latinam linguam viri docti concluſerunt. G.) Quum porro Germanicae linguae nihil plane cum Latina commercii ſit: multo minus *vocabula origine Germanica in elegantiore ſtilo inueniunt locum.* Talia ſunt *burgus*, *eine Burg*, *feudum*, *vaſallus*, *Geſell*, *ſcabinus*, *ein Schoepffe*, *ſcultetus*, *ein Schultze*, & huius generis alia.

**) Iam dudum enim veluti ciuitate donata ſunt vocabula quaedam Perſica, veluti GAZA, pro theſauro, PARASANGA, pro ſpatio itinerario, ACINACES, cet. item quaedam gallica, vt ESSEDVM. Haec omnia recte & ſine vitio adhibueris. Eiusdem generis vocabula Perſica ſunt SATRAPA & PARADISVS, ſed quo vix vtuntur, niſi ſcriptores Chriſtiani, quum Graecum παράδεισος etiam apud XENOPHONTEM occurrat. Gallica etiam vel Celtica potius ſunt BENNA, vehiculi genus, BRACCA, ipſum Germanicum *Broek*, SAPO, Germ. *Saepe* vel *Seiffe*, BVLGA, GESA, PEOTRITVM, RHEDA, QVINCTIL. *lib. I*, *c.* 5. Germanicam originem prodit FRAMEA, *Pfriem*, quemadmodum Britannicum dicitur COVINVS, Hiſpanicum LANCEA, Punicum MAPPA, Aegyptiacum ZYTHVS, Syriacum AMBVBAIA, de quibus ſimilibusque fuſius actum eſt a GER. IO. VOSSIO *de vit. ſerm. lib. I*, *c.* 2. 3. 4. 5.

Ex parte etiam Graeca.

VIII. Obſeruandum quarto: *vocabula Graeca, niſi veluti ciuitate donata* *), *in elegantiore oratione non eſſe adhibenda* **). Nec vſquam Latino textui voces Graecae immiſcendae ſunt, niſi vel docendi ***) vel amici cuiusdam eruditi oblectandi cauſſa ****).

(Eaedem difficultates premunt hanc obſeruationem, quae ſuperiores. Quis enim docebit id ipſum iuniores, quae ſint Graeca? quae ſint quae non ſint ciuitate donata? G.)

*) Innumera ſunt vocabula origine Graeca, quae veluti ius ciuitatis obtinuerunt: e. g. *antidotum*, *byſſus*, *ancora*, *tropaeum*, *cet.* De horum probitate non eſt, quod dubites. (Commendari hic meretur DAN. VECHNERI *Hellenolexias ſ. Paralleliſmi Graeco-Latini libri duo*, *cum acceſſionibus* luculentis & optimae frugis IO. MICH. HESINGERI, Gothae 1732. 8. Catalogus ſatis plenus ſingulorum vocabulorum e Graecis ad Latinos translatorum [praeter ea, quae immutatione quadam Latina facta ſunt] eſt ſubiectus *libro memoriali Cellariano. G.*)

**) De iis ergo hic loquimur vocabulis Graecis, quae ſequiorum temporum inuexit uſus, & quae fruſtra quaeras apud veteres. Sic ABYSSVS eccleſiaſticum eſt, pro quo veteres dicere maluerunt *profundum*, *vorago.* Pro AGON, vel AGONIZARE veteres dixerunt, *extrema*, *animam agere.* AVTOCHIRIA non modo nouum eſt, ſed & falſa ſignificatione inſignitum. Αὐτόχειρ enim Graecis non eſt, qui ſibi infert manus, ſed qui ſua manu aliquid efficit, teſte HESYCHIO. Non magis proba ſunt, BLASPHEMIA *pro exſecratione*: EREMVS *pro locis deſertis*: EXOTERICVS pro *peregrino* vel *aduentitio*, HYPO-

HYPOCRISIS pro *ſimulatione pietatis*, (*Hypocrita* enim veteribus erat artifex theatralis. Vid. SVET. *Neron. c.* 24.) MOECHARI pro *adulterium committere* : NEOTERICVS pro *recentiore* vel *iuniore* : ORPHANVS pro *pupillo* : PRAXIS pro *vſu* : ZELVS pro *aemulatione vel ſtudio.* De quibus CELL. *Antibarb. c. VI, p.* 216. *ſeq.* Satis tamen Latina, vel ciuitate potius donata ſunt MOECHVS, quo vſus TERENT. *Andr. II,* 1. *v.* 16. MOECHA, quod habet CATVLL. *Carm. XLIII.* & IVVENAL. *Sat. VI, v.* 277. Immo apud eumdem epigrammate ſpurciſſimo, quod in ISAACI VOSSII editione *p.* 317. occurrit, bis habes verbum MOECHARI. Itaque auctoritate ſeſe illud omnino tuetur, quamuis familiarius fuiſſe videatur vulgo, quam bonis ſcriptoribus.

***) Nam quum in diſciplinis ſaepe contingat, vt res quaedam Graece, quam Latine poſſit facilius explicari; nemo prohibebit, quo minus in ſcriptis didacticis Graecum ſermonem Latino miſceamus, dummodo abſit affectatio. Graeca enim ἐμφατικώτερα eſſe debent, niſi riſum mouere velis. Hinc riſum moturus PLAVTVS *Pſeudol. I,* 5. *v.* 67. Graeca, quae nihil emphaſeos habent, Latinis immiſcet:

--- SI. *Ecquam ſcis filium tibicinam meum amare?*

PS. οὐ δεῖ *negare.* SI. *Liberare quam velit?*

PS. πρέπον καὶ τοῦτο *negari.*

Ridicula ſane haec affectatio eſt, nec magis ferenda, quam ſi quis Germanice dicere velit: *Er hat ſein* pedes *zerbrochen.* Debent ergo Graeca aliquanto ἐμφατικώτερα eſſe, qualia exempla paſſim apud CICERONEM, PLINIVM, aliosque auctores idoneos occurrunt.

****) Exemplo eſſe poſſunt CICERONIS *epiſtolae ad Atticum.* Quum enim hic Ciceroni familiariſſimus eſſet, & maximopere amaret Graecas litteras, vix vllam ad eum dedit epiſtolam, quam non pluribus Graecis ſententiis, tamquam gemmis quibusdam, diſtinxerit.

VIIII. *Nec a vocabulis tantum Graecis abſtinendum eſt, verum etiam a Graeciſmis*, id eſt, phraſibus ad Graecae potius, quam Latinae linguae analogiam compoſitis *), quamuis eas nonnumquam in deliciis habuerint auctores quidam κακόζηλοι **). Vide A. BVCHNERVM *de comm. rat. dic. L. I. c.* 19. *p.* 287. *ſeqq.* Cauendi etiam Graeciſmi.

(Hanc etiam obſeruationem parum per ſe prodeſſe ſcribentibus apparet. I. Innumeros Graeciſmos cum maiori parte linguae ſuae a Graecis recepere Romani: quod pleniſſime docet laudatus paullo ante VECHNERVS. II. Unde diſcemus, quis ſit Graeciſmus? quis porro receptus in conſuetudinem Romanam? Scilicet inde, vnde reliqua: ex vſu legendi & obſeruandi, ex Lexico. G.)

*) Tales Graeciſmi minus elegantes ſunt.

I. *Si infinitiui ponantur pro coniunctiuis, gerundiis, participiis.* v. c. *inſtigauit petere* pro inſtigauit, ut peteret, HYGIN. *Fab.* CLXVI. *Ad flumen exiit, ſanguinem abluere*, pro *ſanguinem abluturus*, HYG. Fab. LXXXVIII. *idoneus facere*, pro ad faciendum. Multa huiusmodi collegit V. C. PETRVS BVRMANNVS *in not. ad Valer. Flacc. p.* 565. (Et plura optimorum ſcriptorum VECHNERVS & HEVSINGERVS *l. c.* 1, 2, 20 ſqq. G.) ſed pleraque ex poetis, quos ipſum metrum aliquando coegit ἑλληνίζειν. (Saepe ſuauitatem & decus inde petunt verſibus. G.) Quamuis ergo haec non ſint ſoloeca, minus tamen elegantia ſunt. Quis enim non mallet dicere: *cenſeo reddendum*, quam *cenſeo reddere*? quod veterum tamen auctoritate defendit IO. FRIDER. GRONOVIVS *ad Liu. l. II. c.* 5.

II. *Si conſtructiones Graecae Latinis ſub-*

ſubſtituantur. v. c. *quibus iuſſerat*, pro quos iuſſerat. TACIT. *Ann. XIII*. 40. vbi tamen adde IAC. PERIZON. *ad Sanct. Mineru. p.* 125. *Ego audita tibi putaram*, pro a te audita. CIC. ad *Attic. epiſt. XIII*, 24. *Manet hunc poena*, *latet me*, *deficit me*. Quamuis haec omnia, ſi rarius & in loco adhibeantur, non careant venuſtate. Conf. *infra num.* LXII. *not.* ****

**) Vix vllus eſt veterum auctorum, quin ſubinde Graeciſmos adhibuerit, ut exempla docent, collecta a SANCTIO *in Mineru. lib. III. c.* 12. *p. m.* 727. *ſeq.* (Add. praeter VECHNERVM, IO. CONR. SCHVVARZIVS, qui Etymologiae & Syntaxi Grammaticae ſuae peculiaria capita de Graeciſmo ſubiecit. G.) Enimuero ſunt, qui ad affectationem vsque graeciſſant, veluti TERTVLLIANVS, & e recentioribus LIPSIVS, quos nemo temere imitabitur.

Suſpecta quoque nomina colorum in *edo*.

X. Quinta regula eſto: *nomina colorum in* EDO *deſinentia tantum non omnia malae notae ſunt* *).

(Anguſta admodum regula. Damnari non plane debent RVBEDO Firmici, NIGREDO Apuleii & Martiani Capellae, ALBEDO Sulpicii Seueri, auctoritate nixa. G.)

*) Neque ergo ferenda in elegantiore Latinitate, ALBEDO, FLAVEDO, NIGREDO, pro quibus apud veteres legimus: *albitudo*, *albor*, *color albus*, *flauus*, *nigror*, *nigritudo*, *nigrities*, *cet.* Vid. CELLAR. *Antibarb. p.* 5. 36. 122.

Nec non adiectiua in *alis* vel *abilis*, aduerbia in *aliter* vel *abiliter*.

XI. Sexto notandum *ſuſpecta eſſe adiectiua pleraque in* ALIS *vel* ABILIS, *vt & aduerbia in* ALITER *vel* ABILITER *deſinentia*, *in quibus vſurpandis ideo cautos nos eſſe decet* *).

(Hac ratione nimirum nulla non forma ſuſpecta eſſe debet. Nempe quo frequentiora erant vocabula horum caſuum, tanto plura ad eam formam efficta ſunt, quae diſtinguere a ſinceris ſola poteſt auctoritas & ſingulorum obſeruatio. G.)

*) Hinc CELLARIVS laudato ſaepe libello recte proſcripſit adiectiua, *abominabilis*, *aeternaliter*, *aeternalis*, *aliqualiter*, *amicabiliter*, †) *beſtialis*, *caſualiter*, *commenſalis*, *collateralis*, *conditionaliter*, ††) *curabilis*, *filialis*, *finaliter & finalis*, *inceſſabilis*, *inceſſabiliter*, *incurabilis*, *infernalis*, *inviolabiliter*, *irreconciliabilis*, *legaliter*, *meridionalis*, *momentaliter*, *neutralis*, *oculariter*, *partialis*, *perpendiculariter*, *primordialis*, *proportionalis*, *totaliter*, *vernalis*. Proba tamen ſunt *extemporalis*, pro quo falſo dicunt *extemporaneus*, vid. SVET. *Aug. c.* 84. & PETRON. *Satyr. c.* 6. *coaequalis*, COLVMELLA, *de re ruſt.* VIII, 14. *fauorabiliter*, QVINCTIL. *Inſt. orat. lib. IIII*, *c.* 3. *irrationalis* vel, vt alii legunt, *irrationabilis* apud CELS. *praef.* 1. SENEC. *epiſt. LXXI.* QVINCTIL. *declam. VIIII.*

†) AMICABILIS multi probant auctoritate PLAVTI *Mil. glor. IIII*, 4. *v.* 8. Sed ibi meliores codices habent ADIVTABILIS. Vid. DVKER. *de Latin. ICt. p.* 340.

††) CONDITIONALITER dixit CAIVS *l.* 17. §. 3. *D. de cond. inſt.* & IVSTINIANVS §. 31. *Inſt. de legat.* Sed ſi non iuridicum; ſaltim cadentis Latinitatis hoc vocabulum eſt. Vid. DVKER. *de Lat. ICt. vet. p.* 446.

Magna quoque adhibenda eſt cautio in recipiendis huiusmodi ſubſtantiuis in VDO deſinentibus, quum nulla ſit forma, quae ſub ſpecie probatae Latinitatis magis decipere poſſit. Vide GVNTHER. *Lat. reſt.* P. I. LXXXX. p. 47.

XII. *Par-*

XII. *Parcius ſeptimo in elegantiore ſtilo adhibenda ſunt vocabula & phraſes eccleſiaſticae, ſi elegantiore ſtilo aeque commode reddi poſſint* *). Si quid tamen ejuſmodi vocibus ineſt μυϛηριῶδες, rectius feceris, ſi eas adhibeas, quam ſi mutando profanus videaris **). Quatenus retinenda vocabula eccleſiaſtica?

(Eadem de hac regula, quae de ſuperioribus dicenda. Verbo, ſingulatim diſci & comprehendi debent omnia: nullum hic compendium. G.)

*) Multa in Latinitatem vocabula inuecta ſunt a Patribus eccleſiae occidentalis, & maxime ab interprete illo ſcripturarum Latino, quem vulgatum vocari moris eſt. Ea dici ſolent *eccleſiaſtica*. Sed quum pleraque elegantius poſſint exprimi: non video, cur ſtudio barbariſmos conſectari velimus. Dabimus operam, vt quomodo pleraque (quin pauca de multis G.) exprimi poſſint, doceamus.

ABOMINATIO, *res deteſtabilis, res abominanda.*

ABSOLVERE, *criminum vinculis exſoluere.* (Iudiciale verbum, rei ipſi conueniens, quo cur non vtamur, nihil cauſſae video. G.)

APOSTATA, *religionis verae deſertor, qui patriam religionem eierauit.* (In Iuliano Imp. quaſi proprium. G.)

BAPTISMVS, *ſacrum illud lavacrum.* (Graecum nomen, eaque cauſſa tolerabile. G.)

BLASPHEMARE, *exſecrari.* (Contumelioſe in Deum loqui. G.)

CANONIZARE, *in caelitum numerum referre.* Non adeo aptum eſt CONSECRARE, quo Romani ipſam ἀποθέωσιν, quam abominari ſe profitetur Romana eccleſia, ſignificabant. (At ſi haec ratio valet, neque *ſacrificium*, neque *Pontificem maximum*, nec infinita alia, dicere licebit. Quos *conſecrabant* Gentiles, eos non ideo Conditores rerum omnium putabant, ſed ſanctos, ſed Auguſtos, venerabiles, vltra humanam ſortem aliquantum elatos, adorandos. G.)

CONSCIENTIA BONA vel MALA, *ſuo officio quid facere, ſalua fide quid poſſe, religione impediri, religio eſt.* Vid. CIC. *pro S. Roſc. Amer. c.* 1. & 34. & *ad diuerſ. lib. VIIII. epiſt.* 12. Multo minus ergo apud veteres reperias *ſcrupulus conſcientiae*, pro quo dicere ſolent *religio me inceſſit.* TER. *Andr. IIII*, 3. *v.* 15. Frequentes quoque veteribus ſunt formulae *conſcientia factorum, recti, bene actae vitae, ſceleris cet.* Vid. CELLAR. *Antibarb. IIII. p.* 236. CORT. *ad Salluſt. p.* 36.

CONTRITIO, *admiſſorum criminum dolore excruciari.* (*Sed Theologi coguntur interdum Contritionem & Attritionem diſtinguere.* G.)

CREATVRA, *res creata.* Eleganter quoque LACTANTIVS creaturam vocat *opificium Dei.*

CRVCIFIGERE, pro quo ſemper veteres habent *cruci affigere, ſuffigere, in crucem agere, tollere.* Vid. GRAEVIVS ad SVETON. *Domitian. c.* 10. CELLAR. *Antibarb. p.* 106.

CRVX, *piorum calamitas.*

DAMNARE, DAMNATIO, DAMNATI, *aeternis ſuppliciis mactare.* CIC. *Catilin.* I, 13. *ſempiternis cruciatibus addicere, mancipare.*

EXCOMMVNICARE, *ſacrorum uſu prohibere, interdicere ſacrorum commercio, eiicere eccleſia, diris deuouere.*

EXAVDIRE PRECES, *audire preces, annuere precibus, vota rata habere.*

ELEEMOSYNA, *ſtipem conferre in egenos.*

ETHNICVS, *paganus, profano cultui deditus, Deorum cultor.* *Pagani* appellatio Theodoſiano demum ſaeculo a re ipſa originem habuit. Ego neque *Ethnicum* neque *Gentilem* refugerim, cum ea non minus, quam olim *Barbari* appellatio, vim propriorum habeant. G.)

FESTVM, hoc ſubſtantiuo praeter ſcri-

ptores eccleſiaſticos etiam poetae utuntur : aſt proſaici ſcriptores dicere malunt *feſti dies* vel *feſtus dies*. Vid. CIC. *Phil. II*, 25. LIV. *Hiſt. XXXX*, 14. CVRT. *VIII*, 5. FLOR. *III*, 18.

FORNICARI ſcriptoribus eccleſiaſticis eſt *ſcortari*, ſed Latinis veteribus idem, ac *fornice arcuari*. Vid. PLIN. *Hiſt. nat. XVI*, 42. *XI*, 10. VITRVV. *Architect. V*, 5. SENEC. *Epiſt. LXXXXV.*

GENTILIS, vide ETHNICVS.

HVMILIS, HVMILITAS proba ſunt, ſi denotent id, quod humi repit, vel paruum eſt. At quum ſcriptores eccleſiaſtici humiles vocant, qui abiectius de ſe ſentiunt, rectius ſubſtitueres voces *modeſtus* vel *modeſtia*. CELLAR. *Antibarb.* p. 166.

IEIVNARE, *cibo ſe abſtinere*. NEP. *Attic.* 22.

IMPOENITENS, *improbus*, *impius*, *qui nullo peccatorum ſenſu tangitur.*

IMPLERE LEGEM, CIC. *epiſt. ad diverſ. II*, 17. HORAT. *epiſt. I*, 16. *parere legi*, *ſatisfacere legi*, *officii ſui partes implere.*

LONGANIMITAS, *ira lenta*, *lento gradu ad vindictam procedere*, *in vlciſcendo tardior*, *remiſſior*. CICERO *poſt redit. ad ſenat. c.* 9. VAL. MAX. *I*, 1.

MONIALIS, *ſacra virgo.*

MINISTERIVM, *ordo ſacer.*

MVNDVS eccleſiaſtico ſtilo modo pro *impiorum colluvie*, modo pro *rebus humanis* ponitur. (*Vita*, *ſaeculum*, hoc intellectu veteres. G.)

OPERA BONA, *ſanctae actiones*, *ſanctimonia*, *pietatis ſtudium.*

PROPHETARE, *vaticinari*, *praedicere.*

PROXIMVS, *der Naechſte*, *der Neben-Menſch*, eccleſiaſticum eſt. Latinius dicitur *alius*, *alter*, *homo hominem*, *cet.*

POENITENTIA, *die Reue*, probatum eſt aſt ſi notet *die Bekehrung*, *Buſſe*, μετάνοιαν; Latinius dices, *emendatio vitae*, *redire ad meliorem mentem*, *ad frugem redire*. RESIPISCENTIA vero plane non latinum eſt. (Quin ſic μετάνοιαν vertit LACTANTIVS *6*, 24, *6. G.*)

PECCATA REMITTERE, *ignoſcere*, *veniam dare*, *gratiam delictorum facere*, *remittere* abſolute. Vid. LIV. XXXIIII, 32.

SALVIFICO, *ſeruo*, *ſaluo*, *ſaluum reddo*, *ad ſempiternam beatitudinem perduco.*

SCANDALVM, SCANDALIZO, *impedimentum pietatis*, *irritamentum malorum*, *corrumpere quem*, *peiorem reddere*, *conſcelerare alicuius aures*. LIV. *XXXX*, 8. *inceſtis vocibus temerare aures*. OVID. *Triſt. II*, *v.* 503.

SAECVLARIS Latinis eſt centeſimus annus, vel centeſimus decimus potius. HORAT. *Carm. ſaec. v.* 21.

Certus VNDENOS DECIES *per annos*
Orbis vt cantus, referatque ludos.
Ter die claro, totiesque grata
Nocte frequentes.

Conf. CENSORIN. *de die natali c.* 17. Vnde dixere *ludi ſaeculares*. Eccleſiaſticis haec vox tandem *profanum*. (Caeterum conſultiſſimum mihi videtur, vt hanc diſtinctionem ſequamur. Quoties obiter, in vita enarranda, aut in ſimili oratione, alioquin pura & polita, incidat ſacrarum rerum mentio, non abſurdum, ſed decens eſt periphraſi commoda, quaeque intelligi ab omnibus poſſit, explicare ea, quorum propria vocabula minus Latina ſunt. Sed cum in docendo verſamur, & capite quodam doctrinae coeleſtis explicando, ſeruanda ſua Eccleſiae in loquendo proprietas, vtendum nominibus & verbis quae vel vulgatus interpres vel Patres, qui vocantur, nobis tradidere; quae res, ſi alioquin bonus ſit orationis color, & ad Lactantii caeterorumque exemplum ſecutus, minime illam contaminabit. G.)

**) Caue ergo, voces e ſacris profanis petitas noſtrae religionis myſteriis & ritibus adplices. Id praecipue facere ſoliti ſunt olim BEMBVS aliique, qui ſe CICERONIANOS vocari voluerunt. Hi enim, quum religioni ſibi ducerent, vllo vti vocabulo, quod Ciceronia-

num

num non eſſet, θεάνθρωπον, *heroa*, quaſi ex ſemiſſe Deum & ex ſemiſſe hominem, baptiſmum *aquas luſtrales*, angelos *genios*, ſacram euchariſtiam *ſanctificum cruſtulum* vocare non dubitarunt. Vid. IVL. CAES. SCALIG. *Poet. VI*, p. 800. (Notabilis praeſertim locus ERASMI *Ciceroniano p.* 68. & TAVBMANNI *de Lingua Lat. p.* 38. Add. H. STEPHANVS in *Nizolio didaſcalo & Pſeudo Ciceroniano*. G.) A quo vitio nec alienus fuit caſtae Latinitatis ſcriptor SEBAST. CASTELLIO, quantumuis eum magno adparatu defendat vir doctiſſimus, CHRISTOPH. WOLLE *in diſſert. crit. de eo, quod pulcrum eſt in verſione Caſtellionis*, nouae eius editioni praemiſſa §. 8. *ſeq*. Vt enim alia omittamus, notio, qualem profani Deorum cultores vocabulo *genius* ſubiecerant, non magis quadrat *angelo*, quam notio *Iouis* Deo optimo maximo. Neque tamen ideo impietatis dicam ſcribimus CASTELLIONI, cujus verſioni, ſi quis alius, iuſtum pretium ſtatuere videmur. (Vt tanto minus metuendum ſit, ne qua labes linguae Latinae puritati a CASTELLIONIS interpretatione librorum ſanctorum inferatur, praeſtitit Cl. BVNEMANNI *Index Latinitatis ſelectae, vulgo neglectae, merito ac falſo ſuſpectae* ex CASTELLIONIS *interpretatione &c.* Lipſ. 1736. 8. G.) Vid. SAGITTAR. *de lectione & imitat. Ciceron. nu.* 24. *ſeqq. p.* 54.

XIII. Octauo *eadem cura abſtinendum eſt a vocabulis quibusdam, quae iureconſultis eſſe ſolent in deliciis*, & in vetuſtis auctoribus nullum reperiunt praeſidium *). Vt & a vocabulis iuridicis.

*) Elegantiſſimam eſſe veterum iureconſultorum tantum non omnium dictionem, lippis ac tonſoribus notum eſt. Vid. CAR. ANDR. DVKERI *opuſcula de Latinitate veterum ICtorum*. (edita Lugd. Bat. 1711. 8. KIRCHMEIERI Vitebergenſis philologi libellos hujus argumenti laudant auctores *Bibl. Hallenſ.* German. Vol. 2. p. 593. G.) Attamen & hic ſingulorum aetas diſcrimen facit. Nam ALFENVM VARVM elegantius ſcribere, quam IVLIVM PAVLLVM, nemo mirabitur. Caſtior quoque eſſe ſolet eorum, qui Romae adoleuerunt, quam peregrinae originis iureconſultorum Latinitas, veluti VLPIANI, de quo rectiſſime iudicat V. A. CORN. VAN BYNKERSHOEK *Obſeru. VIII*, 15. Fuere tamen ex ipſis peregrinis, qui maiore ſtudio in cultiorem Latinitatem incumberent; inter quos neſcio an reliquis omnibus palmam praeripuerit PAPINIANVS, de cuius Latinitate videndus EV. OTTO *in Papiniano c. 6.* (POMPONII vocabula quaedam ab aliis damnata aſſeruit illuſtris AVCTOR hujus libelli *in praefatione opuſculis iuris hiſtoricis praemiſſa*. Praef. Ed. 6.) Aſt ſequiore aeuo varia in iuriſprudentiam inuecta ſunt vocabula, quae ab antiqua Romanorum elegantia haud parum diſcrepant. (Nempe quae alias aetates vel gradus Latinitatis in univerſum ſtatuuntur, illae aetates, illi gradus ſpeciatim ad ICtorum Latinitatem applicari debent. Infantia & pueritia ſpectatur in fragmentis Legum Regiarum & XII. tabularum *&c.* Illud hic monuiſſe ſuffecerit, I. cum ICtis quorum fragmenta in Pandectis relata ſunt, de rebus ad jus pertinentibus loqui, neminem pudere debere. II. Plurima priſcae puritatis & elegantiae verba, formulas infinitas ex Pandectarum opere peti poſſe, quae nullam orationem dedeceant, eſſeque proinde inter claſſicos ſcriptores illud reponendum, certe quantum ad antiquiorum ICtorum fragmenta. III. Latinitatem Codicis tum Theodoſiani, tum Iuſtinianei, relinquendam ICtis, quoties ea carere non poſſunt: ac multo magis ea, quae Gloſſatores & Feudalium librorum auctores inuexere. Caeterum theſaurus

quidam Latinitatis ICtorum eſt BRISSONIANVM Lexicon, varie a pluribus interpolatum, cuius noua cum maxime & auctior emendatiorque editio poſt obitum auctoris ſumtibus Orphanotrophei Halenſis prodiit. – De hodierni etiam fori rationibus Latine loqui docent GVIL. BVDAEI *Forenſia*. G.) Talia ſunt, quae ſequuntur †).

†) Immo & multo plura, veluti APANAGIATVS, pro quo *privatum* dixit SALLVST. *Iugurth. c.* 5. ubi quaedam notavit CORTIVS *p.* 434. CASVS, pro quo veteres *ſpecies*: TORTVRA, pro quo veteres *tormenta*, CVRT. *Lib. IIII, c.* 10. REPLICARE, pro quo veteres: *exceptionem replicatione elidere*. Immo & *referre*, BVRM. *ad Ouid. Tom. II. p.* 89.

ADVOCARE pro *cauſſam agere*, *adeſſe reo in periculo*. Vid. GRONOV. *in Senec. de Clement. I.* 9. (Latino ſtilo *aduocat* litigator patronum vel amicos, qui ſibi in iudicio adſint, qui proinde *Aduocati* vel *Aduocatio* dicuntur etc. G.)

CAMBIVM pro *collybo*, *commutatione pecuniae*.

COMPLICES pro *ſceleris vel amentiae ſociis*, *audaciae ſatellitibus*, *atque adminiſtris*, vt vocat CIC. *Catilin.* I, 3. & 4. PRVDENTIVS tamen *in Rom. v.* 8. 22. paganos nominat *complices ſectae impiae*.

DISPENSARE pro *legibus ſoluere*.

IVRAMENTVM, pro quo ſemper apud veteres eſt *iusiurandum* vel *ſacramentum*.

CELLAR. *Antibarb. p.* 62. & *cur. poſt.* 221.

MATRICVLA pro *albo*, *indice*.

MELIORARE & DETERIORARE pro *meliorem vel deteriorem reddere*, *in melius referre*.

NOTORIVM, NOTORIE, *manifeſtum*, *manifeſte*, *apertum*, *aperte*. Vid. CASAVB. *ad* TREBEL. POLL. *Claud. c.* 17.

SALVVS CONDVCTVS, pro quo elegantius dicitur, *fidem publicam dare*, *fide publica euocare*, *interpoſita fide publica aliquo ducere*. Vid. SALLVST. *Iug. Bell.* 32. *Catilin.* c. 48. EPIT. LIV. 65.

TORTVRA, pro *tormentis* vel *quaeſtionibus*. Non tamen eſt, cur quis in iurisprudentia abſtinere velit a vocabulis veterum iureconſultorum, ſi forte illa in auctoribus claſſicis praeſidium non reperiant. e. g. *vſurpatio* pro interrupta vſucapione, *poſtulare* pro cauſſam agere, *conſtituere*, *traditio breui & longa manu*. Sunt enim haec & ſimilia Latina, ſed ICtis propria, quemadmodum multa medica habet CELSVS, multa architectonica VITRVVIVS, multa ruſtica CATO, VARRO, COLVMELLA, quae Latina eſſe nemo negabit, quamuis apud Ciceronem aliosque non legantur.

Nec non a vocabulis philoſophicis.

XIIII. Nono *omnium minime Latinitas elegantior polluenda eſt vocabulis philoſophicis*, maxime iis, quae medio aeuo reperit barbara ſcholaſticorum turba *).

*) Sunt vocabula technica iam olim ciuitate donata, quae nemo adhibere dubitauerit. Sed nec deſunt, a ſcholaſticis inuenta, qui data veluti opera barbariem ſectabantur. Non dicam iam de *haecceitatibus*, *quidditatibus*, *entalitate*, *indiuiduatione*, *quodlibeto*, *ſtoretis*, aliisque verborum monſtris. Vide PLEXIACI *Lexicon Philoſophicum*, *Hagae Comitis*, cIↄIↄCCXVI. 4. (recuſum cum Gloſſario APINI.) Sufficiat nonnulla notare, quibus facilius *adſueſcunt iuuenes*.

AEQVIPOLLERE pro *aequari*, *aequiparari*, *eiusdem ſignificationis vel notionis eſſe*.

AFFIRMATIVAE propoſitiones, quas elegantius *aientes* vocat CICERO *Topic.* 11. *Negantia*, *contraria aientibus*.

CAVSSARI veteribus fuit *cauſſam interſerere*; ſcholaſticis *produci*, *generari*.

CONTRADICTORIA vel CONTRADICTIONEM IMPLICARE dicebantur ſcholaſticis,

ſticis; quae veteribus erant *repugnantia inter ſe*, vel *non cohaerentia*.

DISCVRSVS pro *ſermone* vel *ſyllogiſmo* ſcholaſticorum ſordes redolet. Veteribus diſcurſus erat *curſus vltro citroque factus, das hin und her lauffen*. Vid. CELLAR. *Antibarb. p.* 155.

Talia etiam ſunt IMPOSSIBILE pro eo, *quod fieri non poteſt*. PRAESVPPONERE vel SVPPONERE, de quo V. C. BVRMANN. *ad Quinctil. Tom. I. p.* 205. INFERRE pro *argumentum ducere, colligere*, OPPONERE abſolute, & ſimilia fere innumera.

Non male de cultiore ſtilo meritus eſt vir doctus IS. VERBVG, cum nouae Ciceronis editioni ex NIZOLII *theſauro* indicem ſubiunxit verborum loquutionumque, quibus Cicero notiones philoſophicas pleraſque eleganter expreſſit. (Nihil autem commodius eſt ad hoc, vt de philoſophia, etiam qualis hodie docetur, Latine & pure loqui diſcamus, IO. AVG. ERNESTI *Initiis Doctrinae ſolidioris*, in quo opere hodiernorum etiam philoſophorum placita verbis Tullii & vt quiſque illi eſt proximus, expreſſit feliciter. G.)

XV. Decimo poetae quoque adeo faciles fuerunt in fingendis vocabulis *), & maxime epithetis **); vt veteres opponere ſoleant ſermoni *humano poeticum* ***). Vnde *merito a propriis eorum loquutionibus abſtinent, quotquot ſunt purioris Latinitatis amantiores.* Et poeticis.

*) Metri cauſſa multum ſibi indulſerunt *poetae*, & in his etiam comici, qui tamen non adeo ſeruierunt metro. Plures eiusmodi voces & formulas poeticas collegit CELLAR. *Antibarb. p.* 256. *ſeq.* v. c. *abſque illo eſſet*: *amare* pro *ſolere*: *cluo* vel *clueo* pro *vocor, nominor*: *caeli* pro *caelo*: *eſt* pro licet: *feſtum* pro *feſto die*: *genitor & genitrix* pro *parentibus*: *grates agere* pro *gratias agere*: *letum* pro *morte*; *natus* vel *gnatus* pro *filio*: *oblitia* pro *obliuione*: *potis* vel *pote eſt* pro *poteſt*: *ſalutari* pro *vocari*: *venit* pro *eſt* ſequente participio in MDVS. (Metri cauſſa omiſiſſe quaedam verba poſſunt poetae, vel aliter inflexiſſe, contraxiſſe, produxiſſe, vnde figurae Grammaticae adhibuiſſe metri cauſſa non videntur temere verba alioquin incognita. Sed huic rei occaſionem dedit τὸ ἐνφαντασίωτον, quaerunt verba, quibus imagines rerum animo conceptas efferant: itaque componunt varie, ſono ipſo res ſtudent exprimere, nouantur, Graeciſſant etc. Hic itaque hoc teneant tirones, Quae verba, epitheta, formulae in bono Lexico non aliam habent auctoritatem quam poetarum, illis non temere vtendum in ſoluta oratione. Quis enim alioqui dicat tironi, quae ſint propriae poetarum loquutiones? G.)

**) Epitheta decompoſita & dithyrambica poetis familiariſſima maxime deformant orationem, v. c. *flammiger*, *auricomus*, *pietaticultrix*, *incuruicerui-cum pectus*, *cet.* Vid. BVCHN. *de comm. rat. dic. Lib. I, c.* 13. *p.* 208.

***) PETRON. *Satyr. c.* 90. *Saepius* POETICE, *quam* HVMANE, *loquutus es*; vbi videndus IAN. DOVSA & addendus MORHOF. *diſſert. de* ἐνθουσιασμῷ *vel furore poetico.*

XVI. Denique quum non cum Euandri matre hodie loquamur, *merito cauendum ab archaiſmis & vocabulis obſoletis* *). Immo CICERO ipſe dicit: *abiecta & obſoleta verba abiiciat orator*: quibus tamen multos, neſcio quamobrem, mirifice delectatos video **). Ac denique obſoletis.

*) *Archaiſmi* ſunt formae dicendi ſcribendiue veteres, quae iam pridem ab vſu receſſerunt v. c. *olli* pro *illi*; *aquai* pro *aquae*: *operam abutitur ſuam*, pro *opera ſua abutitur*, apud TERENT. *prol. Andr.* Tales archaiſmi innumeri occurrunt in columna Duilliana, aliiſque lapidibus vetuſtioribus, nec non in fragmentis *XII.* Tabularum, VARRONIS, FESTI, ENNII, PACVVII, ac denique apud PLAVTUM, TERENTIVM, SALLUSTIUM, LUCRETIVM. *Sed talia obſeruanda potius, quam imitanda ſunt.* (Plurimorum Archaiſmorum Catalogum dedit IO. NIC. FVNCCIVS *de origine & pueritia linguae Latinae*, cujus editio altera auctior prodiit Marburgi CIↃIↃCCXXXV. 4. Praef. Edit. 6.)

**) Horum facile anteſignanus eſt IVSTVS LIPSIVS, qui quum iuuenis ſtilo nitido & plane ad Ciceronianam dicendi rationem compoſito vteretur, †): paullo poſt novum ſibi ipſi finxit dicendi genus, abruptum, hiſtrionicum, atque innumeris refertum archaiſmis, vt ſaepe vetere quodam grammatico, aut ſi mauis, Delio natatore opus eſſet ad ſoluenda illius aenigmata. Vid. MARES. *Epiſt.* I, 49.

†) Argumento ſunt ejus orationes octo, Ienae potiſſimum habitae, recuſae cura V. C. IO. HENR. KROMAYERI Ien. CIↃIↃCCXXVI. de quibus recte HEVMANNVS: *In his orationibus* LIPSIVS *non vtitur ſtilo Lipſiano, ſed Ciceroniano, hoc eſt, non ſcatet argutiis, non verborum alluſionibus, non ſtudet ſententioſae & antiquariae breuitati, ſed profluenti vtitur ſtilo, facili, amoeno.* (Moderate i. e. vere de Lipſio iudicant TAVBMANNVS *de Lingua Lat.* p. 42. it. p. 49. ſq. BVCHNER. Epiſt. 3. 1. p. 651. BVRMANNVS *Orat. paren. Graeuii* p. 564. Inuidiam fecere *Lipſio* ſimiae quaedam, qui infamarunt deinde ipſum, cuius ſe imitatores ferebant. Salſe illos ridet ac traducit TAVBM. *l. c.* p. 54. 56. it. p. 62. ſq. *Add.* IOS. SCALIGER *Teretiſm.* p. 104. G.)

Concinnitatem orationi conciliant periodi.

XVII. Sed ſufficere haec putamus de prima, quam commendauimus orationis virtute, id eſt, de *puritate*: proximum eſt, vt de CONCINNITATE dicamus. Hanc orationi conciliant *periodi* *). Vnde tota illa ars periodica, quam tam pauci recte norunt, paullo diligentius hic videtur inculcanda.

Vide Cel. C. G. SCHWARZII diſſ. *de Oratione concinna*, *Altorphii*, CIↃIↃCCIX. 4.

*) Vnde periodis concluſa oratio CONCINNA vel *dimenſa* dicitur, cui opponitur oratio FVSA. Graecis illa dicitur κατεστραμμένη, haec vero εἰρομένη. Vtriuſque diſcrimen luculenter exponit ARIST. *Rhetor.* *III*, 9.

Quid periodus?

XVIII. *Eſt* vero *periodus*, vt ait *Cicero* *), *oratio in quodam quaſi orbe incluſa procurrens, quoad perſiſtat in ſingulis perfectis abſolutisque ſententiis* **).

*) Ita CIC. *de Orat.* 3. Paullo aliter ARISTOTELES L. *III. Rhet. c.* 9. §. 4. Λέγω δὲ περίοδον λέξιν ἔχουσαν ἀρχὴν καὶ τελευτὴν αὐτὴν καθ' αὐτὴν καὶ μέγεθος εὐσύνοπτον. *Voco periodum, orationem habentem principium, & finem ex ſe ipſa, & conſpicuam magnitudinem.* Vtraque definitio eodem redit, vt paullo poſt adparebit. (Ratio appellationis haec eſt. *Periodus*, *ambitus, circuitus, comprehenſio, continuatio, circumſcriptio, orbis*, & ſimilia nomina hanc nobis ſimilitudinem inſinuant: Quemadmodum in circulo principium & finis connectuntur conſtructione Grammatica,

matica, vt ſentiat lector vel auditor, finem nondum adeſſe, donec ſubiiciatur illud, quod prima verba nos expectare iubent. Haec etiam atque etiam tenenda, & exemplis aliquot Ciceronis familiaria reddenda: ne cum Auctore putemus *Ambitum* in periodo idem eſſe, quod verba amplificationis cauſſa addita. Verum eſt, vix poſſe periodum dici, quae paucis tantum verbis conſtet: nec enim rotundum illud & circumductum poteſt intelligi, niſi etiam ſint quae corrotundari & circumduci poſſint: ſicut ordo locum non habet niſi inter plura. Sed natura periodi non eſt in multitudine verborum, verum in illa, quam deſcripſimus concluſione. G.)

**) Praecipuas ergo periodi leges ac potiores characteres notari oportet. Ex definitionibus enim patet, I. *omnem periodum ambitu quodam ſeu circuitu gaudere*, qui ſi abſit, ex periodo fit propoſitio logica. CIC. *epiſt. ad diverſ. II*, 14. ait: *M. Fabio, viro optimo & homine doctiſſimo, familiariſſime vtor.* Tolle ambitum, verba nimirum: *viro optimo & homine doctiſſimo*, & non periodum amplius habebis, ſed propoſitionem logicam. Deinde ex iiſdem definitionibus diſcimus, II. *periodum omnem ita procurrere debere, vt ſenſus non niſi perfecta abſolutaque ſententia percipiatur.* (Haec ταυτολογεῖν videntur. Malim, *non niſi percepta tota ſerie orationis intelligatur.* Nimirum pendere debet conſtructio ad vltima vſque verba periodi. G.) Hinc quando SALLVST. *bell. Iugurth. c.* 10. ait: *concordia paruae res creſcunt, diſcordia maximae dilabuntur*: ea quidem non eſt periodus, quia ſingula membra ſeparatim intelliguntur. Sed ſi ita diceres: *quemadmodum concordia paruae res creſcunt: ita diſcordia etiam maximae dilabuntur*: haberes periodum, cuius ſenſus non niſi perfecta abſolutaque ſententia percipitur. Ex quo porro patet, III. *fuſam fieri orationem, quae vel inciſim, vel membratim procurrit. Inciſim* loquitur e. g. CIC. *poſt redit. in ſenatu* 6. *Cum hoc homine, an cum ſtipite Aethiope, ſi in foro conſtitiſſes, nihil crederes intereſſe. Sine ſenſu, ſine ſapore, elinguem, tardum, inhumanum, neglectum, Cappadocem modo abreptum de grege venalium diceres.* Membratim idem CICERO *in Piſon.* 40. *Occultus aduentus furtiuum iter per Italiam, introitus in vrbem deſertus ab amicis, nullae ad ſenatum e prouincia litterae, nulla ex trinis aeſtiuis gratulatio, nulla triumphi mentio.* In primis huc pertinet locus CICER. *ad Q. Fratrem Lib. III. epiſt.* 9. *Pomponius abeſt: Appius miſcet: Hirrus parat: multi intercessores numerantur: populus non curat: principes nolunt: ego quieſco.* (Haec ſunt paullo proponenda diſertius. *Inciſum* ſ. *Comma* in hac Rhetorum doctrina eſt oratio intra VIII circiter ſyllabas comprehenſa: *Colon* ſ. *Membrum* ad XVII ſyllabas procurrit: ita vt *Comma* maius paullo poſſit minus *Colon* videri & vice conuerſa. Iam *Inciſim* loqui eſt ita loqui, vt ſenſus & conſtructio Grammaticae finiatur intra inciſum h. e. octo ſyllabas aut pauciores: *Membratim* loqui vel ſcribere adeo, vt finiatur intra VIII & XVII ſyllabas. Alioquin *periodus* ipſa ſuis *membris* ſ. *colis* conſtat, *membra* autem *inciſis*, in quantum nempe *colon* eſt maior pars periodi, a qua δίκωλος, τρίκωλος &c. dicitur, vt mox docebitur. Ex his de exemplis ab Auctore prolatis iudicandum eſt. G.)

XIX. Ceterum periodus vel SIMPLEX eſt vel COMPOSITA. *Simplex* eſt, quae vno conſtat membro vel colo, vnde & μονόκωλος vocatur. *). Quotuplex? Quid periodus simplex?

*) Vt periodus ſimplex poſſit a propoſitione logica diſtingui, accedere debet *ambitus* vel *circuitus* quidam, (qui non poteſt intelligi, niſi haberet etiam magnitudinem aliquam, μέγεθος εὐσύνοπτον Ariſtoteli. G.) Hinc adiici ſolet quaedam deſcriptio vel παρίσωσις, vt numeroſior perfectiorque fiat oratio. Vbi ta-

bi tamen recte monet NIC. CAVSSINVS *de eloquut. Lib. VII, c. 5. cauendum eſſe vehementer, ne iuſtae periodi explendae gratia, quo melius cadat aut voluatur oratio, inania quaedam verba inculcemus, quaſi complementa numerorum. Nihil enim frigidius eſſe, puerilius, & a vera germanaque eloquentia magis alienum, quam vbi materia non patitur, ſed res eſt preſſe & rotunde efferenda, periodorum tractu inanem diſtendere orationem.* Parum a propoſitione logica abirent illa: *hortatus es, vt epiſtolas meas colligerem.* Vt periodus inde fiat, PLIN. *epiſt. I*, 1. addit ambitum quemdam vel circuitum: *frequenter hortatus es, vt epiſtolas,* SI QVAS PAVLLO CVRATIVS SCRIPSISSEM, *colligerem publicaremque.* Propoſitio logica eſſet: *epiſtolam tuam conſcidi.* Aſt ambitu addito, hanc inde periodum formauit CICERO *epiſt. ad diuerſ. VII*, 18. *Epiſtolam tuam,* QVAM ACCEPI AB L. ARVNTIO, *conſcidi innocentem.*

Quid compoſita?

XX. *Compoſita* periodus eſt, quae conſtat pluribus *colis* *); duabus autem *partibus*, quarum alteram πρότασιν, alteram ἀπόδοσιν vocare ſolent **). Ea iterum vel *bimembris*, vel *trimembris*, vel *quadrimembris eſt.*

*) *Colon* ſiue *membrum* periodi eſt propoſitio, quae tamen (hic in periodo, ob particulam, a qua velut ſuſpenſa eſt, G.) ſenſum non abſoluit, ſed eumdem ad reliquae vſque partis ſubiectionem ſuſpenſum relinquit. v. c. apud CICERONEM *pro A. Caecin.* 1. prima orationis periodus quatuor conſtat *colis* ſiue *membris*:

Si quantum in agro locisque deſertis audacia poteſt,
tantum in foro atque iudiciis impudentia valeret:
non minus nunc in cauſſa cederet A. Caecina S. Aebutii impudentiae,
quam tum in vi facienda ceſſit audaciae.

En quatuor propoſitiones, quarum nulla per ſe & ſeorſum ſenſum abſoluit, vniverſae vero conjunctim abſoluunt periodum, quae ideo quadrimembris vel τετράκωλος vocatur.

**) A *colis* ſiue *membris* differunt *partes*, periodorum compoſitarum, quarum duae ſunt, πρότασις & ἀπόδοσις, vel, vt philoſophi vocare ſolent, ANTECEDENS & CONSEQVENS. v. c. apud CIC. *epiſt. V*, 12. hanc reperimus periodum bimembrem: *qui ſemel verecundiae fines tranſierit: eum bene & nauiter oportet eſſe impudentem.* Hic prior pars, duobus punctis notata, eſt πρότασις vel *antecedens*, poſterior, puncto notata, ἀπόδοσις ſeu *conſequens*. De his duabus periodorum compoſitarum partibus haec notamus. I. *Eas non ſemper eſſe aequales.* Saepe enim *protaſis* tribus, aut duobus colis; *apodoſis* vnico conſtat, ſaepe etiam haec illa maior atque vberior eſt. v. c. CIC. *epiſt. ad diverſ. XV*, 3.

Quum ad me legati, miſſi ab Antiocho Commageno, veniſſent in caſtra ad III. Non. Septembres,
iique mihi nuntiaſſent, regis Parthorum filium, quocum eſſet nupta regis Armeniorum ſoror, ad Euphratem cum maximis Parthorum copiis, multarumque praeterea gentium magna manu veniſſe, Euphratemque iam tum tranſire coepiſſe,
dicique Armenium regem in Cappadociam impetum eſſe facturum:
putaui, pro noſtra neceſſitudine me hoc ad te ſcribere oportere.

Quum quatuor hic ſint cola ſiue membra; tria priora, eaque ſatis prolixa ad πρότασιν pertinent; poſtremum idque breuius ἀπόδοσιν abſoluit. Aſt paullo ante *epiſt. XV*, 1. CICERO ita inchoat epiſtolam:

Etſi non dubie mihi nuntiabatur, Parthos tranſiiſſe Euphratem cum omnibus fere copiis:
tamen, quod arbitrabar, a M. Bibulo procoſ.

per-

certiora de his rebus ad vos ſcribi poſſe,
ſtatuebam mihi non neceſſe eſſe, publice
ſcribere ea, quae de alterius prouin-
cia nuntiarentur.

Hic πρότασις uno; ἀπόδοσις duobus membris conſtat. Obſeruandum II. ἀπόδοσιν *nonnunquam antecedere* πρότασιν v. c. CIC. *pro Milon.* 3.

Negant, intueri lucem, eſſe fas ei, qui a
ſe hominem occiſum eſſe, fateatur.

Hic ἀπόδοσις inuerſo ordine, priorem; πρότασις poſteriorem locum occupat. (Malim ita: Praedicatum Propoſitionis fieri πρότασιν, ἀπόδοσιν Subiectum, quod alias contra fieri amat. G.) Ad haec illud quoque obſeruari meretur, III. *alterutri parti accedere nonnumquam veluti laciniam*, quam ἐπισύναψιν vocant antiqui rhetores. v. c. CIC. *Verrin. V.*

Si poteſt iſta pecunia ſine aratorum iniu-
ria detrahi: habeat hoc populus Roma-
nus, PRAESERTIM IN TANTIS AE-
RARII ANGVSTIIS.

Etiamſi poſtrema huius periodi verba tolleres, abſoluta tamen futura eſſet & perfecta ſententia. Ergo haec accedunt, tamquam ἐπισύναψις. Denique IIII. obſeruandum, *ad finem* προτάσεως DVO PVNCTA; *ad finem totius periodi* VNICVM PVNCTVM; *ad finem reliquorum membrorum, ſi integris propoſitionibus conſtent,* COMMA; *ſin aliquid ad perfectionem propoſitionis deſit,* SEMICOLON *eſſe ponendum.* Id quod fundamentum eſt totius interpunctionis †). v. c. CIC. *pro Mil. cap.* I.

Etſi vereor, iudices, ne turpe ſit, pro for-
tiſſimo viro dicentem incipere timere,
minimeque deceat, quum T. Annius Mi-
lo ipſe magis de reip. ſalute, quam de
ſua perturbetur, me ad ejus cauſſam
parem animi magnitudinem adferre
non poſſe:
tamen haec noui judicii noua forma ter-
ret oculos,
qui, quocumque inciderint veterem con-
ſuetudinem fori, & priſtinum morem
iudiciorum minime vident.

Hic ad finem ſecundi membri *colon* ponendum; ad finem poſtremi *punctum*; reliqua membra, quia perfectas propoſitiones continent, *commatibus* notantur. Verum ſi ita diceres:

Si quantum in me amoris ac diligentiae;
tantum in te fidei prudentiaeque
fuiſſet: neuter iam noſtrum laboraret.

primum membrum exigeret *ſemicolon*, quia non continet propoſitionem perfectam: ſecundum *colon*, quia ibi finitur πρότασις: tertium *punctum*, quia eo clauditur periodus.

†) Non iam diſquiremus, antiqua ſit haec interpungendi ratio, an a grammaticis excogitata? Ex inſtituto id egit IO. CLERIC. *in arte crit. Part. III. ſect. I. c.* 10. Saltim vtiliſſimam eſſe hanc ἀκρίβειαν, res ipſa docet, & recte obſeruat ARISTOTELES *Rhet. III,* 5. ea effici, vt ſit εὐανάγνωστον τὸ γεγραμμένον, καὶ εὔφραστον, id eſt, *vt facile legi, & proferri poſſit, quod ſcriptum eſt*: immo addiderim, vt & intelligi eo facilius poſſit. Ipſe enim ARISTOTELES eo loco adducit locum HERACLITI: τοῦ λόγου τοῦδ' ἐόντος ἀεὶ ἀξύνετοι ἄνθρωποι γίγνονται, quem ideo obſcuriſſimum eſſe ait, quod ſit ῥᾴδιος διαστίξαι, *interpunctu difficilis*, nec conſtet ante ἀεὶ, an poſt illud diſtinctio ſit facienda. (Haec ratio cum antiqua non eſt, ſed aliquamdiu poſt inſtauratas literas inuenta; tum non ita communi conſenſu recepta, vt non paſſim ab ea diſcedi videas: quod apparebit, ſi quis hoc ipſum Milonianae initium inſpicere velit. Deprehendit enim nemini adhuc editorum hanc rationem, quam Auctor probat, placuiſſe. Et non diffiteor, mihi in hoc certe aliter videri, quod puto hos eſſe quaſi gradus interpungendi: I. Comma, quo ſeiungi poſſunt, quaecunque verba non proxime vnum ab altero reguntur. II. Semicolon; vbi maiorem ſeiunctionem, maius interuallum, oppoſitorum praeſertim, indicare volumus. III. Colon: ad Protaſin & Apodoſin maiorum periodorum diſiungendas. IV. Interpunctum mi-

minus, quod litera maiuſcula non ſequitur, vbi Grammatica conſtructio finitur, continuatur idem argumentum. V. Interpunctum majus, poſt quod vel litera maiuſcula, vel nouus plane verſus, nouum initium noui argumenti, vel partis maioris indicat. G.)

Periodus bimembris.

XXI. Periodus *bimembris* eſt, quae protaſi aeque ac apodoſi vnimembri abſoluitur. Eam formabis facile, ſi logicae propoſitioni vel *cauſſam* *), vel *conditionem* **), vel *contrarium* ***), vel *comparationem* ****), vel aliud quidquam huiuſmodi adieceris *****).

*) Sic enim *cauſſa* vel *aetiologia* protaſin, ipſa *propoſitio* dabit apodoſin. V. c. Eſto propoſitio logica: *mitto tibi librum promiſſum*. Si cauſſam vel rationem addideris, naſcetur inde periodus bimembris, qualis eſt apud PLIN. *epiſt. I,* 2.

Quia tardiorem aduentum tuum proſpicio;
librum, quem prioribus epiſtolis promiſeram, exhibeo.

Ita & propoſitio logica: *multas ob cauſſas Romae me eſſe opto*, addita ratione facile in hanc periodum bimembrem commutatur a CIC. *epiſt. ad diuerſ. XV,* 13.

Maxime mihi fuit optatum, Romae eſſe tecum, multas ob cauſſas:
ſed praecipue, vt & in petendo, & in gerendo conſulatu meum tibi debitum ſtudium perſpicere poſſes.

**) Addita conditione naſcetur periodus conditionalis. Talis eſt illa CICER. *epiſt. ad diuerſ. VI,* 16.

Si mihi tecum non & multae & iuſtae cauſſae amicitiae priuatim eſſent:
repeterem initia amicitiae ex parentibus noſtris.

***) Eſto propoſitio logica: *eruditionis perpetua eſt poſſeſſio*. Adde contrarium, exemplo PLIN. *epiſt. I,* 3. & eiuſmodi habebis periodum: *Reliqua rerum tuarum poſt te alium dominum ſortientur, hoc numquam tuum deſinet eſſe, ſi ſemel coeperit.* Ita & CICER. *de Orat. I,* 1.

Nam qui locus quietis & tranquillitatis pleniſſimus fore videbatur,
in eo maximae moles moleſtiarum & turbulentiſſimae tempeſtates exſtiterunt.

Ceterum hic obſeruari meretur, eas demum periodos huius generis eſſe omnium elegantiſſimas, in quibus alterius membri verba ſingula verbis ſingulis prioris coli opponuntur. Ita PLIN. *Paneg.* 4.

Ille quaeſitam domi gloriam in publico;
Hic in publico partam domi perdidit.

Eodem exemplo dicere poſſis:

Malus princeps ciues imperii ſui cauſſa natos;
Bonus imperium ciuium cauſſa inſtitutum exiſtimat.

Hic ſibi opponuntur: princeps *bonus & malus*; *imperii cauſſa & civium cauſſa*; *natum & inſtitutum.*

Eiuſdem generis etiam haec periodus eſt:

Neronis ſcelere naſcentem Chriſti eccleſiam innumeris vexari ſupliciis;
Conſtantini virtute ſuppliciis vexatam veluti renaſci vidimus.

****) Comparatio non ſolum inter contraria atque oppoſita, verum etiam ſimilia inſtitui poteſt. Vnde periodos comparatiuas a contrariis merito diſtinguimus. Exemplo eſto periodus PLINII *in Paneg. c.* 5.

At, ſicut maris caelique temperiem turbines tempeſtateſque commendant:
ita ad augendam pacis tuae gratiam illum tumultum praeceſſiſſe crediderim.

Saepe quidem & contraria inter ſe comparantur, ſed ideo periodus non deſinit eſſe contraria, ſed ſimul comparatiua eſt. Ita COLVMELLA *Lib. I. de re ruſt. praef. comm.* 17.

Vt enim, qui in villis intra conſepta morarentur, quam qui foris terram molirentur, ignauiores habitos;
ſic eos, qui ſub vmbra ciuitatis inter moenia deſides cunctarentur, quam qui

rura

rura colerent adminiſtrarentue opera colonorum, ſegniores viſos.

*****) Eodem enim pertinent periodi *conceſſiuae*, *diſiunctiuae*, *copulatiuae*, *aliaeque* huius generis, quarum exempla paſſim exſtant. Conceſſiua eſt illa CICERONIS, *epiſt. VIIII*, 8.

Etſi munus flagitare, quamuis quis oſtenderit, ne populus quidem ſolet, niſi concitatus:

tamen ego exſpectatione promiſſi tui moueor, ut admoneam te, non ut flagitem.

Diſiunctiua illa HORAT. *Carm. III*, 28.

Vel nos in Capitolium, quo clamor vocat, & turba fauentium;

vel nos in mare proximum gemmas mittamus.

Copulatiua denique illa CICERONIS *epiſt. ad diuerſ. X*, 1.

Et abſui proficiſcens in Graeciam:

& poſtea, quam de medio curſu reipublicae ſum voce reuocatus, numquam, per M. Antonium, quietus fui.

(Vbi vero adhiberi poſſit vnumquodque genus periodi compoſitae, quantum ſatis eſt demonſtratur in I. M. G. *primis lineis artis oratoriae* Gottingae 1735. 8. recuſis p. 19. ſqq. quem locum exercitationibus ſcribendarum periodorum tanquam regulam adhibuiſſe neminem poenituerit. G.)

XXII. Connectendi formulas, quae in his periodis adhibendae videbuntur, ipſa ſuppeditabit materiae natura, vt adeo de illis non multum videatur laborandum *). Particulae connectendi in illis vſitatae.

*) Sic ipſa ſane ratio dictitat, periodos *cauſſales* incipere poſſe a *quum*, *quia*, *quandoquidem*, item a *ſi*: *conditionales* a *ſi*: contrarias a *quum*, aut ſine connexione ſtatim a re ipſa: *comparatiuas* a *quodſi*, *quemadmodum*, *ſicuti*: conceſſiuas ab *etſi*, *tametſi*, *quamuis*, *vt*, *vtut*, *equidem*, *quidem*; *diſiunctiuas* ab *aut*, *vel*: *copulatiuas* denique ab *&*, *cum*, ſequente *tum*, *non tantum*, ſequente *verum etiam*, *cet.*

XXIII. Ex periodis bimembribus facile fiunt *trimembres* ſiue τρίκωλοι, ſi vel πρότασις vel ἀπόδοσις duplicetur *). Vnde poſſunt totidem eſſe periodorum trimembrium, quot bimembrium, genera **). Periodi trimembres.

*) Sic ſupra adfuit periodus bimembris conditionalis: *Si mihi tecum non & multae & iuſtae cauſſae amicitiae priuatim eſſent: repeterem initia amicitiae ex parentibus noſtris.* Iam ſiue πρότασιν ſiue ἀπόδοσιν in duo membra diduxeris, habebis periodum trimembrem. v. c.

Si mihi tecum non & multae & iuſtae cauſſae amicitiae priuatim eſſent,

neque iam ab ineunte adoleſcentia complura inter nos mutua officia extitiſſent:

repeterem initia amicitiae ex parentibus noſtris.

Vel duplicata ἀποδόσει:

Si mihi tecum non & multae & iuſtae cauſſae amicitiae priuatim eſſent:

repeterem cauſſas amicitiae noſtrae a parentibus noſtris,

inter quos magna ſemper atque arcta inprimis familiaritas interceſſit.

**) Dantur ergo & periodi trimembres *cauſſales*, *adverſatiuae*, *comparatiuae*, *conditionales*, *conceſſiuae*, *diſiunctiuae*, *copulativae*, *cet.* Dabimus quarumdam exempla: Conceſſiua eſt illa CICER. *epiſt. I*, 5.

Tametſi nihil mihi fuit optatius, quam vt primum abs te ipſo, deinde a ceteris omnibus gratiſſimus erga te eſſe cognoſcerer:

tamen afficior ſummo dolore, eiuſmodi tempora poſt tuam profectionem conſequuta eſſe,

vt & meam, & ceterorum erga te fidem

& beneuolentiam abſens experirere.

Copulatiuam habet idem CICERO *de ſenect. c.* 1.

Mihi quidem ita iucunda huius libri confectio fuit, vt non modo omnes abſterſerit ſenectutis moleſtias,
ſed & effecerit mollem & iucundam ſenectutem.

Contrariae exemplum IDEM ſuppeditat *epiſt. V,* 17.

Non obliuione amicitiae noſtrae, neque intermiſſione conſuetudinis meae, ſuperioribus temporibus ad te nullas litteras miſi:
ſed quod priora tempora in ruinis reipublicae noſtriſque iacuerunt,
poſteriora autem me a ſcribendo tuis iniuſtiſſimis atque acerbiſſimis incommodis retardarunt.

Huic eodem loco ſtatim ſubiicit cauſſalem:

Quum vero & interuallum iam ſatis longum fuiſſet, & tuam virtutem magnitudinemque animi diligentius eſſem recordatus:
non putaui alienum inſtitutis meis, haec ad te ſcribere.

Subiungit huic copulatiuam:

Ego te, P. Sexti, & primis temporibus illis, quibus in inuidiam abſens & in crimen vocabare, defendi;
&, quum in tui familiariſſimi iudicio ac periculo tuum nomen coniungeretur, quam potui, accuratiſſime te tuamque cauſſam tutatus ſum:
ex proxime recenti aduentu meo, (quum rem aliter inſtitutam offendiſſem, ac mihi placuiſſet, ſi adfuiſſem,) tamen nulla re ſaluti tuae defui.

Ex his, qualia reliqua ſint periodorum genera, facile intelliges.

Periodus quadrimembris. XXIV. Sed abſolutiſſima omniumque magnificentiſſima eſt *periodus quadrimembris* vel τετράκωλος, quia & perfectam plerumque ratiocinationem continet *), & ob numerum propoſitionum auribus, quarum ſuperbiſſimum eſt iudicium, quam maxime probatur. Conſtat ea, ceu ex ipſo nomine adparet, quatuor membris, quorum duo plerumque ad πρότασιν; ac totidem ad ἀπόδοσιν referuntur. **).

*) Non temere vllum eſt periodorum genus, quod totam ratiocinationem facilius capiat, quam quadrimembre. Quod vel vnico exemplo oſtendi poterit. MVRETVS *Part. I. Orat. XXII.* ita diſſerit:

Si pro cuius quiſque propugnatione ac defenſione plura pericula ſubiit, plus excepit acerbitatum, pluribus quaſi procellis ac tempeſtatibus agitatus eſt,
eo plus gaudii ex iis, quae ad retinendam atque amplificandam illius dignitatem pertinent, ad eum peruenire credendum eſt:
dubitare non potes, beatiſſime pater, quin Carolus Rex, te Pontifice creato, tanto ceteros Reges eximia quadam percepta ex ea re gaudii magnitudine ſuperauerit,
quanto non huius modo memoriae, ſed omnium aetatum ac ſaeculorum Reges graui ac diuturna ſuſceptorum pro ſedis apoſtolicae auctoritate laborum ac diſcriminum perpeſſione ſuperauit.

Vberrima haec eſt periodus, ſed facile tamen includenda huic ſyllogiſmo:

Qui plus pro Pontifice periculi ſubiit, is plus laetitiae ex ejus felicitate percipit.
Carolus VIIII. plus periculi ſubiit pro Pontifice.
Plus ergo laetitiae ex eius felicitate percipit.

Iam confer periodum, & adparebit, propoſitionis ſubiectum in primo; praedicatum in ſecundo; concluſionem in tertio; adſumtum in quarto membro contineri.

**) Quum difficillimum ſit hoc periodorum

riodorum genus: regulas quaſdam de illis componendis ſuppeditare iuvabit. *Primo* ergo tales periodi fiunt ex quouis ſyllogiſmo, maxime ſi accedat maioris propoſitionis probatio. Hinc MVRETVS *Part. I. Orat. I.* laudaturus theologiam ita ratiocinatur. (Attende, lector, an inuenias hoc ratiocinium in Mureti periodo? G.)

Quae ſcientia homines ad fruitionem Dei perducit, illa eſt reliquis praeferenda,

Ratio:

In fruitione enim Dei poſita eſt perfectio illa, ad quam naturali quodam deſiderio ferimur.

Theologia homines ad fruitionem Dei perducit.

Eſt ergo reliquis ſcientiis praeferenda.

Inde effingit periodum quadrimembrem, in qua primum membrum probationem maioris; ſecundum ipſam propoſitionem; tertium concluſionem; & poſtremum denique adſumtum continet. Ἐξεργασία eius talis eſt:

Nam ſi eorum omnium, quae in immenſa hac rerum vniverſitate cernuntur, vnumquodque naturali perficiendi ſui deſiderio tenetur,

& animus noſter, ad ſimilitudinem diuinitatis effictus, tanto perfectior eſt, quanto propius ad illud, ex quo ductus eſt, exemplar accedit:

dubitari profecto non poteſt, quin ea ſit omnium praeſtantiſſima facultas,

quae, quoad eius fieri poteſt, cum humanis diuina copulando, mortalitatem noſtram, quantum illius imbecillitas patitur, diuinae naturae arctiſſima colligatione deuincit.

Secundo & tunc naſcetur periodus quadrimembris, ſi duo membra oppoſita inter ſe compares, addasque diſcrepantiae rationem. CICERO *pro A. Caecina* I. has inter ſe contendit propoſitiones:

A. Caecina ceſſit in vi facienda audaciae S. Aebutii.

Non autem in cauſſa eiusdem cedet impudentiae. Ratio:

Non enim in foro tantum valet impudentia, quantum in agro locisque deſertis audacia.

Ἐξεργασία eius talis eſt:

Si quantum in agro locisque deſertis audacia poteſt,

tantum in foro atque in iudiciis impudentia valeret:

non minus in cauſſa cederet A. Caecina S. Aebutii impudentiae,

quam in vi facienda eius ceſſit audaciae.

Eodem exemplo dicere poſſes:

Si quantum in effringendis carceribus aſtutia poteſt,

tantum ad effugiendam furcam audacia valeret:

non minus iam hic fur carnifices deluderet audacia, quam lictoribus olim illuſit aſtutia.

Tertio & illa periodus quadrimembris eſt longe elegantiſſima, in qua duabus propoſitionibus totidem redditiones reſpondent, & contra. Talem periodum rhetores vocant χιαζομένην. Vid. CAVSSIN. *de eloqu. ſacra & profana VII, 6. p. 363.* Dicitur autem χιαζομένη, quaſi decuſſata, a χ littera, quae crucis in modum interſecantibus ſe ipſis duabus obliquis lineis figuratur. Vnde & χιασμὸς figura, quando, quatuor propoſitis, tertium ſecundo reſpondet, & conuenit quartum primo. Ita CAVSSINVS *ibid. p. 363.* Sed ego exiſtimo, tertium primo, quartum ſecundo reſpondere debere. Id enim docet exemplum DEMOSTHENIS, ab ipſo CAVSSINO adlatum. (Poſuit Cauſſinus ternam definitionem, exemplum non conueniens, vnde appareat definitionem ab illo non ſatis intellectam. Ponamus breue & facile exemplum ex CICER. *pro Domo pr. Cum multa diuinitus, Pontifices, a maioribus noſtris inuenta atque inſtituta ſunt, tum nihil praeclarius, quam quod vos eosdem*

(I.) *Et religionibus Deorum immortalium,*

(II.) *& ſummae rei publicae praeeſſe voluerunt: vt*

(III.) *Ampliſſimi & clariſſimi ciues remp. bene gerendo,* (IV.)

(*IV.*) *Pontifices religiones ſapienter interpretando*
rempublicam conſeruarent.

Iunge hic membra ſibi reſpondentia *primum* & *quartum*, itemque *ſecundum* ac *tertium* lineis diagonalibus : exiſtet χ litera ſ. decuſſis. G.) Talis eſt illa DEMOSTHEN. *in Olynth. II.*

Equidem Philippus quanto plura praeter dignitatem fecit,
eo plus apud omnes admirationis gloriaeque conſequutus eſt:
Vos autem, ciues Athenienſes, quo immoderatius imprudentiusque rebus veſtris vſi eſtis,
eo maiorem veſtram oportet eſſe turpitudinem.

Quarto, quoties vel protaſis vel apodoſis duobus tribusue membris conſtat, nouum inde naſcetur periodi quadrimembris genus. Sic trium membrorum protaſis eſt apud CICERON. *epiſt. VIIII*, 18.

Quum eſſem otioſus in Tuſculano;
propterea quod diſcipulos obuiam miſeram,
vt iidem me quam maxime conciliarent familiari ſuo:
accepi tuas literas pleniſſimas ſuauitatis.

Duorum apud eumdem : *epiſt. VIIII*, 2.

Caninius idem tuus, & idem noſter,
quum ad me pervesperi veniſſet,
& ſe poſtridie mane ad te iturum dixiſſet.
dixi ei me daturum aliquid mane,
&, vt peteret, rogaui.

Nec non *epiſt. VIIII*, 14.

Etſi contentus eram, mi Dolabella, tua gloria,
ſatisque ex ea magnam laetitiam voluptatemque capiebam:
tamen non poſſum non confiteri, cumulari me maximo gaudio,
quod vulgo hominum opinio ſocium me adſcribat tuis laudibus.

Membra periodorum non ſint nimis inaequalia.

XXV. Multa vulgo addi ſolent a rhetoribus de ſingulorum membrorum magnitudine. Bimembres enim periodos vel *aequales* eſſe aiunt, ſi idem fere in vtraque parte ſit ſyllabarum numerus, vel *inaequales*, ſi partes diſſimili ſyllabarum numero conſtent *). Sed & trimembres aliae ἰσόπλευροι **) dicuntur, aliae ἰσοσκελεῖς ***). Sed quum magna ea in re libertate vſi ſint veteres, praecepta illa omnia ſuperuacua videntur. Vnicam ergo obſeruari velim regulam : *dandam eſſe operam, ne membra periodorum compoſitarum ſint nimis inaequalia* ****).

*) Et has iterum vel μειούρους vocant, ſi antecedens vel πρότασις ſit longior; vel μακροκώλους, ſi conſequens numero ſyllabarum excreſcat. Aequalis eſt haec periodus CICER. *poſt reditum ad Quirites* 2.

Illi mihi fratrem incognitum, qualis futurus eſſet dederant:
Vos ſpectatum incredibili pietate cognitum reddidiſtis.

Μακρόκωλος illa apud CICER. *pro Arch.* 9.

Neque enim quiſquam eſt tam auerſus a Muſis,
qui non mandari verſibus aeternum laborum ſuorum praeconium patiatur.

Μείουρος denique exſtat apud eumdem CICER. *pro Milon.* 5.

Neque enim eſt vlla defenſio contra vim vmquam optanda:
ſed nonnumquam eſt neceſſaria.

**) E geometria deſumta eſt haec denominatio. Ἰσόπλευρα enim geometrae vocant triangula aequilatera. Quare & periodus ἰσόπλευρος, dicitur, quae cola omnia habet aequalia. Talis exſtat apud CICER. *pro Roſcio* 29.

Vereor, ne aut moleſtus ſim vobis, iudices,

aut

aut ne ingeniis veſtris videar diffidere : ſi de tam perſpicuis rebus diutius diſferam.

***) Haec quoque a geometris mutuata eſt denominatio, ἰσοσκελῆ enim dicuntur *triangula aequicrura.* Rhetoribus vero ita vocantur periodi trimembres, quarum duo membra paria ſunt, tertium aut longius reliquis aut breuius. CICER. *de offic.* I.

Nullum bellum eſt iuſtum,
niſi quod aut rebus repetitis geratur :
aut denunciatum ante ſit & indictum.

****) Si tamen vllum membrum reliqua magnitudine excedere debeat: illud maxime conuenire videtur poſtremo. Qua de re DEMETR. PHALER. *de eloquut. n.* 18. *In compoſitis*, inquit, *periodis poſtremum membrum longius eſſe oportet, & tamquam continens atque amplectens alia: ſic enim magnifica erit & honeſta periodus, in honeſtum & longum deſinens membrum.* (Contrarium tamen videor obſeruaſſe in CICERONE, id eſt, plures μειζέρες. G.)

Periodi quatuor membris maiores in vitio ponuntur.

XXVI. Sed vt ad periodorum genera redeamus: nec illud videtur omittendum, vltra quatuor membra non excreſcere debere earum magnitudinem. Recte enim DEMETR. PHALEREVS, vel quisquis ſub eo nomine latitare voluit, in aureo libello *de eloquut. n.* 16. αἱ μέγισαι δὲ ἐκ τεττάρων· τὸ δὲ ὑπὲρ τέσσαρα, ὀυκ ἔτ᾽ ἂν ἐντὸς ἔιη περιοδικῆς συμμετρίας. *Maximae periodi ſunt quadrimembres. Quod vero ſupra quatuor eſt, non amplius intra iuſtam menſuram periodi manet.* Occurrunt quidem paſſim apud oratores periodi prolixiores, quas tamen excuſandas magis, quam laudandas arbitramur. Eae ſi certo colorum numero abſoluantur, (Melius, ſi intra V. ad VIII. Cola periodi ſimilitudinem, id eſt circumductionem illam ſeruent, G.) περιοδικὰ *); ſin ſine certo (maiore quam dictum eſt, G.) membrorum colorumue numero pro vigore ſpiritus ferantur, πνεύματα **); ſi denique eo vsque producantur, vt ſpiritus, quantumuis longus, eas ferre haud poſſe videatur, τάσεις ***) dicuntur.

Tales ſunt periodicon, pneuma & taſis.

*) Περιοδικὸν ergo eſt periodus e quinque vel pluribus membris conflata. CICERO *pro Mil.* 1.

Etſi vereor, iudices, ne turpe ſit, pro fortiſſimo viro dicere incipientem timere,
minimeque deceat, quum T. Annius Milo ipſe magis de reip. ſalute, quam de ſua perturbetur,
me ad eius cauſſam parem animi magnitudinem adferre non poſſe :
tamen haec noui iudicii noua forma terret oculos,
qui quocumque inciderint, veterem conſuetudinem fori & priſtinum morem iudiciorum minime vident.

**) Πνεῦμα, definiente HERMOGENE, eſt σύνθεσις λόγυ διάνοιαν ἀπαρτίζον ἐν κώλοις καὶ κόμμασι μετρύμενον πρὸς τὴν διάρκειαν τῦ πνεύματος κατὰ τὴν φωνὴν λέγοντος, id eſt, *ſtructura orationis, quae ſenſum membris inciſisque definitum ad orationis ſpiritum & vocem accommodat.* Quare tot eſſe poſſunt membra τῦ πνεύματος, quot fert oratoris ſpiritus. Praeclarum eſt *pneuma* illud apud CICER. *pro S. Roſc.* 49.

Rogat, oratque te, Chryſogone, Roſcius,
ſi nihil de patris fortunis ampliſſimis in ſuam rem conuertit,
ſi nulla in re te fraudauit,

ſi tibi optima fide ſua omnia conceſſit, annumerauit, adpendit,
ſi veſtitum, quo ipſe tectus erat, annulumque de digito ſuum tibi tradidit,
ſi ex omnibus rebus ſe ipſum nudum, neque praeterea quidquam, excepit:
vt ſibi per te liceat innocenti amicorum opibus vitam in egeſtate degere.

Hoc exemplum τῦ περιοδικῦ ſ. periodicae dictionis menſuram, quam ſupra dedimus, nondum excedit. Sed termini ita accurate conſtitui non poſſunt. G.) Eiusmodi pneumata ſane non inelegantia ſunt, ſi in loco adhibeantur, vt paullo poſt oſtendemus pluribus.

***) τάσις, id eſt, *extenſio*, periodus eſt omnium diffuſiſſima, quae plura accumulat membra, quam vel robuſtiſſimus quisque vno ſpiritu eloquatur. Vnde ſemper in vitio ponitur tam enormis circumductio. Exſtat tamen monſtroſae eiusmodi τάσεως exemplum apud CICER. *Verrina vltima*, ſub finem, cuius initium eſt: *nunc te, Iupiter optime maxime, cuius iſte donum regale, cet.*

Quid ſchoenotenes & periodica circumductio?

XXVII. Orationi *periodicae* ſiue *verſae* opponi diximus *fuſam*, qua vti dicuntur oratores, quotiescumque vel *inciſim*, vel *membratim* dicunt. Et huc pertinent SCHOENOTENES *), & quam iam ſupra deſcripſimus, PERIODICA CIRCVMDVCTIO **).

(Accuratius ita dixiſſet Auctor: *Fuſa* oratione vtuntur oratores, non tantum cum *inciſim* vel *membratim* dicunt; ſed in primis etiam, cum verba naturali modo ratione, ſine cura illa ambitus connectunt. Caeterum medium quoddam genus ſunt *Schoenotenes*, & de quo modo (§. 26.) diximus περιοδικὸν, ſ. *periodica circumductio*. G.)

*) *Schoenotenes* eſt, quando interiectis propoſitionibus incidentibus, vel vna idea generali in ſpecialiores quam plurimas ſoluta, longius ac inſtar funis extenditur oratio. (Non quaeuis, ſed quae *colon* alias futura erat. Sic VOSS. 4, 3, 6. p. 160. G.) Inde enim nomen τῦ σχοινοτενῦς, id eſt, funis extenſi accepit hoc dicendi genus. CICER. *contra Rull.* I, 15.

Hoc capite, Quirites, omnes gentes, nationes, prouincias, regna, decemuirum ditioni, iudicio, poteſtatique permiſſa & condenata eſſe dico.

**) De *periodica circumductione* iam ſupra actum. Hic addimus ea περιοδικὴ omnium eſſe pulcherrima, quae e membris oppoſitis conſtantur. CICER. *pro Milon.* 4.

Eſt haec non SCRIPTA, SED NATA LEX, *quam non didicimus, accepimus, legimus, verum ex natura ipſa arripuimus, hauſimus, expreſſimus, ad quam non docti, ſed facti, non inſtituti, ſed imbuti ſumus.*

Vſus periodorum?

XXVIII. De vſu periodorum vt quaedam dicamus, illud praecipue notandum, non ferendam eſſe orationem, quae tota ſit periodica *). Miſcenda ergo oratio *verſa* & *fuſa*, ita tamen miſcenda, vt ſingulorum generum periodi ſuo quaeque loco adhibeantur **).

*) Quamuis enim ſplendida in primis ſit oratio verſa vel circumducta, & hinc ab ARISTOTELE *Rhet.* II, 9. laudetur, tamquam ἡδεῖα, εὐμαθὴς καὶ εὐμνημόνευτος, *iucunda, perceptu ac retentu facilis*: parum tamen a carmine differret oratio, ſi ea integra conſtaret periodis. Quare parum iucundae ſunt orationes ISOCRATIS, quae paene totae periodis conſtant. PLIN. *Hiſt. nat.* VII, 30. Idem collocationis & numeri ſtudium in GORGIA, Iſocratis praecepto-

re,

re, reprehendit DEMETR. PHALER. *de eloquut.* 15. qui etiam praeclare obſeruat, orationem nec totam periodicam, nec totam diſſolutam eſſe debere.

**) Inciſim ac membratim dicimus in dialogis, epiſtolis ad familiares, narrationibus, maxime, ſi ea, quae intra breue tempus geſta ſunt, referre velimus. Pneumate ad excitandos vehementiores affectus; periodis quadrimembribus in exordiis proponendisque enthymematibus; reliquis denique promiſcue utimur.

Quid ſentiendum de numero oratorio.

XXVIIII. Solent vulgo rhetores etiam de *numero oratorio* multa praecipere, quippe quem ſonoram iucundiſſimamque reddere orationem exiſtimant *). Sed ſatisfeciſſe nobis videbimur, ſi auribus hic obſequamur, quarum ſuperbiſſimum eſt, teſte CICERONE, iudicium. Hoc vero docebit, in clauſulis periodorum elegantiſſimos eſſe *dichoreum* **), *antiſpaſtum* ***), & *paeona tertium* ****). In principiis periodorum pedes & numeros ſectari abſonum videtur, multoque magis in medio, vbi ſufficit, ſi longae breuesque ſyllabae inter ſe miſceantur *****).

*) De numero oratorio copioſe diſſerit CICERO *de orat.* III, 44. & ea in re plerique eum ſequuntur rhetores. Sel multi tamen totam illam de numeroſa oratione doctrinam vanam iudicant, maxime, quum tota illa res cuiusque ſtet iudicio. Enimuero negari nequit, multum gratiae accedere orationi, ſi periodorum clauſulae certo quodam numero abſoluantur. Dixerat aliquando GRACCHVS: *abeſſe non poteſt, quin eiusdem hominis ſit, probos improbare, qui improbos probet.* Latine ſane id dictum eſt & perſpicue, ſed parum numeroſe. Itaque CICERO verbis iisdem concinnius collocatis hanc effinxit periodum: *abeſſe non poteſt, quin eiusdem hominis ſit, qui improbos probet, probos improbare.* Quis neget, iam ob numerum, qui acceſſit, multo grauiorem elegantioremque factam eſſe periodum? Adde CHRIST. SCHRADERI *de rhetor. Ariſtot. ſenſu & vſu* III, 8. p. 529. ſeq.

**) *Dichoreus* eſt trocheus duplex - v - v. Hinc apud CICERONEM tam frequentia periodorum clauſulis ſunt verba eiusmodi: *comprobauit, exiſtimauit, audeamus.*

***) *Antiſpaſtus* ex iambo & trocheo conflatus eſt v - - v. Hinc ſaepe CICERO periodos eiusmodi claudit vocibus: *fateretur, haberemus.*

****) *Paeon tertius* duabus breuibus, tertia longa, & quarta itidem breui conſtat v v - v. Hinc in CICERONIS operibus tam frequens eſt clauſula: *eſſe videatur*, vt iam QVINCTILIANI tempore multi ſe exiſtimarint illam CICERONIS vbertatem adſequutos, ſi plerisque periodis illud ESSE VIDEATVR adiungerent, QVINCTIL. *Inſt. orat.* X, 2.

*****) Cauendum etiam hic eſt, *ne quid nimis*, inſanire nonnullos in conſectandis numeris periodorum, erudite, ut ſolet, oſtendit CAVSSIN. *de eloquent. ſacra & profana*, VII, 10. p. 167. (Huc pertinet verſus in proſa, de quo ſupra I, I, 19. obſ. XVII. G.)

(Nobis de tota re ita videbatur. I. Numerus proprie ineſt in longarum & breuium ſyllabarum permiſtione apta, i. e. argumento & affectui atque moribus accommodata. 2. Quantitas ſyllabarum cum pronunciatione, quae hodie obtinet, Latina non diſcer-

natur

natur niſi penultimarum, imperfecte admodum numerum Latinum percipiamus neceſſe eſt. 3. Praeceptis ſpecialibus includere numerum vix licet. 4. Tanto minus, cum diverſa nimis ſint hominum vt in reliquis ſenſibus, ita in aurium quoque perceptione iudicia. 5. Ratio igitur ad facultatem numeroſae orationis perueniendi ſola relinquitur, a) vt legendo & pronunciando aures adſuefaciamus numeris eorum, quos probari accepimus: b) vt inter ſcribendum induamus eum animum, quo eſſe velimus auditores aut lectores noſtros: c) meminerimus triſtibus grauibusque & magnis rebus longas ſyllabas, contrariis breues magis videri aptas. 6. Quae in Latina collocatione praeter caetera huc faciunt, ea auctor tum hic, tum ſupra I, 1. §. 18. ſq. praecepit. 7. Pronunciatio vt iuuare numerum poteſt, ita corrumpere. Caeterum de numero oratorio vid. quos laudat ad LONGI. 38, b. ſ. 9 no. 37 TOLLIVS, it. PEARCE p. 150 Wetſten. G.)

Ornatam orationem reddunt translationes.

XXX. Et hactenus quidem de CONCINNITATE dictum *). Iam porro, quid ORNATAM reddat orationem, curatius oſtendendum eſt. Et hic quidem primas partes TRANSLATIONI deferimus **), quae ſi apta ***) & moderata ****) ſit, incredibilem orationi conciliat elegantiam.

*) Sunt & alia, quae rhetores (HERMOG. *de Inu.* 4, 3. apud CAVSSI. 7, 6. p. m. 283. G.) recenſent, periodorum genera, veluti πνεῦμα καὶ κλεὶς, *ſpiritus* & *clauis*, itemque ϛρογγύλως ἀποτετορνευμένη, ἐπιτιμητικὴ, γνωμικὴ, ἀποφαντικὴ, ἐρωτηματικὴ, ἐλεγκτικὴ, δεικτικὴ, ἀρνητικὴ, ἀπαγορευτικὴ, periodus *rotunda*, *increpatoria*, *ſententioſa*, *enunciatiua*, *interrogatiua*, *redarguitoria*, *demonſtratiua*, *negatiua*, *prohibitiua*. Sed *ſpiritus* & *clauis* non aliter differre videntur, quam oratio *dimenſa* & *fuſa*. (Plane aliter HERMOGENES l. c. apud quem *Clauis eſt periodus proprie dicta totam argumentationem complexa*. G.) *Rotunditas* omnium elegantium periodorum generale nomen eſt. Reliquae denominationes a materia fere deſumtae ſunt, adeoque huc non pertinent. Quin ſi ad materiam reſpicimus, innumera erunt periodorum genera. Itaque his Graeculorum minutiis immorari noluimus.

**) *Translatio* vocatur, quod vox a propria ad alienam ſignificationem ſimilitudine quadam transfertur. Vt ſi fortunam *vitream* dixeris pro inconſtanti: *aduolare* pro celeriter accedere: *confluere* multitudinem pro concurrere. Eam neceſſitatis atque inopiae cauſſa initio inuentam, poſteaque frequentatam ob ornatum ac dignitatem, obſeruat CICERO *de Orat.* III, 38. Vnde etiam quaedam metaphorae adeo receptae ſunt quotidiano vſu, vt magis ſignificent proprie, quam propria ipſa e. c. *oculus vel gemma vitis*, *pes nauis*, *ſinus maris*, *incendi vel inflammari ira*, *labi errore*. Neſcio an non & huc referam IMBIBERE pro conſilium capere, ſibi aliquid proponere, & ita in mente ac cogitatione defigere, vt euelli non poſſit. Ita ſane non modo poëtae loquuntur, veluti LVCRETIVS *Lib.* III. v. 1010.

Qui petere a populo faſces, ſaeuasque ſecures
IMBIBIT,

& *Lib.* VI.

non

non quod violari ſumma Deûm vis
Poſſit, vt ex ira poenas petere IMBIBAT *acres.*

verum etiam CICER. *pro P. Quinct.* & LIV. *Lib. XI.* quae loca debemus MVRETO *var. lect. I. 6.* Add. TVRNEB. *Aduerſ. XVIII,* 21. *Nihil enim,* inquit QVINCTILIANVS *inſt. orat. VIII, 6. ſuis verbis, quam his arceſſitis, magis proprium erat.*

***) Vt aptae ſint metaphorae vel translationes, obſeruandae ſunt aliquot regulae. I. *In translationibus cauendum, ne inter ſe conferas diſſimilia.* Hinc frigida ſunt illa: *vlmorum greges* apud PLAVTVM *Pſeud. I, 1. v. 99. caeli fornices,* (Vid. CICER. *de orat. III,* 41.) *phalanx vndarum, foſſa ponti* apud PRVDENT. *καθημ. hymno VIIII. v.* 14. Studio tamen talia nonnumquam adfectant comici, vt riſum moueant. Sic PLAVT. *Curcul. II, 3. v.* 39. dixit *lippire dentes,* quum fame madent. *Et Pſeudol. I, 1. v. 74. lacrimas exſpuere* pro *lacrimare.* II. *Cauendum, ne translationes in frigidas hyperbolas euadant.* Talis eſt translatio illa IVVENALIS *Satira VI, v.* 423. Qui de ſono, qui fit inter vngendum, loquuturus, ait:

Et ſummum dominae femur EXCLAMARE *coegit.*

Nec magis ferenda illa FLORI *Hiſt. IIII,* 11. qui deſcripturus naues M. ANTONII: *caſtellorum,* inquit, *& vrbium ſpecie non ſine* GEMITV *maris &* LABORE *ventorum ferebantur.* Quae iam caſtigauit BVCHNERVS *de commut. rat. dicendi,* I, 2. *6. p.* 38. III. *In laude a melioribus; in vituperatione a deterioribus petendae ſunt metaphorae.* Hinc recte CICERONEM laudaturus, eidem tribues *flumen orationis, os caeleſte:* at parum iudicii oſtenderet, quisquis eidem tribueret *aſininos labores.* IIII. *In ſtilo grandi a rebus grandibus; in tenuiori a tenuioribus petendae ſunt metaphorae.* Sic decora eſt translatio BVCHNERI *orat. paneg. V,* p. 126. *Ego perinde, dum nuncupata verborum vota incipio ſoluere, inde potiſſimum ducam initium, unde* INTERCEPTI SIDERIS *noſtri* LVX *primum* PRORVPIT. At ſi quis in deſcribendis ludi magiſtri natalibus hac translatione vti vellet, riſum profecto deberet lectoribus. V. *Translationes deſumi debent a rebus notis, & honeſtis.* Sic eleganter CICER. *de orat. III,* 41. dixit *ſcopulus patrimonii, vorago honorum:* obſcuriores fuiſſent *ſcylla & charybdis.* Parum honeſtae translationes ſunt illae, quas ipſe notauit CICER. *Rhet. III,* 2. *caſtrata reſpublica, ſtercus curiae,* pro quibus caſtius dixeris *eneruata reſpublica, purgamentum curiae.* Nec ferenda illa *oacatae chartae, verba vomere, ructare verba,* & huius generis alia, qualia grauiter reprehendit BVCHNER. *de commutata rat. dicendi, I,* 2. *p.* 44. VI. *Danda eſt opera, vt genus translationis ſeruetur,* id quod allegoriam vocant. Sic inſulſe quis diceret: *fortuna* VITREA *eſt, dum ridet, mutatur.* Quid enim *vitro* cum *riſu* & mutatione? Elegantius P. SYRVS: *fortuna* VITREA *eſt, dum* SPLENDET, FRANGITVR. Elegantius quoque CVRTIVS VII. 8. 24. *Fortunam tuam* PRESSIS MANIBVS *tene,* LVBRICA *eſt, nec inuita teneri poteſt.* Qua allegoria etiam vtitur SENECA *epiſt. CI.* Vides ergo abſonas eſſe loquutiones, *haurire fructum* †, *adgredi rem illotis manibus.* Fructus enim non *hauriuntur,* ſed *capiuntur,* nec manibus rem *adgredimur,* ſed *attingimus.* Eſt tamen, vbi & veteres hac in re lapſi. BVCHNERVS ſane *l. c. p.* 49. notat verſus illos HORATII *epiſt. I, v.* 1.

Nemo adeo FERVS *eſt, ut non* MITESCERE *poſſit,*
Si modo CVLTVRAE *patientem accommodet aurem.*

In una enim ſententia ter mutauit genus translationis: *Feritas* animalium eſt, *miteſcere* frugum, *cultura* agrorum. Elegantius ita concinnaſſet verſus:

Non adeo FERVS *eſt, ut non* MANSVESCERE *poſſit,*
Si DISCIPLINAE *patientem accommodet aurem.*

† Attamen REDVNDARE quid ad fructum dixit CICERO *pro Ligar. cap. 3. Laudem adoleſcentis exiſtimo ad meum aliquem etiam* REDVNDARE FRVCTVM. Quod ſane elegantiſſimum eſt. Id enim vult CICERO, laude adoleſcentem tam veluti abundare, vt ad ſuum commodum aliquid redundare inde poſſit.

****) Cauendum, ne nimio & immodeſto translatorum vſu in aenigma degeneret oratio. Eſt enim & hic, vt in omni vita, apprime hoc vtile; *ne quid nimis*. Caſtior Ciceronis aeuo erat Latinitas, quum ea metaphoris, tamquam gemmis quibusdam, diſtingueretur. Aſt ſaeculo quarto caſtitas illa parum placuit AMMIANO MARCELLINO, SIDONIO APOLLINARI, ENNODIO, aliisque huius commatis ſcriptoribus, qui nihil ſatis Latinum putabant atque elegans, niſi quod eſſet allegoricum. Qua de re CAVSSIN. *de eloqu. ſacra & profana, II, 9, 92. Floruit Ennodius illo tempore, quo illa inſania metaphorarum vel potius allegoriarum dulcedo cuncta peruaſerat, & iam* FERRVM CICERONIS *Tulliana dictio vulgo dicebatur, contra aurea putabantur frigida quaeque acumina & allegoriae, quibus illi ſcriptores ſua referſerunt.* Vt exemplo res fiat clarior, conſidera mihi, quaeſo, illa ENNODII: *diu ſalum quaeris, verbis in ſtatione compoſitis, & incerta liquentis elementi placida oratione deſcribis, dum ſermonum cymbam inter loquelae ſcopulos rector diligens fraenas & curſum artificem fabricatus trutinator expendis; pelagus oculis meis, quod aquarum ſimulabas, eloquii demonſtraſti.* Bone Deus, quam frigida haec ſunt, & aenigmate quouis obſcuriora! ſed talia ferrea illa aetas ferebat ingenia. Parum comtum videbatur, quod non erat allegoricum, hinc non ſufficiebat *oratio*, ſed dicendum *orationis* vel *ſermonis cymba*, nec placebat *loquela*, niſi adderentur *ſcopuli*. Quae omnia aeque abſurda ſunt, ac ſi quis in vernacula diceret: *Man wolle mit dem Schiff ſeiner Rede durch die Klippen der Zähne in die freye Luft ſegeln.* Adeo etiam illa, quae parce adhibita plurimum elegantiae conciliant orationi, eamdem frigidam & ridiculam reddunt, ſi nimis frequententur, maxime vbi non neceſſarium eſt, has ampullas proiici. (Quod ſi veremur, vt probari poſſit Metaphora paullo audacior, licet addere particulas excuſandi vim habentes, *tanquam, velut, quaſi*, & ſimiles, quae μειλίγματα, id eſt *emollitiones* vocat LONGINVS 32, 2, vbi de tota re pulchre agit TOLLIVS p. 173. In vniuerſum notandum, vſum etiam hic tyrannum, & delicias quasdam regnare, vt quae modeſtiora ſunt & minus diſſimilia, minus inhoneſta, damnentur, probentur audaciora. Vt in moribus quoque *Dat veniam coruis, vexat cenſura columbas.* V. G. *Inuehi in aliquem* ita frequens eſt Latinis & paullo alio ſenſu Germanis, vt vix Metaphoram eſſe ſentiamus. *Inequitare* volunt MACROBIVS & ARNOBIVS, importuni putantur & intolerabiles. Sic *Euro volare* licet, *agere* licet *mare*, *equitare per vndas Siculas* non licet, ne per HORATIVM quidem. G.)

An etiam metonymia & ſynecdoche?

XXXI. Reliqui tropi, in primis METONYMIA & SYNECDOCHE non tam † ad elegantiam orationi conciliandam, quam ad aptius explicanda veterum auctorum loca comparati videntur *). Nec tamen laude ſua defraudandae loquutiones quaedam metonymicae **) & ſynecdochicae ***), iamdudum velu[illegible] ciuitate donatae. Verum & hic adhibenda eſt cautio, ne, dum elegantes eſſe cupimus, vel *profani*, vel *obſcuri*, vel κακόζηλοι appareamus ****).

† (Verius dixiſſet Auctor, *non tantum ad elegantiam -- ſed etiam* etc. Sunt enim multa lumina orationis, quae his Tropis conſtant. Oſtendunt enim auditori vel lectori eam partem, faciemue rei, qua magis placere, vel mouere, vel certe perſpici poteſt. G.)

*) Duriuſcule etiam veteres nonnumquam loquuti ſunt, in primis poëtae, quod vt explicarent rhetores, *tropos* inuenerunt. Quis vmquam a vitio atque *ἀκυρολογίᾳ* abſoluerit illa HORATII, *Carm. IIII*, 4.

- - - vel Eurus
per Siculas equitauit vndas?

Equidem MVRET. *Var. lect.* I, 10. eodem modo loquutum obſeruat EVRIPIDEM in Phoeniſſis:

Ζεφύρου πνοαῖς ἱππεύσαντος ἐν οὐρανῷ.

Sed ipſe tamen fatetur vir doctiſſimus, *audacem eſſe hanc metaphoram &* HORATIVM *feciſſe more ſuo, ut perſequendis Graecorum veſtigiis τὸ τῆς λέξεως καινόν τι καὶ ξενικὸν quaereret, ſeque quam longiſſime a trita & plebeia loquendi conſuetudine abduceret.* (Inſpice, lector, totum locum, & obſeruabis, verbum *equitauit* primario ad *Dirum Afrum*, Annibalem, pertinere; verbum autem conueniens *Flammae* & *Euro* eſſe e generali notione motus in verbo *equitauit* repetendum. Taceo quod iudicium de talibus ſaepe guſtu quodam conſtat, qui ex ipſis poëtarum bonorum exemplis formandus eſt. Vid. quae ad finem §. praeced. obſeruata ſunt. G.) Nec melior eſt translatio CATVLLI:

Ipſa leui fecit volitantem flumine CVRRVM,

quamuis eam apud AESCHYLVM & EVRIPIDEM repererit IDEM *Lib. I. cap.* 11.

Quis non duriuſcule loquutum CICERONEM *dixerit pro Marcello 6.* dum ait: *gladium vagina vacuum in vrbe non vidimus.* (Id *eſt ſine vagina.* Neque enim *vacuus* ſemper ad cauum quoddam inane refertur; ſed abſentiam tantum eius rei, qua quid *vacuum* eſſe dicitur, indicat. G.)

**) Sic non ineleganter dicitur, *vario Marte* pugnare. QVINCTIL. *Inſt. orat. VI*, 8. *Sera iuuenum Venus*, TACIT. *de moribus Germ.* 20. *Hoc cum Gratia quadam Venere dicitur*. QVINCTIL. *l. c. Silent diutius Muſae Varronis*, CIC. *Acad. quaeſt. I*, 1. *comedere quem*, *pro eius bona conſumere*, PLAVT. Et quid elegantius quaeſo illis PLIN. *epiſt. I*, 6. *Experieris, non Dianam magis montibus, quam Mineruam inerrare.* Eodem pertinent & notiſſima illa: *toga* pro pace, *purpura* pro regno, *faſces*, pro magiſtratu, *laurea* vel *laurus* pro victoria, *ſcelus* pro ſceleſto, *ſeruitia* pro ſeruis.

***) Receptiſſimae ſunt loquutiones ſynecdochicae, *tectum* pro domo, *mucro* pro gladio, *mortales* pro hominibus, *probrum* pro ſtupro vel adulterio, *miles* pro militibus, *ſexcenta* pro plurimis. *In primis notari meretur, veteres, vbi de ſe ipſis in plurali loquuntur, non hoc iactantiae, ſed modeſtiae cauſſa facere, quaſi omnia cum aliis communicare vellent.* Hinc quum canit VIRGILIVS *Aeneid. II*, *v.* 89.

- - & nos aliquod nomenque decusque
Geſſimus,

SERVIVS ad eum locum addit: *nos*, inquit, *dixit*, *ad euitandam iactantiam. Nam ſi ſingulari dixiſſet*, EGO GESSI, *excluſiſſe ceteros videretur.* Conf. BVCHNER. *de commut. rat. dicendi I*, 5, 2. p. 88.

****) Cauendum ergo I. *ne profani videamur*, dum promiſcue conſectamur tropos. Frigidiſſimum eſt, vbique inculcare Vulcanum, Iouem, Iunonem, Mercurium, & huius generis alia. Ab his enim *noxiis figuris*, vt vocat AVGVSTINVS, merito abſtinet Chriſtianus, niſi conſtanti vſu veluti in nomina adpellatiua transferint. Sic nemo niſi nimium ſuperſtitioſus damnabit phraſes: *ſuo Marte aliquid facere*, *de quo Ioue iudicare* & ſimiles *alias huius generis.* Verum nemo ſanus probabit illas iurandi formulas, *mecaſtor*, *mehercle*, *aedepol*, a quibus non abſtinuerunt

nuerunt

nuerunt MANVTIVS, BEMBVS aliique viri ceteroquin doctiſſimi. Conf. IAC. THOMASII *diſſert. de ſtili ethniciſmo* (*circa Aduerbia iurandi*). Cauendum porro; II. *ne tropos adfectantes vel obſcuri vel κακόζηλοι ſiamus.* Id vero iis maxime contingit, qui poëtas ſequuti longius a vulgari ſignificatione deflectunt. Sic obſcurius eſt illud CLAVDIANI *de raptu Proſerp. II*, 16. *ſudata marito fibula*, pro fibula a marito elaborata. Obſcuriora etiam ſunt *vulnus* pro ſagitta apud VIRGIL. *Aen. II. v.* 529. *& VII. v.* 533. (Priore loco *Perſequitur Pyrrhus Priamum infeſto vulnere*: poſteriore *Haeſit ſub gutture vulnus*: Recte vtrumque. Verum enim eſt. *Vulnus* Priamo intentabat Pyrrhus. Vbi telum haeret, ibi etiam *vulnus*. Sed ſi ita ſumas *vulnus* pro gladio, vt dicas aliquem *vulnere lapides cecidiſſe*: vel *mucronem*, vt puerum iubeas *mucronem tibi afferre*, ſtultitiae notam Metonymiae & Synecdoches excuſatione non effugeris. G.) *Hoſpes ardet* pro hoſpitis domus ardet apud HORAT. *Satir. I*, 5. Talibus qui in proſa vtitur, obſcurus fiet. (Diiudicantur haec conſuetudine. Non obſcurus eſt Germanis, qui dicit *Sempronium deſtagraſſe*, er *ſey abgebrannt*, i. e. domum illius. G.)

Figurae etiam orationem ornant.

XXXII. Haec de tropis: magis † orationem ornant *figurae*, ſed ſelectiores. Plures enim ſunt, quae vix quidquam venuſtatis habent. Aliae ad dignitatem potius, quam elegantiam orationi conciliandam; aliae ad affectus tantum excitandos comparatae ſunt. Nos eas tantum, quae ad ornatum pertinent *), recenſebimus.

† (Certe non minus. *Magis* nolim dicere, cum Metaphora nihil ſit ornatius. Deinde affectuum concitationem non recte opponit Auctor pulchritudini. Pulchrum eſt quod placet. Placet autem oratio, quae affectus recte exprimit. G.)

*) Elegantiſſima e. g. eſt I. ANTANACLASIS, quum vox ejusdem adpellationis, non vero ſignificationis, repetitur. CIC. *ad Attic. epiſt. XIIII*, 14. *Quid ergo? iſta culpa Brutorum? minime illorum quidem: ſed aliorum brutorum.* Ita eodem exemplo dixeris: *Malis me oneras, haud malis.* Elegans quoque II. ANAPHORA, quae eamdem vocem in principio repetit. e. g. CIC. *Catil. I*, 1. *Nihil te nocturnum praeſidium palatii, nihil vrbis vigiliae, nihil conſenſus bonorum omnium, nihil hic munitiſſimus habendi ſenatus locus, nihil horum ora vultusque mouerunt.* Commendanda III. EPANODOS, quum ſententia acute conuertitur, CIC. *pro Plancio* 28. *Gratiam qui refert, habet, & qui habet, refert.* VELLEI. PATERC. *II. Quam prouinciam pauper diuitem ingreſſus, eam diues pauperem reliquit.* IV. PARONOMASIA, quando voces eiusdem paene aut non admodum diſſimilis ſoni coniunguntur. TERENT. *Andr. I*, 3. *Inceptio haec eſt amentium, non amantium.* Et eodem modo dixeris: *tibi parata erunt verba, huic homini verbera. Muſeum liberis magis, quam libris refertum. Non aduerſus hoſtem, ſed auerſus proceſſit.* NEP. *Attic. c.* 17. *Philoſophorum ita percepta habuit praecepta.* Eodem pertinet V. IMAGO, de qua iam DEMETR. PHALER. obſeruauit, nullam eſſe figuram, quae plus elegantiae adferat orationi. Eſt vero imago adſimilatio, protaſi aeque ac apodoſi deſtituta, facta per particulas *veluti, tamquam, inſtar*, & huius generis alias. NEP. *Hannib. c.* 1. *Hic autem velut hereditate relictum odium paternum erga Romanos ſic confirmauit, vt prius animam, quam id, depoſuerit.* FLOR. *Praef. A Caeſare Auguſto in ſaeculum noſtrum haud multo minus anni ducenti, quibus inertia Caeſarum quaſi conſenuit atque decoxit, niſi quod ſub Traiano principe mo-*

det lacertos, & praeter ſpem omnium ſenectus imperii quaſi reddita iuuentute reuireſcit. VI. PARADIASTOLE, quum diſtinguuntur, quae confundi vulgo ſolent. SEN. *epiſt. II. Non qui parum habet, ſed, qui plus cupit, pauper eſt.* VII. ANTIΘETON, quum contraria contrariis opponuntur. CIC. *Catil. II, 3. Ex hac enim parte pudor pugnat; illinc petulantia: hinc pudicitia; illinc ſtuprum: hinc fides; illinc fraudatio: hinc pietas; illinc ſcelus: hinc conſtantia; illinc furor: hinc honeſtas; illinc turpitudo: hinc continentia; illinc libido.* VIII. ANTIMETAΘEΣIΣ, quando propoſitio ita inuertitur, vt contrarius inde emergat ſenſus. PLIN. *Paneg. cap.* 17. *Non ideo viciſſe videris, vt triumphares; ſed triumphare, quia vinceres.* SENEC. *epiſt. II. Quum legere non poſſis, quantum habueris, ſat eſt, habere, quantum legas.* VIIII. OΞYMΩPON, quum contraria de eodem dicuntur. SEN. *epiſt. II. Nuſquam eſt, qui vbique eſt.* FLOR. *Hiſtor. II. 6. Reuiuiſcentis imperii ſpes Fabius fuit, qui nouam de Annibale victoriam commentus eſt,* NOLLE PVGNARE. X. PERIPHRASIS, qua rem vnam multis ambimus verbis. NEP. *Themiſt. cap.* 1. prudentiam Themiſtoclis laudaturus plurimis vtitur verbis: *celeriter, quae opus erant, reperiebat; neque minus in rebus gerendis promtus, quam excogitandis, erat: quod & de inſtantibus, vt ait Thucydides, veriſſime iudicabat, & de futuris callidiſſime coniiciebat.* XI. EΠANOPΘΩΣIΣ, quae tollit, quod dictum eſt, & pro eo, quod magis idoneum eſt, reponit. SEN. *conſol. ad Marc.* 1. *Patrem non minus, quam liberos dilexiſti: excepto eo, quod non optabas ſuperſtitem: nec ſcio, an & hoc optaveris.* PLIN. *epiſt. I, 2. Quod me longae deſidiae indormientem excitauit, ſi modo is ſum ego, qui excitari poſſim.*

XXXIII. Plurimum quoque elegantiae ineſt orationi, quae ritus formulasque antiquas *) aliis rebus ſine adfectatione applicat **). Nec non formulae antiquae.

*) Praeclarum opus *de formulis & ſollemnibus populi Romani verbis* exſtat, conſcriptum a BARN. BRISSONIO, quod ex recenſione V. C. FRANC. CAR. CONRADI prodiit *Halae* noſtrae cIↄIↄCCXXXI. *in fol.* Et nos quoque complures eiusmodi loquutiones antiquas & ſollemnes explicauimus in *ſyntagmate antiquitatum Romanarum, iurisprudentiam illuſtrantium. Argent.* cIↄIↄCCXXXIIII. 8. *mai.* (B. BALBINVS *Quaeſitis Orator.* Q. 17. excerpſit e Briſſonii opere, quae in primis ad dicendi vſum facere videbantur. G.)

**) Vt exemplis nonnullis rem declaremus, antiqua formula in funeribus adhibita eſt: ILICET ACTVM EST. Eam eleganter ad herum accommodat Parmeno ſeruus apud TER. *Eun. I,* 1. *v.* 9. *actum eſt, ilicet periiſti, eludet vbi te victum ſenſerit.* QVISQVIS ERIS, NOSTER ERIS, imperatorum erant verba, transfugam recipientium in fidem. Ea vero eleganter ad receptionem hoſpitis traducit VIRGIL. *Aen. II. v.* 148.

Quisquis es, amiſſos hinc iam obliuiſcere Graios.
Noſter eris.

Conf. SERV. *ſchol. ad h. l.* Tales etiam ſunt formulae: *digna res, propter quam vadimonium deſeras.* PLIN. *Hiſt. nat. praeſ. Aurem cui vellere,* VIRG. *Eclog. VI. v.* 3. *Omne punctum ferre,* HORAT. *de arte poet. v.* 343. *Nec tu aram tibi nec deprecatorem pararis.* TERENT. *Heaut. V,* 2. *v.* 22. *Cenſor vitio* vel *ſine populi ſuffragio creatus, faſces ſubmittere: ſcriptores proletarii vel capite cenſi, diuidere ſententiam,* & aliae innumerae, quas ex antiquitatibus Romanis explicandas eſſe, viri docti ad auctores veteres paſſim monent. Omnia enim haec ac vel ideo elegantiſſima ſunt, quod ritus antiquos ac formulas populi Romani ſollemnes

lemnes nobis in memoriam revocant.

Et adagia. XXXIIII. Nec gratia porro ac venuſtate carent *adagia*, quae in omnibus linguis idem praeſtare videntur, quod in cibis condimentum *). Sed cavendum, ne promiſcue omnes linguae idiotiſmos, aut comicorum iocos proverbia eſſe exiſtimes **), qua in re vel ipſe ERASMVS haud raro deceptus videtur ***).

*) Dici non poteſt, quantopere orationem ornent eiusmodi adagia. Plerumque enim, vt ex ARISTOTELE notat SYNESIVS, illa ſunt παλαιᾶς φιλοσοφίας ἐν ταῖς μεγίσταις ἀνθρώπων φθοραῖς ἀπολομένης ἐγκαταλείμματα, περισωθέντα διὰ συντομίαν καὶ δεξιότητα, *veteris philoſophiae inter maximas hominum ruinas intercidentis quaedam reliquiae, ob breuitatem dexteritatemque ſeruatae.* Quum vero ejusmodi adagia ſint inſtar condimenti: facile patet, inſulſam inſipidamque (potius, *moleſtam & grauem auribus: inſulſa* dicimus, quae nihil condimenti habent. G.) futuram orationem, adagiis iuſto pluribus reſperſam. Vnde recte monet CAVSSINVS *de eloquent. ſacra & prof. IIII*, 4. *p.* 189. *Erit in his adagiis obſeruandum, ne crebra & obſcura admiſceantur orationi: quod puerile eſt, & vitioſum. Sed, vbi res feret, commode quaſi gemmulae purpurae inſerantur: maxime vero in epiſtolari ſtilo, qui paroemiarum amoenitate cultius eniteſcit.* Vt exempla quaedam ſubnectamus: quid pulchrius eſt illis CICER. *ad diuerſ. lib. VII. epiſt.* 24. *Habes Sardos venales, alium alio nequiorem?* Quid elegantius illis TERENTII, *Eun. II*, 3. *v.* 89. *At enim iſthaec in me cudetur faba?* Ita eleganter CICER. *de legib. III*, 16. vtitur prouerbio *fluctus in ſimpulo mouet.* Immo & veteres aliquando initium tantum adagii, ſi notum & peruulgatum eſſet, obſeruamus adſcripſiſſe, itemque factitaſſe in HOMERI aliorumque poëtarum dictis, quae in primis celebrabantur, adducendis. Exemplum ex CICER. *lib. XIII. ad Attic. epiſt.* 23. attulit MVRET. *Var. lect. lib. X. cap.* 14. *Sed, quaeſo, epiſtola mea ad Varronem valdene tibi placuit. Male mihi ſit, ſi vmquam quidquam tam* INVITA, ſcilicet *Minerua.* Sic & *lib. VII. ad diuerſ. epiſt.* 28. *Et hoc tempore non ſolum ſapiens, qui hinc abſis, ſed etiam beatus, quamquam quis, qui aliquid ſapiat, nunc eſſe beatus poteſt? Sed quod tu, cui licebat, pedibus es conſecutus, vt ibi eſſes,* VBI NEC PELOPIDARVM, *noſti cetera: non idem propemodum conſequimur.* Integer enim locus poetae veteris, quem in animo habuit, talis eſt: *vbi nec Pelopidarum facta, nec famam audiam.* CICER. *lib. VII. ep.* 30. & *lib. XV. ad Attic. epiſt.* 11.

**) *Adagium* ſcilicet *eſt dictum acutum vulgari omnium ſermone tritum, quod plerumque ad factum aliquod amoenum aut ritum veterem, aut ſimile quid reſpicit.* Adagia non ſunt, I. quae nihil habent acuminis, v. c. *bene compoſitum par; ſimilis ſimili gaudet.* (Acumen vix poteſt intelligi niſi ex applicatione. G.) Nec II. hoc nomen merentur vnius vel alterius auctoris dicta, quantumuis acuta. Sic SVET. *Octau. c.* 87. notauit, Auguſtum quotidiano ſermone vſurpaſſe illa: *Ad Kalendas Graecas*, id eſt, numquam. *Contenti ſimus hoc Catone*, id eſt, contenti ſimus praeſentibus. *Velocius, quam aſparagi coquantur*, id eſt, *cito.* Sed haec quum Auguſto fuerint propria, vix adagia dixeris. (Interim prouerbiorum omnium origo inde repetenda, quod primus aliquis commode aliquid dixiſſe viſus eſt, quem deinde vel ſeculi ſimplicitas, vel certa ratione imitati ſunt alii. Si quis Auctoris circumſcriptiones adhibere omnes velit, pauca relinquentur proverbia. G.) Idem cenſendum III. de linguae idio-

idiotiſmis, aut veterum poëtarum ſententiis. e. g. *actum agit ; fluctus numerat ; feſtina lente. Quid tanto dignum feret hic promiſſor hiatu ? Magno conatu maximas nugas agit.* Elegantia haec non carent, ſed non tamen ſunt in prouerbiis ponenda.

***) Multas poëtarum ſententias, multos idiotiſmos prouerbiis adſcripſit ERASMVS ROT. qui maiorem dediſſe operam videtur, vt chiliades, quam vt ſelectiores paroemias colligeret. MVRET. *Var. lect. XII, 16. & ſeq.* (Nempe non ea tantum collegit Eraſmus, quae in prouerbio iam eſſent, ſed quae apta eſſent ad recipiendam notam prouerbii. Si illa ponere ſola fuiſſet conſilium, de quibus conſtat, fuiſſe in prouerbio : altero vel tertio tanto minor fuiſſet ſuſcipiendus labos. G.)

XXXV. Denique & *ſententiae* acutae ſuo loco adhibitae maximopere ornant orationem *). Sed hic quoque cauendum, *ne quid nimis* **), aut ne vulgaria quaedam de moribus praecepta ſubinde inculcando, egregii quidquam dixiſſe nobis videamur ***). Et ſententiae.

*) Sententiarum virtutes ſunt, I. acumen, II. rotunditas, i. e. ſi concinna periodo concluſae ſint, III. & ſapientia, vt aliquod praeceptum complectantur. Tales ſunt illae SENECAE *de vit. beat. c. 30. Sententiam ſemper vnius ſequi, non vitae eſt, ſed factionis.* Et *de benefic. III, 17. Gratum hominem ſemper beneficium delectat ; ingratum ſemel.* Aſt ſi dixeris: *omnium rerum primordia a precibus fieri debent*, vix hoc ſententiae nomen merebitur. Sapiens quidem eſt hoc praeceptum, ſed nec acutum nec rotundum.

**) Recte ait AVCT. AD HEREN. IIII, 16. *Sententiae in oratione non debent frequentari, ne magis viuendi praeceptores, quam rei actores videamur.* Add. BVCHN. *de commut. rat. dicendi II, 7, 11. p. 459.*

***) Neſcio quid vulgare ſapit ſententioſa eiusmodi, quam vocant, eloquutio. Vulgus enim quam ſaepiſſime vtitur ſententiis, quamuis parum acutis. Vnde & comici perſonis viliſſimis ſententias quam plurimas tribuere ſolent, v. c. TERENT. *Andr. I, 1.* Soſiam inducit, libertum frugi, qui paene vbique domino reſpondet, adhibitis ſententiis. Recenſente domino beneficia, reſpondet : *iſthaec commemoratio, quaſi exprobatio eſt immemoris beneficii.* Referente deinde illo filii ſui inſtitutionem & genium: nulli rei admodum addictum : iterum reſpondet Soſias : *id arbitror, adprime in vita eſſe vtile, vt ne quid nimis.* Laudante dehinc filii in parandis colendiſque amicitiis ſollertiam : denuo philoſophatur Soſias : *ſapienter vitam inſtituit, namque hoc tempore obſequium amicos, veritas odium parit.* Narrat inde Simo, quomodo occultos filii amores deprehenderit, rationemque reddit, cur eum tum haud obiurgarit. Quid hic Soſias ? Denuo philoſophatur, & ex ingenio ſuo depromit ſententiam. *Recte putas : nam ſi illum obiurges, vitae qui auxilium tulit, quid facias illi, qui dederit damnum aut malum?* Talia vulgo ſemper in ore ſunt. Vnde ſtilus eiuſmodi ſententioſus parum placet accuratioribus dicendi magiſtris. Vid. QVINCTIL. *Inſt. orat. VIII, 5.* qui etiam *X, 1.* Senecam reprehendit, *quod rerum pondera minutiſſimis ſententiis fregerit.*

(Obſeruandum diligenter diſcrimen inter *Gnomen*, i. e. ſententiam generalem, & *Noëma* ſ. ſententiam applicatam. Saepe magnam hoc habet venuſtatem, vbi illo vix ac ne vix quidem vti licet. G.)

XXXVI. Mirifice quoque ſibi nonnulli placent verſibus & he- An etiam verſus &

hemiſtichia?

miſtichiis poetarum, quae vbique orationi inſerciunt *). Sed quemadmodum horum vſus & periodorum concinnitatem perimit, & ipſius ſtili grauitati repugnat: ita vix laudem mereri videntur verſus proſae admixti, niſi vel teſtimonii cauſſa **), vel ob inſigne ſententiarum acumen ***) inſerantur, quod & ipſum tamen rarius fieri debet ****). *In elegantiore ſermone rectius feceris, ſi dicta eiusmodi poetica ſolutiore ſtilo exprimas* *****).

*) Talis eſt recentiorum quorumdam ſtilus, in primis LIPSII, BAVDII, & e theologis DANHAVERI, FR. SPANHEMII aliorumque, qui dici non poteſt, quantum ſibi frequentiſſimo illo verſuum atque hemiſtichiorum vſu placeant. E veteribus DIO CHRYSOSTOMVS hoc dicendi genere delectatus eſt. (I. LIPSIVS verſus & teſtimonia poëtarum raro, nonnumquam tamen, inſeruit epiſtolis ad eos, quos illa re delectari putabat. Deinde antiquitatum & doctrinae politicae libros ſtudioſe contexuit alienis dictis, auctoritatis cauſſa. Sed vbi eloquentia opus eſt, plane abſtinet: minime proinde in hac claſſe abutentium verſibus collocandus erat. G.)

**) Teſtimonii cauſſa quoſdam poëtarum verſus ſaepe adhibet CICERO in libris philoſophicis & rhetoricis, maxime ex ENNIO, & EVRIPIDE. Nec in epiſtolis deſunt exempla. Vid. *epiſt. ad diuerſ. I, 9.* vbi ſex verſus integros e TERENTII *Eunucho* inſerit, vt & *epiſt. VIII, 26. XIII. 16.* Eodem exemplo poëtarum teſtimonia ad partes ſaepiuſcule vocant SENECA, & PLINIVS, ſed non niſi in ſcriptis didacticis & epiſtolis. In litterario enim puluere, & inter amicos, haec locum inueniunt. Sed in orationibus, vbi grauitas ſtili viramque paginam facit, non temere eiusmodi floſculis vtendum. DEMOSTHENES ſane, CICERO & PLINIVS in orationibus ſuis a poëtarum teſtimoniis vel plane abſtinuerunt, vel ea mutato orationis genere protulerunt. Pauculi verſus leguntur *in orat. in Piſon. cap.* 18. & pro *Muraen. cap.* 14.

***) Ineſt enim nonnunquam poëtae cuiusdam dictioni aliquid acuminis quod mutato verſu periturum videbatur. Hic non indecorum erit, ipſum verſum inſerere, ſi cum iis agimus, quorum ad palatum ſunt eiuſmodi lautitiae. Sic SENECA *de ira II, 16. In frigora ſeptemtrionemque vergentibus immanſueta ingenia ſunt, vt ait poëta,*

- - ſuoque ſimillima coelo.

Et epiſt. 82. Facile prouocabas mala abſentia: ecce dolor, quem tolerabilem eſſe dicebas: ecce mors, quam contra multa animoſe loquutus es: ſonant flagella, gladius micat:

Nunc animis opus, Aenea, nunc pectore firmo.

****) Vtendum ergo his verſiculis rarius, & maxime I. in epiſtolis ad familiares, non aeque in elaboratioribus, quales ſunt v. c. dedicatoriae ad viros magnos ſcriptae; II. in ſcriptis didacticis, ſi cum eiusmodi hominibus nobis res eſt, qui auctoritati permultum deferunt. Abſtinendum autem ab iis in panegyricis, & in omni oratione graui, quales ſunt theologicae, & ciuiles. Certe parcius & modeſtius his inſpergendi ſunt verſus.

*****) Vt exemplo rem illuſtremus: CVNAEVS in *Satira Menipp. Sardi venal. p.* 411. haec habet: *profecto hoſpes, nec quidquam Deus haec ſpatia ſedeſque ab orbe veſtro abſcidit; ſi tamen vos terrae fines tranſilitis, & haec ignota ac peregrina viſitis. Nihil deinceps mortalibus arduum erit, coelum ipſum adibitis tandem, & quidquid praeterea homini, dum in terra vitam agit, negatum eſt.* Nemo ignorat, HORATII haec omnia

eſſe,

eſſe, qui *libro* I. *Carm. Od. III.* ita canit:

Nec quidquam Deus abſcidit
Prudens Oceano diſſociabili
Terras: ſi tamen impiae
Non tangenda rates tranſiliunt vada.

Et paucis interiectis;

Nil mortalibus arduum eſt,
Coelum ipſum petimus ſtultitia.

Quanto concinnius haec omnia ſolutiore ſtilo protulit CVNAEVS? Sic & ipſe CICERO aliique auctores veteres ſaepe vſi ſunt poëtarum teſtimoniis alia veluti veſte indutis, ceu pluribus exemplis in Variis Lectionibus paſſim demonſtrauit M. ANT. MVRETVS. Elegans in primis eſt exemplum in CICER. *Cat. mai. cap.* 2. vbi eum verba EVRIPIDIS:

τὸ δὲ γῆρας ἄχθος ἀεὶ
βαρύτερον Αἴτνας σκοπέλων
ἐπὶ κρατὶ κεῖται.

ita videmus expreſſiſſe: *Senectus plerisque ſenibus tam odioſa eſt, vt onus ſe Aetna grauius dicant ſuſtinere.* Vid. MVRET. *Var. VII*, 15. & *XI*, 12. vbi locum SOPHOCLIS a CICERONE expreſſum producit.

XXXVII. Sed ſufficiant haec quidem de ornata oratione. Reliquum eſt, vt, quomodo APTE dicendum ſit, doceamus. Quum enim aeque abſonum ſit, omni orationi eumdem characterem, ac omni perſonae easdem veſtes aptare: noſtra omnino intereſt, varias dicendi formas vel characteres in numerato habere, maxime quum ita plerumque de illis differant rhetores, ut quid ſibi velint, ſcias cum ignariſſimis *).

Apte dicimus, ſi varios dicendi characteres diſtinguimus.

(Iniquior erat, cum iſta ſcriberet Auctor, in LONGINVM, a Praeceptore ſuo, CHRISTI. THOMASIO, inductus ſcilicet, quod ſatis oſtendunt primae editiones huius libelli, in quibus locum bene longum ex cautelis Thomaſianis, hac parte non ſatis cautis neque acutis, hic intexuerat. Quod ſi legiſſet LONGINVM, praeſertim adiutore vſus TOLLIO, cuius praeſtantiſſima editio eſt, *Trai.* clↄ lↄc XCIV. 4. & Pearcianae, quantum ad rerum tractationem, multum praeferenda: aliter profecto iudicaturus erat vir doctus & acutus. Audacter dixerim, Ille ſe profeciſſe ſciat, qui LONGINVM intellexerit, intellectus enim quin placeat LONGINVS, non eſt dubium. G.)

*) Exemplo eſſe poterit DIONYSII LONGINI tractatus περὶ ὕψους *ſiue de ſublimitate*, cuius nitidiſſima & optima editio nuper prodiit cura ZACHAR. PEARCE, *Amſtelod.* clↄIↄccxxxiii. 8. *mai.* (Conf. IO. GVIL. BERGERI *de naturali pulcritudine orationis ad excelſam Longini diſciplinam illuſtri contineſitique. C. Iulii Caeſaris exemplo exacta, liber commentarius, cui Chreſtomathia Longiniana acceſſit.* Lipſ. clↄIↄccxx. 4. Add. eiusdem BERGERI *Diſſertationum academicarum ex auctoritate publica ſcriptarum* Viteb. & Lipſ. clↄIↄccxvii. 4. nonam. Praef. Ed. 6. G.) Quum ergo ita comparati ſint plerique rhetorum libelli, de formis ſtili, vt perlectis illis, repetere cogaris illa Demiphontis apud TERENT. *Phorm. II*, 4. v. 18.

- - - Feciſtis probe,
Incertior ſum multo quam dudum:

dabimus operam, vt rem omnem, quam fieri poteſt, dilucidiſſime proponamus. Et quidem ex genuinis fontibus, quos vbique bona fide indicauimus, non ex praelectionibus MSSc. SCHVRZFLEISCHII, cui nos haec obtigiſſe, ea, qua ſolet, modeſtia ſcripſit REINHARDVS quidam, qui homo neſcio virum ex ſuo ingenio alios aeſtimet, an ſibi perſuaſerit, praeter ſe neminem aliquid, niſi quod ex illis ſchedis hauſtum ſit, tradere poſſe. Equidem SCHVRZFLEISCHIVM tanti facio, vt me non

non puderet per eum profeciſſe, ſi mihi licuiſſet eſſe tam felici. At Deum teſtor, me nec eo tempore, quo hunc libellum ſcripſi, nec poſtea vmquam, ſchedas iſtas MSSC. vidiſſe, adeoque inſignem eſſe illam, quam REINHARDVS mihi fecit, iniuriam. Sed occallui iam ad iſtorum hominum voculas, qui magnam laudem in obtrectatione poſitam putant, neque quidquam cupidius faciunt, quam vt quidquid poſſunt, quacumque ratione poſſunt, ex aliena laude deterant, ſperantque tantum ſuae famae acceſſurum, quantum alienae detraxerint. At noſtra ſcilicet refert, quid REINHARDVS de nobis iudicet. Immo iudicet, fingatque, quidquid velit.

Si liuor obtrectare curam voluerit:
Non tamen eripiet laudis conſcientiam.

Stilus Laconicus.

XXXVIII. Primo itaque, quod ad breuitatem vel vbertatem ſermonis adtinet, ſtilus in LACONICVM, ATTICVM, RHODIVM, & ASIATICVM diſpeſci ſolet *). Stilus LACONICVS iuſto breuior, ac veluti abruptus eſt, in eoque conſiſtit, quod plura intelligi, quam legi, iubeat **). Hinc, niſi inter amicos, vix laudem aliquam meretur ***).

*) Omnes hae gentes Graece loquebantur, ſed ita, vt mirifice inter ſe diſcreparent. *Laconibus*, genti ambitioſae ac ſuſpicaci, breuis atque abrupta placebat oratio: *Atticis* breuis quidem & ſimplex, ſed acuta: *Aſiaticis* ventoſum diffuſiſſimumque dicendi genus. *Rhodii* denique Atticis paullo vberiores, at multo adſtrictiores Aſiaticis erant, adeoque prudenter orationis habitum efformarunt, inter Atticam macilentiam & Aſiaticam pinguedinem medium. Vid. QUINCTILIAN. *Inſt. orat.* *XII.* 10. & NIC. CRAGIVS *de republ. Lacedaem. III*, 6, 5. (De ICtis ita magnus vir BYNCKERSHOECKIVS obſeruat. VIII, 15. *Stilus ICtorum Atticus periit cum libertate Ro. Succeſſit Rhodius, quo plerique ICti vtuntur: poſtea Aſianus, quo vtitur Conſtantinus M.* Hoc forte optimum exemplum, quo triplex illa ſtili differentia illuſtrari poteſt. G.)

**) DEMETR. PHAL. *de eloquut. n. CII. p. 66.* Καὶ οἱ Λάκωνες πολλὰ ἐν ἀλληγορίαις ἔλεγον ἐκφοβοῦντες, *Lacones multa allegorice dicebant metum incuſſuri.* Eadem vero ratio, quae eos allegoriis occultare iuſſit ſenſa animi, etiam breue illud atque abruptum dicendi genus ſuaſit. Hinc idem DEMETR. PHAL. auctor eſt, eos aliquando ad verboſam Philippi Macedonis epiſtolam ita reſcripſiſſe Διονύσιος ἐν Κορίνθῳ, *Dionyſius Corinthi.* Plura hic intelligenda erant Philippo, quam legebat. Dicere volebant Lacones, *non eſſe, quod ſe iactaret, Spartaeque minaretur Philippus, fulgur e pelui dari. Non diuturna eſſe ſolere tyrannorum imperia. Dionyſium quoque, Siculis olim metuendum, nunc Corinthi viuere, in tanta rerum omnium penuria, vt ludimagiſtri munere fungatur. Forſan in fatis eſſe, vt eadem fortuna Philippum maneat, niſi cautior ſit aduerſus bona ſua, & opprimendae Graeciae conſilia abiiciat. Videret ergo, ne eius vitam imitaretur, cuius exitum perhorreſceret.* Vide quantum idearum tria iſta verba Διονύσιος ἐν Κορίνθῳ contineant? Non minus breues ſunt epiſtolae Laconicae, quas collegit ſcholiaſtes DIONIS CHRYSOST. *ad orat. LXIIII.* veluti: τοὶ Πέρσαι δυλίνοντι ἐκλόχαντι τοὶ Ἀθᾶναι. Ξενοφῶν ἐφυγαδεύθη; & ſimiles. Vnde STRABO *lib. I.* obſeruat, inter ὑπερβολὰς ἐπὶ ὑπερβολαῖς eſſet & illam: ἐλάττω δ' ἔχειν ἀγρὸν ἐπιστολῆς Λακωνικῆς. *agrum habere, minorem epiſtola Laconica.* Sed de βραχυλογίᾳ Λακωνικῇ plura ſcripſit IO. MEVRS. *Miſcell. Lacon. lib. III. cap. 3 & ſeq.*

***) Hinc Laconice nonnumquam

cum

cum Attico agit CICERO; cum amicis PLINIVS & LIPSIVS. Sed quum Lacones ſemper habiti ſint ἄμουσοι, nec vlla vmquam eloquentiae laude floruerint: (Vid. CICER. *Brut. cap.* 13. AELIAN. *Var. Hiſt.* XII, 50.) abſurdum eſſet, abrupto illo dicendi genere laudem conſectari velle.

XXXVIIII. Magis commendandum ATTICVM dicendi genus, in quo multae ideae paucis acutisque verbis proferuntur *). Talis eſt ſtilus THVCYDIDIS, XENOPHONTIS, ARISTOPHANIS. Aſt, quum LYSIAS & ISAEVS exile quoddam atque exſuccum dicendi genus inuenerint **): factum eſt, vt plures eorum imitarentur exilitatem, & ſibi ipſis Athenis magis viderentur Attici, ſi ſiccam atque ab omni ornatu alienam dicendi formam ſequerentur, quos grauiter reprehendit CICERO ***). Stilus Atticus.

*) Virtutes ergo Attici ſtili ſunt I. *breuitas*, (non ſimpliciter tamen: ſed in quantum argumento ea conuenit. Vid. omnino CICERO *Bruto c.* 82. vbi dedita opera errorem eorum refutat, qui breuitate cenſerent ſtilum Atticum, cum DEMOSTHENES non minus Atticus fuerit, quam LYSIAS. G.) II. omnis *tumoris* atque *affectationis fuga*, III. *acumen*, IV. *elegantia*. Hinc praeclare monet CICER. *Orat.* non ſufficere, vt in verbis nihil ſit inquinatum, abiectum, ineptum, durum, aut longe petitum: nec ſatis eſſe, ſi nihil in ſententiis abſurdum aut alienum, aut ſubinſulſum ſit: ſed exigi etiam vires, lacertos, ſanguinem, id eſt acumen & elegantem grauitatem. Sic Attica ſunt illa PLIN. *epiſt. I, 3. Tu modo enitere, vt tibi ipſe ſis tanti, quanti videberis aliis, ſi tibi fueris.* Breuia enim haec ſunt, recta, acuta, elegantia. Attica etiam illa *epiſt. I, 9. O rectam ſinceramque vitam! o dulce otium honeſtumque ac paene omni negotio pulchrius! o litus, verum ſecretumque μουσεῖον! quam multa inuenitis? quam multa dictatis? Proinde tu quoque ſtrepitum iſtum, inanemque diſcurſum, & multum ineptos labores, vt primum fuerit occaſio, relinque, teque ſtudiis vel otio trade. Satius eſt enim; vt Attilius noſter eruditiſſime ſimul & facetiſſime dixit, otioſum eſſe, quam nihil agere.* Sic pleraque apud PLINIVM ſunt breuia, ab omni tumore aliena, acuta, ac polita, id eſt ἀττικώτατα. Tali etiam dicendi genere in epiſtolis ad Atticum non infeliciter vtitur CICERO, in hiſtoria SALLVSTIVS, Thucydidis imitator; nonnumquam etiam SENECA, quamuis is ob nimiam ſententiarum frequentiam paullo tumidior videatur.

**) Sunt quidem LYSIAS eiusque diſcipulus ISAEVS venuſti ſcriptores, ſubtiles, puri, ſed tenues admodum & inornati. Unde QVINCTILIANVS, praeclarus ingeniorum cenſor, (*lib. X. Inſtit. cap.* 1.): *Lyſias ſubtilis atque elegans, & quo nihil, ſi oratori ſatis ſit docere, perfectius, nihil enim in eo eſt inane, nihil arceſſitum, puro tamen fonti quam magno flumini propior.* Duas itaque priores, vt & poſtremam ſtili Attici virtutem in hiſce oratoribus mirati ſunt veteres: aſt tertia illis plane defuit. Omnia enim ſimplicia ſunt, exilia, ſicca, vt vix quiuis ex plebe aliter potuerit loqui. (Nempe ſic ſcribebat cauſſas LYSIAS, quaſi haberentur ab ipſis litigatoribus, quibus nimirum eas ediſcendas daret. G.) Quum tamen multi maximam ſtili Attici virtutem, id eſt acumen, non animaduerterent: factum eſt, vt non paucis magis placerent LYSIAS, & ISAEVS, quam ipſe DEMOSTHENES, aliique ſcriptores ἀττικώτατοι. Atque hi demum Atticum dicendi genus in ſiccitate atque exilitate ſermonis quaeſiverunt.

***) CICER. *Orat.* 7. *ſeq.*

XL. Attico

Stilus Aſiaticus.

XL. Attico dicendi generi e diametro opponitur ASIATICVM, quod omnium eſt vberrimum *). Paucas enim ideas multis verbis exprimit, ita, vt, ſi copiam atque vbertatem tollas, vix quidquam admiratione dignum relinqui videatur **).

*) Initio Athenis tantum florebant eloquentiae ſtudia. Poſtea etiam in Aſia coli coeperant, CIC. *Brut. cap.* 13. *Vt ſemel e Piraeeo eloquentia euecta eſt, omnes peragrauit inſulas, atque ita peregrinata tota Aſia eſt, vt ſe externis oblineret moribus, omnemque illam ſalubritatem Atticae dictionis, quaſi ſanitatem perderet, ac loqui paene dediſceret. Hinc Aſiatici oratores, non contemnendi quidem, nec celeritate, nec copia, ſed parum preſſi, & nimis redundantes.* Add. c. 95. Poſtquam vero ſemel redundans illa orationis vbertas in deliciis eſſe coeperat: ipſas etiam Athenas inquinauit. Vnde PETRON. *Satir. cap.* 2. *Nuper ventoſa iſthaec & enormis loquacitas Athenas ex Aſia commigrauit, animoſque iuuenum ad magna ſurgentes veluti peſtilenti quodam ſidere afflauit, ſimulque corruptae eloquentiae regula ſtetit, & obticuit.* Denique & Romanos oratores Aſiaticae copiae ſtuduiſſe nouimus, maxime CICERONEM, qui ſaepe vix dicendi finem reperit. Vnde nec olim defuerunt, quibus iſte orator *inflatus & tumens, nec ſatis preſſus, ſupra modum exſultans & ſuperfluens, & parum Atticus videretur.* AVCT. *de cauſſ. corrupt. eloqu. cap.* 18. (Haec in CICERONEM adoleſcentem ex aliqua parte conueniant. Poſtea enim, apud Molonem Rhodium praecipue, hoc emendauit. Itaque Aſiatici ſtili ſpecimina forte ſuppeditauerit *Oratio pro Roſcio Amerino*; aliae non temere. G.)

**) Ait CICER. *pro Mil. cap.* 4. *Eſt haec non ſcripta, ſed nata lex, quam non didicimus, accepimus, legimus; verum e natura ipſa arripuimus, hauſimus, expreſſimus, ad quam non docti, ſed facti: non inſtituti, ſed imbuti ſumus, vt ſi vita noſtra in aliquas inſidias, ſi in vim, ſi in tela, aut latronum, aut inimicorum, incidiſſet, omnis honeſta ratio eſſet expediendae ſalutis.* Quantum hic verborum! Et tamen pauciſſimae hae ideae tot verborum phaleris teguntur: *ius naturale permittit moderamen inculpatae tutelae.* Aſiatico ergo ſtilo haec expreſſit CICERO. E recentioribus in orationibus ſuis plane Aſiaticus eſt M. ANT. MVRETVS, qui ipſum nonnumquam CICERONEM copia videtur ſuperare.

(Vocet aliquis, ſi ita volet Aſiatica. Dummodo Demoſthenem Atticae eloquentiae exemplar ita locutum, idem agnoſcat. Ridiculus fuiſſet CICERO, ſi illam philoſophicam enunciationem, *Ius naturale permittit moderamen inculpatae tutelae* in conuentum iudicum & populi attuliſſet. Vtrum aliquid abundet, iudicandum eſt ex conditione audientium; Si ita inſtituere velis oratorem, vt ad pauciſſimas ideas referat orationem: perierit e rebus eloquentia & humanitas: praelegatur in templis Decalogus & Symbolum Apoſtolorum. Faceſſant Chryſoſtomi. Sed nimirum ad hoc valet illa quondam domina rerum eloquentia, vt ab omni parte, & omnibus quaſi anſis ſuis, res offeratur auditoribus: vt omnes velut aditus ad illorum animos tententur, vt pugnetur contra negligentiam, & quibusvis machinis excitetur & conſeruetur attentio. Non qui hoc recte facit, eo minus Atticus eſt, ſi copioſus eſt. Sed hoc Atticum eſt, ſiue multis verbis dicas ſiue paucis, nihil dicere quod ſanum non ſit, quod non ad rem, ad cauſſam, ad conſilium dicentis, ad perſuadendum, faciat. Poteſt permitti Auctori noſtro, ut Aſiaticum dicat genus dicendi copioſiſſimum. Modo meminerimus, veteres vitii nomen hoc voluiſſe & luxuriei, a quo CICERONEM poſt reditum a peregrinatione, poſt-

quam honores gerere coepit, liberant, qui iudicare de oratione ſine inuidia poſſunt. G.)

Stilus Rhodius.

XLI. Preſſius Aſiatico, Atticoque paullo plenius eſt genus dicendi RHODIVM, adeoque mediocritatem ſeruat, & ſimilitudinem quamdam inter verba atque ideas *). Vnde & maximam meretur laudem **). Ceterum non melius hos eloquutionis charactheres diſtinguas, quam ſi vnam eamdemque propoſitionem diuerſis dicendi formis expreſſam, tibi ob oculos ponas ***).

*) Talis plerumque eſt ſtilus CORN. NEPOTIS, C. IVL. CAESARIS, T. LIVII, (in primis vero M. TVLLII. G.) quorum lectio ideo maxime commendanda eſt adoleſcentibus. Quam iuſtum orationis habitum conſpicimus in illis CORN. NEP. *Attic. cap.* 13. *Vſus eſt familia, ſi vtilitate iudicandum eſt, optima, ſi forma, vix mediocri. Namque in ea erant pueri litteratiſſimi, anagnoſtae optimi, & plurimi librarii, vt ne pediſſequus quidem quiſquam eſſet, qui non vtrumque horum pulcre facere poſſet.* Nihil hic abruptum, nihil redundans, nihil quod aut addi aut demi, ſaluo ſtili nitore poſſit. Et talem quidem eſſe oportet ſtilum RHODIVM.

**) Laudat ſtilum Rhodium CICER. *Brut. cap.* 13. *Rhodii oratores Aſiaticis ſaniores, & ſimiliores Atticis.* Et ſane, quum *Lacones* iuſto ſint breuiores, *Aſiatici* nimis redundantes: facile adparet, *Atticum Rhodiumque* dicendi genus eſſe ceteris omnibus longe anteponendum. Origo ſcholae rhetoricae, quae Rhodi diutiſſime floruit, ab Aeſchine eſt, qui exſul ibi docuit, & teſte PLVTARCHO *de X. orat.* σχολὴν ἐκεῖ προσκατέλιπε, τὸ Ῥοδιακὸν διδασκαλεῖον κληθὲν, *reliquit ibi ſcholam, quae Rhodiaca adpellata.* Add. QVINCTILIAN. *Inſt. orat. lib. XII. cap.* 10. Hinc & principes Romani, quos dicendo valuiſſe nouimus, Rhodum ad audiendos rhetores, in primis APOLLONIVM MOLONEM, confluebant, veluti C. Iulius Caeſar, SVETON. *Iul. cap.* 4. M. Tullius Cicero, AVREL. VICTOR. *de vir. illuſtr. cap.* 4. M. Iunius Brutus, ID. *ibid. cap.* 5. Caſſius, APPIAN. *de bello ciuil. lib. IIII.* Conf. IO. MEVRS. *de Rhodo lib. I. cap.* 11.

***) Eſto propoſitio: *ſtudia optimarum artium perpetuo nobis proſunt.* Hanc *Attice* ita exprimit PLIN. *epiſt. I,* 3. *Reliqua rerum tuarum poſt te alium atque alium dominum ſortientur: hoc numquam tuum deſinet eſſe, ſi ſemel coeperit.* Idem *Aſiatice* eloquitur CICER. *pro Arch. cap.* 7. *Nam ceterae res neque temporum ſunt, neque aetatum omnium, neque locorum; haec ſtudia adoleſcentiam alunt, ſenectutem oblectant, ſecundas res ornant, adverſis perfugium as ſolatium praebent, delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiſcum, peregrinantur, ruſticantur.* Iam ſi ita diceres: *quum reliquarum rerum omnium non admodum ſit diuturna poſſeſſio: ſola optimarum artium ſtudia omnium temporum ac locorum eſſe videntur.* Rhodius hic ſtilus eſſet futurus.

Quis horum praeferendus?

XLII. Si quaeras, quodnam horum dicendi generum maxime probandum ſit: iam monere me memini, nec Laconicum, nec Aſiaticum multum laudis habere. Danda tamen opera, ne quid inuita Minerua tentemus. Alia ingenia ad CICERONIS vbertatem, alia ad PLINII preſſiorem ſtilum, alia ad CORNELII NEPOTIS, aut CAESARIS medium characterem natura feruntur *). Multum vero

in cultiore Latinitate proficiet, quicumque naturam ſequetur. Deinde in adoleſcentibus magis laudanda orationis redundantia, quam in viris, quos decet ſenſim amputare luxuriantem illam verborum ſiluam, & vel ad Atticam, vel Rhodiam, dicendi formam ſenſim adſpirare **).

*) Quo vero tendat ingenium, facillime colliget ex ipſa auctorum lectione. Solent enim ea nobis legentibus quam maxime ſeſe probare, quae genio noſtro conueniunt. (Cautione hic maxima opus eſt, ne fiat, quod in moribus, vbi deteriora placent plerisque. Optimum eſt initio bono ſe praeceptori committere, & iudicio peritorum optimos diligenter legere. Iſocrates apud CICER. de *Orat. III. c. 9.* plane contrariam viam ei, quam hic Auctor ſuadet, ingreſſus eſt. G.)

**) Adoleſcentiam non dedecet illa verborum redundantia: ſed ſenectus aliquid grauius deſiderat. Et profecto ipſa natura ita comparatum eſt, vt ingraueſcente aetate cum rerum omnium, tum verborum, paullatim reddamur parciores. Notatu dignum eſt exemplum HORTENSII, de quo CICERO *in Bruto cap. 95. Sed ſi quaerimus, cur adoleſcens magis floruerit dicendo, quam ſenior, cauſſas reperiemus veriſſimas duas. Primum, quod genus erat orationis Aſiaticum,* ADOLESCENTIAE *magis conceſſum, quam ſenectuti.* Et, paucis interiectis: *Haec autem, vt dixi, genera dicendi aptiora ſunt* ADOLESCENTIBVS: *in ſenibus grauitatem non habent.* Quemadmodum ſcilicet in puellae ornatu multa tolerantur, quae matronam parum decent: ita in adoleſcentia laudem aliquam habet diffuſum illud orationis genus, quod parum probatur in ſenibus.

Altera ſtili diviſio.

XLIII. Quemadmodum vero hi orationis characteres ad ſtili *quantitatem* pertinent: ita, quod ad eiusdem *qualitatem* attinet, aliud eſt MAGNIFICVM, aliud MEDIOCRE, aliud TENVE dicendi genus *); cui totidem opponuntur dicendi formae vitioſae, ſtilus videlicet FRIGIDVS vel TVMIDVS, INCONSTANS vel INAEQVALIS, ac denique SICCVS **). Multa de his praecipiunt rhetores, ſed, quibus perlectis, vix capies horum characterum differentiam ***). Operam ergo dabimus, vt, quoad fieri poterit, dilucidiſſime & hanc doctrinam explicemus.

*) Ita plerique rhetores, & ipſe etiam CICERO, *Orat. ad Brutum lib. I.* & e poëtis etiam AVSONIVS *in Gripho:*

Trinum dicendi genus eſt, SVBLIME, MODESTVM,
Et TENVI *filo.*

Nec rei natura repugnat. Quidquid enim pulcrum videtur, aut *grande*, aut *mediocre*, aut *tenue* eſt. DEMETR. PHAL. tamen *de eloquut. 36.* paullo aliter init rationem, quatuorque ponit dicendi genera, quorum primum vocat ἰσχνὸν, ſiue *tenue*, alterum μεγαλοπρεπὲς, ſiue *magnificum*, tertium γλαφυρὸν, ſiue *ornatum*, & ultimum denique δεινὸν, ſiue *graue*. Sed & EMPORIVS *de ethopocia* hanc & ſuperiorem diuiſionem confundit, dum ſcribit: *Tres figurae*, VASTA, HVMILIS, TEMPERATA, quos *characteres Graeci vocant* ASIATICVM, ATTICVM, RHODIVM. Ex quo patet, ipſis olim rhetoribus parum inter ſe conveniſſe. Sed quum oratio magnifica etiam grauis atque ornata; ornata vero etiam magnifica eſſe poſſit: primam diuiſionem huic alteri merito praeferimus.

**) Vid.

**) Vid GELL. *Noct. Attic. VII.* 14.

***) Quam parum veteres rhetores hanc ſtili differentiam ipſi videantur intellexiſſe, vel ex iis adparet, quae DEMETR. PHALEREVS de his characteribus, & DIONYSIVS LONGINVS de ſtilo ſublimi diſſerunt. Ille eam demum orationem putat magnificam, quae habeat numeros accurate dimenſos, membra prolixiora, dictionem circumductam, verba aſperiora, figuras ſonoras, vocales concurrentes, ſententias graues. Sed quis haec omnia ſtilum magnificum efficere dixerit? Paullo melior DIONYSIVS LONGINVS: ſed ita, vt nec ipſe omnia exhaurire videatur. Verum quidem eſt, ex praeceptis rhetorum & exemplo optimorum poetarum Iouis imperantis orationem breuem & concitatam eſſe debere, talemque breuitatem ſummis perſonis digniſſimam eſſe, ceu elegantibus teſtimoniis atque exemplis oſtendit V. C. PETR. BVRMANNVS *ad Valer. Flacc. Argonaut. lib. IIII. v.* 78. Sed aliud eſt genus dicendi breue, & concitatum, aliud ſublime. Breue eſt illud VIRGILII *Aen. IIII. v.* 237.

Nauiget, haec ſumma eſt, hinc noſtri nuntius eſto. Sed nihil ego hic ſublime aut magnificum video.

(Non ſcripturus illa fuerat de DEMETRIO PHALEREO (quisquis ille ſit) atque LONGINO vir magnus (ſed cum iſta commentaretur, quae poſtea abiecit, iuuenis, & a praeſidiis, quae lectione comparantur, imparatus). Non igitur ſcripturus illa fuerat, ſi aureolos libellos legiſſet, quos *coticulas ingeniorum*, tum qua poliantur, tum qua explorentur, vere dixeris. Breuis eſt DEMETRII libellus, miſere truncatus LONGINI: ſed quae ſuperſunt magiſtrum referunt praeſtantiſſimum. Aequi ſimus erga hos, vt erga alios artifices. Vni pictori, vni muſico, de arte ſua plus creditur, quam mille imperitis, qui ſe quoque aures & oculos habere, clamitare poſſunt. Apelles Alexandro, & Megabyzo Zeuxis imponunt ſilentium. Caeterum quidquid boni in hoc argumento vel auctor noſter, vel recentiorum quisquam dixit, illud acceptum referri debet his, quos laudamus, & multo plura, quae praetermiſit, recte ille quidem, tanquam ſubtiliora, quam quae tironibus proponi, vt nunc res ſunt, debeant: ſed male, quod contemſit. Conf. quae ad §. 37. diximus. Illud vnum lubet addere ipſius LONGINI c. 6. Ἡ τῶν λόγων κρίσις πολλῆς ἐστι πείρας τελευταῖον ἐπιγέννημα, vbi longi vſus & multorum experimentorum vltimum ait eſſe fructum & florem illam de oratione dextre iudicandi facultatem. G.)

XLIIII. TENVEM ergo, vt ab hoc ordiamur, illum vocamus ſtilum, qui Latinus quidem & concinnus, ſed minime ornatus eſt*). Nuda ergo haec oratio eſt, recta, & venuſta, omni ornatu orationis tamquam veſte detracta. Contra, ſi vel Latinitas parum pura, vel oratio parum concinna ſit, nec ſententiae quidem admodum graues ſubſint: naſcitur inde genus dicendi SICCVM**). Stilus tenuis, eique oppoſitus ſiccus.

*) Talis eſt ſtilus PHAEDRI, C. IVLII CAESARIS, nonnumquam etiam CICERONIS in epiſtolis ad diuerſos. Sic & SVETONIVS raro vltra ſtilum tenuem adſurgit. Ait hic *Iul.* 1. *Iulius Caeſar diuus annum agens ſextum decimum patrem amiſit, ſequentibusque flamen dialis deſtinatus, dimiſſa Coſſutia, quae familiae equeſtri, ſed admodum diues, praetextato deſponſata fuerat; Corneliam, Cinnae, quater conſulis, filiam duxit vxorem, ex qua illi mox Iulia nata eſt.* Omnia hic Latina ſunt & concinna: ſed nullum vides ornamentum, nihil quod inge-

nium prodat. Atque ita fere ſemper humi ſerpit (certe pedibus incedit, cum priuatam fere vitam ſibi ſcribendam ſumſerit, G.) SVETONIVS. At tenue tamen dicendi genus CAESARI tribuendum eſſe negat vir celeberrimus, IO. GVIL. BERGERVS *de naturali pulcritud. orat. p. 64.* Sed id fortaſſis de eius orationibus olim verum fuerit. Quod enim ad commentarios de bello ciuili & Gallico attinet, quos ſuperſtites eſſe voluit fortuna, de iis iam recte iudicauit Brutus apud CICER. *in Bruto cap. 75. Atque etiam commentarios quosdam ſcripſit rerum ſuarum, valde quidem, inquam, probandos. Nudi enim ſunt, recti, & venuſti, omni ornatu orationis, tanquam veſte, detracto.* Quae ſane non eſt niſi tenuis orationis deſcriptio. (Regeret Ill. BERGERVS, poſſe corpus nudum eſſe, & tamen non tenue aut *iunceum*, ſed *habitius, ſolidum & ſucci plenum*, quale eſt apud Terentium. G.)

**) Non opus eſt exemplis. Plura quotidie prela typographorum fatigant ſcripta quouis pumice ſicciora. Modo enim Latinitas iis deeſt, modo concinnitas; modo ſententiae tam abſonae ſunt, vt ſine indignatione legi vix poſſint.

Stilus mediocris, eique oppoſitus inaequalis.

XLV. MEDIOCRE dicendi genus adpellamus, quod & concinnum, & praeterea ornatum eſt *). In quo ſi quis ſibi parum conſtans, puris impura; concinnis diſſoluta, ornatioribus incomta miſceat: naſcitur inde ſtilus INCONSTANS vel INAEQVALIS, quo vix vllus poterit reperiri abſurdior **).

*) Dabimus exemplum mediocris ſtili ex PETRONII *Satirico cap. 3. Adoleſcens, quoniam ſermonem habes* NON PVBLICI SAPORIS, *&, quod rariſſimum eſt, amas bonam mentem, non fraudabo te arte ſecreta. Minimum in his exercitationibus doctores peccant, qui neceſſe habent* CVM INSANIENTIBVS FVRERE. *Nam niſi dixerint, quod adoleſcentuli probent, vt ait Cicero, ſoli in ſcholis relinquentur; ſicuti* FICTI ADVLATORES, *quum coenas diuitum captant, nihil prius meditantur, quam id, quod putant gratiſſimum auditoribus fore, (nec enim aliter impetrabunt, quod petunt, niſi quasdam* INSIDIAS *auribus fecerint): ſic eloquentiae Magiſter, niſi, tamquam* PISCATOR, EAM *impoſuerit hamis* ESCAM, *quam ſcierit adpetituros eſſe piſciculos, ſine ſpe praedae moratur in ſcopulo.* Et *cap. 4. Quid ergo eſt? parentes obiurgatione digni ſunt, qui nolunt liberos ſuos* SEVERA LEGE *proficere. Primum enim, ſicut omnia,* SPES *quoque ſuas* AMBITIONI *donant: deinde, quum ad* VOTA *properant,* CRVDA *adhuc* STVDIA *in forum* PROPELLVNT, *& eloquentiam, qua nihil eſſe maius confitentur,* PVERIS *induunt adhuc naſcentibus.* Haec PETRONIVS. Vides, omnia non ſolum Latina & concinna, verum etiam ornatiſſima eſſe. Si enim tot elegantes translationes, tot praeclara epitheta, tot inſignes imagines ac ſimilitudines, aliaque, quae litteris maiuſculis expreſſimus, conſideraueris, non negabis, totam orationem terſam eſſe atque ornatiſſimam.

**) Solet hoc illis contingere, qui hanc vel illam dictionem elegantiorem, aut integras etiam ſententias ornatiores bonis auctoribus ſublegunt, atque huic purpurae deinde ſuas adtexunt lacinias. Sic enim fit, quod ait HORATIVS *A. P. 22. Amphora coepit Inſtitui, currente rota cur vrceus exit?* Exempla paſſim proſtant. (Praeſertim apud imitatores, qui illud imitari putant, cum centones ſuunt ex pannis diuerſi generis. G.)

Stilus magnificus.

XLVI. MAGNIFICAM denique orationem non ſolum Latinam,

nam, concinnam, & ornatam, verum etiam ſublimem eſſe decet. Sublimis vero fit oratio, ſi & verba ſelectiora *), & ſententiae graues atque acutae **), & figurae denique adfectibus ciendis idoneae ***), frequentius adhibeantur.

*) Sublime ergo tum in *verbis* quaero, tum in *ſententiis*, tum in *figuris*. Fatendum equidem eſt, altitudinem illam, quam LONGINVS ὕψος adpellitat, magis in ipſis ſententiis grandibus, quam verbis, ſitam eſſe: BERGER. *de nat. pulcr. orat. p.* 347. Sed ideo non exiſtimandum eſt, verbis nihil magnificentiae ineſſe. Obſeruat ſane hoc dicendi magiſter optimus, QVINCTILIAN. *Inſt. orat. lib. VIIII. cap.* 4. *Nam quis dubitat, alia lenius, alia concitatius, alia ſublimius, alia pugnacius, alia grauius eſſe dicenda? Grauibus, ſublimibus, ornatis, longas magis ſyllabas conuenire? ita, vt lenia ſpacium,* SVBLIMIA *&* ornata CLARITATEM *quoque vocum poſcant potius, quam his contraria?* Ad ſublimitatem aliquid conferunt I. *Verba prolixiora*, maxime *decompoſita*, dummodo non ſint poetica & dithyrambica. Sic ſtilo ſublimi aptiora ſunt *alleuamentum*, quam ſolatium, *effeminatus*, quam *muliebris*, *contumaciſſimus*, quam *contumax*. II. *Verba* ἐμφατικώτερα. Sic pro *deſperatio inceſſit animos*, ſublimius dixit BVCHNERVS: *deſperatio* LYMPHAVIT *animos, & veluti furiis quibusdam* INSTINXIT. III. *Verba a rebus grandibus translata*, BVCHNER. *orat. paneg. III. p.* 63. *neque ignoras,* PROVIDENTISSIME PRINCIPVM, *quae inimici fati* TRVCVLENTIA, *quae impotentis* TVRBINIS *vis incubuerit adhuc, quantumque malorum inuexerit nobis contumaciſſimus belli* FVROR. *Ergo quum iam redire vobiſcum in gratiam iratum videatur numen, quum* EVANESCERE *incipiant* NVBES, *quae paullo ante tot triſtia circum* FVLMINA *eiaculabantur, tranquilliorque* FVLGERE SERENITAS, cet. ſublimia haec omnia ac magnifica, quia translata a rebus grandibus. Porro huc pertinent IIII. *Epitheta* ἐμφατικὰ καὶ αὐξητικὰ, qualia in ſuperiore BVCHNER. loco ſunt *inimici fati truculentia, impotentis turbinis vis, contumaciſſimus belli furor, tranquillior ſerenitas, vagata late ruina, cet.*

**) Non verba ſolum ſublimem efficiunt orationem, ſed maxime etiam ſententiae. Eas eſſe oportet I. *acutas*. Recte DEMETR. PHALER. *n. LXXVII.* obſeruat, extra conſuetudinem eſſe debere orationem magnificam. Ἡ γὰρ κυρία, καὶ συνήθης σαφὴς μὲν ἀεὶ, τῇ δὲ καὶ εὐκαταφρόνητος. *Propria enim, & ex conſuetudine loquutio plana quidem ſemper erit, ſed hac de cauſſa etiam abiecta.* Iam vero maxime extra conſuetudinem ſunt ſententiae acutae, atque hinc magnifico characteri conuenientiſſimae. Regnat in eo genere PLINIVS in *Panegyrico*. Nos iam pauca exempli loco adducemus ex *capite* 19. *Eſt haec natura ſideribus, vt parua & exilia validiorum exortus obſcuret: ſimiliter imperatoris aduentus legatorum dignitas inumbratur. Tu tamen maior omnibus quidem eras, ſed ſine vllius deminutione maior: eandem auctoritatem praeſente te quisque, quam abſente, retinebat: quin etiam plerisque ex eo reuerentia acceſſerat, quod tu quoque illos reuerebare. Itaque perinde ſummis atque infimis carus, ſic imperatorem commilitonemque miſcueras, vt ſtudium omnium laboremque, & tamquam exactor intenderes, & tamquam particeps ſociusque releuares. Felices illos, quorum fides & induſtria non per internuntios & interpretes, ſed ab ipſo te, nec auribus tuis, ſed oculis probantur! Conſequuti ſunt, vt abſens quoque de abſentibus nemini magis, quam tibi, crederes.* Nulla hic periodus, quam non acumen commendet. Eodem pertinent II. *ſententiae graues* de rebus diuinis, ciuilibus, naturalibus, quae ipſae per ſe grande quid & magnifi-

magnificum prae ſe ferunt. Quam grauis v. c. eſt illa ſententia PLINII *Paneg. cap.* 45. §. 5. *Flexibiles quamcumque in partem ducimur a principe, atque, vt ita dicam, ſequaces ſumus. Huic enim cari, huic probati eſſe cupimus: quod fruſtra ſperauerint diſſimiles; eoque obſequii continuatione peruenimus, vt prope omnes homines vnius moribus viuamus.* Et interiectis quibusdam: *nam vita principis cenſura eſt, eaque perpetua: ad hanc dirigimur, ad hanc conuertimur: nec tam imperio nobis opus eſt, quam exemplo.* Eiusmodi loci communes dici non poteſt, quantam ſublimitatem concilient orationi. Eodem pertinent III. *ſimilitudines a rebus grandibus petitae, exempla heroica, teſtimonia atque apophthegmata virorum maximorum.* Sic quando BVCHNERVS *orat. paneg.* IIII. *p.* 97. tractat locum communem de ſalute principis, qua communis omnium ſalus contineatur: primo adfert exemplum Auguſti, cui Puteolos praeteruehenti nautae acclamarint: *per illum ſe viuere, per illum nauigare, libertate atque fortunis per illum frui.* Deinde ſimilitudinem addit, petitam a diuina prouidentia, quae omnia foueat ac tueatur per vniuerſum orbem. Vtraque amplificatio grandis ac ſublimis eſt.

***) Grandem orationem reddunt ſchemata, cum omnia, tum ea cumprimis, quae vel ſplendorem conciliant orationi, vel ad adfectus excitandos ſunt comparata. Talia ſunt *interrogatio*, Συμπλοκὴ, *exclamatio*, *apoſtrophe*, *proſopopoeia*, *ſermocinatio*, *cet.* quamuis in his quoque tenendus ſit modus, ne in *parenthyrſum* euadat ſublimitas.

(Hic ſumi in manus debet *oratio pro Lege Manilia*, *poſt reditum ad Quirites*, *pro M. Marcello*, aut ſimilis, & , quae hic praecepta ſunt obſeruata a TVLLIO eſſe, oſtendi. G.)

Eique oppoſitus frigidus.

XLVII. Sublimi characteri opponitur FRIGIDVS. Frigus vero oboritur, quoties quis vel de rebus exilibus grandi ac phalerato orationis genere diſſerit *), vel ineptis hyperbolis **), acuminibusque parum argutis ***), vel epithetis denique abſurdis ****) vtitur.

*) Commune id vitium fuit auctoribus ſequioris aeui. Stilum ſublimem adfectarunt CASSIODORVS, SIDONIVS APOLLINARIS, SYMMACHVS, etiamſi de rebus exilibus diſſererent. E patribus maxime frigidus videtur TERTVLLIANVS, in primis in libello *de pallio.* Tam tenuem enim cauſſam acturus, tantis incedit cothurnis, vt in Philippum inuectus DEMOSTHENES non grauius ſublimiuſque loqui potuiſſet. (Frigus eſſet, ſi ſerio ſcripſiſſet: ſed Satira eſt, vt IVLIANI MISOPOGON. v. ad §. 54. extr. G.) Conf. SAM. WERENFELS *diatribe de Meteoris Orationis, & de Logomachiis Eruditorum.*

**) DEMETR. PHAL. *n. CXV. p.* 72. Ἐκ γὰρ τοῦ ὑπερβεβλημένου τῆς διανοίας καὶ ἀδυνάτου ἡ ψυχρότης. *Ex eo enim, quod ſuperat modum in ſententia, quodque item effici non poteſt, exoritur frigus.* Ipſe DEMETRIVS exemplum adducit locum auctoris neſcio cuius, qui lapidem deſcripturus, a Cyclope in nauem Vlyſſis proiectum: φερομένου, inquit, τοῦ λίθου αἶγες ἐνέμοντο ἐς αὐτῷ, *quum lapis ferretur, caprae in ipſo paſcebant.* Nihil eſt hac hyperbole frigidius. Talia etiam haud rara apud FLORVM. Iam ſupra frigidam eiusmodi ὑπερβολὴν de nauibus M. Antonii adducere me memini. Iam aliam addo ex *lib.* II. *cap.* 17. *Decimus Brutus aliquanto latius Celticos Luſitanosque, & omnes Gallaeciae populos, formidatumque militibus flumen obliuionis, peragratoque victor oceani litore non prius ſigna conuertit, quam cadentem in maria ſolem, obrutumque aquis ignem, non ſi-*

ne

ne quodam ſacrilegii metu & horrore deprehendit. Quis haec legens non mera ſibi prodigia narrari putet? Et tamen nihil in Hiſpania vidit Romanus miles, tantis ampullis dignum. Cur enim formidaſſent Limaeum fluuium? cur ſine horrore non adſpexiſſent ſolem occidentem? Nihil ergo hac Flori hyperbole frigidius. Eleganter QVINCTILIAN. *Inſt. orat. lib. VIII. cap. 6. Huius quoque rei,* (hyperboles,) *ſ.ruetur menſura quaedam. Quamuis enim eſt omnis hyperbole vltra fidem: non tamen eſſe debet vltra modum: nec alia via magis in* κακοζηλίαν *itur. Piget referre plurima hinc orta vitia, quum praeſertim minime ſint ignota & obſcura. Monere ſatis eſt, mentiri hyperbolen, nec ita, vt mendacio fallere velit. Quo magis intuendum eſt, quouſque deceat extollere, quod nobis non creditur. Peruenit haec res frequentiſſime ad riſum: qui ſi aptus eſt, vrbanitatis: ſin aliter* STVLTITIAE *nomen adſequitur.*

***) Talia ſunt frigida illa acumina, quae Thraſoni ſuo tribuit TERENT. Eunuch. III, 1. v. 22. *Illi inuidere miſere: verum vnus tamen impenſe, elephantis quem Indicis praefecerat. Is, vbi moleſtus magis eſt; quaeſo, inquam, Strato, eone es ferox, quia habes imperium in belluas?* GNATHO, *pulcre mehercle dictum & ſapienter, papae! iugularas hominem. Quid ille?* THRASO, *Mutus illico.* GN. *quidni eſſet?* TH. *quid illud, Gnatho? quo pacto Rhodium tetigerim in conuiuio, numquid tibi dixi?* GN. *numquam: ſed narro obſecro.* TH. *vna in conuiuio erat hic, quem dico, Rhodius adoleſcentulus. Forte habui ſcortum: coepit ad id alludere, & me irridere. Quid agis, inquam, homo impudens? Lepus tute es, & pulpamentum quaeris.* GN. *Ha, ha, he!* TH. *quid eſt?* GN. *facete, lepide, laute: nihil ſupra. Tuumne, obſecro te, hoc dictum erat? Vetus credidi.* TH. *audieras?* GN. *ſaepe; & fertur in primis.* TH. *meum eſt.* Quid quaeſo frigidius eſt hiſce Thraſonis acuminibus? Haec ſi frequententur, oratio profecto ipſa hieme Gallica fiet frigidior.

****) *Epitheta* quoque vt ornant; ita & frigidiſſimam reddunt orationem. Illud fit, ſi loco & cum delectu; hoc, ſi confertim & promiſcue adhibeantur. Loco & cum delectu adhibentur, I. *Si aliquid efficiunt*, vt ait QVINCTIL. *Inſt. orat. VIII, 6.* id eſt, ſi ſine illis, quod dicitur, minus eſſet. CIC. *Catil. I,* 1, *Quem ad finem ſeſe effrenata iactabit audacia?* Deme epitheton, inermis ac veluti imbellis erit oratio. II. Si adponuntur *diſcretionis* cauſſa v. c. *fortuna ſecunda, aduerſa.* III. Si rei cuidam ſint *propria.* e. g. *alma Ceres, pius Aeneas, auguſtiſſimus imperator.* Alia ſunt epitheta, quae propria vocat QVINCTIL. *lib. VIII. Inſt. orat. cap.* 2. veluti *dulce muſtum, & cum dentibus albis*, de quibus recte V. C. BVRMANNVS *ad Quinctilian. p. 673. Talia epitheta, adfinia ipſi rei & propria ſaepe apud poetas occurrunt, vt* demens furor, taciturna ſilentia, pauidus metus, moeſtus dolor: *antiquiores magis adhuc in his laſciuierunt, vt Lucretius dixit* ſonitum ſonantem, *& Ariſtophanes* βίον βιωτόν. *Sed in his omnibus acri opus eſt iudicio, nec extra carmen facile vſurpandum, ne* INEPTI *videamur.* At nos propria vocamus epitheta, quae rei, tamquam cognomina quaedam tribui ſolent, & de quibus idem QVINCTIL. *ibid. Interim autem, quae ſunt in quoquo genere praecipua, proprii locum accipiunt, vt Fabius inter plures imperatorias virtutes cunctator eſt adpellatus.* IIII. Si *ornatus & deſcriptionis* cauſſa adhibeantur. Sic CICER. *de ſenect. cap.* 15. *herbeſcentem ſegetum viriditatem* dixit. Mirus in his epithetis artifex eſt PETRONIVS. V. Si rem, de qua loquimur, *deminuant* e. g. PETRON. *Satir. cap.* 2, *Nondum* VMBRATICVS *doctor ingina deleuerat, & cap. 7. Delectata illa vrbanitate tam* STVLTA. TERENT. *prolog. in Andr. v.* 20. *Quorum aemulari exoptat negligentiam potius, quam iſtorum* OBSCVRAM *diligentiam.* Sic adhibita epitheta in laude ponuntur. At frigidam

ea

ea reddent orationem, I. ſi ſint *poetica, dithyrambica, ſesquipedalia.* Talia ſunt illa PACVVII, LVCILII, LABERII *luctificabile cor, monſtrificabile facinus, repandiroſtrum incuruiceruicum pecus, auis piſtaticultrix, gracilipes, crotaliſtria.* II. Si ſint *otioſa*, vel vt ARISTOTELES vocat ἄχαιρα. v. c. *album lac, ſudor humidus.* Conf. DEMETR. PHAL. *de eloquut. n. LXVI.* III. Si ſint *crebra* ac *denſa.* Ineptit in his APVLEIVS, qui vix ſubſtantiuum ſine epitheto audet ponere. Quam frigida illa *de aſin. aur. III. Commodum punicantibus phaleris aurora roſeum quatiens lacertum, coelum inequitabat.* Conf. de epithetorum vſu BVCHNER. *de commut. ratione dicendi. I, 13, p. 214. ſequ.*

Horum vſus.

XLVIII. De vſu horum characterum ſola notanda eſt regula DEMETRII PHALEREI *de eloquut. num. CXX.* τὸ δὲ πρέπον ἐν παντὶ πράγματι φυλακτέον· τȣτέςι, προσφόρως ἑρμηνευτέον· τὰ μὲν μικρὰ μικρῶς, τὰ δὲ μεγάλα μεγάλως. *Decorum in omni re ſeruandum eſt, hoc eſt, apte & accommodate ipſis ſingulae res ſunt verbis exponendae, exiles exiliter, & amplae ample*).*

*) *Tenuis* ergo ſtilus locum habet in colloquiis, epiſtolis ad familiares, in ſcriptis didacticis, in hiſtoriis minus pragmaticis: *mediocris* in epiſtolis elaboratioribus, declamationibus ſcholaſticis, dialogis elaboratioribus, ſatiris, & hiſtoriis paullo maioris momenti: *ſublimis* denique in panegyricis, hiſtoriis pragmaticis, & ſi quando principi adfingitur oratio. Praecipue opera danda, vt ne diuerſos dicendi characteres temere atque imprudenter miſceamus. Ex inſtituto hoc praeceptum illuſtrat QVINCTILIAN. *Inſt. orat. lib. XI. c. 1.*

(De quibuſdam paullo mihi aliter videri, fidei meae non eſt diſſimulare. v. G. Quo magis eſt hiſtoria pragmatica, id eſt, rebus, conſiliis, cauſſis euentuum interdum paruis & tantum non contemtibilibus, explicandis intenta; tanto magis tenuem illi ſtilum conuenire, arbitror. Principis orationi nihil minus quam oratorium illum ornatum, qui ad ſublimem characterem ante relatus eſt, convenire puto: ſed tum demum vere ſublimem eſſe principis orationem, ſi quam ſimpliciſſimis verbis res maximas enunciet, ſimilemque adeo, in ſuo genere, illi ſublimitati, quam, LONGINO auctore, Deo Moſes tribuit in principio Geneſeos. Denique in eadem oratione, pro conditione argumenti, charactera nunc hunc nunc alium adhiberi non poſſe tantum, ſed debere, exiſtimo. G.)

Tertia diuiſio ſtili.

XLVIIII. Omnes hae ſtili differentiae ad formam potius illius, quam ad materiam, pertinent. † Si vero hanc conſideres: ſex habebis dicendi formas vel ideas, *PERSPICVAM, GRANDEM,* PVLCRAM, *MORATAM,* CONCITATAM, & *eam, quam* DICENDI VIM adpellitare ſolent *).

† (Illud ſemper tenendum, non eſſe ſeparanda a rebus verba, ſed haec illis ſemper attemperanda: intelligi non poſſe virtutem verborum aliam, niſi in quantum res, quas volumus, & qua parte & modo opus eſt, repraeſentant. Id quod etiam ad vtramque hanc diuiſionem referendum eſt. G.)

*) *Non hi ſunt dicendi characteres, ſed certae priorum characterum* adfectiones vel virtutes, quae quam maxime ornant orationem. Singularis de illis exſtat tractatus HERMOGENIS περὶ ἰδεῶν, ſiue *de Ideis,* editus Grae-

ce & Latine a CASP. LAVRENTIO, *Geneuae* cIↃIↃCXVIIII. 8. quem nemo praeclarius illuſtrauit IO. STVRMIO *libris quatuor de vniuerſa ratione eloquutionis rhetoricae*, editis *Argent.* cIↃIↃLXXVI. 8.

L. Prima dicendi idea eſt ΣΑΦΗΝΕΙΑ vel PERSPICVITAS, de qua multa ſubtiliter diſputat HERMOGENES *). Nos breuiter dicimus, perſpicuam fieri orationem vel verbis **), vel eorumdem ordine & compoſitione ***), vel ipſa argumentorum diſpoſitione ****). In quibus ſi peccatur, naſcitur inde genus dicendi OBSCVRVM, tanto diligentius fugiendum, quanto magis illud orationis fini repugnat *****). Stilus perſpicuus & obſcurus.

*) In ſingulis ideis HERMOGENES diſtincte conſiderat *ſententiam*, *methodum*, *dictionem*, *figuram*, *membra*, *compoſitionem*, *clauſulam & num. rum*, ſed ita, vt ipſe, quid ſibi velit, non ſatis intellexiſſe videatur. (Videnda & huc transferenda, quae ad §. 43. pro DEMETRIO & LONGINO diſputauimus. Intellexit profecto HERMOGENEM & illuſtrauit VOSSIVS, intelligit, quisquis & linguae peritiam & ingenium non obtuſum, & attentionem ad illum attulerit. v. BERGERVS *de Natur. Pulchritud. orat.* p. 708, b & p. 713, ubi alios quoque laudat, qui magni eum fecere. G.) Non praeter rem eum veteres adpellarunt *ξυστῆρα*, *ſcalptorem*, *quod docuerit dictionem ſcalpello quaſi deradere*, SYNES. *Dion. p.* 47. Sed non ſolus HERMOGENES tam multa praecepta accumulat. Iam pridem enim obſeruauit AVCT. AD HERENN. I, 1. *rhetores Graecos, ne parum multa ſciſſe viderentur, ea conquiſiuiſſe, quae nihil attinebat, vt ars difficilior cognitu videretur.* Quae quum ita ſint, dabimus operam, vt, miſſis ſubtilitatibus, in quonam conſiſtat vnum quodque dicendi genus, dilucidius oſtendamus.

**) Orationem ergo perſpicuam reddunt I. *verba propria* aut certe *non longe translata.* Vnde Epicuri oratio facilis intellectu fuit, quia maxime is ſtuduit proprietati verborum, LAERT. X, 13. GASSEND. *de vita & morib. Epicuri* VIII, 7. Sic perſpicua etiam ſunt illa TERENT. *Andr.* I, 2, 25. *Si ſenſero, hodie quidquam in his te nuptiis fallaciae conari, quo fiant minus; aut, velle in ea re oſtendere, quam ſis callidus: verberibus caeſum, te in piſtrinum, Dave, dedam vſque ad necem, ea lege atque omine, vt, ſi inde te exemerim, ego pro te molam.* Omnia enim verbis propriis eloquutus eſt ſenex. Perſpicua etiam eſt oratio II. *verbis notis* vulgoque *receptis* compoſita. Ergo obſcura erunt verba *obſoleta*, *peregrina*, nouiter *inuenta.* Sic PLAVTI dictio nonnumquam obſcurior, quia vtitur verbis obſoletis, aut nouiter inuentis, e. g. *aſſiduus* pro diuite, *Amphitr.* I, 1. *v.* 14. *os occillare*, pro verberare *ibid. v.* 28. obſoleta ſunt. Noua contra: *pugnos edere* pro pugnis accipi, *Vulcanum in cornu concluſum tenere*, pro *laternam gerere.* Vtraque ideo paullo ſunt obſcuriora. Nec multo clariores ſunt *loquutiones*, quibus ad *fabulas obſcuriores* aut hiſtorias ſecretiores adluditur. Ait PERSIVS *Sat.* I, *v.* 2. *ſeqq.*

Quis leget haec? min' tu iſtud ais? nemo hercule, nemo?
Vel duo, vel nemo. Turpe & miſerabile, quare?
Ne mihi Polydamas & Troiades Labeonem
Praetulerint?

Obſcura haec. Quis enim Polydamas? qui Troiades? quis Labeo? Cornutus, vetus Scholiaſtes, per Polydamanta intelligit Neronem, quod ſaepius nupſerit, per Troiades Romanos, per Labeonem malum Homeri interpretem.

Sed niſi Cornutum haberemus Oedipum, hoc quidem aenigma ignoraremus. (Quid? quod non credit illi, niſi de LABEONE, CASAVBONVS, & *Polydamantem* intelligit Homerica allegoria Catonem aliquem ipſamque adeo virtutem: *Troiadas* autem, feminina adpellatione, vulgus Romanorum deliciis fractum atque effeminatum. G.)

***) Perſpicua porro eſt oratio III. in qua ordo verborum non nimis eſt perturbatus. Hinc paullo obſcuriores ſunt odae HORATII, quia, Lyricorum more, verba confuſius collocat, e. g.

Phoebus, volentem praelia, me, loqui,
Victas & vrbes, increpuit, lyra.

Si dixiſſet: *Phoebus me praelia victasque vrbes lyra volentem loqui, grauiter increpuit*, nihil obſcuritatis habuiſſet oratio. Porro perſpicuitatem gignit IIII. *membrorum breuitas.* Vnde denuo ſequitur, vt tanto obſcuriores ſint periodi, quanto prolixioribus membris conſtant. Hinc perſpicua eſt illa periodus PLINII *lib. V. epiſt.* 16. *Vt enim crudum vulnus medentium manus reformidat, deinde patitur, atque vltro requirit: ſic recens animi dolor conſolationes reiicit ac refugit, mox deſiderat, & clementer admotis adquieſcit.* Si prolixiora eſſent membra, facile caligo offunderetur orationi. (Sed multa addi poſſe ſalua perſpicuitate, experimento declarare facile eſt. Multitudo verborum, & notionum adeo, non parit per ſe obſcuritatem, ſed tum demum, vbi vel ſine ſenſu eſt, vel male diſpoſita: ſine ſenſu autem ea quoque ſunt verba, quae nihil nouae ſententiae his quae iam expreſſa ſunt, adiiciunt. G.) In primis id contingit, ſi *parentheſes*, vel crebriores, vel paullo prolixiores interſerantur. Obſeruat hoc & Fabius *lib. VIII. Inſt. orat. cap.* 2. *Etiam interiectione, (qua & oratores, & hiſtorici frequenter vtuntur, vt medio ſermone aliquem inſerant ſenſum,) impediri ſolet intellectus, niſi, quod interponitur, breue eſt. Nam Virgilius illo loco, quo pullum equinum deſcribit, quum dixiſſet:*

Nec vanos horret ſtrepitus;

compluribus inſertis, alia figura quinto demum verſu redit,

Tum ſi qua ſonum procul arma dedere,
Stare loco neſcit.

Sic obſcurior eſt PLAVTI narratio in *prologo Captiu.* ob prolixiores parentheſes:

Seni huic fuerunt filii nati duo:
Alterum quadrimum puerum ſeruus ſurripuit,
Eumque hinc profugiens vendidit in Aulide
Patri huiuſce. Iam hoc tenetis? optimum eſt.
(Negat hercle ille vltimus: accedito:
Si non vbi ſedeas, locus eſt, eſt, vbi ambules.
Quando hiſtrionem cogis mendicarier:
Ego me tua cauſſa (ne erres) non rupturus ſum.
Vos, qui poteſtis ope veſtra cenſerier,
Accipite reliquum; alieno vti nihil moror.)
Fugitiuus ille, vt dixeram ante, huius patri
Domo quem profugiens dominum abſtulerat, vendidit.

(Nihil hic obſcuri. Modo id teneamus, quae parentheſi incluſa ſunt ea eſſe expoſtulationem actoris cum ſpectatore aliquo remoto, qui ad quaeſtionem *Iam hoc tenetis?* renuerat. Verba, *qui poteſtis ope veſtra cenſerier*, reſpiciunt ad Senatores, equites, diuites, qui loca ſibi redimebant in ſpectaculis. G.) Quamuis vero breuiora membra dilucidam reddant orationem: ſaepe tamen etiam V. ex membris iuſtae magnitudinis perſpicuitas eidem accedit. Saepe enim fit, quod ait HORATIVS *de art. poetic. v.* 25.

Dum breuis eſſe laboro,
Obſcurus fio.

Sic obſcuriſſima ſunt illa PERSII *Sat. I. v.* 8. *ſeq.*

Nam Romae eſt quis non? ah, ſi fas dicere; ſed fas

Tunc,

Tunc, quum ad canitiem, & noſtrum illud viuere triſte
Adſpexi, & nucibus facimus quaecumque relictis,
Cum ſapimus patruos: tunc, tunc. Ignoſcite, nolo:
Quid faciam? ſed ſum petulanti ſplene cachinno.

Membra enim iuſto breuiora ſunt, & meras paene hic reperimus ἀποσιωπήσεις. Senſus eſt: *nam Romae eſt quis non*, ſcilicet rudis & imperitus? (corrupti iudicii G.) *Ah ſi fas dicere? ſed fas* omnino eſt dicere, etiam tunc, *tunc quum ad canitiem* ſenum ſcilicet poëtarum, *& noſtrum illud viuere triſte*, vel vitam triſtem, *adſpexi, & quaecumque facimus nucibus* puerilibus *relictis quum ſapimus patruos*, id eſt, veram ſeueritatem prae nobis ferimus. Nam & *tunc, tunc* ſumus rudes & imperiti. (Breuius, cum reſpicio quid agamus parui, magni, a pueris ad ſenectutem vſque, tunc lubet ſatiram ſcribere. G.) *Ignoſcite* haec dicenti. Reſpondent, *nolo. Quid faciam* ergo? Num ideo omittam ſatiram ſcribere? *ſed ſum petulanti ſplene cachinno*. Id eſt natura ad ſatiram factus. En, quantam caliginem membra nimis abrupta orationi offundunt?

****) Si argumenta omnia ſine iuſto ordine miſcentur, non poteſt ſane non oratio eſſe obſcura. Ergo VI. accuratior diſpoſitio multum ad perſpicuitatem facit. Sed caue tamen, ne, oratorum ſacrorum exemplo, membra quaeuis in nouas diuiſiones, & has iterum in ſubdiuiſiones, quas vocant, deducas. Non enim diuidere hoc eſt, ſed in puluerem ſecare, adeoque ad perſpicuitatem hoc nihil facit. Breuiter omnia haec de perſpicuitate praecepta coniungit QVINCTILIAN. *lib. VIII. cap.* 2. *Nobis prima ſit virtus perſpicuitas, propria verba, rectus ordo, non in longum dilata concluſio; nihil neque deſit, neque ſuperfluat. Ita ſermo & doctis probabilis, & planus imperitis erit. Haec eſt eloquendi obſeruatio.*

*****) Et tamen nonnulli ſtudio obſcurum eiusmodi dicendi genus adfectarunt, & in his maxime TERTVLLIANVS, & e poëtis PERSIVS. QVINCTIL. *lib. VIII. Inſt. orat. c.* 2. *praeceptorem, qui diſcipulos ſuos omni ſtudio ad obſcure ſcribendum cohortatus eſt*, memorat, *qui non raro exclamauit*: TANTO MELIVS, IPSE NON INTELLIGO. Add. MARTIAL. *lib. X. Epigr.* 21. (Perſpicuitatem diſcamus a CICERONE, praeſertim ubi narrat, a CAESARE, ab OVIDIO: praelegamus ſ. recitemus ſcripta noſtra. Redeamus ad ea poſt interuallum. G.)

LI. Secunda dicendi idea eſt τὸ ΜΕΓΕΘΟΣ, MAGNITVDO, ad quam orationem GRAVEM*), ASPERAM**) VEHEMENTEM***), SPLENDIDAM****), ac CIRCVMDVCTAM*****) referre ſolent. De ſingulis dicendi formis nonnulla obſeruabimus. Stilus grauis, aſper, vehemens, ſplendidus, circumductus.

*) GRAVE dicendi genus (σεμνότητα vocant rhetores), illud eſt, quod de rebus diuinis, moralibus aut ciuilibus harumque cauſſis accurate & prudenter diſſerit. Incomparabilis in hac dicendi forma eſt CORNELIVS TACITVS, qui, quoties de euentu aliquo agit, cauſſas & conſilia tam acute prodit, vt non tam hiſtoricum, quam rerum ciuilium magiſtrum legere tibi videaris. Exemplo eſſe poterunt paucae periodi ex *Annal. I*, 2. ubi dicturus, Auguſtum cuncta diſcordiis ciuilibus feſſa nomine Principis ſub imperium accepiſſe, cauſſas huius conuerſionis reip. ita accurate explicat: *poſtquam, Bruto & Caſſio caeſis, nulla iam publica arma; Pompeius apud Siciliam oppreſſus, exutoque Lepido, interfecto Antonio, ne Iulianis quidem partibus, niſi Caeſar, dux reliquus;*

quus: poſito triumuiri nomine, conſulem ſe ferens, & ad tuendam plebem tribunicio iure contentus, vbi militem donis, populum annona, cunctos dulcedine otii pellexit, inſurgere paullatim, munia ſenatus, magiſtratuum, legum, in ſe trahere, nullo aduerſante, quum ferociſſimi per acies aut proſcriptione cecidiſſent, ceteri nobilium, quanto quis ſeruitio promtior, opibus & honoribus extollerentur: ac nouis ex rebus aucti, tuta & praeſentia, quam vetera & periculoſa mallent. Neque prouinciae illum rerum ſtatum abnuebant, ſuſpecto ſenatus populique imperio ob certamina potentium, & auaritiam magiſtratuum: inualido legum auxilio, quae vi, ambitu, poſtremo pecunia turbabantur. Quid, quaeſo, paucis hiſce periodis poſſit excogitari grauius? Tam accurate profecto omnes iſtius euentus cauſſae ex iſtorum temporum ſtatu reique publicae conditione, explicantur, vt iuſtae diſſertationi ſufficerent materiam.

**) Asperum dicendi genus Graecis vocatur τραχύτης, idque adhibetur in reprehendendis magnorum virorum (populi item & regnantibus G.) vitiis. Sic CICER. *Verrin.* 7. ſatis aſper eſt in reprehendenda nobilitate: *Hominum nobilium non fere quisquam fauet noſtrae induſtriae: nullis noſtris beneficiis beneuolentiam illorum allicere poſſumus: quaſi natura & genere diſiuncti ſunt, ita diſſident a nobis animo & voluntate. Quare quid habent eorum inimicitiae periculi, quorum animos iam antea habueris offenſos, quam vllas inimicitias ſuſceperis.* (Aſperitatis magiſter optimus SALLVSTIVS in orationibus, quas Mario tribuit contra nobilitatem habitas. G.)

***) Si quis paullo acerbius in minoris dignationis perſonas inuehitur, genus hoc dicendi vocatur Σφοδρότης, VEHEMENTIA. Verba in hac orationis forma ſunt aſperiora, nonnumquam etiam nouata, figurae vehementiores, membra fere breuiora. Talis idea in CICERONIS orationibus aduerſus Catilinam, Piſonem, Vatinium & in Philippicis vbique elucet.

****) Graecis vocatur Λαμπρότης, quando quis res a ſe ipſo vel aliis geſtas glorioſa & magnifica oratione collaudat. (Etiam cum de rebus diuinis ac naturalibus, de virtute item, cum quadam magnificentia loquimur. G.) Qua in re tamen cauendum, ne Suffenus videaris. Nihil enim moleſtius eſt oſtentatione & iactantia. Maxime in defenſionibus virorum magnorum locum habet haec idea. Sic P. Scipio Africanus ab obtrectatoribus vocatus in iudicium breui, at ſplendida oratione cauſſam dixit: *Hoc die, Quirites, Hannibalem Poenum in Africa felici praelio vici, Carthaginem magna ſpirantem leges noſtras accipere coegi. Itaque quum hodie litibus & iurgiis ſuperſedere aequum ſit, ego extemplo hinc ſupplicatum ibo in Capitolium, Diisque gratias agam, quod mihi & hoc ipſo die & ſaepe alias rei publicae bene gerendae mentem facultatemque dederunt. Veſtrum quoque, quibus commodum eſt, ite mecum, Quirites, & orate Deos, vt mei ſimiles ciues habeatis.* LIV. *XXXVIII. extr.* Aeque ſplendida oratione ſua facta nonnumquam extollit CICERO, maxime in oratione *pro P. Sulla cap.* 9. & 11. vbi tam magnifice ſollertiam ſuam in opprimenda coniuratione Catilinaria collaudat, nihil vt poſſit hoc quidem loco reperiri ſplendidius. (Talia multa in orat. *pro Sextio, pro domo ſua, de Haruſpicum reſponſis.* G.)

*****) Genus hoc dicendi EXAGGERATVM & CIRCVMDVCTVM, ſeu, vt HERMOGENES vocat, περιβεβλημένον καὶ περιτετονημένον in eo conſiſtit, quod propoſitiones e variis fontibus amplificantur. Fontes eiusmodi, vel, vt rhetoribus vocantur, loci amplificationum ſunt I. Genus, quod ad illuſtrandam ſpeciem adſumi ſolet. E. g. MVRET. *orat.* I. *Cum omnes mihi ſingulari ac praecipua quadam laude digni videntur, qui in aſſequenda honeſtarum artium ſcientia*

operam

operam & induſtriam ſuam collocant: tum ii praecipue, qui veluti maiore quodam numinis adflatu perculſi, ceteris omnibus poſthabitis, ad diuinarum rerum intelligentiam omnes cogitationes ſuas atque omnia ſtudia contulerunt. II. *Species*, quibus genus illuſtratur. e. g. CICER. *lib. VIIII. epiſt. ad diuerſ.* 20. *Nam omnem noſtram de republica curam, cogitationem de dicenda in ſenatu ſententia, commentationem cauſſarum abiecimus, & in Epicuri nos, aduerſarii noſtri, caſtra coniecimus.* Dicere voluit, ſe publicis negotiis valedixiſſe. Haec in ſpecies diſtribuit, ſeque nec magiſtratus amplius petere, nec ſenatui intereſſe, nec in foro cauſſas agere, ait. III. *Definitio*, qua amplificatur definitum. Sic C. Aquilium a iuris prudentia laudaturus, CICERO *pro A. Caec. cap.* 28. hanc ei iuris conſulti definitionem accommodat: *quapropter hoc dicam, numquam eius auctoritatem nimium valere, cuius prudentiam populus Romanus in cauendo, non in decipiendo perſpexerit: qui iuris ciuilis rationem numquam ab aequitate ſeiunxerit: qui tot annos ingenium, laborem, fidem ſuam populo Romano promtam expoſitamque praebuerit: qui ita iuſtus & bonus vir eſt, cet.* Eodem pertinent IIII. *Effectus*, V. *Adiuncta*: VI. *Cauſſae*, VII. *Oppoſita*, VIII. *Comparatio*, VIIII. *Teſtimonium*, de quibus aliisque amplificandi fontibus accurate egit VAL. THILO *Rudim. Rhet. Part. II. cap.* 3 (Apparet has fere partes eſſe Chriae Aphthonianae, exercendas quidem omnes, ſed non temere in eundem locum congerendas: verum habendas in promtu, vt iam hac iam alia parte, iam pluribus vtare. G.) Quod ſi itaque frequentius quis vtatur eiusmodi amplificationibus, naſcitur inde genus dicendi CIRCVMDVCTVM vel EXAGGERATVM: cui adſuetus, niſi ſibi caueat, facile in Aſiaticam illam loquacitatem incidet.

LII. Tertia dicendi forma eſt τὸ ΚΑΛΛΟΣ vel PVLCRITVDO, quam in ὡραϊσμὸν vel καλλωπισμὸν *), ἀξίωμα vel dignitatem **), & τὸ γλαφυρὸν ſeu floridum dicendi genus ***) diſpeſcere ſolent. Primum pulcritudinis genus in vitio ponitur ****): ſecundum (vt in omni oratione, ita etiam G.) in genere deliberatiuo, tertium (in primis G.) in demonſtratiuo, laudem meretur.

Stilus elegans, ſophiſticus, floridus.

Vid. I. G. BERGERI *de naturali pulcritudine orationis ad excelſam Longini diſciplinam illuſtri continentique C. Iulii Caeſaris exemplo exacta liber commentarius, Lipſiae* cIↄIↄCCXX. 4.

*) Καλλωπισμὸς vocatur, nimia illa ac *ſophiſtica* orationis elegantia, quae tota ad pompam ac oſtentationem comparata eſt, qualis fuit oratio veterum ſophiſtarum, Gorgiae Leontini, aliorumque, qui veluti calamiſtris intorquebant orationem, vt erudite docuit GE. NIC. KRIEGK in diſſert. *de eloquut. ſophiſt.* Inter Latinos infeliciter eiusmodi καλλωπισμὸν adfectauit APVLEIVS; inter recentiores IO. BARCLAIVS in *Argenide* aeque ac *Euphormione*, cuius ſtilus adeo vix commendandus eſt tironibus. Naſcitur hic καλλωπισμὸς I. Ex epithetis *amoenioribus*, v. g. *ego vero tibi locum oſtendam, vbi nec zmaragdinum pratorum viror em, nec gemmeam florum varietatem, nec lenes aquarum ſuſurros, nec ſuauiſſimos auicularum concentus deſiderabis.* II. Ex *translationibus amoenis & venuſtis*, veluti a floribus & fructibus deſumtis. III. Ex *deſcriptionibus amoenis*, quales ubique adfectat BARCLAIVS. IIII. Ex *figuris ſonantioribus*, veluti ὁμοιοπτώτῳ, ὁμοιοτελεύτῳ, aliisque ſimilibus. Laudem talia forſan inuenerint in pueris; non aeque in viris, quos virilis & grauis decet eloquentia.

**) Ἀξίωμα vel *dignitas* ea eſt pulcritudinis ſpecies, quae in partium omnium decentia poſita eſt. Hinc ſi om-

nes partes orationis, veluti exordium, confirmatio, confutatio, decore inuentae atque elaboratae ſint, ſi periodis ſua conſtet concinnitas, dictioni ſua puritas, ipſi orationi ſuus nitor: pulcram merito dixeris eiusmodi orationem. Et tales ſunt CICERONIS *orationes pro lege Manilia, pro Q. Ligario, pro Milone*, pulcrae illae quidem, ſed a ſophiſtico tamen illo ac calamiſtrato dicendi genere remotiſſimae.

***) Τὸ γλαφυρὸν vel *floridum* orationis genus medium inter ſophiſticam dicendi formam & dignitatem tenet locum, orationemque variis veluti floribus ac luminibus diſtinguit, ſed vt paullo magis oſtentare videatur elegantiam, quam τὸ ἀξίωμα. Et hinc aliqui iam olim floridum illud dicendi genus commendabant incipientibus, *vt ad alenda primarum aetatum ingenia magis accommodatum*, QVINCTIL. *lib. II. Inſt. orat. cap.* 5. vbi TVRNEBVS: *Floridum adpellat genus, ſententiis argutum, verbis elegans, & metaphoris crebrum. In hac autem videtur eſſe ſententia Cicero, qui quidem epidicticum genus, quod floridum eſt & ſophiſticum, eloquentiam nutrire ſcribit.* Tales ſunt CICERONIS *oratio pro Archia Poeta & pro M. Marcello*, PLINII *panegyricus*, & e Graecis LVCIANI *dialogi*. Saepe quoque ad floridam hanc dicendi formam propius accedunt PETRONIVS, LACTANTIVS & e recentioribus ERASMVS, MVRETVS, MAIORAGIVS. Facillime differentiam hanc intelliges, ſi dixeris, dignitatem ſimilem eſſe pulcritudini virorum: floridum ſtilum venuſtati matronarum; τὸν καλλωπισμὸν denique fuco meretricio. (Sed non facile eſt cuiuis hanc ſimilitudinem in tribus pulchri in dicendo generibus applicare, & dignitatem, vt hoc vtar, a fuco diſtinguere. Vſus accedat oportet & ſenſus ille lectione optimorum ſcriptorum formatus & confirmatus. G.)

****) Iam pridem PETRONIVS *cap.* 1. & 2. riſit ſophiſticum illud ac calamiſtratum dicendi genus, id eſt, *mellitos verborum globulos, & omnia dicta, factaque quaſi papauere & ſeſamo ſparſa. Qui inter haec*, inquit, *nutriuntur, non magis ſapere poſſunt, quam bene olere, qui in culina habitant.*

Stilus moratus.

LIII. Quarta idea τὸ ἮΘΟΣ ſiue MORATA ORATIO vocatur. Eam tunc potiſſimum conſpicimus, quum ita loquimur ac ſcribimus, vt vbique probitatis, veracitatis, beneuolentiae, prudentiae, modeſtiae, omnisque virtutis ſignificationes demus *).

*) Moratam ergo orationem reddunt, I. *Extenuationes.* CICER. *pro Archia cap.* 1. *ſi quid in me eſt ingenii, quod ſentio, quam ſit exiguum, cet.* II. *Officiorum oblationes*, quae in CICERONIS *epiſtolis* ſunt frequentiſſimae. III. *Inſectationes vitiorum.* IIII. *Virtutum commendationes*, & quae ſunt huius generis alia. (Mores ſunt vel *primae perſonae* ſ. loquentis, qui ita inſtituere ſe debet, vt auditores habeant ipſum pro viro bono, ſibi beneuolo, prudenti & rerum perito: huic enim tali facilius credunt homines: vel *ſecundae* ſ. auditorum ad quos accommodare orationem viri ſapientis eſt: vel *tertiae* perſonae, ſiue eorum de quibus agimus, vbi interdum etiam argumenti docentis ſiue demonſtrantis vim obtinent. Mores primae perſonae in primis etiam negatiue, quod aiunt, intelligendi ſunt: hoc eſt nihil dicendum, vnde contraria his quae diximus coniicere poſſint auditores. G.)

Stilus concitatus & parenthyrſus.

LIIII. Quinta idea eſt ʽΗΓΟΡΓΌΤΗΣ, id eſt, velox & CONCITATVM dicendi genus, quod omnia breuibus membris vel inciſis, maxime vero interrogationibus, reſponſionibus, obiectionibus,

bus, ſolutionibus proponit *). Et cauendum quidem eſt genus orationis ignauum, iners, remiſſum, & quaſi ſupinum **), ſed cauendum etiam, ne in PARENTHYRSVM abeat nimia, & ex immodico adfectu profecta celeritas ***).

*) Vtimur concitato eiusmodi ſtilo

I. In *narratione rerum*, quae celeriter ſe inuicem ſunt conſequutae. TERENT. *Andr. I, 1. v. 56. ſeqq.*

- - - obſeruabam mane illorum ſeruulos
Venientes aut abeuntes; rogitabam: heus puer,
Dic ſodes, quis heri Chryſidem habuit? nam Andriae
Illi id erat nomen. Teneo. Phaedrum aut Cliniam
Dicebant, aut Niceratum: nam hi tres tum ſimul
Amabant. Eho, quid Pamphilus? Quid? ſymbolam
Dedit, coenauit. Gaudebam. Item alio die
Quaerebam: comperiebam, nihil ad Pamphilum
Quidquam adtinere.

II. In *deliberatione* nobiſcum ipſis inſtituta. TERENT. *Eunuch. I, 1. v. 1. ſqq.*

Quid igitur faciam? non eam? ne nunc quidem,
Quum arceſſor vltro? an potius ita me comparem,
Non perpeti meretricum contumelias?
Excluſit, reuocat, redeam? non, ſi me obſecret.

III. In *altercationibus oratoriis*, maxime vbi cum aduerſario coram nos colloqui fingimus. CICER. *pro Sex. Roſc. cap. 19. Illum quidem voluiſſe exheredare, certe tu planum facere debes. Quid ergo adfers, quare id factum putem? Vere nihil potes dicere. Finge aliquid ſaltem commode, ut ne plane videaris id facere, quod aperte facis, huius miſeri fortunis & horum virorum talium dignitati illudere. Exheredare filium voluit? Quam ob cauſſam? Neſcio. Exheredauitne? Non. Quis prohibuit? Cogitabat. Cogitabat? Cui dixit? nemini. Quid eſt aliud, iudicio & legibus ac maieſtate veſtra abuti ad quaeſtum atque ad libidinem, niſi hoc modo accuſare?*

**) Graeci ignauum vel lentum eiuſmodi dicendi genus vocant ὕπτιον vel ἀνειμένον, idque in vitio ponitur.

***) ΠΑΡΕΝΘΥΡΣΟΣ nomen accepit a thyrſo, bacchantium geſtamine. Quum enim hi furere ſolerent: παρένθυρσον vocarunt furioſum illud dicendi genus, quod in inepta adfectuum concitatione verſatur, quum ſcilicet tragoediae aguntur de nugis, ac in rebus paruis illae dicendi faces adhibentur, quibus auditor incendi ſolet atque inflammari. Conf. V. C. SCHVVARZII *Miſcell. politior. human. p. 99.* Quod vitium grauiter reprehendunt DIONYS. LONGIN. περὶ ὕψους, *ſect. IIII. 15. ſeq.* & CICER. *de Orat. II, 51.* Lepidum exemplum eſt apud MARTIALEM, *epigr. lib. VI. cap. 19.* vbi aduocati, neſcio cuius, παρένθυρσον ita perſtringit:

Non de vi, neque caede, nec veneno,
Sed lis eſt mihi de tribus capellis,
Vicini queror has abeſſe furto,
Hoc iudex ſibi poſtulat probari.
Tu Cannas, Mithridaticumque bellum,
Et periuria Punici furoris,
Et Syllas, Mariosque, Mutiosque
Magna voce ſonas manuque tota.
Iam dic, Poſtume, de tribus capellis.

Nihil ſane hoc dicendi genere eſt ineptius. Accidit enim eiusmodi oratoribus, vt pro conſternatione & ſtupore cachinnos auditorum commoueant, quippe qui furere apud ſanos & quaſi inter ſobrios bacchari vinolentos arbitrantur, vt eodem loco obſeruat LONGINVS. Neſcio an non huius vitii reus poſtulandus ſit TERTVLLIANVS, in *libello de pallio*, vbi in defendendo hoc habitu tantas tragoedias agit, vt libellum illum legens, non pallii honorem, ſed

ſed humani generis ſalutem periclitari crederes. Non ſane ita paratragoediari auſus eſſet auctor, ſi memor fuiſſet *Horatiani* illius, *de art. poet. v.* 89.

verſibus exponi tragicis res comica non vult.

(Luſit, vt iam ad §. 47. no. 1. obſeruatum eſt, & ſatiram ſcripſit, TERTVLLIANVS. Nempe iucunditatem ex eo captant & leporem poëtae & Satirici, ſi de rebus minutis magnifica oratione vtantur. Hinc venuſtas *quarti Georgicon*, quod apum velut res publica quaedam deſcribitur. Hinc placent Anglorum *Hudibras*, *Pulpitum* BOILAEI, *Batrachomyomachia* tum Graeca illa, tum Germanorum, *Vulpecula Reinecke* e. i. g. a. G.)

Dicendi vis.

LV. Sextam denique orationis ideam HERMOGENES (II. 9.) Δεινότητα vel DICENDI VIM adpellat. Ea nihil aliud eſt, quam aptus ac decorus reliquarum idearum vſus. Quod ſi enim quis ſuo loco perſpicua, graui, morata, pulcra, concitata oratione uti nouerit, & in omni re viderit, quid deceat, ei δεινότητα tribuit HERMOGENES *). Ceterum quum non eadem omnes deceat oratio: alius ſtilus eſſe dicitur τεχνικὸς vel ἐπιστημονικὸς, vulgo *philoſophicus*, alius ἱστορικὸς, *hiſtoricus*, alius διαλογικὸς, vulgo *dialogiſticus*, ῥητορικὸς, *oratorius*, alius πολιτικὸς, *ciuilis*, alius ἐπιστολικὸς, *epiſtolicus*, alius denique ποιητικὸς, *poeticus*. De ſingulis pauca.

Quarta ſtili diviſio.

*) Hinc δεινότης deeſt auctoribus omnibus, qui Latine quidem nec ineleganter ſcripſerunt; ſed digno materia ſua charactere non vſi ſunt. Non ergo δεινὸς eſt TERTVLLIANVS, qui, quum docere velit, perſpicuitatem negligit, nec FLORVS, qui, hiſtoriam ſcripturus, poetico ſtilo vtitur, nec e recentioribus LIPSIVS, qui etiam, vbi docet, vel rhetoricatur, vel comicum agit. (Dialogos enim ſcribit eosque, quantum capit materia, exhilarat, quae ipſa δεινότητος pars eſt. G.) Sane aeque inepti hi videntur, ac comici, qui reges tunica ruſtica, ruſticos purpura, matronas meretricio, meretrices matronali habitu indutas producunt in ſcenam. Elegans eſt praeceptum QVINCTILIANI *Inſt. orat. lib. XI. cap.* 1. *Quid prodeſt, eſſe verba & Latina, & ſignificantia, & nitida, figuris etiam numerisque elaborata, niſi cum iis, in quae iudicem duci formarique volumus, conſentiant? Si genus ſublime dicendi paruis in cauſſis, paruum limatumque grandibus, laetum triſtibus, lene aſperis, minax ſupplicibus, ſubmiſſum concitatis, trux atque violentum iucundis adhibeamus? Vt monilibus & margaritis ac veſte longa, quae ſunt ornamenta feminarum, deformentur viri, nec habitus triumphalis, quo nihil excogitari poteſt auguſtius, feminas deceat.*

Stilus philoſophicus.

LVI. PHILOSOPHICVS ſtilus adhibendus in omnibus ſcriptis didacticis *). Satis laudis meretur, ſi ſit proprius **), purus ***), perſpicuus ****). Elegantiam non adfectat, nec tamen ſponte ſe offerentem negligit *****). Praecipue tamen vitat figuras patheticas, & quidquid ad perſuadendum potius, quam ad demonſtrandum facere videtur ******).

*) In ἐπιστημονικῷ hoc dicendi genere reliquis omnibus praeferendi e Graecis XENOPHON in *oeconomicis*, aliisque ſcriptis didacticis, inter Latinos CELSVS,

CELSVS, qui de *arte medica*, & COLVMELLA, qui *de re ruſtica* pura ac terſa oratione ſcripſerunt. Nec plane contemnenda (quin praeferenda longe omnibus, G.) dictio CICERONIS, quam in libris *de officiis* & in *topicis ad Trebatium* adhibuit, quamuis in illis aliquando ad oratorium dicendi genus adſurgat. In reliquis ſcriptis philoſophicis ſtilus TVLLII propius ad genus dicendi vel διαλογικὸν vel ῥητορικὸν accedit. (Sed etiam in his ſunt diſputationes longiores, in quibus obſeruatur ſtilus philoſophicus. G.) SENECA acutus eſt, ſed non tam docet, quam rhetoricatur. LACTANTIVS purus in plerisque & elegans, ſed nec is ab oratorio ſtilo abſtinet. Et hoc plerorumque patrum eccleſiaſticorum vitium eſt, vt etiam, quum docere volunt, concionentur, magisque perſuadeant, quam iuſtis demonſtrationibus conuincant.

**) Abſtinendum ergo in hoc ſtilo a translationibus, maxime longe petitis. Quum enim docentium ſit, claras ac diſtinctas rerum ideas in audientibus excitare: facile patet, huic fini non conuenire metaphoras. Hinc iam ſupra obſeruaui, laudem meruiſſe ſcripta EPICVRI, qui nuſquam vſus ſit translato dicendi genere. Equidem de rebus ad mentes & ſpiritus pertinentibus ſaepe nobis deſunt verba propria: ſed & hic danda opera, ne metaphoris audacioribus, & rem non ſatis exprimentibus vtamur. Sic ſi quis *adfectus* vocat *commotiones animi*, iisque opponit *mentis quietem & tranquillitatem*, metaphorice quidem loquitur; ſed ferendus eſt. Aſt ſi quis adfectus cum Stoicis *animi tumultus*, aut *perturbationes*; aut animi quietem *inducias cum mente factas* adpellaret; merito reprehenderetur. Ideae enim inde naſcuntur vel falſae, vel certe obſcurae ac confuſae.

***) Caue ergo exiſtimes, docentium eſſe, ſtilo ſicco & barbaro vti. Non magis hic character docentes decet, quam philoſophum pallium & pera Diogenis. Non unguenta redolent viri ſapientes, ſed nec ſordes amant. Non ferendi ergo in tanta litterarum luce, qui, ſi theologiam vel philoſophiam tradunt, THOMAE AQVINATIS vel LOMBARDI: ſi iuris prudentiam, BARTOLI & BALDI ſtilo vtuntur, & vbique *haecceitates, quidditates*, ſuumque illud: *nego, diſtinguo, limito, amplio*, inculcant, nec quidquam doceri poſſe putant, niſi vbique ſyllogismos, tamquam tela, vibrent. Paedantiſmum hoc ſapit, (venia ſit verbo), & ingenium barbariei adſuetum, non ſecus, ac ſcarabaeus eſt ſordibus ſuis. (Tantum abeſt, vt Paedantiſmi reus ſit, ſi quis & ipſe ſectetur & commendet aliis tale genus orationis, quod intelligi futuris etiam ſaeculis queat ab omnibus, qui normam Latinitatis aureo ſaeculo atque argenteo conſtitutam tenebunt: cum illa heroica, ſi DIS placet, turbandi omnia & conculcandi legem dicendi libertas, poſt ſaeculum ſuum breuius longius, ad piper & tus amiciendum ablegetur. G.) Docuerunt ſane e noſtratibus GE. CALIXTVS, e reformatis IO. CALVINVS, poſſe etiam de rebus theologicis puro ac terſo orationis genere diſſeri. Feliciter idem in iuris prudentia tentarunt CVIACII, BRISSONII, HOTOMANI, qui VLPIANVM & PAPINIANVM, quam IASONEM vel ACCVRSIVM maluerunt imitari. Medicos CELSVS: philoſophos PHIL. MELANCHTHON purius ſcribere docuit. Quis ergo hodie in tanta litterarum luce vmbratiles illos doctores imitaretur, &, fruge reperta, glandibus veſci mallet?

****) Quid iuuat docere, ſi intelligi nolis? Perſpicua e veteribus ſunt ſcripta XENOPHONTIS, (CICERONIS, QVINCTILIANI, G.) & COLVMELLAE, e recentioribus CARTESII, quo non temere quisquam cogitationes ſuas dilucidius cum aliis communicauit. Hi omnes cum voluptate leguntur. At quis ſine taedio legerit LVLLII ſomnia, aut HELMONTII, & HENR. MORI, meditatio-

ditationes ? Non omnibus promiſcue haec ſcripta, aiunt, ſed initiatis, adduntque illud HORATII *Carm. III.* 1.

Odi profanum vulgus & arceo.

Sed, vt vera fatear, ſuſpecta mihi ſemper eſt obſcuritas, & plerumque parum ſapientiae latitat in tam ſpiſſis nubibus. Nulla eſt veritas tam ſublimis, quae non verbis poſſit enunciari dilucidis, alias enim ne ab ipſo quidem docente concipi, adeoque nec doceri poſſet. Notum eſt, quantum antiquis obſcuritatis cauſſa vapularit HERACLITVS, ea quae volebat dicere, οὔτε λέγων, οὔτε κρύπτων, ἀλλὰ σημαίνων, *nec clare eloquens, nec occultans, ſed innuens*, quod ipſe de oraculis pronunciauit apud IAMBLICHVM *de myſter. Aegypt. p. 79.* (Pulchre LVCRET. I, 640. de Heraclito,

Clarus ob obſcuram linguam magis inter inanes.
Quamde graues inter Graios, qui vera requirunt.
Omnia enim ſtulti magis admirantur, amantque,
Inuerſis quae ſub verbis latitantia cernunt,
Veraque conſtituunt, quae belle tangere poſſunt
Aures, & lepido quae ſunt fucata ſonore.

Sed obſeruandum etiam illud obſcuritatem quandam eſſe non ab auctore libri, ſed a lectore. Ita ſcripta Mathematica & Phyſica quaedam ſunt obſcura principiorum ignaris. Ita bene & emendate ſcripta Latina obſcura ſunt his, qui aſſueti ſunt ea tantum audire & legere, quae verbotenus vernaculae conſuetudini reſpondent, & epiſtolis obſcurorum virorum ſimiliora ſunt quam Tullianis. De hoc genere obſcuritatis diſputare me memini in *praefatione* ad VORSTII librum *de Latinitate ſelecta vulgo neglecta.* G.)

*****) Non ſolum verba elegantiora atque acumina non negligunt philoſophi, ſi ſe ſponte offerant, vt docent SOCRATIS *diſputationes* apud XENOPHONTEM, & ARRIANI *diſſertationes Epicteticae*: ſed ne iocos quidem ac facetias liberales adſpernantur. Noti ſunt *Socratici ſales*, de quibus videndus CICER. *de offic. I, 30. de orat. II, 67.* Hi ita placuerunt antiquitati, ut ſi quid feſtiuum atque vrbanum vocare vellent, *Socraticum* adpellarent. *Omne* ſcilicet *tulit punctum, qui miſcuit vtile dulci.* Vnde merito ipſe ſcurram egit, quisquis tanto fuit ſupercilio, vt Socratem ideo *ſcurram Atticum* vocaret, CICER. *de nat. Deor. I, 36.* Adhibendus tamen & hic modus, videndumque, quid deceat. Quod quum non faceret DIOGENES Cynicus, Σωκράτους μαινομένου, *Socratis furentis* nomen accepit. In primis abſtinendum eſt ab eiusmodi ſalibus in rebus grauibus, quales ſunt ſacrae & theologicae. Tentarunt etiam hac in re aliud BALT. SCHVPPIVS & IO. VAL. ANDREAE, ſed & hi multorum reprehenſionem incurrerunt. Quamuis forſan eos excuſet ingenium ad vrbanitatem natura factum, & tempora, quibus viuebant infeliciſſima, de quibus iure repetas illa IVVENALIS *Sat. I, 30.*

Difficile eſt ſatiram non ſcribere.

******) Aliud eſt *concionatorium* dicendi genus, aliud τεχνικὸν vel *philoſophicum*. Illud contentum eſt argumentis veroſimilibus, quae tamen tantis verborum phaleris veſtiuntur, vt demonſtrationes videantur. Hoc nudam proponit veritatem, eamque demonſtrationibus accurate ſuffulcit. Illud oratorias, hoc philoſophicas amat connexiones, id eſt, veritates omnes ex genuinis ac veluti domeſticis principiis ducit. Illud delectat & mouet; hoc docet & conuincit. Nec tamen figuras omnes reſpuit methodus paraenetica, quam vocant, quippe cuius finis itidem eſt *mouere* & *perſuadere*. Attamen & tunc magis illae ſponte ſua inter dicendum ſeſe obtuliſſe, quam operoſe excogitatae videri debent. Sunt ſane in ARRIANI *diſſertationibus Epicteticis* quaedam pulcherrime

dicta,

dicta, ſunt figurae elegantiſſimae, ſed tamen cum ſimplicitate coniunctae, ut orationem naturali quadam pulcritudine adſurgere, ſtatim adpareat. Illud fallit; hoc bona fide agit. Exemplo ſit SENECA, qui, declamatorio dicendi genere vſus, miram prae ſe fert ſapientiae ſpeciem: & tamen ſi remotis inuolucris propius eum inſpicias, non demonſtrationes inuenies, ſed acumina quaedam parum ſolida, non res & veritates, ſed verba ſonora, id eſt, fulgur e pelui. Id quod iam dudum obſeruarunt MALEBRANCHE *de inquiſ. verit. II*, 4. MENAG. *in Menag. tom. II.* VT & SAN-EVREMONTIVS *in Saneuremontianis*. Vereor, ne idem dicendum ſit de pleriſque patribus eccleſiaſticis, quibus nimius oratoriae amor impoſuit, veluti de BASILIO, GREGORIIS, IOANNE CHRYSOSTOMO, HIERONYMO, aliisque, de quibus legi meretur BARBEYRACII *praefat. ad verſion. Gallic. Puſend. n. VIIII.*

LVII. A philoſophico ſeiungendus eſt ſtilus HISTORICVS *). qui non modo puritatem **), ſed & concinnitatem ***) amat. Decet praeterea illum perſpicuitas ****), grauitas †), pulcritudo ††), minime vero vehementia †††), parenthyrſus ††††) & hyperbole †††††). Stilus hiſtoricus.

*) Singularis *de ſtilo hiſtorico* exſtat tractatus CASP. SCIOPPII, ſed in quo fruſtra praecepta quaeres. Solet enim iſte homo vbique aliorum vitia, tamquam quiſquilias colligere. Non itaque docet, qualis eſſe debeat iſta hiſtoricorum oratio, ſed qualis ſit apud eos, qui parum adcurate ſcripſerunt. Paullo meliora, ſed & pauciora ſunt, quae de ſtilo hiſtorico praecipiunt QVINCTILIAN. *Inſt. orat. X*, 1. LVCIAN. *in dial.* πῶς δεῖ τὴν ἱστορίαν συγγράφειν. SCHEFFER. *de ſtylo II*, 5. *p.* 15. *& in Gymn. p.* 35. *ſeq.* Addendus etiam VOSS. *de arte hiſt.* 26. *ſeq.*

(Aureus vero libellus ille SCIOPPII, qui nec praeceptis caret, & per exempla tanto docet efficacius. Subiectus eſt ipſius *Inſamiae Famiani*, qui ipſe quoque liber oſtendendis FAMIANI erroribus & vitiis in ſimili genere ſcribendi verſaturum iuuat mirifice. Etiam LVCIANI ſunt multa praeclara praecepta & exempla. De IO. BODINO & reliquis Artis hiſtoricae ſcriptoribus MORHOF. *Polyh. II*, 4, 3. *p.* 30. G.)

**) Quemadmodum omnem in vniuerſum Latinitatem, ita & ſtilum hiſtoricum maxime commendat PVRITAS. Abſtinendum ergo (a verbis poëticis: ſed non vtendum tamen vulgaribus ac tabernariis, vt recte monet LVCIANVS. Ceterum & hiſtorici I. ſuas habent *dictiones*, quas non temere reperias apud oratores. Vnde iam olim, teſte ATHENAEO, *Deipn.* II. PARTHENIVS quidam libellum conſcripſit περὶ τῶν παρὰ τοῖς ἱστορικοῖς λέξεων, *de vocabulis hiſtoricorum*. Nos quaedam tantum, exempli cauſſa, dabimus. Animaduertit AVGVSTIN. SATVRN. *Mercur. major. X*, 9. vocem *velox* aliter fere ab hiſtoricis, aliter ab oratoribus, aliter a poëtis, vſurpari. Hi dicunt *velox pedes*, illi *velocibus pedibus*, iſti *velox pedibus*. Sic & frequentiſſima hiſtoricis eſt conſtructio *profunda maris, incerta viae*, a quibus fere abſtinent oratores. Frequentiſſimae etiam connectendi formulae: *quo facto eſt, interiecto tempore*. In primis huc pertinet formula hiſtoricis fere propria: *ceterum fides eius rei penes auctores erit*: de qua CORTIVS *ad Salluſt. p.* 497. *Formula propria hiſtoricorum, vbi ad praeſtationem ſcribere nolunt. Seneca de breuit. vit. c.* 14. *Neque ſemper pro ſigno verboſitatis & neglectus rerum eſt habenda.* Vide IO. CHRISTOPH. BECMANN. *Praecogn. mor. c.* 3. *Immo in re dubia, difficili, & per alios cognita, fere*

ſemper adhibetur. PLIN. *Hiſt. nat.* XXVIII, 1. Quin immo externa quoque & barbaricos ritus indagabimus. Fides tamen Auctores adpellet. SENECA *nat. quaeſt.* c. 3. Aut quod hiſtorici faciunt, & ipſe faciam. Illi quum multa mentiti ſunt ad arbitrium ſuum, vnam aliquam rem nolunt ſpondere, ſed adiiciunt: *penes auctores fides erit. Adde eumdem de morte Claudii* c. 1. PLIN. *lib.* VIIII. *epiſt.* 33. TACIT. *Germ.* c. 3. Haec CORTIVS. Quin & II. figuras ſibi veluti proprias amant hiſtorici, in quibus haud poſtrema eſt *enallage infinitiui* pro imperfecto (vel quocumque tempore praeter futurum. G.) indicatiui, de qua SERV. *ad Virgil. Aen.* II. v. 683 *ſeq. Infinitus modus pro indicativo: & eſt* FIGVRA PROPRIA HISTORIOGRAPHORVM. Conf. CORT. *ad Sall.* p. 42. *ſeq.* Vtuntur equidem etiam poëtae. Sed hiſtoriam eſſe proximam poeſi, *& quodam modo carmen ſolutum*, obſeruat QVINCTILIAN. *Inſtit. orat.* X, 1.

***) Formant ergo periodos hiſtorici, ſed breuiores. *Nihil eſt enim in hiſtoria*, CICERONE *teſte*, *pura & illuſtri breuitate dulcius.* Diffuſiores tamen aliquando ſunt NEPOS, LIVIVS, & qui alias ſatis preſſus eſſe ſtudet, TACITVS. Nonnumquam etiam inciſim & membratim ſcribunt, quoties vel rem celeriter geſtam referunt, vel aliorum verba obliquo dicendi genere recenſent.

****) *Perſpicuitas* virtus hiſtorico quam maxime neceſſaria. Vnde cauendus perturbatior verborum ordo, quem etiam in THVCYDIDE nonnulli reprehendunt. (In orationibus praeſertim & iudiciis: nam vbi narrat, perſpicuus eſt. G.) Perſpicuus maxime CORNELIVS NEPOS & IVL. CAESAR: obſcuriores SALLVSTIVS & TACITVS, quorum vterque THVCYDIDEM videtur imitatus.

†) *Grauitas*, vt iam ſupra diximus, maxime decet hiſtoricos pragmaticos. Et hinc eam virtutem miramur in POLYBIO, TACITO, THVANO, COMINAEO & nonnullis aliis, qui pragmaticas dederunt hiſtorias, & non modo euentus, ſed & eorum cauſſas, perſonarum characteres, conſilia, ſimiliaque adcurate enarrant.

††) *Pulcritudinem*, quum in *dignitatem* & *venuſtatem* ſupra diſtribuerimus, hic addendum eſt, illam, quam hanc, hiſtorico eſſe digniorem. Elegantiſſimus eſt LIVIVS, CVRTIVS potius venuſtus videtur. Vbique enim adfectat ſophiſticum quoddam ac declamatorium dicendi genus. Nimius in deſcriptionibus locorum, fluminum, fontium; nimius in conſectandis ſententiis, quae tamen hiſtoricum non decent, niſi ſtatim ad hypotheſin transferantur. De eo nemo aequiore Ioue iudicauit BERGERO *de natur. pulcr. orat.* p. 373. 451. *ſeq.* 557. qui hic merito adhibendus in conſilium.

†††) Abſtinendum ergo ab increpationibus hominum, quippe quae ad declamatores pertinent. Hiſtorici non eſt, vel in homines inuehi, vel eorum virtutes collaudare, ſed res geſtas, procul habito odio aut amore, narrare. Ineptus ergo VELLEIVS PATERCVLVS, qui vbique immiſcet panegyricos: ineptus etiam FLORVS, qui nonnumquam faſces & ſecures in viros grauiſſimos expedit. (Iudicium tamen de hominibus & eorum factis interponere ſolent THVCYDIDES, SALLVSTIVS, LIVIVS, & vt quisque optimis eſt ſimilior. G.)

††††) Omnes figurae, quae adfectibus mouendis inuentae ſunt, hiſtoricum dedecent. (Nimirum in quantum eſt Hiſtoricus, neque orationes virorum clarorum ſtilo ſuo effingit, vbi ſuos vnicuique affectus tribuere virtutis & artis eſt. G.) Vnde nec laudem in hiſtoria merentur interrogationes, exclamationes, & quae ſunt huius generis aliae. Frigidum ergo eſt, quod FLORVS ſaepe exclamationes narrationibus, quaſi per parentheſin, interſerit. Veluti *lib.* I. c. 3. *Sic*, (*rarum alias decus!*) *vnius manu parta victoria eſt.* Et

cap. 7.

cap. 7. *Eminentia forte papauerum capita virgula excutiens, quum per hoc principes interficiendos eſſe intelligi vellet, (quae ſuperbia!) ſic reſpondit.* Paucis interiectis: *cedentibus ceteris diis (mira res dictu!) reſtitere Iuuentas & Terminus.* Talia frequentiſſima ſunt apud FLORVM. Veluti *lib. I, 10. Immane dictu! I, 11. Nouum & inſigne commentum!* Item, *quis credat? proh pudor! Fidem numinum! quanta velocitate?* Frequentiſſimae quoque apud eum ſunt interrogationes. Exemplo eſſe poterit *cap.* 8. *lib. I.* totum paene interrogationibus compoſitum. Talia etiam nonnulli notant in CVRTIO, cuius prolixa exclamatio exſtat *lib. IIII. cap.* 16. §. 10.

††††) Nihil frigidius eſt hyperbole, maxime in hiſtoria. Hanc quoque in FLORO ſupra aliquoties notauimus. Sed nec CVRTIVS ab hoc vitio abhorret. Quis quaeſo feret hiſtoricum referentem, Alexandrum in Aegyptum profectum extra terminos ſolis erraſſe? Et tamen ita loquitur CVRT. *IIII*, 83. male imitatus VIRGILIVM *Aeneid. VI. v.* 795.

- - - iacet extra ſidera tellus
Extra anni ſolisque vias.

Poetica haec ſunt, in hiſtorico non toleranda, qualia tamen plura occurrunt apud CVRTIVM. Eamdem dicam FLORO merito ſcribit BERGERVS *ibid. p.* 452. *Florus, nulla ingenii verecundia, cogitationum ſequutus impetum, ſuperiores audacia transferendi vicit, cum ipſisque certauit poetis, dignus profecto, quem multa frigide, multa putide, multa ſine mente ſana loquutum increpitaret grauiter & incuſaret Io. Georgius Graeuius, ſinceri vir iudicii, vt tandem aliquando multi, qui commendant acumen illius ventiſtatemque, diſcerent, res geſtas Romanorum capitulatim expoſitas, illinc eſſe conſiderandas, non ſtilum imitatione tam praua effingendum.*

LVIII. Stilus DIALOGICVS familiares amicorum ſermones imitatur. (Sed nempe amici illi & familiares ſunt diuerſorum generum. G.) Vnde facile adparet, eum eſſe tenuem *), Rhodium **), moratum ***), & nonnumquam iocoſum ac vrbanum ****). Quare non temere imitandi PLATO & CICERO †), ſed e Graecis XENOPHON ††), & LVCIANVS †††), e Latinis veteribus comici, & in his maxime TERENTIVS ††††), e recentioribus ERASMVS, cuius colloquiis nihil poteſt reperiri vrbanius †††††). Stilus dialogicus.

*) Praecepta de ſtilo διαλογικῷ haud poenitenda ſuppeditauit DEMETR. PHALER. *de eloquut.* 231. *ſq.* Nos veluti fundamenti loco ponimus, dialogos imitari familiares amicorum confabulationes. Vnde facile adparet, I. ſtilum dialogicum *tenuem* eſſe debere. Nemo ſane in colloquiis cothurno incedit. Attamen quum & ſtilus tenuis nonnumquam ſubtilior, nonnumquam elegantior acutiorque ſit: ratio habenda eſt perſonarum. Vnde PLAVTVS omnes quidem comoedias ſuas tenuiter ſcripſit, ſed aliam tamen orationis ideam heris, aliam filiis familias, aliam militi glorioſo, aliam meretricibus, aliam denique ſeruis, lenonibus, paraſitis, tribuit. Idem obſeruare nos decet in dialogis, & adcurate, quantum video, id obſeruauit ERASMVS. Attamen & mediocrem aliquando eſſe poſſe dialogorum elaboratiorum ſtilum, ſupra §. 48. obſeruauimus. Tales ſane ſunt dialogi quidam CICERONIS & omnes PLATONIS, quum contra XENOPHON & AESCHINES humi fere repant. (Certe ciuili quodam & quotidiano genere dicendi vtantur. Nempe apud hos So-

crates ſuos familiares quam familiariſſime de vita communi & virtute interrogando & explorando docet. Apud PLATONEM idem Socrates ſophiſtas irretit, & confundit, abditam rerum naturam explicat &c. G.) Multum intereſt, quas perſonas quis loquentes inducat, & qua de re inter ſe ſermocinatae eſſe fingantur.

**) *Atticum* dicendi genus paullo eſt ingenioſius, *Aſiaticum* operoſius, quam vt dialogos deceat. Quum ergo in colloquiis familiaribus non praemeditati, ſed ex tempore ſermones edere ſoleamus: conſequens eſt, vt II. ſtilus *Rhodius* quam maxime deceat dialogos. Hinc maiore cum voluptate legimus colloquia ERASMI & LVCIANI, quam CICERONIS, qui aliquando vix etiam in dialogis ab Aſiatica illa vbertate abſtinet. (Non a ſtilo eſt, quod ERASMI & LVCIANI colloquia praeferuntur TVLLIANIS: ſed ab argumento, quod varium & ſaepe nugax eſt apud illos, & pro perſonarum dignitate aut leuitate tractatum: apud hunc graue, philoſophicum aut rhetoricum, ipſum quoque grauiter, vti decebat, explicatum. Vtrique praeclare rem geſſere. Sed plerique lectores iocos magis amant, & nugas, quam ſeria. G.)

***) Hinc in dialogis vbique debent elucere eloquentium *amor*, *modeſtia*, *veracitas*. (Quin mores, quos tribuit Colloquentibus hiſtoria, vel qui conueniant conditioni & characteri perſonarum fictarum: qui poſſint eſſe Adulatores, Importuni, Latrones &c. G.) Maxime e comicis notandae ſunt formulae, quibus in familiari colloquio ſe inuicem excipiebant amici. Quemadmodum enim hodie nobis familiares ſunt formulae ſalutandi, bene precandi, petendi cet. ita nec Romanis illae defuerunt. Nos ſpecimen huius rei daturi, vel ex vnica TERENTII *Andria* quasdam huius generis decerpemus. *Act.* I. *ſc.* I. *Dictum puta: nempe vt*, id eſt, *intelligo, quid velis, nempe iubes, vt. Quin tu vno verbo dic, quod me velis. Heus, puer, dic ſodes. O dictum bene! beaſti. Quam timeo quorſum euadas? Sat eſt, curabo. Act.* II. I. *Nunc te per amicitiam & per amorem obſecro. Reddidiſti animum. Act. II*, 2. *Me vide*, id eſt fide mea promitto. *Act. II. ſcen.* 5. *Neque iſtic neque alibi tibi vſquam erit in me mora. Facis vt te decet. Act. III. ſc.* 3. *Ah ne me obſecra, quaſi hoc te orando a me impetrare oporteat. Merito te ſemper maximi feci. Act. III*, 4. *Hem numnam periimus? Act. IIII*, 4. *Hem praediceres.* Tales formulae in dialogis incredibilem venuſtatem habent, ſi commode adhibeantur.

****) Genus hoc dicendi iocoſum & vrbanum, dici non poteſt, quanta voluptate legentes aeque, ac audientes adficiat. Vnde & veteribus eiusmodi facetiae ſales dicuntur, eo, quod non minus ſermonem, quam ſal cibos condiunt. Quamuis vero natura hic vtramque faciat paginam, nihilque ſit frigidius iocis, inuita Mineruа excogitatis; plures tamen fuerunt, qui totam artem iocandi praeceptis quibusdam includere auſi ſunt. Exſtant IAC. MASENII *Argutiae familiares.* Exſtat etiam VAVASSORIS politiſſimus *de dictione ludicra* libellus, quo tamen maxime comicam illam & ſcurrilem linguas corrumpendi licentiam, quam Galli vocant *burleſque*, exagitat. (Et per hanc occaſionem quidquid apud optimos ſcriptores Graecos & Latinos iocoſe dictum eſt, percurrit, atque ex alio genere, non ex illa orationis corruptela petitum oſtendit. G.) Sed reliquis omnibus hac in re praeferendus CICERO *de orat. II*, 58. *ſq. & ad diuerſ. lib. VII. epiſt.* 32. etiam *lib. I. Offic. cap.* 29. & MACROB. *Saturn. II*, 2. & 3. quibus nemo curioſius iocandi fontes indagauit. (Copioſiſſimus antiquorum eſt QVINCTILIANVS VI, 3. G.) Vnde digna CICERONIS commentatio viſa eſt elegantiſſimo PASSERATIO, quam libro

ſuo

ſuo *de ridiculis* praeclaro commentario illuſtraret. (*Ap. Ro. Steph.* cIↃIↃXCIV. 8. Eſt etiam inter ADR. TVRNEBI *opera* CICERONIS *locus in quo tractantur ioci explicatus*, *p.* 202 - 218. Edit. *Argentor. fol. G.*) Nos horum ductu praecipuos hic iocandi modos trademus. Ridiculum vel in *verbis* eſt, vel in ipſa *re* ſeu *ſententia*. Primus *verborum* locus eſt

I. *Ambiguitas*. Sic olim de ſeruo iocatus eſt Nero, *ſolum eſſe, cui domi nihil ſit nec obſignatum, nec occluſum.* CICER. *l. c.* 56. Talis etiam eſt PLAVTI iocus *in Poenul.* I, 1. *v.* 22.

Quin ſi feriri te video, extemplo dolet.

Mater M. Bruti quum pretioſum aere paruo fundum abſtuliſſet a Caeſare, ſubiiciente haſtae bona ciuium: non effugit tale dictum Ciceronis: *equidem quo melius emtum ſciatis, comparauit Seruilia hunc fundum, Tertia deducta.* Tertia vero erat Seruiliae filia, in quam aeque, ac in matrem laſciuiebat Caeſar, MACROB. *Saturn.* II, 2.

II. *Verbi pronuntiatio* vel παραγραμμα, quando vocabulum deprauatur. Quodam dicente: *eamus deambulatum*, alter reſpondit: *quid opus eſt de?* Cui ille: *immo vero*, inquit, *quid opus eſt te?* CICER. *de orat.* II, 63.

III. *Interpretatio nominis*, CICER. *pro Sex. Roſcio cap.* 43. *Venio nunc ad aureum illud nomen Chryſogoni.*

IIII. *Teſtimonium, prouerbia, ſententiae* auctorum commode adhibita. Antonius, quum teſtis a ſe profectam pecuniam diceret, & hic haberet filium delicatiorem & prodigum, perópportune vſurpauit illa comici:

Sentin' ſenem eſſe tactum triginta minis? CIC. *de orat.* II, 64. Poſt Mutinenſem fugam interrogatus Furius Albinus, *quid ageret Antonius?* reſpondit: *Quod canis in Aegypto*, BIBIT & FVGIT. MACROB. *Saturn.* II, 2.

V. *Reſponſio* ad verbum, non ad ſententiam. Quaerente cenſore Catone: *ex tui animi ſententia, tu vxorem habes? Non hercle*, inquit L. Porcius Naſica, *ex animi mei ſententia.* CIC. *de orat.* II, 65. Sic & Antiocho oſtentanti exercitum, auro & argento fulgentem, interrogantique: *putaſne ſatis eſſe Romanis haec omnia?* reſpondit Hannibal: *plane ſatis eſſe credo Romanis haec, etſi auariſſimi ſunt.* MACROB. *Saturn.* II, 2.

VI. *Immutatio verborum*, quum immutatis verbis ſententiam retinemus. *Ruſca*, quum legem ferret annalem, diſſuaſor M. Seruilius: *dic mihi*, inquit, *M. Pinari, num, ſi contra te dixero, mihi maledicturus es, ut ceteris? Vt ſementem feceris, ita metes*, inquit. CICER. *de orat.* II, 66.

VII. *Translatio*, quum metaphora habet inſignem aliquem iocum. (Atqui de *Metaphora* hic ſermo non eſt, ſed de ea, quae *Metalepſis* ſ. *Tranſumtio* dicitur QVINCTILIANO 6, 3, 52. vbi ponit exemplum, *Heminarium* dictum, quod alias *Congiarium* vocatur, ad exiguitatem illius & malignitatem declarandam. G.) Corinthiis Scipioni promittentibus ſtatuam eo loco, vbi reliquorum eſſent imperatorum: reſpondit Scipio: *turmales mihi diſplicent.* IDEM, *ib.*

VIII. Relatio contrariorum vel retorſio, dicente Libone: *Quando, tandem, Galba, de triclinio tuo exibis? Quum tu, inquit, de cubiculo alieno.*

Et hi quidem verborum ioci: ſequuntur *rerum* vel *ſententiarum*. Tales ſunt:

I. *Feſtiua narratio.* Talis narratiuncula Craſſi de Memmio lacertum Largii deuorante exſtat apud CICER. *de orat.* II, 59.

II. *Collatio.* Sic CICERO pater Romanos homines ſimiles aiebat eſſe Syrorum venalium: vt quisque optime Graece ſciret, ita eſſe nequiſſimum. CICER. *de orat.* II, 68. Auguſtus, quum ei quidam libellum trepidus offerret, & modo proferret manum, modo retraheret: *Putas*, inquit, *te aſſem elephanto dare.* MACROB. *Saturn.* II, 4.

III. *Amplificatio incredibilis.* Scipio ad

Numan-

Numantiam ſtomachatus cum Metello, dixiſſe dicitur, *ſi quintum pareret mater eius, aſinum fuiſſe parituram.*

IIII. *Argura ſignificatio*, quum rem obſcuram callide & argute ſignificamus, cum C. Fabricio P. Cornelius, homo furax & auarus, ſed egregie fortis, gratias ageret, quod ſe conſulem inimicus feciſſet. *Nihil eſt*, inquit, *quod mihi gratias agas, ſi malui compilari, quam venire.* CICER. *de orat. II, 66.* Publius Mucium, in primis maleuolum quum vidiſſet ſolito triſtiorem: *Aut Mucio*, inquit, *neſcio quid incommodi acceſſit, aut neſcio cui aliquid boni.* MACROB. *Saturn. II, 2.* Fauſtus, Sullae filius, quum ſoror eius eodem tempore duos moechos haberet, Fuluium, fullonis filium, & Pompeium Maculam: *Miror*, inquit, *ſororem meam habere maculam, quum fullonem habeat.*

V. *Ironia* vel *vrbana diſſimulatio.* Seaeuola Septumuleio, cui pro Gracchi capite erat aurum repenſum, roganti, vt ſe in Aſiam praefectum duceret: *Quid tibi vis*, inquit, *inſane? Tanta malorum eſt multitudo ciuium, vt tibi ego hoc confirmem, ſi Romae manſeris, te paucis annis ad maximas pecunias eſſe venturum.* CICER. *de orat. II, 67.* Quum Vettius monimentum patris exaraſſet: ait Auguſtus: *Hoc eſt vere monimentum patris colere.* MACROB. *Saturn. II, 4.*

VI. *In re inhoneſta verbum rei honeſtae.* Africanus cenſor tribu mouens centurionem, qui in pugna non adfuerat, quum diceret, *ſe cuſtodiae cauſſa in caſtris manſiſſe*, *quaereretque, cur ab eo notaretur? Non amo*, inquit, *nimium diligentes.* CICER. *l. c.*

VII. *Contra voluntatem reſponſio.* Quum Tarento amiſſo arcem tamen Liuius retinuiſſet, multaque ex eo praelia praeclara feciſſet, & aliquot poſt annos Fabius Maximus id oppidum recepiſſet, rogaretque eum Liuius, vt meminiſſet, opera ſua ſe Tarentum recepiſſe: *Quidni*, inquit, *meminerim? Numquam enim recepiſſem, niſi tu perdidiſſes.* CIC. *l. c.*

VIII. *Falſa intellectio.* Quaeſitus non nemo: *qualis videtur tibi in adulterio deprehenſus? tardus*, inquit. CICER. *l. c.* Quaeſtio erat de crimine, reſpondens minus ſe intelligere ſimulabat, de quo quaereretur, & reſpondit de homine. Non minus facete Auguſtus, quum multi a Seuero Caſſio accuſati abſoluerentur, & architectus fori Auguſti exſpectationem operis diu traheret, ita iocatus fertur: *Vellem, Caſſius & meum forum accuſet*, vt demum abſoluatur. MACROB. *Saturn. II, 4.*

VIIII. *Falſa reſponſio.* (Quin attemperata interrogationi & eadem mordax. G.) Opimius, qui adoleſcens male audiuerat, ad Aegilium, qui mollis videbatur, nec tamen erat: *quid tu, Aegilia mea, quando ad me venis cum tua colu & lana?* Cui hic: *non pol*, inquit, *audeo. Nam me ad famoſas vetuit mater accedere.* CICER. *de orat. II, 68.*

X. *Abſcondita ridiculi ſuſpicio.* Catulus oratori cuidam malo, roganti, videreturne miſericordiam mouiſſe? *Ac magnam quidem*, inquit; *neminem enim puto eſſe tam durum, cui non miſeranda tua viſa ſit oratio.* ID. *l. c. 69.*

XI. *Moroſitas & lenitas.* Socrates colapho percuſſus a petulante iuuene: *Video*, inquit, *mihi in poſterum cum galea incedendum.*

XII. *Salſa ſtultitiae reprehenſio.* Siculus, cui Scipio praetor patronum dabat hoſpitem hominem nobilem, ſed ſtultiſſimum: *quaeſo*, inquit, *praetor, aduerſario meo da iſtum patronum, deinde mihi neminem dederis.* CICER. *de orat. II, 69.* Nomenclatori ſuo, obliuioſo admodum, dicenti: *numquid ad forum mandas?* Auguſtus reſpondit: *Accipe commendatitias, quia illic neminem noſti.* MACROB. *Sat. II, 4.*

XIII. *Coniecturalis explanatio.* Quum Scaurus accuſaret Rutilium ambitus, poſtquam ipſe conſul erat factus, ille repulſam tulerat, & in eius tabulis oſtenderet litteras A. F. P. R. idque diceret

diceret eſſe : *actum fide P. Rutilii ;* Rutilius autem : *ante factum , poſt relatum.* C. Caninius Eques Rom. cum Ruſo adeſſet , exclamat : neutrum illis litteris declarari : *Quid ergo ?* inquit Scaurus , *Aemilius fecit, plectitur Rutilius* ID. *ibid.*

XIIII. *Diſcrepantia ,* ſeu ignoratio elenchi. *Quid huic abeſt , niſi res & virtus ?* CIC. *de or. II,* 70.

XV. *Familiaris reprehenſio vel admonitio.* Patrono malo , quum vocem in dicendo obtudiſſet , ſuaſit Granius , vt mulſum frigidum biberet , ſimulac domum rediſſet : *Perdam ,* inquit , *vocem,* ſi *id fecero : Melius eſt ,* inquit , *quam reum.* CICER. *de orat. II,* 70.

XVI. *Dictum conſentaneum ,* id eſt , rei vel perſonae conueniens. Scaurus bonorum poſſeſſionem contra tabulas nactus , Beſtiae cauſſam itaque patronus agebat. Funus , quum duceretur, accuſator Memmius ; *Vide ,* inquit , *Scaure , mortuus rapitur , ſi potes eſſe poſſeſſor.* CICER. *l. c.*

XVII. *Ἀπροσδόκητον , contra exſpectationem reſponſio.* Scipio , quum ei M. Flaccus P. Mucium iudicem tuliſſet ; *eiero ,* inquit , *iniquus eſt.* Quum eſſet admurmuratum : *Ah ,* inquit , *P. C. non ego mihi illum iniquum eiero , verum omnibus.* CICER. *l. c.* Seruius Geminus videns deformes L. Mallii , optimi pictoris filios : *non ſimiliter ,* inquit, *Malli , pingis & fingis.* Cui Mallius : *in tenebris enim fingo ,* inquit , *luce pingo.* MACROB. *Saturn. II,* 2.

XVIII. *Votum rei impoſſibilis.* M. Lepidus , quum , ceteris in campo exercentibus , in herba ipſe recubuiſſet : *Vellem hoc eſſet ,* inquit, *laborare.* ID. 71.

XVIIII. *Lenta & tarda reſponſio.* (Minime vero *tarda ,* ſed *frigida* & ſine affectu , qui tamen expectabatur , prolata. *Lentus* eſt tardus ad iraſcendum. G.) Exemplum eſt apud CICER. *de orat. II,* 71.

Atque hi quidem ſunt praecipui loci ac fontes vrbanae ac iocoſae dictionis , a CICERONE oſtenſi. Neſcio tamen , cur CICERO omiſerit ἐναντιοφανὲς , praecipuum iocorum & facetiarum fontem , quando duae res iunguntur , quae conſiſtere non poſſe videntur. Huc pertinent ioci CICERONIS : *Frater meus dimidius maior eſt , quam totus. Hoc conſequutus eſt Reuilius , vt quaereretur, quibus conſulibus conſul fuerit.* MACR. *Saturn. II,* 3. ubi & ſimilem iocum refert Laberii , qui quum ſedile quaerens , ex CICERONE audiuiſſet : *recepiſſem te, niſi anguſte ſederem ,* reſpondit : *mirum, ſi anguſte ſedes , qui ſoles duabus ſellis ſedere.* Cauendum tamen , ne ioci ſiant illiberales. Tales ſunt I. cum iniuria coniuncti , II. profani , veluti ſi ſcripturae locis abutaris , III. cum imitatione geſtuum & deprauatione oris coniuncti , IIII. obſceni , V. parum ingenioſi , & ſola ſtultitia mouentes riſum , VI. epiſodia & loquutiones nullius ſenſus. Sic virum grauem non decet iocus PLAVTI *Capt. prol. v.* 1. *ſeq.*

Hos , quos videtis ſtare heic captiuos duos ,
Illi , qui adſtant , ii ſtant hic ambo , non ſedent ,
Vos vos mihi teſtes eſtis , me verum loqui.

Riſum enim haec mouent , non quia ingenioſa , ſed quia nullius ſenſus ſunt. In primis hoc dicendi genere delectatus eſt ex Graecis EPICHARMVS , ex Latinis PLAVTVS , quem ideo *ad exemplum Siculi properare Epicharmi , dixit* HORATIVS. Talia in utroque obſeruauit MVRET. *Var. lect. XIIII,* 5. veluti illud EPICHARMI :

Τόκα μὲν τηνεὶ ἐκείνοις ἐγὼν ἦν , τόκα δὲ παρ᾽ ἐκείνοις ἐγών.

nec non iocos PLAVTI : *Quoi homini di ſunt propitii , ei non eſſe iratos puto,* item : *Quanta mea ſapientia eſt , e malis multis , malum , quod minimum eſt , id minimum eſt malum.* At ne CICERO quidem eo ioco abſtinuit , in illis *ad Atticum : Noli putare , pigritia facere me, quod non mea manu ſcribam : ſed me-*

hercule pigritia. nihil enim habeo aliud, quod dicam. (Eleganter vero ſimulat CICERO, ſe voluiſſe cauſſam aliam fingere: cum autem nulla occurreret, tum demum fateri veram. G.) VII. deprauatio linguarum, quam *burleſque* vocant Galli, v. g. illa MOLIERII: *Bene bene reſpondere, dignus, dignus eſt intrare in noſtro docto corpore.* In ſcena haec plauſum referunt, in vita ciuili minime. Vnde & PLAVTI illa ludicra ſunt in *Pſeud. II*, 2.

PS. Sed quid eſt tibi nomen? H. Harpax. PS. apage te Harpax, haud places,
Huc quidem hercle haud ibis intro, ne quid harpax feceris.

Vbi quidem *harpax facere* eſt dictio ludicra. Et *Curcul. III.*

- - - L. Quis tu homo es?
C. Libertus illius, quem omnes Sumanum vocant.
L. Sumane, ſalue, qui Sumanus? fac ſciam.
C. Quia veſtimenta, vbi obdormiui, ebrius,
Sumano, ob eam rem me omnes Sumanum vocant.

Veſtimenta ſumano. Denuo eſt ludicrum.

†) PLATONIS enim dialogi non ſeruant dictionis familiaris ideam, ſed oratione conſcripti ſunt iuſto grandiore, adeo, vt a poemate minus diſtent, quam comicorum fabula. Vid. LAERT. *III*, 38. THEMIST. *orat. p.* 319. *edit. Harduin.* Idem de CICERONIS dialogis ſentiendum eſt, tanto quippe artificio ſcriptis, vt probabile haud ſit, hoc modo inter ſe colloquutas eſſe eas, quas inducit, perſonas. Simpliciores tamen ſunt eius *Cato Maior & Laelius,* quos ego Xenophonteos vocare ſoleo, quum reliqui Platonis ubertatem imitentur. (Nihil PLATONIS Dialogis ſuauius in exordiis, & vbi familiaris ſermonis aliquid interponitur. Alia res, vbi tractantur ſublimia digno nimirum illis genere orationis. Idem de CICERONIANIS dicendum. Sunt omni genere leporis & venuſtae vrbanitatis referti in prooemiis, & quoties ab argumento aliquantum ad familiarem conſuetudinem deflectunt, vt appareat, non defuiſſe neque PLATONI neque TVLLIO venuſtatem: Sed illos intempeſtiue ea vti noluiſſe. G.)

††) Dictio XENOPHONTIS melle dulcior eſt, adeo vt *apis Attica* diceretur. Vid. MENAG. *ad Laert. p.* 103. Atqui dulcis & ſimplex ſtilus quam maxime conuenit dialogis.

†††) LVCIANVS, quantum ab obſcuro atque adfectato dicendi genere abhorruerit, vel ſolus eius docet dialogus λεξιφάνης, *Tom. I. opp. p.* 819. Et hinc ipſe, ſi quis alius perſpicuitatem ac elegantem ſimplicitatem ſectatur, adeoque ſtilum διαλογικὸν praeclare exprimit.

††††) TERENTII ſtilus caſtus, purus, terſus ac plane vrbanus eſt. Locatur etiam, ſed multo, quam PLAVTVS, liberalius. Mores praeterea atque adfectus hominum adcuratiſſime exprimit, vt mea quidem ſententia nullus ex antiquitate exſtet auctor, qui familiaris ſtili ſuauitatem felicius expreſſerit.

†††††) Sunt equidem, qui compoſitionem adcuratiorem in ERASMO deſiderant: ſed hi nimis delicati videntur. Feſtiuus ſane eſt, vrbanus, & terſus, ac ridendo, vt ait HORAT. *epiſt. I*, 2.

- - quid ſit pulcrum, quid turpe, quid vtile, quid non,
Plenius ac melius Chryſippo & Crantore, dicit.

Stilus oratorius. LVIIII. De ſtilo ORATORIO tanto breuius agendum, quanto minus ille a reliquis omnibus dicendi formis abſtinet. Omnia ſibi (pro hominum, locorum, temporum conditione. G.) permittunt oratores: modo magnifice, modo mediocriter dicunt. Iam Aſiati-

Aſiaticam copiam, iam Rhodiam Atticamque frugalitatem amant. Modo ideam moratam in exordiis, modo perſpicuam in narrationibus, modo grauem in tractatione, modo in confutatione concitatam exprimunt. Figuris praeterea vtuntur omnibus, quae vel ad dignitatem orationi conciliandam, vel ad ciendos adfectus ſunt comparatae. Vt paucis dicam, non placere tantum, verum etiam admirationi eſſe cupiunt oratores *).

*) Conferri praecipue meretur SCHEFFERVS *de ſtilo*, *illiuſque exercit. II*, 7.

LX. Ab oratorio ſtilo non multum diſcrepat POLITICVS ſiue CIVILIS, niſi quod is Atticam breuitatem, nec non acumen & grauitatem magis amare videtur *). Elucet praecipue ciuilis iſta dicendi ratio ex orationibus magnorum atque excellentium virorum, quales paſſim hiſtoriis ſuis inſeruerunt LIVIVS, TACITVS CVRTIVS, aliique annalium (hiſtoriarum G.) ſcriptores **). Stilus Politicus & ciuilis.

*) Talis eſt oratio Alexandri M. vere civilis apud CVRTIVM *IIII*, 1. *Et ego pecuniam, quam gloriam, mallem, ſi Parmenio eſſem. Nunc, Alexander, de paupertate ſecurus ſum, &, me non mercatorem, memini, eſſe, ſed regem. Nihil quidem habeo venale, ſed fortunam vtique meam non vendo. Captivos, ſi placet, reddi, honeſtius dono dabimus, quam pretio remittemus.*

**) Diſputant quidam, an deceat integras orationes inſerere hiſtoriae. Negat FR. PATRICIVS; at adfirmat GER. IO. VOSS. *de art. hiſt.* 20. & 21. cui procul dubio elegantia harum orationum impoſuit. Nam nulla ratio eſt, qua poſſit homini veritatis amanti perſuaderi, in hac re licere hiſtoricis mentiri. (At fingere non ſemper eſt mentiri. Duplex dos eſt hiſtoriae, I. oſtendere quid factum ſit, II. ſapientiores reddere qui legunt, ac meliores. Si non ad priorem, certe ad alteram pertinent id genus orationes. Porro vel ideo non mentiuntur Hiſtorici cum ejusmodi orationes referunt, quia non temere dicunt, *his verbis aliquem vſum*, ſed *locutum in hanc ſententiam*. Porro prudens hiſtoricus cauſſas rerum, conſiliaque intexit his orationibus, quo nomine etiam ad priorem illam virtutem referuntur. G.) Et certiſſimum tamen eſt, Romulum numquam concionatum eſſe iis verbis, quae ei tribuit initio operis DIONYSIVS HALICARNASSEVS. Ceterum illud veriſſimum eſt, vel ideo magni aeſtimandas eſſe eiusmodi orationes, quod veram dictionis *ciuilis* ideam nobis ob oculos ponunt.

LXI. Stilus EPISTOLICVS non eſt διαλογικῷ ſimilis *), ſed ſermone quotidiano paullo adcuratior, dictione vero elaboratà remiſſior, &, vt DEMETR. PHALEREVS *de eloquut. n.* 244. monet, ex tenui & venuſto mixtus. Vbique etiam elucere debet τὸ ἠθικὸν **) id eſt, *genus dicendi moratum*. Neque tamen vno eodemque ſilo contexendae omnes epiſtolae. Iocoſae enim & familiares quotidianis conſcribuntur verbis ***); hortatoriae, expoſtulatoriae, & huius generis aliae concitatum ****); commendatitiae & pe- Stilus epiſtolicus.

titoriae mediocrem *****); ciuiles denique aut ad viros magnos exaratae grauem ſtilum exigunt ******).

*) Exiſtimauit hoc ARTEMON, qui ARISTOTELIS epiſtolas exſcripſit. Verum illum refellit DEMETR. PHAL. *de eloquut. n.* 232. *Dialogus enim*, inquit, *imitatur ex tempore loquentes: epiſtola autem ſcribitur, & alteri veluti dono mittitur.*

**) Eſt haec dicendi idea adeo neceſſaria, vt, ſi abſit, epiſtola eſſe deſinat. Hinc qui de rebus grauiſſimis ſubtiliter diſputant, ſcribunt quidem, verum non epiſtolas, ſed tractatus vel diſſertationes, quibus τὸ χαίρειν praemiſſum eſt, ut ait DEMETR. PHAL. *n.* 236. & 240. Hinc facile patet, longiſſime ab epiſtolico dicendi charactere abeſſe SENECAE epiſtolas, in quibus nullum morati ſtili veſtigium occurrit. Vnde, ne quidem epiſtolas has eſſe, ſed locos communes, & variarum diſputationum rhapſodias, nonnulli arbitrantur. Vid. MORHOF. *Polyhiſt. I.* 1. 23. 22. *p.* 300. (Sunt tamen multa in principiis praeſertim & in concluſionibus, vbi de ſuo amore, & ſimilibus familiarium epiſtolarum argumentis agit. G.)

***) Hanc legem ipſe ſibi dixit CICERO *ad diuerſ. lib. VIIII. epiſt.* 21. §. 2. Vnde in epiſtolis familiaribus non probatur nimia atque anxia ſcribendi cura. Certe non temere iudicauit SCIOPPIVS, epiſtolas MANVTII, quamuis puras ac elegantes, vix ea eſſe gratia, vt hominem niſi valde otioſum ad iteratam lectionem inuitent. Quod non aliunde eſſe duxerim, quam a ſuperſtitioſa ſcribendi cura, quae tanta fuit in MANVTIO, vt ſaepe menſes aliquot vni epiſtolae impendiſſe dicatur. MORHOF. *Polyhiſt. I,* 1. 23. 57. *p.* 307.

****) Exemplo eſſe poſſunt CICER. *epiſtolae ad Appium Pulcrum*, in primis *ad diuerſ. lib. III. epiſt.* 7.

*****) Tales ſunt pleraeque epiſtolae CICERONIS ad viros grauiores ſcriptae. Praeclare quoque hoc dicendi genus exprimunt M. ANT. MVRETVS, AON. PALEARIVS, IAN. NIC. ERYTHRAEVS, & pauci alii.

******) Has epiſtolas paullo elatiores eſſe iubet DEMETR. PHAL. *de eloquut. n.* 243. Nos non elatiores, ſed grauiores ceteris eſſe volumus. Exemplo praeiuit CICERO *in epiſt. ad Quintum Fratrem I,* 1. quam ego reginam omnium CICERONIS epiſtolarum adpellare ſoleo. Tam graui enim oratione proconſulis deſcribit officium, ut fieri id non potuiſſet grauius. Eiuſdem generis ſunt Epiſtolae, quas DARIO & ALEXANDRO M. tribuit CVRT. IIII, 1.

Stilus poeticus.

LXII. Supereſt ſtilus POETICVS, qui tametſi huc non pertineat; vel ideo tamen non plane videtur praetereundus, vt ab eius tumore † in ſoluta oratione nobis tanto facilius caueamus. Maxime autem ſtilus poeticus non modo verbis *), epithetis **), phraſibus ***), conſtructionibus ****) & connexionibus *****), ſed & toto orationis habitu ******) a proſa diſcrepat oratione.

† (Quod enim ſublime aut magnificum in poeſi erat, ſuo loco poſitum, illud tumidum fit, ſi in proſa intempeſtiue inculcetur. G.)

*) Primo enim poëtae vocabulis vtuntur, quae reliqui ſcriptores ignorant. Vid. ſupra §. XV. Deinde plura vocabula componunt, & veluti in vnum conflant. Vid. *ibid.*

**) Epitheta poëtis placent I. etiam *otioſa* v. c. *Turdis edacibus* HOR. *Epod. II. dulci mellis flauoque liquore* LVCRET. *de rer. nat. lib. I. II. Tranſlata*, & quidem audaciſſime. v. c. *ambitioſa colus*,

i. e.

i. e. quae, intertexto auro, fila trahit. (Eſt CLAVDIA. *de* IIII. *Conſ. Hon.* 593. & puto epitheton eſſe coli vniuscuiuſque, vt *vertiginoſa*, quae ambit. G.) CLAVDIAN. *conſ. Hon. IIII. v.* 549. (*Anhelantes gemmae* in frenis equi imperatorii. G.) *Turbo anhelus* SIL. ITAL. I. *Attonitus ignis* quo videlicet Scaeuola vrebat manum, MARTIALIS *epigr. VIII*, 29. Plura eiusmodi translata epitheta ſuppeditabit MORHOFII *idea lexici poetici*, inſerta eius *Polyhiſtori I*, 3. 11. *p.* 679. At non epithetis tantum translatis vtuntur, verum etiam ſubſtantiuis, immo & aliis figuris audaciſſimis, vt ſaepe Delio natatore opus eſſe videatur. Eo in primis pertinet μετάληψις, non modo ſimplex, ſed multiplex. E. g. dixit VIRGILIVS, *lib. VIII. Aen. v.* 90.

> *Iter inceptum celerant* RVMORE *ſecundo.*

Ibi vero duriſſima μεταλήψει *rumor* pro murmure, *murmur* fluuiale pro ipſo fluuio dicitur, ex mente GRONOVII *Obſeru. II*, 17. niſi cum SERVIO legere malis: *Rumone ſecundo. III. decompoſita & dithyrambica.* CLAVDIAN. *Conſul. Honor. IIII.*

> *Et* SEPTEMGEMINO *iactantior aethera pulſet*
> *Roma iugo.*

Talia etiam ſunt *Bellerophonteae habenae.* CLAVD. *Conſ. Probini. Cornipedes equi.* ID. *conſul. IIII. Honor. Amphitryoniades Hercules* STAT. *v.* 6709. *Ternox Herculea, ibid. v.*13102. *IIII. Obſcura* v. c. *Geticum plectrum*, pro Orphico. *Arcadius galerus*, pro pilo Mercurii: *Centaurica ſemina*, pro equis; *Danaeius volucer*, pro Perſeo; *Biſthonius enſis*, pro acuto, quia Mars Biſthone templum habebat. Talia complura apud STATIVM, quo non temere alius eſt poëta tumidior.

***) Phraſes poëtae non a vulgo petunt, ſed ipſi ſibi fingunt pro lubitu. (Neque tamen licere illis debent ſtulta, & qui hodie ſcribunt caute admodum verſari debent, neque ſine exemplo aliquid audere ante quam famam ſibi nomenque poëtae bonis artibus conciliauerint. G.) CLAVDIAN. *Conſul. Hon. VI.*

> - - - *Certis vbi legibus aduena Nereus*
> *Aeſtuat.*

i. e. vbi fluxus & refluxus maris eſt. IDEM *Conſul. Mallii.*

> - - - - *Qui ſe iaculantur in auras,*
> *Corporaque aedificant celeri creſcentia nexu.*

Loquitur de funambulis. Talia etiam ſunt: *euomere purpuream animam*, pro e vulnere mori, *venenatis grauida ſagittis pharetra*, pro pharetra ſagittis referta. *Colla triumphati Iſtri proculcare*, pro victoriam ad Iſtrum reportare. (STAT. *Thebaid. X.* 675.) *Fulminis radiis afflata cupreſſus Combibit ingeſtas & ſtirpe & vertice flammas*, id eſt, *cupreſſus fulmine combuſta eſt.* Quis ita in proſa oratione loqueretur? Plura huius generis dederunt IAC. MASEN. *in Palaeſtra II*, 12. FR. ROBORTELL. *de artific. dicendi cap. de poet. ſerm. diſp.* I. 10. DEDEKENN. *in obſeruat. Poet. Antu.* cIↄIↄcLXXXVIII. editis, & a MORHOFIO iterum cum praefatione ſua in lucem exire iuſſis *Kilon.* cIↄIↄcXCI. 8.

****) In conſtructionibus maxime poëtae amant I. *Graeciſmos*. Hinc nominatiuum ſaepe ponunt pro vocatiuo v. c. SEN. *Herc. fur.* 893.

> *Stantes*, SACRIFICVS, *comas*
> *Dilecta tege populo.*

Saepe & genitiuum pro ablatiuo, HOR. *Carm. I*, 22. *Integer vitae, ſceleriſque purus*, pro integer vita ſcelereque purus. Saepe omittunt praepoſitionem *ſecundum*, more plane Graecanico, VIRG. *Aen. III. v.* 593. *ac cetera Graius.* Talia etiam ſunt, *nuda genu*, *pernix pedes*, *tremit artus.* Sed talia intellectu facilia. At obſcuriſſimum illud OVIDII:

> *Poeniceam fuluo chlamydem contractus ab auro,*

vbi *contractus chlamydem* idem eſt,

ac *contracta chlamyde vſus.* Ita enim verſum legendum explicandumque eſſe monet GRONOV. *obſ. III*, 18. Saepe etiam adiectiuum apud poëtas in locum aduerbii ſuccedit, VIRG. *Eclog. III, v.* 63. *ſuaue rubens hyacinthus.* HOR. *Carm. I*, 22. *Dulce ridentem Lalagen amabo.* PRVDENT. II. *hymn. Matutin.* 33. *Nunc nunc ſeuerum viuitur.* HOR. *epiſt. I*, 1. *v.* 101. *Inſanire putas ſolemnia me.* Saepe Graecorum more conſtruunt, v. c. *Deſine querelarum, decet nobis, caeſſa perire, callida reſonare, bonus calamos inflare. Retulit Aiax eſſe Iouis pronepos.* Plura congeſſit BVCHN. *de commut. rat. dicendi* I, 19. (Et longe plurima VECHNERVS *Hellenol.* L. I. P. II. G.) Deinde poëtae II. plane negligunt leges, quas ſupra de verborum ordine dedimus. In primis Lyricis ſollemne eſt, omnia miſcere, ceu vel ex HORATIO patet. (Cape hoc, Candidate diuinae artis, de maieſtate quadam leges populi nonnumquam migrante, non de ſtribligine confundente omnia. G.)

*****) Eſſe connexiones poëtis proprias, vel ex ſolis adparet eorum comparationibus & ſimilitudinibus. Eas plerumque connectunt adiectiuis relatiuis QVALIS, TALIS, quibus numquam vtuntur oratores. VIRG. *Aen.* IIII. *v.* 143.

Qualis, vbi hibernam Lyciam Xanthique fluenta
Deſerit : ac Delum maternam inuiſit Apollo. cet.
- - - haud illo ſegnior ibat
Aeneas.

******) Diuerſae nimirum poëtis & oratoribus ſunt inuentiones, diuerſa argumentorum diſpoſitio, diuerſa eloquutio, diverſa etiam ſchemata. Vt de vltimis dicam, non facile v. c. apud oratorem reperies SEIVGATIONEM, qualis illa OVIDII *Heroid. epiſt.* II. *v.* 25.

Demophoon, ventis & verba & vela dediſti :
Vela queror reditu ; verba carere fide.

non facile etiam oratoribus placebit ἐπανάληψις talis, qualis illa OVIDII eſt *Faſt. IIII*, 365.

Qui bibit inde, furit, procul hinc diſcedite, queis eſt
Cura bonae mentis, qui bibit inde, furit.

Plane poëtica haec ſimiliaque ſunt, & hinc in proſa vix inueniunt locum. Plura de ſtilo poëtico dabit GER. IO. VOSS. *de arte poëtica.*

Stilus argutus. LXIII. Pleriſque dicendi characteribus hactenus deſcriptis commune eſt ἡ δεινότης, id eſt, genus quoddam orationis ACVTVM atque ARGVTVM *), in quo palmam reliquis praeripere videntur SENECA, PLINIVS, TACITVS, CVRTIVS. Ne ergo & huius ſtili obſcura nobis ſit ratio **) : ſciendum eſt, omne acumen vel in verbis ***), vel in propoſitionibus ****), vel in ipſis enthymematibus *****) eſſe poſitum.

*) Dubitarunt nonnulli, an acutum illud orationis genus laudem aliquam mereatur. Aiunt enim, ad corrumpendam bonae dictionis indolem inuentum primum eſſe ſtilum argutum, & quidem poſt tempora CICERONIS, quum iam in deterius ire coepiſſet Romana eloquentia. Addunt, nihil ſolidi ineſſe eiusmodi argutiis, ſed meros ſtrepitus ſententiarum male cohaerentium, & quamdam antithetorum hiſtrioniam, quibus titillari aures poſſint, pectus non ſaturari. Vid. ALBERTI DE ALBERTIS *Theſaur. eloq. ſacrae & prof.* FRANC. VAVASSORIS *orat.* III, quae eſt *pro veteri dicendi ge-*

nere contra novum, & iam ex antiquis QVINCTIL. *Inſt. orat. VI*, 3. Sed haec omnia vt ſunt veriſſima, ita tamen non ita accipienda, vt nullum omnino acuminibus concedamus locum. Laudem illa ſuam merentur, ſed veluti condimenta quaedam atque aromata, quae quum intemperantius adhibita faſtidium pariant, modice adſperſa mirifice delectare ſolent. Quemadmodum ergo non laudanda SENECAE oratio, quae tota argutiis potius, quam ſententiis ſolidis atque enthymematibus, conflata eſt: ita nec reprehenſionem merentur PLINIVS & TACITVS, qui paullo parcius iſtis condimentis vſi ſunt. Vid. MORHOF. *diſciplin. argut. praeſ. p. 3. ſeq.* Addendus eſt V. C. CHRIST. GOTTL. SCHVVARZIVS *de orat. concinna* §. XXXIIII. *ſequ.* vbi de acuto dicendi genere, & quid de eo ſentiendum ſit, ex inſtituto diſquirit.

**) Ex antiquis acuti ſtili fontes oſtendere conati ſunt ARIST. *Rhet. III*, 10. & 11. HERMOGENES *Idear. II*, 5. QVINCTILIAN. *Inſt. orat. VI*, 3. E recentioribus hic ceteris anteferendi SARBIEVIVS in libro *de acuto*, MASENIVS *in arte argutiarum*, EM. THESAVRVS in *idea argutae dictionis*, &, qui reliquos omnes longo poſt ſe internallo reliquit MORHOFIVS in *diſciplina argutiarum*, quae prodiit Lubec. cIↄIↄCCV. 8. (Exempla, ſed etiam praecepta praeſtat PETRVS LABBE S. I. cujus *Elogia* varii generis, cum praefatione aduerſus huius characteris contemtores edidit CHRISTI. VVEISSIVS *Lipſ.* cIↄIↄCLXXXVI. 8. *G.*)

***) Acumen omnibus mentis operationibus ineſſe poteſt. Et ad *verba* quidem quod attinet, acutam orationem reddunt I. ambiguitas, vt quando quis de Draconis legibus dixit: *Non hominis iſtae ſunt leges*, ſed DRACONIS. ARIST. *Rhet. II*, 23. aut quando Sceparnio apud PLAVT. *Rud. I*, 1. *aedes illuſtres* vocat, quas venti perflabant. II. ἀντανάκλασις: *Quid ergo? iſta culpa Brutorum? minime illorum quidem, ſed aliorum brutorum.* CICER. *ad Attic. epiſt. XIIII*, 14. III. παρονομασία v. c. *inceptio haec amentium eſt, non amantium.* TER. *Andr. I*, 3. *Non eſt enim facile in eum ſcribere, qui poteſt proſcribere.* MACROB. *Saturn. II*, 4. IIII. παρήχησις. PLAVT. *Menaechm. IIII*, 2. *Palla pallorem incutit.* V. Significationis mutatio. Sic ABDICARE alias dicuntur patres filios: acute ergo *Alexander Philippum patrem abdicaſſe* dicitur CVRTIO IIII, 10. Sic etiam ſi maritum imperioſae vxori dicas *nupſiſſe*: acutum hoc erit. Quam iis enim veteres *nubere* etiam viros dixiſſe ferantur, idque probari poſſit ex NONIO *de propr. ſerm. cap. 2. n. 577.* tamen & exoleuit poſtea illa verbi notio, & exemplum, quod ex auctore vetere, neſcio quo, adducit NONIVS, ſatis oſtendit, ſcriptorem illum, quisquis fuerit, ſignificationem ſtudio mutaſſe. Ait enim ille:

Sed meus frater maior, poſtquam vidit me inde eiectum domo,
Nupſit poſterius DOTATAE, VETVLAE, VARICOSAE, AFRAE, (fort. *vafrae*.)

Tales vero qui domum ducunt, illi mihi vere nubere videntur. VI. alluſio. Sic cum paraſitus apud TER. *Phorm. V*, 9. Chremetis amores Nauſiſtratae vxori prodidiſſet, & deprehenſus Chremes vxorem formidaret, lepide & acute ait paraſitus: *Exſequias Chremeti, quibus eſt commodum ire, iam tempus eſt*, alludens ad formulam in funeribus ſollemnem. Alluſio quoque in illis CICER. pro *Sex. Roſcio: Venio nunc ad aureum illud nomen Chryſogonum.*

****) Propoſitiones reddunt acutiores I. repugnantia: FLOR. II, 6. *Nouam de Hannibale victoriam commentus eſt Fabius, nolle pugnare.* MARTIAL. *epigr.* II, 80.

Hoſtem quum fugeret, ſe Fannius ipſe peremit:
Hic, rogo, non furor eſt, ne moriare mori?

II. Pa-

II. Paradoxa, FLOR. II, 6. *Capuam Hannibali Cannas fuiſſe.* III. adfirmatio cum negatione coniuncta: PLIN. Paneg. IIII. *Vtrumque, Caeſar, moderate, & quod alibi tibi gratias agi non ſinis, & quod hic ſinis.* IIII. ἐπάνοδος. CICER. *pro Planc. cap.* 28. *Gratiam qui refert, habet; &, qui habet, eo, quod habet, refert.* Feliciſſimum hac in re fuit PVBLLI SYRI ingenium, cuius ſententiae pleraeque omnes huius generis ſunt. V. ἀντιμετάθεσις: *Non ideo viciſſe videris, vt triumphares, ſed triumphare, quia vinceres.* PLIN. *Paneg. cap.* 17. VI. Allegoriae. Sic quum aliquis familiam ſuam *triumphorum ſeminarium* vocaſſet: acute CICERO; *ex illo ſeminario*, inquit, *triumphorum non niſi arida folia laureae retuliſti.* VII. Correctio, maxime quae ſit per epitheton. VELLEI. PATERC. *Hiſt.* II, 41. *Caeſar, Alexandro M. ſed ſobrio, ſimillimus.* SEN. *epiſt.* 4. *Adhuc enim non pueritia in nobis, ſed puerilitas, remanet.* VIII. luſus (i. e. repetitio ſimilium, vel eorundem adeo G.) verborum: SENECA *de Ira* I, 16. *Satis tibi eſt magna ad peccandum cauſſa, peccare.* ID. I, 5. *Vltima ſupplicia ſceleribus vltimis ponat, vt nemo pereat, niſi quem perire etiam pereuntis interſit.* ARIST. *Rhet.* III, 11. 26. *Dignum eſt mori, antequam dignus ſis mori.* LABERIVS apud MACROB. *Saturn.* II, 7.

Neceſſe eſt, multos timeat, quem multi timent.

PVBLIVS SYRVS:

Cui plus licet, quam par eſt, plus vult, quam licet.

VIIII. diſtributio. SENECA *epiſt.* I. *Si volueris attendere, magna vitae pars elabitur male agentibus, maxima, nihil agentibus, tota aliud agentibus.* X. comparatio. *Adoptavit te optimus princeps in ſuum; ſenatus in optimi cognomen.* PLIN. *Paneg. cap.* 88. & 4. *Enituit aliquis in bello, ſed obſoleuit in pace: alium toga, ſed non & arma honeſtarunt: reuerentiam ille terrore, alius amorem humanitate captauit: ille quaeſitam domi gloriam in publico, hic in publico partam domi perdidit.* XI. ſimilitudo. *Vita principis cenſura eſt, eaque perpetua.* PLIN. *Paneg.* 45. XII. paroemia. Sic ſi quis de Hannibale diceret: *omnibus malis Punicis ineſt granum putre*: argutiſſime hoc eſſet dictum, cum ob aequiuocationem MALIS, tum ob paroemiam. XIII. alluſio ad fabulam. CIC. *diuin. in Q. Caecil. cap.* 17. *ſed repente veſtigio ex homine, tamquam alio Circaeo poculo, factus eſt Verres.*

*****) In tertia mentis operatione ſiue *enthymemate* pleraeque argutiae ex ſophiſmatibus oriuntur, veluti, I. *Ex aequivocatione.* Tale eſt enthymema illud apud SVET. *Neron. cap.* 39.

Quis negat Aeneae magna de ſtirpe Neronem?
Suſtulit hic matrem, ſuſtulit ille patrem.

II. Ex figura dictionis, v. c. *Mirum, niſi Anna haec in fine quoque ſui eſſet ſimilis.* III. Ex fallacia compoſitionis & diuiſionis, v. c. *vos victi victores impios occidiſtis occiſi.* (Sic THESAVRVS, vnde haec ſumta. Sed huc non pertinet; verum potius ad n. I. repugnantiae. G.) IIII. Ex fallacia non cauſſae, v. c. *omnia, Caſtor, emis, ſic fiet, vt omnia vendas.* MART. *epigr.* Sic Populiae Marciae filia, miranti cuidam, quid eſſet, quod aliae beſtiae numquam marem deſiderent, niſi quum praegnantes vellent fieri? reſpondit: *Beſtiae enim ſunt.* MACROB. *Sat.* II, 6. Et ita etiam ex reliquis fallaciarum generibus facile naſcentur acumina, ſi ingenium acceſſerit felicius. Niſi enim impetus quidam naturae adfuerit, facile in frigus & adfectationem degenerabunt. A quo vitio ne quidem EM. THESAVRVS cauere ſibi ſatis potuit.

CAPUT

CAPUT III.

DE FVNDAMENTIS STILI PHILOSOPHICIS.

I.

Reliquum eſt, vt de fundamentis ſtili PHILOSOPHICIS dicamus. Quemadmodum enim fundamenta *grammatica* & *rhetorica* ad orationis ſtructuram atque ornatum; ita *philoſophica* ad eiusdem materiam pertinent. Verba enim, quantumuis ornata, in vanam abibunt loquacitatem, niſi ſententiae illis ſubſint, tanto verborum adparatu dignae *). Fundamenta philoſophica ſtili.

*) Praeclare hunc locum tractant CICER. *de orat.* I, 19. *ſeq.* e recentioribus MVRET. *Part.* I. *orat.* IIII. vbi de philoſophiae atque eloquentiae coniunctione praeclare diſſerit. (Scilicet hoc nunquam non cogitandum eſt eloquentiae candidato, pulchritudinem in verbis aliam ne intelligi quidem poſſe, praeter eam, quae cum rebus, quas ſignificare debent pulchre conueniunt, easque exprimunt. G.)

II. PHILOSOPHICA *) ergo ſtili cultioris fundamenta voco, quaecumque ſententias veras, & rectae rationi conſentaneas orationi ſuppeditant. Quidnam per illa intelligatur?

*) Paullo latius itaque hic patet *philoſophiae* nomen, quo omnes diſciplinas atque artes, materiam ſtilo ſuffecturas, intelligo. Praecipue tamen huc pertinent *logica, philoſophia moralis, ius naturae & politica*, quibus carere haud poſſe eloquentem, omnes eruditi fatentur.

III. Duorum vero generum ſunt fundamenta philoſophica. Alia enim *ſingularibus periodis*, alia *integris argumentis* ſuppeditant materiam. Quotuplicia ſint?

(Non accurate puto ita diuidi haec fundamenta. Poteſt enim una eademque res nunc periodo ſuppeditare materiem, nunc orationi integrae, nunc eius parti. G.)

IIII. Ad amplificandam orationem plurimum facit I. DEFINITIO *), quae, dici non poteſt, quantum ornet orationem **). Definitiones vero non aliunde, quam ex philoſophia, petendae ſunt. Ad amplificandam orationem facit definitio.

*) Caue vero exiſtimes, definitiones illas vocabulis philoſophicis & technicis concinnatas, cultiori inſerendas eſſe orationi. Tum demum placebunt, ſi verbis lectiſſimis ornatiſſimisque proferantur. Neque tamen oratores eam ſemper

per ſectantur ἀκϱίβειαν, quam in philoſophis exigimus, ſed plerumque vel per *cauſſas*, vel per accidentia ſiue adiuncta, rem deſcribunt. Sic CICERO pro *Cluent.* dicturus Mileſiam quamdam mulierem, partu ſibi medicamentis abacto, capitis eſſe damnatam, elegante definitione filii vtitur, atque hanc concinnat periodum: *Nec iniuria, quae ſpem parentis, memoriam nominis, ſubſidium generis, heredem familiae, deſignatum reipublicae ciuem ſuſtuliſſet.* Ex quo exemplo patet, plures nonnumquam definitiones, aut ſi mauis, deſcriptiones veluti per congeriem accumulari. Nec minus elegans eſt illa definitio CICER. *Philipp. I,* 12. *Eſt autem gloria, laus recte factorum, magnorumque in rempublicam meritorum, quae cum optimi cuiuſque, tum etiam multitudinis teſtimonio comprobatur.* CAVSSIN. *libr. IIII. cap.* 13. vocat huiusmodi definitionem *per ſynonymiam*, additque exemplum: *Quid enim eſt aliud lilium, quam terrae ornamentum, plantarum gloria, oculus florum, pratorum gemma, pulcritudo radiis ſuauiter emicantibus fulgurans?* Eodem exemplo olim vel SAPPHO vel ACHILLES TATIVS roſam γῆς κόσμον φυτῶν ἀγλάϊσμα ὀφθαλμὸν ἀνθέων, *terrae ornamentum, plantarum decus, oculum florum* adpellauit.

**) Tria vero potiſſimum definitionum genera, in cultiore oratione commendantur. Primum rhetoribus vocatur ἄϱνησις, alterum ἀφαίϱεσις, tertium σύγκϱισις. I. ἈΡΝΗΣΙΣ ſiue NEGATIO eſt, quum vera genera, veraſque proprietates tollimus. CICERO *pro Cluent.* *At quae mater? quam coecam crudelitate & ſcelere ferri videtis: cuius cupiditatem nulla vmquam turpitudo retardauit, quae vitiis animi in deterrimas partes iura hominum conuertit omnia: cuius ea ſtultitia, vt eam nemo hominem, ea vis, vt nemo feminam; ea crudelitas, vt nemo matrem adpellare poſſit.* II. ἈΦΑΙΡΕΣΙΣ ſiue REMOTIO, quum res differentes tollimus, proprias ſubiungimus. CIC. *Philipp. I,* 12. *Credo enim vos homines nobiles, magna quaedam ſpectantes, non pecuniam, vt quidam nimis creduli ſuſpicantur, quae ſemper ab ampliſſimo quoque clariſſimoque contemta eſt, non opes violentas, & populo Romano minime ferendam potentiam, ſed caritatem ciuium & gloriam concupiſſe, eſt autem gloria laus recte factorum, cet.* III. ΣΥΓΚΡΙΣΙΣ ſiue CONTENTIO, quum ſimul contraria ſiue opoſita exprimimus. CIC. *Phil. II,* 44. *Et nomen pacis dulce eſt, & ipſa res ſalutaris. Sed inter pacem & ſeruitutem plurimum intereſt. Pax eſt tranquilla libertas, ſeruitus malorum omnium poſtremum, non modo bello, ſed morte etiam repellendum.* Conf. BVCHNER. *de commut. rat. dicendi II,* 3. 1. At ſunt tamen alia quoque oratoriarum definitionum genera. Aliquando enim res definitur per PARTES ſuas: LACTANT. *Inſt. II,* 5. *An Archimedes Siculus concauo aere ſimilitudinem mundi ac figuram potuit machinari, in quo ita ſolem ac lunam compoſuit, vt inaequales motus, & caeleſtibus ſimiles conuerſionibus ſingulis quaſi diebus efficerent, & non modo acceſſus ſolis & receſſus, vel incrementa deminutioneſque lunae, verum etiam ſtellarum vel inerrantium vel vagarum diſpares curſus orbis ille, dum vertitur, exhiberet? Deus ergo illa vera non potuit machinari & efficere, quae potuit ſollertia hominis imitatione ſimulare?* Aliquando per CAVSSAS & EFFECTVS. Hoc modo enim peſtem definit VIRGIL. *lib. III. Aen. v.* 137. *ſeq.*

- - - - Subito cum tabida membris
Corrupto caeli tractu miſerandaque venit
Arboribuſque ſatisque lues, & lethifer annus.
Linquebant dulces animas, aut aegra trahebant
Corpora: tum ſteriles exurere Syrius agros.
Arebant herbae & victum ſeges aegra negabat.

Definitiones per ACCIDENTIA & SIMILITVDINEM, addit CAVSSIN. *lib. IIII. cap.* 20. *ſeq.*

V. Nec

V. Nec minus ornatam periodum reddit II. DIVISIO *). Sae- Et diui-
pe enim vel totum in partes, vel genus in ſpecies partitur orator, ſio.
vt tanto vberior grauiorque fiat oratio. Optimas vero diuiſiones ſuppeditare philoſophiam **), nemo, niſi rerum omnium ignarus, ignorat.

(Si bene rem conſideres, artificia prope omnia rhetorum, quibus rerum inuentionem iuuare volunt, redeunt ad commodas diviſiones, & claſſes rerum. In tantum igitur tum praedicamenta, tum alias quaſcunque diviſiones in promtu habere conſultum eſt. G.)

*) Exemplum dabit MVRET. *Part. I. orat. VII.* Dicturus is erat, philoſophiam moralem non ad adparentem, ſed ad veram felicitatem eſſe comparatam. At quum ex philoſophia didiciſſet, adparentia illa bona vel utilia, vel honeſta, vel iucunda videri, diviſione illa vtitur, atque inde hanc concinnat periodum: *Non enim philoſophia ſibi opes ac copias, quae & ſaepe poſſeſſoribus ſuis exitio ſunt, & tam multis caſibus eripi poſſunt; non honores & imperia, quae, quod concupierint, multi; quod adſpernatus ſit, nemo vmquam vituperatus eſt; non quidquam denique proponit eiusmodi, quo & carere ſine probro, & abundare ſine gloria, liceat: ſed eam, ad quam omnes adſpirant, quam ſibi votis omnibus expetunt, ad quam omnes ſuas actiones, omniaque conſilia referunt, felicitatem.*

**) Non tamen & hic partes tantum enumerari, ſed ſingularum vel definitiones vel attributa quaedam recenſeri ſolent. Sic CICERO *de offic. I, 4.* quum e Stoica philoſophia didiciſſet, quatuor eſſe virtutes cardinales, prudentiam, iuſtitiam, fortitudinem, temperantiam: ſingularum definitiones vna hac eaque elegantiſſima, periodo complectitur: *ſed omne quod honeſtum eſt, id quatuor partium oritur ex aliqua: aut enim in perſpicientia veri, ſollertiaque verſatur: aut in hominum ſocietate tuenda, tribuendoque ſuum cuique, & rerum contractarum fide: aut in animi excelſi atque inuicti magnitudine ac robore: aut in omnium, quae fiunt, quaeque dicuntur, ordine & modo, in quo ineſt modeſtia & temperantia.*

VI. Sic etiam CAVSSAS rerum, ipſasque rationes, & argu- Et cauſ-
menta oratori ſufficit philoſophia *). Iis vero quam maxime ad ſae.
periodos cauſſales concinnandas opus eſt **).

*) Philoſophia enim quum ſit ſolida veri bonique cognitio, non ſolum τὸ ὅτι, verum etiam τὸ διότι, inueſtigat. Nam *ſcire* eſt rem per cauſſas noſſe.

**) Periodi cauſſales naſcuntur, ſi propoſitiones ſuis muniuntur rationibus. Rationes vero ſolidiſſimas ſuppeditat philoſophia. Exemplo ſit elegantiſſima periodus apud CICERON. *de amici. cap. 11.* Propoſitio eius haec eſt: *nulla eſt excuſatio peccati, ſi amici cauſſa peccaueris.* Eam hac ſolidiſſima ratione fulcit: *Nam quum conciliatrix amicitiae virtutis opinio fuerit: difficile eſt amicitiam manere, ſi a virtute defeceris.*

VII. Sed & EFFECTVS & ADIVNCTA rerum, quibus ſae- Nec non
pe egregie amplificatur periodus, e philoſophia petuntur *). effectus
& adiuncta.

*) Mira eſt eiuſmodi periodorum elegantia, ſi rem veluti viuis coloribus depingere, atque ob oculos ponere velis. Effecta enim & adiuncta, quum maxime incurrant in ſenſus, tam luculentam reddunt orationem, vt rem non audire

nobis, ſed oculis vſurpare videamur. Inſignem haec uſum habent in deſcribendis perſonis, quarum χαρακτῆρες non niſi ex interiore philoſophia morali peti poſſunt. Quam accurata eſt deſcriptio Catilinae apud SALLVST. *Catil. cap.* 5. *Corpus patiens inediae, vigiliae, algoris, ſupra quam cuique credibile eſt, animus audax, ſubdolus, varius, cuius rei libet, ſimulator ac diſſimulator, alieni adpetens, ſui profuſus, ardens in cupiditatibus: ſatis loquentiae, ſapientiae parum. Vaſtus animus immoderata, incredibilia, nimis alta ſemper cupiebat.* Sic SENECA *de ira,* I, 1. iracundiae turpitudinem exaggeraturus, effectus & adiuncta furoris & irae inter ſe contendit; *nam vt furentium certa indicia ſunt, audax & minax vultus, triſtis frons, torua facies, citatus gradus, inquietae manus, color verſus, crebra & vehementius acta ſuſpiria: ita iraſcentium eadem ſigna ſunt. Flagrant & micant oculi, multus in ore toto rubor, exaeſtuante ab imis praecordiis ſanguine; labia quatiuntur, dentes comprimuntur, horrent ac ſubriguntur capilli, ſpiritus coactus ac ſtridens, articulorum ſe ipſos torquentium ſonus, gemitus mugitusque, & parum explanatis vocibus ſermo praeruptus, & complosae ſaepius manus, & pulſata humus pedibus, & totum concitum corpus, magnasque minas agens, foeda viſu & horrenda facies, depravantium ſe atque intumeſcentium.* CICERO de manſuetudine *in orat. pro M. Marcello* 3. *animum vincere, cet. iudico.*

(Hypotypoſis atque Diatypoſis huc pertinent, quae totae propemodum in hoc inſunt, vt effectus & adiuncta rerum natiuis quaſi coloribus picta ponantur ante oculos. Exempla aliquot praeclara ſuppeditat CAMERARIVS *in Elementis Rhetoricis*, libello vel hoc nomine commendando, p. 114. ſqq. G.)

Itemque contraria & conditiones.

VIII. Nec minus CONTRARIA *) & CONDITIONES **), quibus ad conſtruendas periodos ſaepe opus eſt, e philoſophia mutuanda ſunt.

*) Sic praeclare ſapientiam & curioſitatem ſeiungit CIC. *de finib.* V, 18. *omnia quidem ſcire, cuiuſque modi ſint, cupere, curioſorum: duci vero maiorum rerum contemplatione ad cupiditatem ſcientiae, ſummorum virorum eſt putandum.*

**) In conditionibus quantum momenti ſit poſitum, nemo ignorat. Quidquid enim adfirmari negarique poteſt, non abſolute, ſed certa ſub conditione verum eſt. Quaenam vero ſint ſingularum veritatum conditiones, id quidem philoſophia docet. Sic CIC. *de offic.* I, 29. oſtenſurus, qua conditione iocari liceat: *Ludo autem & ioco*, inquit, *vti illo quidem licet, ſed ſicut ſomno & quietibus ceteris, tum, quum grauibus ſeriisque rebus ſatisfecerimus.*

Sententiae etiam e philoſophia petendae.

VIIII. Idem dicendum de SENTENTIIS *), quae vix vllam vel venuſtatem vel dignitatem habent, niſi ex intima philoſophia depromantur.

*) Sane, qui maxime ob ſententiarum grauitatem concinnitatemque commendantur, philoſophi fuerunt, veluti e Graecis EPICHARMVS & EVRIPIDES, e Latinis SENECA & PLINIVS. Nec praetermittendae tamen hic ſunt, quas ſupra (P. I. cap. 2. §. 56. p. 169.) de SENECAE ſententiis dedimus, obſervationes. Merito hic conſulendus eſt HENR. STEPHANVS in *diſſertatione* elegantiſſima *de habendo delectu ſententiarum, quae γνῶμαι a Graecis dicuntur*, vbi obſeruat, improbas plerumque eſſe ſententias, quae non ad philoſophiae praecepta, ſed ad

vulgi

vulgi opinionem formentur. Tales ſunt illae MENANDRI :

Ἀπολεῖν γὰρ ἦν
Τὸν μὴ δυνάμενον ζῆν ἀλύπως ἀποθανεῖν.

S[illegible] f[illegible], eos, qui ſua quadra vivere neque[illegible] occidere, (quam pauperibus ſtipem dare.) nec non PLAVTI :

Enimuero dii nos, quaſi pilas, homines habent.

Praemiſſa eſt vtiliſſima illa STEPHANI diſſertatio *comicorum Graecorum ſententiis* ab eo editis cIↃ IↃ LXVIIII. in 16.

X. Sed haec quidem praecipua ſunt fundamenta ſtili, quae *ſingularibus periodis* ſuppeditant materiam. Proximum eſt, vt & ea, quae *integris argumentis* inſeruiunt, conſideremus. Et horum quidem tria ſunt, LOCVS COMMVNIS, SYLLOGISMVS, & ENTHYMEMA. Fundamenta ſtili, quae argumentis inſeruiunt.

XI. LOCVS COMMVNIS eſt tractatio thematis moralis *) vel politici **) generalior, quae deinde ad hypotheſin accommodatur ***). Locus communis quid?

*) Dici non poteſt, quantum eiusmodi loci communes ornent orationem. Hinc vix vlla CICERONIS exſtat oratio paullo diligentius ſcripta, cui non locus communis quidam moralis intextus ſit. Sic e. g. *in oratione pro Sex. Roſcio cap. 16. & 18.* eleganter diſſerit de laudibus vitae ruſticae: *cap. 23. 24.* praeclare ex philoſophia morali diſputat, poſſitne parricida tranquillo animo eſſe? & an tam nefandum crimen praeſumatur? In oratione *pro T. Annio Milone cap. 16.* tractatur locus communis de moderamine inculpatae tutelae. In orat. *pro Marcello cap. 2. & ſequentibus* demonſtrat, maiorem eſſe clementiae, quam rerum bello geſtarum, laudem. Talium locorum communium plenae ſunt CICERONIS, PLINII, & recentiorum quoque oratorum, veluti MVRETI, MAIORAGII, & BVCHNERI orationes.

**) Nonnumquam & politica themata intexuntur orationi. Sic CICERO in orat. *pro Sex. Roſcio cap. 20.* eleganter diſputat, qua lege accuſatores tolerandi ſint in republica? Plura occurrunt in BVCHNERI *panegyricis*. Exempli loco eſſe poterit *oratio V.* ubi *p.133.* diſſerit de ſtudiis iuuenilibus principum; *p.135.* de vtilitate peregrinationum; *p. 136.* de virtute vxoris principis; *p. 159.* an quis ſuam ſibi poſſit fingere fortunam? cet.

***) Paullo aliter itaque loci communis vocabulum accipit APHTHON. *Progymn. VII, 1.* dum eum vocat λόγον αὐξητικὸν τῶν προσόντων τινὶ καλῶν ἢ κακῶν, *orationem augentem ea, quae in aliquo ſunt bona vel mala.* Alius enim eſt locus communis *oratorius*, de quo nos hoc loco: alius *progymnaſmaticus*, de quo APHTHONIVS agit. (qui has illi partes aſſignat, *legitimum, iuſtum, vtile, poſſibile, honeſtum, euenturum*, horumque omnium contraria. G.)

XII. Ceterum locus communis quiſque conſtat THESI & AETIOLOGIA. Accedit nonnumquam ILLVSTRATIO a *ſimili, comparatione, exemplis, contrario, teſtimoniis* *). Quo vero ordine haec omnia proponenda ſint, in oratoris poſitum eſt arbitrio. Quomodo elaboretur.

(Nihil proinde aliud eſt hic locus communis, quam chriae tractatio. Vid. quae dicta ſunt ad I, 2. §. 11. extr. G.)

*) Exemplum dabimus, locum communem CICERONIS de accuſatoribus improbis, qui in oratione *pro Sex. Roſcio c.* 20.

78443

20. Hic

I. THESIS praemittitur. *Intereſt reipublicae, vt multi ſint accuſatores, dummodo non calumnientur.* Hanc theſin ita profert CICERO: *accuſatores multos eſſe in ciuitate, vtile eſt, vt metu contineatur audacia. Verum tamen hoc ita eſt vtile, vt ne plane illudamur ab accuſatoribus.* Accedit ſtatim

II. AETIOLOGIA. *Innocens eſt quispiam, verumtamen, quamquam abeſt a culpa, ſuſpicione non caret. Tametſi miſerum eſt, tamen ei qui accuſet, poſſim aliquo modo ignoſcere. Quum enim aliquid habeat, quod poſſit criminoſe ac ſuſpicioſe dicere, aperte ludificari, & calumniari ſciens non videtur. Quare facile omnes patimur eſſe quam plurimos accuſatores, quod innocens, ſi accuſatus ſit, abſolui poteſt: nocens, niſi accuſatus fuerit, condemnari non poteſt. Vtilius eſt autem, accuſari innocentem, quam nocentem cauſſam non dicere.* Sequitur

III. ILLVSTRATIO, petita

I. *a ſimili. Anſeribus cibaria publice locantur, & canes aluntur in Capitolio, vt ſignificent, ſi fures venerint. At fures internoſcere non poſſunt, ſignificant tamen, ſi qui noctu in Capitolium venerint, & quia id eſt ſuſpicioſum, tametſi beſtiae ſint, tamen in eam partem potius peccant, quae eſt cautio. Quod ſi luce quoque canes latrent, quum Deos ſalutatum aliqui venerint: opinor, iis crura ſuffringentur, quod acres ſint, etiam tum, quum ſuſpicio nulla ſit. Simillima eſt accuſatorum ratio. Alii veſtrum anſeres ſunt, qui tantummodo clamant; nocere non poſſunt. Alii canes, qui & latrare & mordere poſſunt. Cibaria vobis praeberi videmus. Vos autem maxime debetis in eos impetum facere, qui merentur. Hoc populo gratiſſimum eſt. Deinde ſi voletis, etiam tum, quum veroſimile erit, aliquem commiſiſſe, in ſuſpicione latratote, id quoque concedi poteſt.*

II. *a ritu antiquo*, calumniatorum frontibus litteram K inurendi. *Sin autem ſic agetis, vt arguatis aliquem patrem occidiſſe, neque dicere poſſitis, aut quare, aut quomodo, & tantummodo ſine ſuſpicione latrabitis: crura quidem vobis nemo ſuffringet, ſed ſi ego hos bene noui, litteram illam, cui vos vſque eo inimici eſtis, vt etiam eas omnes oderitis, ita vehementer ad caput affigent, vt poſtea neminem alium, niſi fortunas veſtras, accuſare poſſitis.* Aliquando tamen omittitur illuſtratio, eiuſque loco conſectarium aliquod additur. Exempla habes apud SCHVVARZ. *de orat. conuinna* §. 29. Seligemus vnum, quod p. 38. attulit:

THESIS: *Ille neutiquam dives eſt, qui neque finem habet cupiendi, neque modum ſtatuit vtendi.*

AETIOLOGIA: *Nam & multum deſiderare egentis eſt ſignum, & nihil parcere egeſtatis initium.*

CONSECTARIVM: *Adeo vt malim paucis iucunde frui, quam magnas opes immoderato animo vel adpetere, vel prodigere.*

**) Idem ſane CICERO *in orat. pro Arch.* locum communem de optimarum artium ſtudiis ita diſponit, vt *illuſtrationem aetiologiae* partim praemittat, partim ſubiungat.

I. THESIS. *Ego multos homines excellenti animo ac virtute fuiſſe, & ſine doctrina, naturae ipſius habitu prope divino per ſe ipſos & moderatos & graves exſtitiſſe, fateor. Etiam illud adiungo, ſaepius ad laudem atque virtutem naturam ſine doctrina, quam ſine natura valuiſſe doctrinam. Atque idem ego contendo, quum ad naturam eximiam atque illuſtrem acceſſerit ratio quaedam conformatioque doctrinae: tum illud neſcio quid praeclarum ac ſingulare ſolere exſiſtere.*

II. ILLVSTRATIO petita *ab exemplis. Ex hoc eſſe hunc numero, quem patres noſtri viderunt, diuinum hominem, Africanum: ex hoc C. Laelium, L. Furium, modeſtiſſimos homines & continentiſſimos: ex hoc fortiſſimum virum, & illis temporibus doctiſſimum, M. Catonem illum ſenem: qui profecto ſi nihil ad percipiendam colendamque virtutem litteris adiuuarentur, numquam ſe ad earum ſtudium contuliſſent.*

III. AE-

III. AETIOLOGIA. (Eſt noua Theſis, Literae oblectant ipſum literatum. G.)

1. *Quod ſi non hic tantus fructus oſtenderetur, & ſi ex his ſtudiis delectatio ſola peteretur: tamen, vt opinor, hanc animi remiſſionem humaniſſimam ac liberaliſſimam iudicaretis. Nam ceterae neque temporum ſunt, neque aetatum omnium, neque locorum. Haec ſtudia adoleſcentiam alunt, ſenectutem oblectant, ſecundas res ornant, adverſis perfugium ac ſolatium praebent, delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiſcum, peregrinantur.*

(Sequitur denuo noua Theſis, Mirari eas decet etiam alios. G.)

2. *Quod ſi ipſi haec neque attingere, neque ſenſu noſtro guſtare poſſemus; tamen ea mirari deberemus, etiam quum in aliis videremus.*

IIII. ILLVSTRATIO noua. (Id ipſum exemplo illuſtratur. G.) *Quis noſtrum tam animo agreſti ac duro fuit, vt Roſcii morte nuper non commoueretur? qui quum eſſet ſenex mortuus, tamen propter excellentem artem ac venuſtatem videbatur omnino mori non debuiſſe. Ergo ille corporis motu tantum amorem ſibi conciliarat a nobis omnibus: nos animorum incredibiles motus celeritatemque ingeniorum negligemus?*

XIII. Quum vero oratio conſtet argumentis, argumentaque ſyllogiſmis concludantur: facile patet, vſum plane incredibilem eſſe SYLLOGISMI oratorii. Languida enim neruisque ſuis deſtituta videbitur oratio, quantumuis ornata, quae eiusmodi ſyllogiſmis non conſtat *). Vſus ſyllogiſmi oratorii.

*) In alia omnia quidem ire videri poſſet QVINCTILIANVS *Inſtit. orat. V,* 14. dum ita praecipit: *Namque ego vt in oratione ſyllogiſmo quidem aliquando vti nefas non duco, ita conſtare totam aut certe confertam eſſe adgreſſionum & enthymematum ſtipatione, minime velim. Dialogis enim ac dialecticis diſputationibus erit ſimilior, quam noſtri operis actionibus, quae quidem inter ſe plurimum differunt.* Sed facile patet, non de oratoriis ſyllogiſmis eum loqui, ſed de dialecticis, quos nemo paullo prudentior in elegantiore oratione tolerauerit. Hinc ſtatim addit: *Nobis ad aliorum iudicia componenda eſt oratio, & ſaepius apud omnino imperitos atque aliarum certe ignaros litterarum loquendum eſt; quos niſi & delectatione allicimus, viribus trahimus, & nonnumquam turbamus adfectibus, ipſa, quae iuſta ac vera ſunt, tenere non poſſumus. Locuples & ſpecioſa vult eſſe eloquentia, quorum nihil conſequetur, ſi concluſionibus contortis & crebris & in unam prope formam cadentibus conciſa, & contemtum ex humilitate, & odium ex quadam ſeruitute, & ex copia ſatietatem, & ex amplitudine faſtidium tulerit.* Nos ergo, quum non de contortis concluſiunculis, quales in dialecticis diſputationibus vibrantur, ſed de ſyllogiſmis copioſis & vberioribus, qui non in vnam formam cadunt, loquamur: facile poſſumus QVINCTILIANO conciliari. (Itemque ita, quod QVINCTILIANVS Aetiologiam & Illuſtrationes excludit, quas Auctor comprehendit. G.)

XIIII. Eſt vero ſyllogiſmus oratorius iuſta ratiocinatio, cuius ſingulae partes ita deducuntur atque amplificantur, vt ſyllogiſmi materia ac forma in tanta verborum copia latitans non niſi ab eruditis poſſit animaduerti *). Quid ſit?

(Nempe Auctor *Syllogiſmi* nomine omne argumentum, omnem rationem pro-

probantem comprehendit. Sed non ita ſumunt antiqui rhetores, qui Syllogiſmum ibi demum agnoſcunt, vbi ſatis prope ſibi propoſitiones & concluſio admouentur. G.)

*) Sic CICERONIS oratio *pro Sex. Roſcio* paene tota ex ſyllogiſmis compoſita eſt. Sed eos tamen, niſi oſtendatur diſpoſitio, vix quisquam lectorum animaduertet. Immo aliquando adeo multis verbis inuoluitur ſyllogiſmus, vt, ſyllogiſmum proferri, nemo animaduertat, maxime ſi perturbatiore ordine collocantur propoſitiones. Exemplo id demonſtravit ANTON. RICCOBON. *in comment. ad Ariſtotelis lib. I. cap. 2. de arte rhetor. p. 57.* CICER. *orat. pro Coelio cap. 19. 20.*

In Coelio nulla eſt luxuries: eſt enim deditus optimarum artium ſtudiis, quo in hominum genere nulla luxuries eſſe ſolet.

Hic primo CONCLVSIO eſt, quam ita CICERO proponit: *At vero in M. Coelio nulla luxuries reperietur, nulli ſumtus, nullum aes alienum, nulla conuiuiorum ac luſtrorum libido. Quod quidem vitium ventris & gutturis non modo non minuit aetas hominibus, ſed etiam auget. Amores autem & hae deliciae, quae vocantur, quae firmiore animo praeditis diutius moleſtae non ſolent eſſe, (mature enim & celeriter defloreſcunt,) numquam hunc occupatum impeditumque tenuerunt.* Concluſioni MINOREM propoſitionem, ſeu *adſumtum* ſubiungit CICERO: *Audiſtis, quum pro ſe diceret: audiſtis antea, quum accuſaret: genus orationis, facultatem, copiam ſententiarum, atque verborum, quae veſtra prudentia eſt, perſpexiſtis. Atque in eo non ſolum ingenium elucere eius videbatis: quod ſaepe etiam ſi induſtria non alitur, valet tamen ipſum ſuis viribus: ſed inerat, niſi me propter beneuolentiam forte fallebat, ratio & bonis artibus inſtituta, & cura & vigiliis elaborata.* Denique & MAIOR propoſitio ſubiungitur, cuius ἐξεργασία talis eſt: *Atque ſcitote, iudices, eas cupiditates, quae obiiciuntur Coelio, atque haec ſtudia, de quibus diſputo, non facile in eodem homine eſſe poſſe. Fieri enim non poteſt, vt animus libidini deditus, amore, deſiderio, cupiditate, ſaepe nimia copia, inopia etiam nonnumquam impeditus, hoc, quidquid eſt, quod nos facimus in dicendo, non modo agendo, verum etiam cogitando poſſit ſuſtinere.*

Quomodo elaboretur?

XV. Ceterum SYLLOGISMVS oratorius ita elaboratur, ut ſingulis propoſitionibus, quas praemiſſas vocant, ſubiiciatur vel AETIOLOGIA vel ILLVSTRATIO, vel vtraque *). Quo ordine tum propoſitiones, tum membra illa, diſponenda ſint, denuo in oratoris poſitum eſt arbitrio **).

*) Sic Sextum Roſcium Amerinum defenſurus CICERO, non cadere in illum parricidii ſuſpicionem hoc ſyllogiſmo oſtendit:

Quicumque parricidii ſuſpectus eſt, is audaciſſimus ſceleratiſſimusque ſit oportet.
Non autem huius notae eſt Sextus Roſcius.
Non ergo eſt parricidii ſuſpectus.

Maiori propoſitioni ſtatim addit *aetiologiam.* Eſt enim crimen horrendum: vt & *illuſtrationem* a teſtimonio: vultu ſaepe laeditur pietas. Minorem etiam CICERO probat atque illuſtrat per μερισμὸν, oſtenditque, Roſcium nec audacem eſſe, nec luxurioſum, nec auarum. Ipſam CICERONIS ἐξεργασίαν ſtatim ſubiiciemus.

**) Non ergo ordinem naturalem ſeruandum ſemper exiſtimamus. Magna hic oratori relicta eſt libertas. Exemplo paullo ante adducto rem illuſtrabimus. CICERO ſyllogiſmum ſuum procul dubio ita animo conceperat:

I. MAIOR. Quicumque ſuſpectus eſt parricidii, eum audaciſſimum ſceleratiſſimumque eſſe oportet.

1. *Aetiologia*: Eſt enim crimen horrendum.

2. *Illuſ-*

2. *Illuſtratio* : Quum enim vultu laedatur pietas: quanto magis parricidio?

II. MINOR : Sextus Roſcius non eſt talis.

Aetiologia & illuſtratio per μεριϛμόν. Non eſt *audax*, nec *luxurioſus*, nec *auarus*.

III. CONCLVSIO. Ergo non ſuſpectus eſt parricidii.

At in elaboratione alio ordine vtitur. Aetiologiam enim atque illuſtrationem ipſi maiori propoſitioni praemittit hoc modo:

I. Aetiologia maioris. *Occidiſſe patrem Sextus Roſcius arguitur. Scelestum, Dii immortales, ac nefarium facinus, ac eiusmodi, quo vno maleficio ſcelera omnia complexa eſſe videantur.*

II. Illuſtratio maioris. *Etenim, ſi, (id quod praeclare a ſapientibus dicitur,) vultu ſaepe laeditur pietas; quod ſupplicium ſatis acre reperietur in eum, qui mortem obtulerit patri, pro quo mori ipſum, ſi res poſtularet, iura diuina atque humana cogebant?*

III. MAIOR propoſitio. *In hoc tanto, tam atroci, tam ſingulari maleficio, quod ita raro exſtitit, vt, ſi quando auditum ſit, portenti ac prodigii ſimile numeretur: quibus tandem te, o Eruci, argumentis accuſatorem cenſes vti oportere? nonne & audaciam eius, qui in crimen vocetur, ſingularem oſtendere, & mores feros, immanemque naturam, & vitam vitiis flagitiisque omnibus deditam, denique omnia ad perniciem profligata atque perdita?*

IIII. MINOR. *Quorum tu nihil in Sextum Roſcium ne obiiciendi quidem cauſſa contuliſti.*

Probatio & illuſtratio minoris per μεριϛμόν. *Patrem occidit Sextus Roſcius. Qui homo? Adoleſcentulus corruptus & ab hominibus nequam inductus? annos natus magis quadraginta. Vetus videlicet ſicarius, homo audax, & ſaepe in caede verſatus? At hoc ab accuſatore ne dici quidem audiſtis. Luxuries igitur hominem nimirum, & aeris alieni magnitudo, & indomitae animi cupiditates, ad hoc ſcelus impulerunt? De luxuria purgauit Erucius, quum dixit, hunc ne in conuiuio quidem vllo fere interfuiſſe. Nihil autem vmquam debuit. Cupiditates porro quae poſſunt eſſe in eo, qui, vt ipſe accuſator obiecit, ruri ſemper habitarit, & in agro colendo vixerit? Quae vita maxime diſiuncta a cupiditate, & cum officio coniuncta.*

V. CONCLVSIO. *Quae res ergo tantum iſtum furorem Sexto Roſcio obiecit?*

Eadem libertate oratores etiam minorem maiori propoſitioni, aut vtrique concluſionem praemittunt. Id quod, niſi brevitati ſtuderemus, facile poſſet exemplis quam plurimis demonſtrari.

(Neque tamen ſimpliciter hoc arbitrarium eſt. Interdum a loco communi tranſitur commodius ad Propoſitionem: interdum ad Aſſumtionem ab Hypotheſi: interdum ipſa Propoſitio probanda, id eſt, Concluſio, enunciationi contrariae ſtatim ſubiicitur. G).

XVI. Quum vero non ſemper vtraque praemiſſarum ad rei demonſtrationem videatur neceſſaria: non raro alterutra omittitur, & tunc quidem e ſyllogiſmo fit ENTHYMEMA oratorium. *) Enthymema oratorium.

*) Non ergo ſingularia quaedam praecepta exigit ENTHYMEMA. Vid. QVINCT. *lib. V. Inſt. orat. c.* 14. Hoc vno enim a ſyllogiſmo oratorio differt, quod alterutra praemiſſarum omittitur. Vbi recte obſervat ARISTOT. *de arte rhetor. lib. I. cap.* 2. eam omittendam eſſe propoſitionem, quae iam ſatis nota ſit auditoribus. Ἐὰν γὰρ ᾖ τι τούτων γνώριμον, οὐδὲ δεῖ λέγειν. αὐτὸς γὰρ τοῦτο προστίθησιν ὁ ἀκροατής. *Si enim aliquid ſit horum notum, non oportet dicere. Ipſe enim id ſuppleet auditor.* Altera, quae reliqua eſt, eadem ratione elaboratur, quam in ſyllogiſmis oratoriis paullo ante oſtendimus.

PARS II. SPECIALIS.

DE VARIIS SCRIPTIONIBVS IN SOLVTA ORATIONE VSITATIS.

CAPVT I.

DE EPISTOLIS.

I.

Pleraeque inſtitutiones epiſtolicae nullius momenti ſunt.

DE conſcribendis epiſtolis innumeri ferme praecepta ſatis prolixa dederunt *): ſed, mea quidem ſententia, pauciſſimi fecerunt operae pretium. Quum enim plerique epiſtolas certis regulis adſtringere auſi ſint: praeſtantiſſimae optimorum auctorum epiſtolae, opera quippe extemporali ſcriptae, longiſſime ab illis regulis diſcedunt **). Ex quo conſequitur, vt aut epiſtolas CICERONIS, PLINII aliorumque innumeras proſcribendas, aut praecepta illa epiſtolographica parui aeſtimanda iudicemus.

*) E veteribus de epiſtolis conſcribendis nonnulla commentati ſunt DEMETR. PHAL. *de eloquut.* & GREGOR. NAZIANZ. *epiſtola ſingulari*, quam ſeorſum cum AD. THEODORI SIBERI *commentario* prodiiſſe nouimus *Vitemb.* cIↄ Ic CVIII. 8. Poſt renatas litteras innumeri eiusmodi prodiere libelli, e quibus palmam reliquis praeferunt IO. LVDOVICI VIVIS *de conſcribendis epiſtolis*, *Colon.* cIↄIↄ XXXVI. 8. DESID. ERASMI & CONR. CELTIS eiusdem tituli libelli, *Colon.* cIↄ Iↄ LXXIIII. 8. ROB. BRITANNI *ratio conſcribendarum epiſtolarum*, *Lutet. Pariſ.* cIↄ Iↄ XLV. 8. IO. DESPAVTERII *Ars Epiſtolica*, *Lutet. Pariſ.* cIↄIↄXXXV. 8. HENR. FARNESII *de imitatione Ciceronis*, *ſeu de ſcribendarum epiſtolarum ratione*, *Antu.* cIↄ Iↄ LXXI. 8. MELCH. IVNII *ſcholae rhetoricae de contexendarum epiſtolarum ratione*, *Argent.* cIↄ Iↄ LXXXVII. 8. IVSTI LIPSII *Inſtitutio epiſtolica*, (Epiſtolis ipſius ſubiuncta G.) *Antu.* cIↄ Iↄ CV. 4. DAN. GE. MORHOFII *collegium epiſtolicum*, *Lubecae* cIↄ Iↄ CCXVI. 8. (a IO. BVRC. MAIO auctum, quem librum reliquis in eo genere praefero, quorum ipſe quoque luculentam habet notitiam, vt & recenſum epiſtolarum, quae editae exſtant. G.)

**) Solent enim eiusmodi auctores certas tradere regulas de quarumuis epiſtolarum argumentis & diſpoſitione, quas tamen nemo veterum adcurate obſeruauit, neque hodienum quisquam eruditorum obſeruat. Hinc ſi gratulatoriam quamdam CICERONIS epiſtolam contuleris cum praeceptis IO. PHIL. HORSTII, SAM. SCHMIDII, aliorumque ſcriptorum: non obſeruabis, ad iſta praecepta ſe adſtrinxiſſe liberum CICERONIS ingenium. Alii formulas epiſtolicas collegerunt,

veluti

veluti HENR. ARNINGIVS in *medulla variarum, earumque in orationibus vſitatiſſimarum connexionum*, *Ienae*, cIↃIↃCLVIII. 12. HANNARDVS GAMERIVS MOSAEVS in *auctoritatibus Ciceronis*, *Col.* cIↃIↃCLXXVII, 8. MICH. NEANDER in *epiſtol. familiarium formulis*, *Lipſ.* cIↃIↃXCI. 8. IAC. PONTANVS in *centuria epiſtolicarum formularum*, *Coloniae* 8. GABR. PRATEOLVS *in floribus & ſententiis ſcribendiſque formulis illuſtrioribus ex Cicerone*, *Pariſ.* cIↃIↃXXVII. 16. ANDR. REYHERVS in *florilegio epiſtolico*, *Gothae*, cIↃIↃCLXVI. 8. IO. STARKIVS in *theſauro epiſtolari locorum & formularum epiſtolicarum*, *Hamb.* cIↃIↃCXXI. 8. CAR. VIRVLVS in *formulis epiſtolarum*, *Pariſ.* cIↃCCCCLXXXX. & alii complures, ſed, qui in haec formularum dumeta ſe relegari patiuntur, iis merito acclamaueris illud HORATII:

O imitatores, ſeruum pecus!

Liberrima eſt epiſtolas conſcribendi ratio, ſunt enim epiſtolae familiare inter abſentes colloquium. Atqui familiares ſermones regulis & formulis ſe circumſcribi haud patiuntur. Ex quo conſequitur, vt *quo ſimpliciora breuioraque ſunt praecepta epiſtolica, eo meliora iudicanda ſint.*

II. Epiſtolae eruditorum Latinae variorum generum ſunt. Aliae enim de rebus philoſophicis, aliae de mathematicis, aliae de philologicis & criticis, aliae de theologicis, iuridicis, medicis, aliae denique de hiſtoricis conſcribuntur. Quas omnes, quum non tam epiſtolae, quam diſſertationes, videantur, nec tam elegantiam, quam acumen eruditionemque & diffuſam lectionem, oſtentent, huc plane non pertinere arbitramur. Varia epiſtolarum genera.

Philoſophicis.) Tales ſunt epiſtolae SENECAE, quas ſi diſſertationes philoſophicas ac morales dixeris, non errabis, ex mea quidem ſententia. Vnde non dubito eorum accedere ſententiae, qui SENECAM eas non ad Lucilium miſiſſe, ſed animi cauſſa, prout quidque in mentem venerat, in chartam conieciſſe, exiſtimant. Tales etiam ſunt *Epiſtolae* BERN. BALDI, *Mediol.* cIↃIↃLVIII. 8. CONR. BOVILII, *Geneu.* cIↃICX. cum reliquis operibus, REN. DESCARTES, *Amſt.* cIↃIↃLXVIII. 4. HONORATI FABRI, *Franc.* cIↃIↃCLXXIIII. 12. MARS. FICINI, *Florent.* cIↃCCCCLXXXXV. 4. IAC. HORSTII, *Lipſ.* cIↃIↃLXXXXV. 8. aliaeque complures.

Mathematicis.) Veluti epiſtolae MATTHIAE BERNEGGERI, & IO. KEPLERI mutuae, *Arg.* cIↃIↃCLXXII. 12. GVIL. SCHICKARDI & MATTHIAE BERNEGGERI, *Arg.* cIↃIↃCLXXIII. 12. aliaeque.

Philologicis.) Huc pertinent epiſtolae ROL. MARESII, *Par.* cIↃIↃCIIII. 8. & *Lipſ.* cIↃIↃCLXXXVII. 12. RICH. DE BVRI, *Franc.* cIↃIↃX. 8. & IO. CASELII, *Helmſt.* cIↃIↃCXXIII. 8. & *Hamb.* cIↃIↃCXVIIII. 8. IANI DRVSII, IO. CORASII, IVSTI LIPSII, ALDI MANVTII & IANI PARRHASII *quaeſita per epiſtolas*, cetera.

Criticis.) In rebus criticis occupantur pleraeque epiſtolae SCALIGERORVM, IS. CASAVBONI, CL. SALMASII, CL. SARRAVII, TH. REINESII ad *Hoffmannum*, *Rupertum*, *Daumium*, *Boſium*, FORT. LICETI, IVSTI LIPSII, CAEL. CALCAGNINI, TAN. FABRI, IANI GRVTERI, IO. VVOVVERII & variae illae virorum doctorum, quarum ſyllogen tomis V. in forma maiori quarta publici iuris fecit V. C. PETRVS BVRMANNVS, *Leidae*, cIↃIↃCCXXIIII. XXVII.

Theologicis.) Quales ſunt epiſtolae pleraeque HIERONYMI, AVGVSTINI aliorumque patrum, & e recentioribus (ERASMI ROTEROD. M. LVTHERI, IO. CALVINI G.) IO. LAVNOII, EPISTOLAE CLARORVM VIRORVM de cauſſa

remonſtrantium, M. ANT. FLAMINII, LVD. MONTALTII, aliaeque complures.

Iuridicis.) In iuridico argumento ſaepe verſantur viri generoſi GREG. MAIANSII *Epiſtolarum libri* VI. qui prodierunt *Valentiae Edetanorum* cIↄIↄCCXXXII. 4. in quibus orationis nitor cum rerum, quas explicat, praeſtantia certare videtur.

Hiſtoricis.) Quo pertinent epiſtolae AVG. GISL. BVSBEQVII, HERM. CONRINGII, MELCH. GOLDASTI, HVG. GROTII, HVB. LANGVETI, PETRI MARTYRIS ANGLERII, PHIL. MELANCHTHONIS, SFORC. PALLAVICINI, (CONR. SAM. SCHVRZFLEISCHII G.) ANDR. CHRYSOST. ZALVSKII, & aliorum. Nuper, vt alia omittam exempla, varias Galliae ciſalpinae & tranſalpinae antiquitates eruditis epiſtolis explicauit SCIP. MAFFEIVS, Veronenſis, quae prodierunt ſub titulo: *Galliae antiquitates quaedam ſelectae atque in plures epiſtolas diſtributae, Veron.* cIↄIↄCCXXIIII.

Quae huc pertineant? III. Magis huius loci ſunt epiſtolae, quae non eruditionis oſtentandae, ſed teſtandi amoris aut animorum conciliandorum cauſſa ſcribi ſolent: in quo genere ſcribendi CICERO, PLINIVS, PAVLLVS MANVTIVS, MARCVS ANTONIVS MVRETVS, LATINVS LATINIVS, IANVS NIC. ERYTHRAEVS, AON. PALEARIVS, PETRVS CVNAEVS regnant *).

Cicero. (* CICERONI in omni epiſtolarum genere non temere vllus comparandus eſt. Sane in *epiſtolis ad diuerſos* incomparabilis eloquentia, in *epiſtolis ad Atticum* inſignis prudentia & adfectus vbique elucet, facileque adparet, CICERONEM, ſiue iocari, ſiue iraſci, ſiue permouere maluerit, omnes alios longo poſt ſe interuallo reliquiſſe. Vid. HENR. STEPHANI *diſſert. de vario epiſt. Ciceron. genere.* Merito ergo epiſtolae illae incomparabiles aſſidua lectione in ſuccum & ſanguinem vertendae, nec vmquam e manibus deponendae ſunt. Quem fructum inde ceperit HERM. BVSCHIVS, oſtendit IO. FREINSHEM. *orat. IIII. p. 46.* (Exſtat etiam Programma noſtrum, quo hunc linguae, hiſtoriae, prudentiae Romanae theſaurum auditoribus non ſine ſucceſſu commendauimus. G.)

Plinius. PLINII epiſtolae ſuccinctae & feſtiuae, facetae & acutae, & concinnis ſententiis diſtinctae, mirifice placent viris ingenioſis. Sed ſtilum tamen hunc non omnes decere, nec omnibus conuenire ingeniis, palam eſt. PLINIVS, inquit LVD. VIVES, *doctis atque acutis ingeniis mirifice eſt aptus, qui ſcholaſticas inter ſe mittunt epiſtolas & vmbraticas, quibus oportet plus ornatus & condimenti adiungi, quando rebus non perinde nituntur.* Adde MORHOF. *Polyhiſt. I, 1. 13. 20. pag. 300. Tomo I.* (Eſſe has epiſtolas eo conſilio ſcriptas vt ederentur, & quam honeſtiſſimam amabiliſſimamque imaginem ſui auctoris perferrent ad poſteros, in praefatione, qua noſtram editionem Illuſtriſſimo Comiti Rutheno dedicauimus, oſtendere conati ſumus. G.)

MANVTIO nemo accuratius Ciceronianam dictionem expreſſit. *Manutius.* Longius tamen abeſt a Ciceronis vigore & prudentia. Vnde eius epiſtolae ornatae quidem, at a rebus plane inopes adparent. Quae forſan cauſſa eſt taedii illius, quod, CASP. SCIOPPIO iudice, legentibus MANVTIVM obrepere ſoleat. Recentiſſima & optima editio eſt KRAVSIANA. Elegantiſſimam eius epiſtolam, quam MARQ. GVDIVS omnium epiſtolarum PAVLLI MANVTII reginam vocare ſolebat, e bibliotheca huius viri docti edidit MORHOF. *in Polyhiſt. I, 1. 25. 41. p. 345. Tomo I.* (Sed tum hac epiſtola, tum multis rebus aliis ſuam editionem inſtruxit CL. KRAVSIVS G.)

Qui Paullo Manutio deeſſe videtur *Muretus.*
vigor

vigor & ſpiritus, M. ANT. MVRETO plane eſt admirandus, vt hunc ego inter recentiores reliquis omnibus anteponere non dubitem. Quod iudicium etiam eſt IANI NICII ERYTHRAEI *in Pinacoth. I.* 5.

Latinius. Prodierunt LATINI LATINII epiſtolae *Romae* cIↃIↃcXXXVIII. 4. & praeter rerum varietatem ob Latinitatis nitorem quam maxime commendantur.

Erythraeus. IAN. NIC. ERYTHRAEVS, vel potius, qui ſub eo nomine latet, IO. VICT. ROSCIVS, Romanus, in eloquentia Latina adeo excelluit, vt in arte ſua iure Roſcius dicatur. Prodierunt epiſtolae eius admodum nitidae atque vrbanae, *Colon.* cIↃIↃcXLV. 8. aliquot voluminibus, quae acutiſſimo GABR. NAVDEO adeo ſe probarunt, vt eas PETR. BEMBI & ANG. POLITIANI epiſtolis longe anteponat. Vid. NAVD. *epiſt.* 66.

Palearius. Erudiriſſimus ille martyr, AON. PALEARIVS tam feliciter expreſſit CICERONIS compoſitionem, numerum, elegantiam, vt mihi, cum MVRETO, reliquis omnibus excellere videatur. Nouiſſima nitidiſſimaque opuſculorum, epiſtolarum ac poematum eius editio prodiit *Amſtelod.* cIↃIↃcLXXXXV, 8. (repetita *Ienae* cIↃIↃcCXXVIII, 8. cura FR. ANDR. HALLBAVERI. G.)

Cunaeus. Eloquentiae laudem etiam non denegaueris epiſtolis PETRI CVNAEI, quas nuper edidit vir publico rei litterariae bono natus PETR. BVRMANNVS *Lugduni Batauorum* cIↃIↃcCXXV. 8.

*) Aliquam ſtili elegantiam prae ſe ferunt epiſtolae ANGELI POLITIANI, PETR. BEMBI, ERASMI *Roterodami*, IOACH. CAMERARII, ROG. ASCHAMI, IVSTI LIPSII, DOM. BAVDII, AVG. BVCHNERI, IO. GEO. GRAEVII, CONR. SAM. SCHVRTZFLEISCHII, ſed quum horum plerique ſingulare quoddam dicendi genus adfectarint, quod non eſt publici ſaporis, legendi potius, quam imitandi, mihi quidem, videntur.

IIII. Ceterum epiſtolae Latinae, quibus hodie vtimur, vel *familiares* ſunt, vel *elaboratiores*. Illae plures plerumque res complectuntur *): hae de vno themate exarantur diligentius **). *Quotuplices?*

*) Solent enim familiares, ſi quando colloquuntur, de variis rebus inter ſe confabulari. Quae colloquia, quum imitentur epiſtolae, mirum haud eſt, ſi & illae de pluribus rebus agant. Tales ſunt pleraeque CICERONIS *epiſtolae ad Atticum.* Exemplum vide *Lib. XV. epiſt.* 25.

**) Huc pertinent epiſtolae *gratulatoriae*, *gratiarum actoriae*, *petitoriae*, *commendatitiae*, *cet.* Per has enim totas regnat vna eademque propoſitio primaria, adeoque adhibitis argumentis, diligentius elaborari ſolent. Sic CICERONIS *epiſt. ad diuerſ. XI*, 22. tota eſt commendatitia, *epiſt.* 12. *lib. V.* tota petitoria, eaque elegantiſſima. Vberiorem catalogum, in quo ſingulae CICERONIS aliorumque epiſtolae ad ſuas claſſes referuntur, dederunt MELCH. IVN. *de conſcrib. epiſt.* & MORHOF. *in colleg. epiſtolico*, ſed qui ab eloquentiae ſtudioſo ex tot epiſtolarum voluminibus poſtea editis facile augeri poſſet.

V. In epiſtolis *familiaribus* primo propoſitiones, de quibus ſcribere velis, iuſto ordine ponantur ob oculos *). Deinde diſpiciatur, habeantne inter ſe aliquid commune, an plane diſſimilis ſint naturae. Id enim dabit elegantem connexionem **). Conſiderentur porro ſingulae propoſitiones, an probari illuſtrariue debeant ***). Et inde ſi acceſſerit elaboratio, facile naſcetur *Epiſtolas familiares conſcribendi ratio.*

ſcetur epiſtola familiaris elegantiſſima ****). Illud tamen obſeruandum poſtremo, has epiſtolas quam maxime exigere moratum ac iocoſum illud dicendi genus, de quo ſuperiore capite diſſeruimus.

*) Exemplum omnia iſta praecepta reddet dilucidiora. Sunto nobis hae propoſitiones.

I. *Breuiter ſcribam tuo exemplo.*
II. *Fiduciam nobis magnam iniicis.*
III. *Bono ergo animo ero.*
IIII. *Litterarum mearum cauſſa non exſpectabis in Italia.*
V. *Habebis pecuniam.*
VI. *Seruilius tibi amicus eſt.*
VII. *Nos non deerimus.*

(Caeterum in reſponſoriis nihil commodius & certius quam ſequi ordinem eius epiſtolae cui reſpondemus, cui vel intexi vel ſubiici poſſunt alia. G.)

**) Connexiones vel *verbales* ſunt, vel *reales*. *Illae* per particulas & formulas fiunt, *hae* a propoſitionum ſimilitudine ac diſſimilitudine petuntur. Nonnumquam tamen etiam ſine connexione propoſitiones componuntur. (Quod plerumque melius eſt vel ob hoc ipſum quod familiaris ſermonis characterem ſic magis refert. G.) Sic CICER. *epiſt. ad diuerſ. XI*, 24. omnes iſtas propoſitiones VII, quas paullo ante recenſuimus, ſine connexione ita extulit.

I. *Narro tibi: antea ſubiraſcebar breuitati tuarum litterarum, nunc mihi loquax eſſe videor. Te igitur imitabor.*

II. *Quam multa, quam paucis? Te recte valere, operamque dare, vt quotidie melius: Lepidum commode ſentire, tribus exercitibus quiduis nos oportere confidere.*

III. *Si timidus eſſem, tamen iſta epiſtola omnem mihi metum abſterſiſſes. Sed, vt mones, frenum momordi. Etenim, qui, te incluſo, omnem ſpem habuerim in te, quid nunc putas? Cupio iam vigiliam meam, Brute, tibi tradere, ſed ita, vt non deſim conſtantiae meae.*

IIII. *Quod ſcribis, in Italia te moraturum, dum tibi litterae meae veniant; ſi per hoſtem licet, non erraris: multa enim Romae. Sin aduentu tuo bellum confici poteſt, nihil ſit antiquius.*

V. *Pecunia, expeditiſſima quae erat, tibi decreta eſt.*

VI. *Habes amantiſſimum Seruilium.*

VII. *Nos non deſumus. Vale.*

Dabimus tamen operam, vt & connexiones inueniamus. (Quas quidem pleraſque infelices eſſe, & firmare proximam noſtram obſeruationem, ipſi Illuſtri Auctori, cui iuueni illae exciderunt, me perſuaſurum ſperauerim. G.) Inter primam & ſecundam propoſitionem ſimilitudo quaedam adparet: *ſcribendi rationem breuem imitabor: ſed & fiduciam tuam.* Inter ſecundam & tertiam ſimilitudo quaedam intercedit: vtrobique enim *fiducia eſt.* Inter tertiam & quartam diſſimilitudo eſt, *ſpes* enim eſt *morae impatiens*, Brutus vero *morabitur in Italia.* Quarta & quinta ſimiles aliquo modo ſunt: *Brutus non morari debet in Italia, nec nos in mora erimus, ſed mittemus pecuniam.* Tres vltimae ſimillimae. *Nec pecunia tibi deerit, nec Seruilius, nec nos.* Connexio ergo erit talis.

I. *Narro tibi: antea ſubiraſcebar breuitati tuarum litterarum: nunc mihi loquax eſſe videor. Te igitur*

II. *non litteris tantum, verum etiam virtute animique magnitudine imitabor: Breuiſſima enim epiſtola tua me de tot rebus nouis, id eſt, de valetudine voluntateque tua & Lepidi, triumque exercituum virtute reddidiſti certiorem, tantamque ſpem inieciſti animo, vt,*

III. *niſi tuo exemplo optima ſpe fiduciaque eſſem, omnium mortalium ſim meticuloſiſſimus. Omnem itaque metum, ſi quis fuiſſet, iſta epiſtola tua abſterſiſſes: ſed, vt vera fatear, iam frenum momordi.*

Etenim,

Etenim, qui, te incluſo, omnem ſpem habuerim in te : quid nunc putas? Cupio iam vigiliam meam, Brute, tibi tradere, ſed ita, vt non deſim conſtantiae meae. Quum vero ſpes nihil aegrius, quam moram, ferat:

IIII. *nolim profecto, te, litterarum mearum cauſſa, in Italia morari. Equidem, ſi per hoſtem licuerit, non erraris : multa enim Romae. Sin aduentu tuo bellum confici poteſt ; caue rei gerendae occaſionem, mora iſta tua, dimittas. Sane, ne in nobis vlla tibi mora eſſet,*

V. *pecuniam, expeditiſſima quae erat, tibi decreuimus. Nec argentum ergo tibi deerit, nec, quod omni argento praeſtantius, amici.*

VI. *Seruilium enim habes tui amantiſſimum, cuius prolixam erga te voluntatem*

VII. *& ego non imitabor modo, verum etiam, quoad eius fieri poterit, ſtudio officiiſque meis ſuperabo. Vale.*

***) Accedunt nonnumquam aetiologiae, ceu ex epiſtola antecedente adparet, in qua CICERO propoſitionem III. ratione quadam confirmat. Accedunt etiam illuſtrationes, veluti exempla, ſimilia, teſtimonia : ſed ita, vt magis per adluſionem innuantur, quam explicentur prolixius. Exemplo erit CIC. *epiſt. ad diuerſ. V*, 12. in qua eiuſmodi illuſtrationes mira breuitate concinnitateque cumulatas animaduertimus.

****) Exemplum eiuſmodi epiſtolae familiaris ſubiiciemus. Propoſitiones ſunto ſequentes :

I. *Diu admodum ſiluiſti.*

II. *Ego iam ruſticor.*

III. *Scribe ad me frequentius.*

Obſeruatis ergo praeceptis, in ipſo paragrapho explicatis, haec naſcitur epiſtola :

I. *Tam diuturno me ſilentio adhuc mulctaſti, vt, niſi te ex P. diſciplina ſcirem prodiiſſe, in Pythagoraeorum caſtra tranſiiſſe te exiſtimarem. Quis, malum, morbus te hominem, olim loquaciſſimum, inuaſit, vt confeſtim magis mutus videaris, quam piſcis? Ego vero praeclare, mihi crede, vlciſcar illam pertinaciam tuam, literiſque meis tanto magis te obtundam quotidie, donec odioſiſſimum iſtud ſilentium tuum tibi extorqueam.*

II. *Sed, heus tu, inquies, tantumne tibi otii eſt, vt bonas horas ſcribendis epiſtolis conſumas? Eſt vero, & quidem plurimum. Relicto enim vrbano ſtrepitu, nuper in ſuburbanum illum, quem noſti, ſeceſſum, tamquam in portum, me vindicaui. Hic modo ruſticor, & temporis nonnihil valetudini, nonnihil remiſſioni animi tribuo. Interdum, ne nihil potius agere, quam otioſus eſſe, videar, aliquid parturit ingenium, ſed, ut ille ait, plenum ruris & inficetiarum.*

III. *Ne ergo me vrbanae elegantiae plane capiat obliuio : fac, quaeſo, vt a te litteras & frequentiſſimas, &, quales tu mittere ſoles, Roma ipſa vrbaniores, accipiam. Vale.*

VI. Ad *elaboratiores* quod adtinet epiſtolas : in iis una regnat propoſitio, ad quam, tamquam ad centrum, omnes reliquae partes referuntur *). In epiſtolis elaboratioribus una regnat propoſitio.

*) Exempli cauſſa, in *gratulatoriis* propoſitio illa primaria eſt : *Gratulor tibi nouum munus, natalem, reſtitutam valetudinem*, cet. In conſolatoriis : *Aequo animo tibi ferenda fortuna, mors parentis*, cet. In gratiarum actoriis : *Gratias tibi ago, quod me principi commendaris, ſuffragio adiuueris*, cet. (In *primis lineis artis oratoriae* p. 31. ſeq. *Gratulationis, Gratiarum actionis, Conſolationis, Adhortationis, Petitionis* partes & rationem breuiter, ad epiſtolarum praeſertim ſcribendarum exercitationem, propoſuimus. G.

Quae deinde probanda.

VII. Ea propoſitio deinde argumentis, firmis potius, quam multis, munienda eſt, quae facile ſuppeditabunt ipſae περιςάσεις, vt adeo certis argumentorum locis hic ſuperſedere liceat *).

*) Vulgo quidem in inſtitutionibus epiſtolicis multos argumentorum locos, veluti *ab vtili, iucundo, decoro, facili, honeſto, cet.* oſtendunt, ex quibus omnia argumenta, tamquam e ſedibus aut pluteis ſuis, depromenda exiſtimant rhetores. Sed his quidem loculis aequo animo carebimus. Ipſae enim περιςάσεις rationes ſcribenti ſufficient optimas, & inſtituto adcommodatiſſimas, nihil vt opus ſit iſtis argumentorum locis, e. g. ſi cui *gratulandum* ſit nouum munus, ratio ipſa docebit, oſtendendum eſſe, munus hoc eſſe optabile, honorificum, virtuteque alterius digniſſimum, ex eoque multum decoris ad rempublicam redundaturum, cet. Si *conſolandus* quis de obitu filii: ratio ipſa ſuadebit, vt exponamus defuncti beatitudinem, temporum, quibus ſubtractus ſit, miſeriam, chriſtiani in adfectibus coercendis officium, cet. Et ſic numquam deerunt ſcribentibus argumenta, dummodo περιςάσεις, *quid? vbi? cet.* expendantur paullo diligentius. (Hoc ipſum vero praeſtant loci illi ſupra commemorati, vt ad omnes circumſtantias tanto diligentius attendamus, iiſque recte vtamur. Nihil nos docent loci ante ignoratum, ſed recordationem iuuant & diſtributionem &c. G.) Vtilitatis tamen haud parum tironibus adferre poſſunt PLANERI *epiſtolae enthymematicae*, quibus & varia argumenta, vel enthymemata, quae in ſingulis epiſtolarum generibus adhibenda videantur, cum cura oſtendit, & veterum ac nouorum ſcriptorum epiſtolas in certas claſſes retulit.

Diſpoſitio eſt arbitraria.

VIII. Perinde autem eſt, ſiue argumenta propoſitioni, ſiue hanc argumentis praemittas *).

*) Sic MANVTIVS *epiſt.* I, 1. propoſitionem argumentis praemittit: *epiſt.* I, 2. eamdem illis ſubiungit. Nonnumquam propoſitio argumentis & præmittitur & ſubiungitur, cuius rei exemplum denuo eſt apud MANVT. *epiſt.* I, 8. (Non eſt tamen hoc ſimpliciter in arbitrio ſcribentis: ſed videndum, quid cuique loco aptius ſit. V. G. ſi propoſitio ipſa moleſtiam allatura videatur, argumenta praeponenda. Interdum perſpicuitatis cauſſa neceſſario praemittenda propoſitio &c. G.)

An in epiſtolis locum habeant illuſtrationes.

VIIII. Poſſunt & hic argumenta nonnulla aetiologiis illuſtrationibuſue amplificari, dummodo obſerues, & parcius hoc fieri debere, & breuius. In epiſtolis enim ad exempla, ſimilia, ſententias tantum adludendum eſſe, iam ſupra obſeruauimus *).

*) Quam eleganter illuſtrationibus eiuſmodi vtatur CICERO, vel ex hac breui eius *epiſtola 6. libri* VII. adparet: *In omnibus meis epiſtolis, quas ad Caeſarem aut ad Balbum mitto, legitima quaedam eſt acceſſio commendationis tuae, nec ea vulgaris, ſed cum aliquo inſigni indicio meae erga te beneuolentiae. Tu modo ineptias iſtas, & deſideria vrbis, & vrbanitatis depone, & quo conſilio profectus es, id adſiduitate & virtute conſequere. Hoc tibi tam ignoſcemus nos amici, quam ignouerunt Medeae, quae Corinthi arcem altam habebant, matronae opulentae, optimates, quibus illa manibus gypſatiſſimis perſuaſit, ne ſibi illae*

vitio

vitio verterent; quod abeſſet a patria. Nam multi ſuam rem bene geſſerunt, & publicam patria procul. Multi qui domi aetatem agerent, propterea ſunt improbati. Quo in numero tu certe fuiſſes, niſi te extruſiſſemus. Sed plura ſcribemus alias. Tu qui ceteris cauere didiciſti, in Britannia, ne ab eſſedariis decipiaris, caueto: & quando Medeam agere coepi, illud ſemper memento: Qui ipſe ſibi ſapiens prodeſſe nequit, nequaquam ſapit. Cura, vt valeas.

X. Accedit nonnumquam exordium, quod vel *commune* eſt, vel *proprium*. *Illud* omnibus epiſtolis *); *hoc* ei tantum, quam exaramus, conuenit **). Vtrumque breuiſſimum eſſe oportere, quilibet intelligit ***). Exordia epiſtolarum qualia?

*) *Communia* exordia ſunt, quae de valetudine alterius inquirunt, aut veniam ſcribendi rogant, aut acceptarum epiſtolarum ſententiam repetunt. Antiquiſſimum ſollemniſſimumque eſt illud: SI VALES, BENE EST, EGO VALEO, quod tamen iam altero poſt Auguſtum aeuo euiluerat. Vnde non eſt, quod a nobis demum in vſum reuocetur: (niſi forte, vbi cauſſa aliqua ſubeſt de ſtatu amici dubitandi &c. G.)

**) Plerumque (praeſertim in litteris reſponſoriis G.) hoc ab occaſione cauſſaque ſcribendi petitur, adeoque reperitur facillime. E. c. Si gratulandum alicui ſit munus nouum; eius in ipſo exordio iniicienda eſſet mentio. Sic MANVTIVS *epiſt.* I, 2. Alfonſo Carafae gratulaturus purpuram, ita auſpicatur: *Solent eſſe, quae minus exſpectantur, laetiora. Nihil tamen iſta, qua te auctum nuper accepimus, dignitate neque magis exſpectatum apud eos, qui ſtudia tua, tuos ad virtutem praeclaros impetus nouerant, neque iucundius, aut laetitiae maioris vmquam fuit.* (Interdum ab ipſa inſcriptione capitur exordium. Vt CIC. *Att.* III, 20. M. T. CICERO S. D. Q. CAECILIO Q. F. POMPONIANO ATTICO. *Quod quidem ita eſſe & auunculum* (tuum Q. Caecilium) *functum eſſe officio*, (vt te heredem inſtitueret ac teſtamento adoptaret, qua re nunc nomen eius geris, & non amplius T. POMPONIVS ATTICVS, ſed vt ſupra ſcripſi vocaris) *vehementiſſime probo.* Add. Famil. XVI, 18. it. I, 10. & VII, 28. G.)

***) Generatim enim inter epiſtolarum virtutes praecipuas eſt BREVITAS, adeo, *vt eas ſiniſtram manum implere haud debere*, ſcribat SENECA *epiſt.* 45. Longiores eſſe ſolent epiſtolae ad familiares, iiſque quam maxime ſe oblectari ſcribit CIC. *epiſt. ad Quint. fratr.* I, 1. Sed hae plerumque, neglectis exordiis, ſtatim ad rem ipſam, & variarum rerum narrationem progrediuntur. Nec breuitas tantum exordia epiſtolarum commendat, ſed & inexſpectatum. Statim enim neſcio quid admirationis & voluptatis excitant improuiſa eiuſmodi, atque inexſpectata exordia. Elegantiſſimum ergo exordium CIC. *epiſt. ad diuerſ. VII*, 13. *Quam ſint moroſi qui amant, vel ex hoc intelligi poteſt. Moleſte ferebam antea, te inuitum iſtic eſſe, pungit me rurſus, quod ſcribis; te eſſe iſtic libenter.* Sane quid ſibi vellet CICERO hoc inexſpectato exordio, intelligere non potuit Trebatius, niſi perlectis ſequentibus. Aeque elegans eſt exordium MANVTII *epiſt. I*, 14. *Odi paene meos oculos; etſi oculi ſunt, id eſt, omnium rerum cariſſimi. Sed odi certe peius, quam antea, hunc morbum, quo mihi nunc tuus adſpectus, tuus complexus eripitur.* Addo illud Coelii apud CIC. *epiſt. ad diuerſ. VIII*, 4. *Inuideo tibi: tam multa quotidie, quae mirere, iſtuc perferuntur.* Item illud PLINII *epiſt. I*, 6. *Ridebis & licet, rideas.*

Vt & concluſiones.

XI. Idem de concluſione ſentiendum, quae qualis eſſe debeat, facile ex ipſa propoſitione primaria intelliges *).

*) Exempli gratia ſi cui gratulandum eſt, per ſe patet, concluſionem vel votum aliquod complecti, vel cohortationem, vel commendationem noſtri, vel aliud quid huiuſmodi. Ita etiam epiſtolis gratiarum actoriis ſubiicietur vel votum, vel grati animi pollicitatio, vel commendatio in futurum. Sunt tamen etiam concluſiones quaedam tantum non omnibus epiſtolis communes, veluti officiorum oblatio, commendatio *valetudinis*, *amicorum* ſalutatio, reſponſionis *flagitatio*, & quae ſunt huius generis alia. (*Illud modo tenendum, in epiſtolis ad eos, quorum amicitiam vel parare vel tueri velimus, vti principium, ita finem blandum eſſe debere, idque tanto magis, quo minus reliquum argumentum placere poſſe ſperamus.* G.)

Stilus epiſtolicus qualis?

XII. Stilus epiſtolarum qualis eſſe debeat, iam *capite* 2. *partis prioris*, *num.* 61. ſatis adcurate expoſuimus, nihil vt hic addendum ea de re videatur.

Quid in titulis atque ſubſcriptionibus obſervandum?

XIII. De complicandis etiam obſignandiſque epiſtolis aliquid monere, ſuperuacuum fuerit. Lippis enim & tonſoribus talia ſunt notiſſima. De titulis tamen, quos vocant, & ſubſcriptione, moneo, eum tenendum eſſe modum, vt ne vel antiquitatis adfectatione *), vel ſtili barbarie ac nouitate **), reprehenſionem iure mereamur.

*) Antiqui nullo titulorum ſyrmate onerabant alios, ſed litteris haec praemittebant: M. T. CICERO VOLVMNIO S. P. D. Poſtea ſaepe addebant: SVO, VT C. CAECIL. PLINIVS ARRIO SVO S. P. Denique & alterius nomen ſuo honoris cauſſa praemittere ſolebant, veluti: ARRIO SVO C. CAECIL. PLINIVS S. P. D. idque diu in vitio poſitum eſſe nouimus. Paraſiticum enim videbatur, nomen ſuum poſtponere, ceu oſtendunt EL. VINET. *ad Auſon. epiſt.* 20. & MENAG. *Amoen. iur. ciu. c.* 23. *p.* 124. Hinc AVSONIVS ibid. PAVLLINI praeponens nomen, id metri neceſſitate excuſat:

PAVLLINO AVSONIVS. *Metrum ſic ſuaſit, vt eſſes*
Tu prior: & nomen praegrederere meum.
Quamquam & faſtorum titulo prior, & tua Romae
Praeceſſit noſtrum ſella curulis ebur.

(SYMMACHVS cum ad Auguſtos ſcribit, nomen ſuum poſtponit, contra quam fecerat PLINIVS: SIDONIVS, & ipſe SYMMACHVS ad alios quosvis cum ſcribunt, ſuum nomen praemittunt. G.) Semper itaque veteres, omiſſo titulorum ſyrmate, breui illa ſalutatione vſi ſunt. Et hos quidem imitari non dubitarim, quoties ad familiarem aliquem ſcribendum eſſet. At, ſi viris magnis ſcribendum, nemini ego quidem auctor fuerim, vt hac antiqua formula vtatur. Satius tunc erit, titulos quosdam honoris in caſu vocatiuo epiſtolae praemittere, hoc modo:

VIR ILLVSTRIS ATQVE EXCELLENTISSIME.
VIR SVMME, cet.

Ad calcem litterarum recentiore more adiunges ſubſcriptionem:

ILLVSTRIS EXCELLENTISSIMIQVE
NOMINIS TVI
cultor perpetuus.

vel ſimilem. Dandum enim aliquid hodiernis moribus, ne magnorum virorum dignitatem ſupercilio ſcholaſtico

deſpicere videamur. (Videndum, quid de his talibus ſentiat is, ad quem ſcribimus, & illius opinioni ſeruiendum. Quoties dubitandi cauſſa eſt, potius moribus ſaeculi noſtri obſequamur, & caeteris partibus tanto ſcribamus accuratius, vt appareat, non ignorantia ſed certo conſilio nos veterem illum morem non tenuiſſe. Vid. Praef. Edit. VI. ad h. l. G.)

**) *Merito ergo ex latinis epiſtolis* elaboratioribus proſcribimus I. ſalutationes illas: *Salutem & officia*, *χαίρειν*, *εὐπράττειν*, שלום, *Immanuel*, & ſimilia; & multo magis II. aenigmata illa puerilia: *Mitto tibi* NAVEM, *prora puppique carentem*, *cet.* Nec ferendae III. loquutiones abſtractae, quas vocant, imitatione Germanicae linguae inuentae, veluti: *Dominatio veſtra*, *veſtra Serenitas*, *Nobilitas*, *Amplitudo*, *nobiliſſima dignitas veſtra*, *cet.* (*Maieſtas*, *Dignitas*, *Amplitudo*, & ſimilia nomina non nunquam Ciceroniano more poni pro ipſis perſonis poſſunt, quoties nempe etiam ipſa abſtracta commodum ſenſum pariunt, vt *Maieſtatem tuam venerabor*, *Dignitati tuae ſeruiam*, *Amplitudinis tuae ſtudioſus ſum. Sed non Dignitas tua ſcripſit &c.* G.) Multoque minus tolerandae, quae plane vel barbarae, vel ſoloecae ſunt, e. g. *Veſtra deuotio*, *diſcrecretio*, *paternitas*, *veſtra gratia*, *cet.* Ignota quoque veteribus illa extenuandi cauſſa reperta: *paruitas mea*, *exiguitas mea*, quamuis prius placuerit iam VALERIO MAXIMO, *in prooem.* Id vero poſtea frequentarunt ſcriptores aeui poſterioris, & maxime Chriſtiani, quos vel maxime decebat modeſtia. HIERON. *ad Tranquillinum*: *Et quia meae* PARVITATIS *quaeris ſententiam.* Denique etiam IIII. ab illo more alios tertia perſona compellandi merito abſtinemus, v. c. *Iuſſit me excellentia veſtra*, *ſi quid noui geſtum fuerit*, *eam de illo reddam certiorem. Sciat ergo cet.* Putida haec omnia ſunt, & a Latinae linguae indole aliena aeque ac compellatio in perſona ſecunda ſingulari a more linguae Germanicae.

CAPVT II.

DE ORATIONIBVS CONSCRIBENDIS.

I.

ALterum ſcriptionum genus, quo hodie nonnumquam vtimur, ſunt ORATIONES. Eas conſcribendi rationem quum ex inſtituto oſtendant rhetores, ſuperuacuum forſan fore videbitur, ea de re vel verbum addere. Enimuero quum alia hodie, quam olim, ſit oratoriae ratio, neque vetera illa rhetorum praecepta noſtrae reipublicae noſtroque ſaeculo poſſint adcommodari *) : licebit & nobis pauca quaedam de conſcribendis orationibus monere. Cur etiam de conſcribendis orationibus praecepta quaedam addamus?

*) Oratoriam primi excoluerunt Graeci, e quibus vix quiſquam, ante ARISTOTELEM, eam in artis formulam, (quae exſtet G.) redegit. Nam, qui ante hunc aliquid de praeceptis rhetoricis commentati ſunt, veluti, EMPEDOCLES, TISIAS, THEODORVS, GORGIAS, vix videntur operae pretium feciſſe. Vid. VOSS. *de nat. & conſtitut. rhet.* VIIII. *p.* 331. *ſequ.* Iam vero Graeci tantum non om-

omnes in liberis vixerunt rebuspublicis, in quibus plebs eloquentia demagogorum quam maxime flectitur. Multum ergo intererat Graecorum, tum ad potentiam, tum ad ſecuritatem, vt iſtam dicendi facultatem adſequerentur, qua animos vulgi huc illuc flectere poſſent. Hinc & totius oratoriae Graecae finis eſt τὸ πείθειν ſeu *perſuadere*, nec melius ea definiri poſſe videbatur, quam πειθοῦς δημιουργὸς *perſuaſionis opifex*, ceu rhetoricam in *Gorgia* adpellat PLATO. Pauciſſimi, & in his QVINCTILIAN. *libr. II. Inſt. orat. c.* 15. negarunt, finem oratoriae eſſe perſuadere, vel adpoſite ad perſuadendum dicere, eosque potius, *qui bene & recte dixerint*, finem artis adſequutos cenſuerunt. Sed ſi vel maxime hunc finem proximum dixeris: tamen & illa bene ac recte dicendi facultas procul dubio ad perſuadendum fuit comparata; iſque adeo oratoriae fuit finis vltimus. At hodie alia eſt rerumpublicarum plerarumque facies. Raro enim plebis ſuffragiis amplius, ſed vel iuſſibus principum, vel optimarum conſiliis, ſumma rerum committitur. Nec in laude amplius ponitur flexanimis illa eloquentia demagogorum, ſed ſuppliciis digna iudicatur. Ex quo facile patet, oratoriam, cuius hodie vſus eſt, toto coelo ab antiqua illa Graeca diſtare.

Veterum orationum genera tria.

II. Scilicet triplex erat Graecis dicendi occaſio. Vel enim in conciliis populi, vel in foro & iudiciis, vel in Graeciae conuentibus verba erant facienda *). Quare etiam triplex Graecis erat orationum genus, DEMONSTRATIVVM, quo in conuentibus Graeciae: DELIBERATIVVM, quo in conciliis vel comitiis; & IVDICIALE, quo in foro & iudiciis vtebantur **).

*) Oratoriam praecipue excolebant Athenienſes. Nec enim vel Sparta, vel Thebae, vllum, qui in ea arte excelluerit, oratorem protulere. Athenis vero populus certis ſtatisque diebus ſolebat in concionem vel concilium prodire, vt de figendis refigendisque legibus, de legendis magiſtratibus, de pace denique ac bello in medium conſuleret. Et haec quidem populi comitia ſtata ac ſollemnia ἐκκλησίαι νόμιμοι, ὡρισμέναι, item κύριαι dicebantur. Aliquando etiam extra ordinem cogebatur concio, ſi quid ſubitum accidiſſet, & hae erant ἐκκλησίαι σύγκλητοι vel πρόσκλητοι itemque κατακλησίαι. De quibus populi conciliis vel comitiis IVL. POLLVX *Onomaſt. VIII,* 1. 32. *&* *V*, 8. 7. PFEIFF. *Antiq. Graec. II*, 35. In foro quoque exercebantur iudicia publica, maxime in Areopago, de quo videndus SVID. *voc.* ἄρειος πάγος. IO. MEVRS. *in Areopago.* Denique tota Graecia habebat ſuos conuentus, ſuasque panegyres, ad quas vndequaque ad communes ludos communiaque ſacra confluebant Graeci. Talia erant *Olympica*, *Pythia*, *Nemea*, *Iſthmia*, de quibus PFEIFFER. *Ant. Graec. I*, 49. *ſequ.*

**) In conuentibus ergo vel ἐκκλησίαις oratores populo vel ſuadebant, vel diſſuadebant aliquid, de quo tum deliberatio inſtituebatur. Vid. DEMOSTH. *orat. pro Cteſiph.* Et hoc genus dicendi δημηγορικὸν, ἐκκλησιαστικὸν, vel συμβουλευτικὸν ſolebat adpellari. Tales ſunt DEMOSTHENIS orationes *Olynthiacae*, *Philippicae*, & reliquae pleraeque. In foro etiam, veluti Areopago, Palladio, Delphinio Prytaneo, Phreatio, Heliaeo, Lyceo, Metiicheo, quoties habebantur iudicia publica, oratorum partes erant, reis vel diem dicere, vel eosdem defendere, quod qua ratione factum ſit, luculenter oſtendit MEVRS. *in Areopago cap. extremo*, & SIGON. *de rep. Athen. III.* Et eiusmodi orationes dicebantur δικανικαὶ ſeu *generis iudicialis*, quales ſunt DEMOSTHENIS *orationes in Aphobum, Neaeram, Ariſtogitonem*, & aliae. Denique quando Graeci vniuerſi ad ludos ſollemnes con-

flue-

fluebant, in publica etiam iſta celebritate gentis orationes habebantur, in laudem illorum, qui Graeciae libertatem defenderant, hoſteſque deuicerant, COEL. RHODIGIN. *lect. antiqu. XXVIIII*, 12.

III. Quum vero hodie nec in populi conciliis concionentur demagogi, nec in foro cauſſarum patroni eloquentiam oſtentent, nec denique ſollemnes quaedam ſuperſint panegyres: facile patet, triplicis illius cauſſarum generis, quo vniuerſa veterum rhetorica nititur, hodie nullum ſupereſſe vſum *). Quandoquidem ergo in ſcholis tantum aliquae ſuperſunt oratoriae Latinae reliquiae, declamationes vero illae vmbraticae ad nullum trium generum pertinent: nouum orationum genus inuenerunt doctores, quod quum non tam in perſuadendo, quam docendo delectandoque verſetur, ΔΙΔΑΣΚΑΛΙΚΟΝ adpellare conſueuerunt **).

An etiam hodiernae orationes ad haec genera reuocari poſſint?

*) Aiunt equidem, hodienum nos vel laudare, vel vituperare, ſuadere, vel diſſuadere, adcuſare, vel defendere, adeoque omnino magnum eſſe veteris oratoriae vſum. Quo ſenſu QVINCTIL. *lib. III. c. 7. Laudare teſtem, vel contra, pertinet ad momentum iudiciorum, & ipſis etiam reis dare laudatores licet, & editi in competitores, in L. Piſonem, Clodium & Curionem libri vituperationem continent, & tamen in ſenatu loco ſunt habiti ſententiae.* Sed qui conſiderauerit ea, quae paullo ante de trium generum origine diſſeruimus, facile deprehendet, orationes hodiernas *de laudibus hiſtoriae*, *de philoſophia cum iurisprudentia coniungenda*, *de non ferenda iuuentum proteruia*, *de turpitudine ebrietatis*, aliasque huius generis non magis ſimiles eſſe orationibus veterum in comitiis populi, foroque & conuentibus Graeciae habitis, quam vmbram luci.

(Non perfecit Auctor, vt putare deſinam, pleraque praecepta antiquorum Rhetorum, nominatim QVINCTILIANI, ſuum hodie vſum, non contemnendum illum ſine, habere. I. Non dicam de intellectu oratorum Graecorum Latinorumque, quem hac cognitione iuuari, quis neget? II. In ſacris ad populum Orationibus omnino ſuadendum eſt, h. e. homines oratione in ſententiam ſalutarem traducendi: quod profecto praeſtabit felicius, qui caeteris rebus vim dicendi, qualem veteres tradidere, adiecerit. III. Sunt fora adhuc per Europam hinc inde vbi cauſſas ore vel ſcripto etiam apparatu quodam Oratorio orare licet & decorum eſt. IV. In quocunque ſcribendi genere, vbi vel docere, vel probare, vel placere volumus, magnam utilitatem praeſtat oratoria, qualem proponit FABIVS. V. Eae quoque, quas Auctor *declamationes* vocat, meliores erunt, & plus efficient boni, ſi ad veterem illam eloquentiam conformentur. Quae cum ita ſint neminem poenitere debet, vel VOSSIANOS *de oratoria Inſtitutione libros*, vel quod omnibus faciendum cenſeo, QVINCTILIANI opus ſi non totum, at certe maiore ſui parte, omiſſis modo iis, quae Romano foro ſunt propria, & perlegiſſe, &, quantum poteſt, familiariter iis vti. G.)

**) Multa de hoc *didaſcalico* dicendi genere commentantur NIC. REVSNERVS, MATTH. DRESSERVS, CONR. DIETERICVS, aliique rhetores. Sed ipſi rhetorices fini ac naturae illud repugnat. Interim negari nequit, pleraſque declamationes, quas hodie in ſcholis audimus, generis eſſe didaſcalici. (Docere & planum facere aliquid ad finem etiam antiquae Rhetorices pertinet vel maxime. Et quis non, cum dicit, optet perſuadere auditoribus ſuis vel ſententiam ſuam vel affectum? Non eſt ergo opus nouis praeceptis in ea arte, qua omnium

confeſſione antiqui longe excellunt quidquid eſt hodie eloquentium. Sed ſatis eſt, ſi qui feſtinent, omiſiſſe de antiquis praeceptis forenſia. G.)

Orationes hodie vel ſcholaſticae ſunt, vel panegyricae.

IIII. Vt ergo orationes conſcribendi rationem noſtrae aetati reique publicae adcommodemus: duo hodie eſſe arbitramur Latinarum orationum genera. Alterum in vmbra ſcholarum vſu receptum *), alterum paullo ſollemnius **). Illas DECLAMATIONES, has PANEGYRICAS vocare licebit. Nos hoc capite de declamationibus agemus.

*) *Declamationes* mihi ſunt, quae de rebus quibusdam, ad eruditionem pertinentibus, veluti de quaeſtionibus phyſicis, moralibus, iuridicis, philologicis, theologicis, hiſtoricis, exercendi ingenii, oſtentandaeque eloquentiae cauſſa habentur. Tales ſunt pleraeque orationes M. ANT. MVRETI, M. ANT. MAIORAGII, PETRI CVNAEI aliorumque recentiorum, quas more maiorum in gymnaſiis & academiis habuerunt.

(Ne cui imponat nouus intellectus nominis *Declamatio*: quae antiquis & recte loquentibus *ab oratione* non alia re diſtat, quam quod exercitationis tantum cauſſa habetur, quare nec argumento ſ. materie, neque elaboratione differre debet ab oratione ſeria, ſi quidem meditatio & exercitatio illis debet actionibus quam ſimillima eſſe, ad quarum facilitatem comparandam ſuſcipitur. Et poſſunt ipſae quoque Auctoris tum declamationes, tum Panegyricae ad tria illa genera antiquorum commode referri, vt deinde apparebit. G.)

**) *Panegyricas* voco non tantum laudationes magnorum virorum, quales ſunt pleraeque BVCHNERIANAE: ſed quaecumque in feſto quodam conuentu coram ſplendidiore auditorio habentur, veluti in inauguratione academiae, vel regis, in ſacris ſaecularibus, cet. Hae quemadmodum a ſuperioribus materia, ita & ſtilo quam maxime differunt.

Declamationes ſcripturum ſollicitum eſſe oportet de themate.

V. *Declamationem* itaque ſcripturo, id praecipue agendum eſt, vt thema inueniat haud vulgare *), nec tamen a ſenſu communi remotum **): iucundum ***), nec tamen ſcurrile ****): ita denique comparatum, vt perſonis, loco, temporique conueniat *****).

*) Cauendum ergo eſt a thematibus vulgaribus, qualia ſunt *de laudibus virtutis*, *de laudibus litterarum*, *cet.* His enim facile obiici poſſet illud CATONIS: *Stulte, quis vmquam vituperauit?* In pueris & adoleſcentulis, qui nondum aere lauantur, tolerari haec poſſunt: minime in viris, quorum in grauiore materia exercetur ingenium. (Quae autem *grauior* poteſt eſſe *materia*? Mihi vero ille quantiuis pretii orator videatur, qui *de laudibus virtutis*, *litterarum*, &c. ita dicat, vt moueat, vt perſuadeat. Socratis omnis oratio in laudanda virtute conſumebatur. G.)

**) Non enim eloquentia abutendum eſt, ſed vtendum. Cum ratione ergo inſaniunt, qui I. veterum academicorum more de rebus omnibus in vtramque partem diſſerendum, in eaque ſummam eloquentiae laudem poſitam exiſtimant. Vid. CIC. *de fin. bon. II*, 1. Adcuratum ergo ac laudandum fuit ſenis illius Catonis iudicium, qui Carneadem, quod eadem eloquentia iuſtitiam & laudauerat, & vituperauerat, vrbe ejiciendum cenſuit. Sane rerum laudandarum vituperandarumque ideae tam ſunt neceſſariae, vt qui eas dicendo euellere animis conatur, vel magno conatu maximas agere nugas, vel ad quoduis ſcelus profligatiſſimus videatur. Et quid humano generi prodeſſet eloquentia, qua liceat νικᾷν καὶ ἀδι-

κεῖν

καια κἄδικα, vt de SOCRATIS eloquentia ait ARISTOPHANES *in Nubib. v. 99.* (Tamen diſpiciendum candidatis eloquentiae, quid de vnaquaque re in vtramque partem dici poſſit, vel ad hoc ipſum, vt refutare diſcamus contraria. G.) Nec magis ſapere videntur, II. qui res vituperandas laudando, vel laude dignas vituperando in muſtaceo quaerunt laureolam. LVCIANVS *muſcam* & *podagram*; SYNESIVS *caluitium*; DIO CHRYSOSTOMVS *capillum*; ERASMVS *moriam* vel ſtultitiam; MAIORAGIVS *lutum*; BVRMANNVS *pigritiam* laudauit, nec febri, aſinoque ſui encomiaſtae defuerunt. Παράδοξα haec ſunt, & ingenio oſtentando idonea, ſed tamen puerilia, & viro graui parum digna. Excuſandus quidem ERASMVS, cui dulce fuit deſipere in loco, & luculenta iſta ſatira certorum hominum ſtultitiam perſtringere. Sed ſicut non omnes ſunt ERASMI, ita non omnes ſuſcepta eiusmodi opera eamdem reportant laudem. Nimirum multum intereſt, oſtentandae doctrinae & eloquentiae cauſſa huiusmodi res laudentur, an ſatiricum quid inuolutum velimus huiusmodi laudibus. Hinc merito mireris ERASMI & V. C. PETRI BVRMANNI acumen, qui huiusmodi orationibus hominum ſtultitiam acriore ſale perfricuerunt. At nihil huiusmodi reperias in aliis eius generis oratiunculis, ſed mera σοφίσματα, ſine quibus res minus laudandae laudari nequeunt. (Plerumque aliquid ſpectaſſe auctores talium declamationum, quod vitam iuuaret, multa certe inſperſiſſe, quae cognouiſſe, quae cogitaſſe, bonum ſit, inductione quadam oſtendi poteſt, ſi quis percurrere velit conſtructum CASP. DORNAVII labore *Amphitheatrum ſapientiae Socraticae*. G.)

***) Quum enim declamationes eiusmodi ſcholaſticae pleraeque vix aliquam inſignem vtilitatem vel reipublicae vel auditoribus polliceri poſſint, adeoque multis taedium inter audiendum obrepere ſoleat: facile patet, iucunditate rerum abſtergendum eſſe hoc faſtidium, adeoque ea themata quam maxime referre plauſum, quae ſunt auditu iucundiſſima. Quis dubitaret quaeſo, quin ſuauiſſimae celeberrimi auctoris declamationes *de charlataneria eruditorum* explicatioribus frontibus auditae ſint, quam ſi ſubtiliſſimus aliquis philoſophus magno ſupercilio *de laudibus reginae illius ſcientiarum, metaphyſicae*, diſſeruiſſet? (Deme *ſupercilium*, & pone in cathedra humaniſſimum aliquem FACCIOLATVM, qui *Metaphyſicam* eo ore commendet, quo *Dialecticorum* retia & laqueos explicauit aliquot praefationibus; puto futurum, vt haud parum attente audiatur ab his quidem, qui cor & aures ac cerebrum habent. Caeterum in argumentis deligendis, quae ipſa fronte aliquid iucundum polliceantur felix fuit OCT. FERRARIVS, ne de MENCKENIO aliquid adiiciam. G.)

****) Modus in rebus omnibus optimus eſt. Cauendum ergo, ne dum iucundus eſſe laboras, ſcurram aut hiſtrionem agas. Cavenda etiam Cynica illa dicacitas & linguae virulentia, ne in ſatiram euadat oratio.

*****) MORHOFIVS V. C. *in Polyhiſt. III, 12. 3. ſequ.* praeclare oſtendit, inuentionem omnem poeticam e locis illis περιστατικοῖς: *Quis? quid? vbi? quibus auxiliis? cur? quomodo? quando?* vnice eſſe petendam, his tria alia adiuncta ſubiice: *quale? quantum? quoties?* Idem mihi de inuentione thematum videtur. Fingamus, orationem inauguralem habendam eſſe a profeſſore politices: circumſtantia *quis?* themata nobis ſuppeditabit varia. Diſſerere enim poſſemus *de virtutibus profeſſoris politices*, *de praecipuis huius aeui ſcriptoribus politicis*, de quaeſtione: *prudentia ciuilis, doctrina, an ſolo vſu comparetur?* circumſtantia *quid?* themata ſuggeret *de ſophiſmate politico in veterum auguriis latitante*, *de eloquentia ciuili*, *de oratoria principis*. Fingamus porro orationem illam habendam Argentorati, vel Altorfii, circum-

circumſtantia illa *vbi?* commendabit themata *de republica Argentoratenſi, vel Norimbergenſi, abſolutiſſimo prudentiae architectonicae exemplo.* Sin Lipſiae ea oratio habenda eſſet, *quanta ſit commerciorum ad reipublicae beatitudinem vtilitas,* poſſet demonſtrari. Circumſtantia *quibus auxiliis?* denuo nobis varia ſufficiet themata, veluti *de doctrina principis, de exemplo principis, de perpetua cenſura.* Circumſtantia *cur?* dicere ſuadebit *de doctrinis in academiis inculcandis,* vel de quaeſtione: *cur olim in academiis inculta iacuerit prudentia ciuilis?* Circumſtantia *quomodo?* nobis ad animum reuocabit themata, *de ſcopulis in prudentia ciuili cauendis, de monarchomachiſmo, de Machiauelliſmo, cet.* Denique ſi fingamus, orationem iſtam habendam fuiſſe ipſo anno ſaeculari eccleſiae purioris: circumſtantia illa *quando?* nobis ſuggereret quaeſtiones, *quid reipublicae profuerit reformatio? quantum incrementum ex ea re ceperit prudentia ciuilis?* Diſſeri etiam poſſet, *de politica papali,* aliiſque eiusmodi thematibus. Quis ergo tam eſſet ab ingenio omni deſtitutus: vt e tot thematibus non poſſet illud ſeligere, quod & optimum, & auditoribus iucundiſſimum fore praeuideat?

Vnde res & argumenta petenda? VI. Inuento themate, diſpiciendum, ad quam diſciplinam illud pertineat. Inde enim omnis adparatus rerum argumentorumque eſt petendus *).

*) Nolim ergo, te & hic de certis argumentorum locis vel ſedibus eſſe ſollicitum. Declamationes pleraeque de rebus ad eruditionem pertinentibus agunt. Quid vero de iis dicendum ſit, diſciplinae docent. Ex iis ergo colligenda, quae ad thema pertinent, ita tamen, vt ne extra oleas vagemur. Non enim omnia ſed optima, & ad rem pertinentia, dicenda ſunt. Exempli cauſſa, ſi quaeſtio eſſet: *cur olim tam inculta iacuerit prudentia ciuilis?* facile animaduerterem, omnem adparatum partim ex hiſtoria litteraria medii aevi, partim ex hiſtoria academiarum, partim ex hiſtoria papatus eſſe petendum.) Sed magnos illos campos fruſtra forte pererraueris, niſi filum quaſi quoddam ſequaris quod te ducat; niſi loculos quosdam, in quos deponas, quae in illa peregrinatione inueneris. Sume igitur illum verſum circumſtantiarum memorialem, & occurret tibi, ſi noris hiſtoriam, quid ad ſingulas illas quaeſtiones reſpondendum ſit: ex illis reſponſionibus deinde elige, quae maxime ad rem facere putabis &c. G.) Sin quaeſtio tractanda: *quid reipublicae profuerit reformatio?* politica & ius naturae me docere poſſet, quaenam ſit σχέσις eccleſiae ad rempublicam. Ex hiſtoria deinde diſcerem, quaenam olim fuerit rerum publicarum facies, quae epiſcoporum Romanorum inſolentia, quanta cleri licentia, quantum principum periculum? Quantus mihi inde naſceretur rerum argumentorumque adparatus? Nihil ergo opus eſt *locis dialecticis, arte Lulliſtica, indice combinatorio,* aliiſque eiusmodi ſubſidiis, quae magno iuuenum malo a nonnullis commendantur.

Quomodo ea diſponenda? VII. Vbi iuſtus rerum argumentorumque adparatus ad manum eſt, opera porro danda erit, vt illum in certas quasdam claſſes, vel partes diſtribuamus *). Quot partes vel claſſes conſtituuntur, totidem erunt orationis ARGVMENTA.

*) Collecto e. g. adparatu, qui ad thema paullo ante laudatum pertinet: facile animaduerterem, eum ad tria reuocari capita poſſe. Oſtendere ergo poſſem, felicem illam religionis reparationem reipublicae I. *ad quietem & ſecuritatem;*

tatem; II. *ad opes & potentiam*; III. *ad maieſtatem principum conſeruandam* profuiſſe. Hinc tota tractatio tribus his conſtaret argumentis. Ceterum ſi vmquam, hic certe iudicio opus eſt. Nec ordo ille ita certis adſtringi regulis poteſt, vt ab iis diſcedere non liceat. Eleganter QVINCTIL., *Inſtit. orat. lib. VII. cap. 1. Sed meminerimus ipſam diſpoſitionem plerumque vtilitate mutari, nec eamdem ſemper primam quaeſtionem ex vtraque parte tractandam. Cuius rei vt cetera exempla praeteream, Demoſthenes quoque atque Aeſchines poſſunt eſſe documento, in iudicio Cteſiphontis diuerſum ſequuti ordinem, quum accuſator a iure, quo videbatur potentior, coeperit, patronus omnia, vel paene omnia ante ius poſuerit, quibus iudicem quaeſtioni legum praepararet.* (Ad hanc diſtributionem facilius inſtituendam faciunt commendatae ſupra I, 3, 5. diuiſiones. G.)

VIII. Singula argumenta iam facillime poterunt elaborari, ſi ea obſeruentur praecepta, quae ſupra de *ſyllogiſmo & enthymemate oratorio* ſuppeditauimus *). Quomodo ſingula argumenta elaboranda?

*) Seilicet argumenta ſingula rediguntur in ſyllogiſmos vel enthymemata. Praemiſſae deinde probantur atque amplificantur. Exemplo nobis erit MVRETI oratio II. Venetiis *de laudibus litterarum* habita. In ea oſtendere conatur orator eloquentiſſimus, permultum ornamenti praeſidiique optimas litteras rebus publicis bene temperatis adferre. Omnem ergo adparatum e prudentia ciuili petitum ad duo ſumma capita refert, demonſtratque, I. *litteris pueritiam & adoleſcentiam ad rempublicam praeparari*, II. *iiſdem viros ciuiles in adminiſtranda republica adiuuari.* Prius argumentum in hunc redigit ſyllogiſmum:

I. MAIOR. *Quodcumque adoleſcentes ad virtutem praeparat, illud multum ornamenti praeſidiique adfert reipublicae*; vbi
- I. Ipſa propoſitio.
- II. Aetiologia. *Felicitas enim reipublicae a ſingulorum felicitate ac virtute dependet.*

II. MINOR. *Litterae adoleſcentes ad virtutem praeparant.* Vbi
- I. Ipſa propoſitio.
- II. Aetiologia. Nam
  - I.) pueritiam praeparant.
    - 1) Aetiologia. *Informant enim eamdem ad humanitatem & virtutem.*
    - 2) Illuſtratio. *Vt in ſemente ſpes meſſis, ita in inſtitutione puerili ſpes vitae poſita eſt.*
  - II.) Iuuentutem praeparant.
    - I.) Aetiologia. *Nam abducunt eam a voluptatum illecebris, & ad gloriam excitant.*
    - II.) Illuſtratio ab
      - 1.) *exemplo Themiſtoclis, qui Miltiadis tropaeis excitabatur.*
      - 2.) fabulis poëticis, *de Veneris imperio, & de Iaſone, qui Sirenum inſidias Orphei lyra euaſit.*
      - 3.) exemplis *Chryſippi, Archimedis, Solonis, qui voluptatem e litteris incredibilem ceperunt.*

III. CONCLVSIO. *Ergo litterae multum ornamenti praeſidiique adferunt reipublicae.*

Alterum argumentum MVRETVS enthymemati huic includit:

I. MINOR. *Litteris viri ciuiles in adminiſtranda republica adiuuantur.* Litterae enim vſum ſuum exſerunt
- I. In pace. Vbi
  - I. Aetiologia. *Politica enim omnes viri ciuilis partes oſtendit.*
  - II. Illuſtratio, ab
    - I.) obiectione. *At poſſunt viri ciuiles aliena opera vti.* Quod negatur.
    - II.) Illuſtratio *ab exemplo Manlii,*

qui caecus conſulatum recuſabat, quod indignum putaret, ei capita fortunaſque omnium committi, qui alienis oculis vteretur.

II. In bello, vbi

I. Aetiologia. *Bella enim non tantum corporis, ſed & animi viribus geruntur.*

II. Illuſtratio *a voto Agamemnonis, qui decem ſibi non Achilles aut Aiaces, ſed Neſtoras optabat.*

III. Secunda aetiologia. *Hiſtoria tot bella ob oculos ponit, quum alias maximi duces paucis tantum bellis interfuerint.*

IIII. Tertia aetiologia. *Litterae ob oculos ponunt clariſſimorum fortiſſimorumque ducum exempla.*

V. Quarta aetiologia. *Maximos ſaepe exercitus eloquentia vel ſtitit vel incitauit.*

VI. Illuſtratio *ab exemplo Tyrtaei poëtae, qui Lacedaemoniorum exercitum verſibus inflammauit.*

VII. Aetiologia quinta. *Maximi ac celeberrimi duces eruditi fuerunt.*

VIII. Illuſtratio *ab exemplis Architae Tarentini, Meliſſi, Socratis, Platonis, Xenophontis, Periclis, Themiſtoclis, Epaminondae, Scipionum, Luculli, Fabii, Marcelli, Iulii Caeſaris, Bruti.*

VIIII. Illuſtratio *a lege Mitylenaeorum, qui bello victos non aliter mulctabant, quam vt ne liberos ſuos litteras edocerent.*

II. CONCLVSIO. *Multum ergo ornamenti praeſidiique litterae adſerunt reipublicae.*

Vides clariſſimum illum oratorem non alio vſum artificio, quam quod nos hic commendamus, politiſſimam illam compoſuiſſe orationem. Ἐξεργασίαν ejus addere nihil attinet. Ecquis enim eſt tam omnis elegantioris doctrinae incurioſus, vt elegantiſſimas MVRETI orationes legendas, & in ſinu geſtandas non exiſtimet?

(Quod hic in una MVRETI oratione fecit Auctor, illud in omnibus CICERONIS orationibus praeſtitit MARTI. DV CYGNE in *Explanatione rhetorica omnium* CICERONIS *orationum ſecundum Partes, Enthymemata, & Figuras. Colo.* cIↄIↄCLXXVIII. 8. *&c.* G.)

Exordia generalia.

VIIII. Accedit & hic EXORDIVM, idque vel *generale*, vel *ſpeciale*. Modo enim a perſona oratoris *), modo ab auditoribus **), modo a loco ***), modo a tempore ****) aliiſque circumſtantiis auſpicari licet. Quae omnia *exordia generalia* habentur.

*) Talia ſunt exordia, quibus orator ſeſe extenuat. Ipſe CICERO eiuſmodi exordio vtitur in *oratione pro Sexto Roſcio Amerino.* Erat enim tum admodum iuuenis, nec dum cuiquam praeſtiterat patrocinium. Minus ergo excuſandi, qui extenuatione eiusmodi vtuntur in conſeſſu hominum obſcurorum, quique nulla admodum auctoritate pollent. (In exordiis, quae a perſona oratoris ducuntur, in primis cauendum eſt, ne περιαυτολογίᾳ moleſti ſimus. Modeſtiae ἦθος cum modum excedit, fit laus ſui inmodica. G.)

**) Elegantiſſimum huius generis eſt exordium MVRETI, quo in *oratione II partis I.* vtitur. Dicendum enim illi erat in ſplendidiſſimo ſenatus Veneti conſeſſu, cuius adſpectus vel conſtantiſſimo viro metum incutere potuiſſet. Eiuſdem generis eſt exordium orationis CICERONIANAE pro lege *Manilia.*

***) Hunc exordiendi modum eadem oratione praeclare obſeruauit MVRETVS. Nam vt in ſenatus, ita & in ipſius vrbis & reip. laudes latius excurrit.

****) Sic MVRET. *orat.* II, 18.

dicturus

dicturus de circumciſione a tempore, id eſt, Kalendis Ianuariis exorditur.

Exordia ſpecialia.

X. Sed elegantiora plerumque ſunt *exordia ſpecialia*, quae vel ab occaſione dicendi *), vel a re ipſa **) petuntur.

*) MVRET. *orat. I*, 8. dicturus de philoſophiae moralis laudibus, exordium ducit ab occaſione dicendi, munere ſcilicet docendi philoſophiam; quod ei ſuperiore anno, auſpiciis pontificis maximi, fuerat demandatum.

**) Idque fit dupliciter, vel *directe*, quemadmodum MVRET. *orat. I*, 1. de theologiae laudibus acturus, ſtatim in exordio theologiam praecipua laude dignam eſſe demonſtrat; vel *indirecte*, theſi, ceu vocant, ad hypotheſin traducta, veluti, ſi quis de prudentia docendi acturus, in exordio ipſam commendaret prudentiam. At vero ea exordiorum genera videntur ſuauiſſima, quae vel a ſimilitudine quadam, vel ab exemplo, vel denique a teſtimonio elegantiore petuntur. Ita MAIORAG. *orat. IIII.* exordium ducit ab elegantiſſima comparatione ſolis & legum humanarum. MVRETVS vero *orationem I*, 10. ab exemplo Croeſi; & *orationem II.* 2. a teſtimonio EVRIPIDIS auſpicatur. Mirus ea in re artifex eſt LVCIANVS, cuius inter opera variae etiam exſtant praefationes, ſeu exordia elegantiſſima ab exemplis, comparationibus, ſimilitudinibus ducta, qualia ſunt *Tomo I. p.* 806. *Hercules Gallus*: *Tomo II. Op. p.* 841. *de dipſadibus*: *Tomo III. p.* 212. *Herodotus vel Aetio*, & alia. (At hae *Praefationes* ſ. προλαλιαὶ non ſunt integrarum orationum exordia: ſed breues orationes, quibus auditores colligere futuris recitationibus ſuis ſtudebat, quod genus etiam hodie in Italorum praeſertim Academiis conſuetum eſt, *in Inſtauratione*, vt loquuntur, ſtudiorum. Apud Germanos fere *Programmata* aut *Proluſiones* quae typis publicantur, in earum praefationum locum ſucceſſere. G.)

Diſpoſitio exordiorum.

XI. Exordia quomodo diſponenda ſint, etiam & vulgus rhetorum docet. Praemiſſa enim THESI, ſtatim additur AETIOLOGIA; tum porro APODOSIS, ac denique BASIS ſubiicitur *). Solent tamen oratores, copiae ſtudioſiores, ſingulas fere partes vel nouis rationibus, vel illuſtrationibus quibuſdam munire **).

(Quatuor illas exordii partes, non quaſi ſimpliciter neceſſarias, ſed commodas pleno exordio, conſtituit HERMOGENES *de Inu. I*, 5. quas vocat Πρότασιν ſ. propoſitionem; Κατασκευὴν, qua illa adſtruitur; Ἀπόδοσιν ſ. Ἀξίωσιν quae eſt Hypotheſis Propoſitioni ſubordinata, & propius ad ipſum Orationis argumentum accedens; & Βάσιν, quae cauſſam & probationem Propoſitionis ad Apodoſin applicat. G.)

*) THESIS rem proponit; AETIOLOGIA eamdem confirmat; APODOSIS ad thema adplicat; BASIS denique viam ad propoſitionem munit. Exempli loco ſit exordium orationis I. MVRETI, quod ita diſponitur:

I. THESIS. *Theologia ſingulari quadam, ac praecipua laude digna eſt.*

II. AETIOLOGIA. *Nam mortalitatem noſtram diuinae naturae arctiſſima colligatione deuincit.*

III. APODOSIS. *De ea dicere iuſſus, hanc ſpartam non abs re defugi.*

IV. BASIS. *At nunc ſemel altum ingreſſo, vela facienda ſunt.*

**) Sic in eodem exordio MVRETVS apodoſin duabus fulcit rationibus.

Defugiſſe ſe ait dicendi munus, partim ob rei grauitatem, partim, quod vix ſperare potuerit eam ſtili ſublimitatem, quae digna videretur tanta rei magnitudine. Priorem rationem exemplo ſophiſtae apud Hannibalem de rebus bellicis differentis; poſteriorem teſtimonio PLATONIS illuſtrat. Sed en ipſum exordium:

I. THESIS. Theologia praecipua laude digna eſt: *Cum omnes mihi ſingulari quadam ac praecipua laude digni videntur, qui in adſequenda honeſtarum artium ſcientia operam & induſtriam ſuam collocant: tum ii praecipue, qui veluti maiore quodam numinis adflatu perculſi, ceteris omnibus poſthabitis, ad diuinarum rerum intelligentiam omnes cogitationes ſuas atque omnia ſtudia contulerunt.*

II. AETIOLOGIA. Nam mortalitatem noſtram diuinae naturae arctiſſima colligatione deuincit: *Nam ſi eorum omnium, quae in hac immenſa rerum vniuerſitate cernuntur, vnumquodque naturali ſui perficiendi deſiderio tenetur; & animus noſter, ad ſimilitudinem diuinitatis effictus tanto perfectior eſt, quanto propius ad illud, ex quo ductus & propagatus eſt, exemplar accedit: dubitari profecto non poteſt, quin ea ſit omnium praeſtantiſſima facultas, quae, quoad eius fieri poteſt, cum humanis diuina copulando, mortalitatem noſtram, quantum illius imbecillitas patitur, diuinae naturae arctiſſima colligatione deuincit.*

III. APODOSIS, vbi

I. APPLICATIO. De ea dicere iuſſus, hanc ſpartam initio defugi: *De illius mihi facultatis laudibus hodierno die demandatum eſt ab iis, quorum & apud me plurimum valet, & apud omnes peraeque valere debet auctoritas, non vt eas quidem ſigillatim percenſere omnes, ac flore orationis conueſtire conarer: (quod & imperare iniquum; & ſuſcipere temerarium eſſet,) ſed vt ex earum innumerabili copia pauca quaedam ſeligerem, de quibus hoc ampliſſimo loco, vobis audientibus, explicarem. Qua de re quum mecum initio ageretur, refugiebam equidem tanti oneris magnitudinem.*

II. RATIONES & ILLVSTRATIONES: *veritus ne idem mihi contingeret, quod nobili olim ſophiſtae apud Hannibalem de rebus bellicis longa accurataque oratione diſputanti contigiſſe dicitur, ſi homo adoleſcens, & cum a ceteris rebus ſatis tenuiter inſtructus, tum in hoc genere penitus rudis, inter tot eruditiſſimos viros ad dicendum de rebus diuinis adgrederer. Illud etiam commouebat, quod praeclare a Platone ſcriptum noueram, orationi & iis rebus, quae oratione tractantur, quamdam inter ſe cognationem intercedere oportere, ex quo facile intelligebam conſequi, vt ad res diuinas pro dignitate tractandas diuinum quoddam requireretur orationis genus.*

III. BASIS. At nunc ſemel altum ingreſſo verba nimirum facienda ſunt: *At iſta quidem, re adhuc integra, fortaſſis maiore quadam cautione prouidenda fuerint: nunc quidem iam ſemel altum ingreſſis, quae nos cumque tempeſtas excepturа eſt, vela nimirum facienda ſunt.*

Quid de captatione beneuolentiae cenſendum?

XII. Propoſitioni, quae vel baſi, vel apodoſi ſubiungi, vel eidem innecti ſolet, plerumque accedit *captatio*, quam vocant, *beneuolentiae*. Sed maiorem mihi laudem videntur mereri, qui beneuolentiam potius dicendi ſuauitate retinendam, quam multis verborum lenociniis captandam exiſtimant *).

*) Aut enim thema orationis ita eſt comparatum, vt auditoribus placeat, & tunc non erit, quod auribus inſidieris, & verbis ſeſamo ac papauere ſparſis captes beneuolentiam, ſed praeſtabit, dare operam, vt & elegante elabora-

elaboratione & ipſa dicendi ſuauitate auditorum ſpei ſatisfiat; aut ipſum thema vel eius tractatio faſtidio eſt : & tunc parum praeſidii erit in iſta beneuolentiae captatione. Faſtidioſum enim eſt aurium iudicium, nec tam beneuolentiae, quam voluptati vtilitatique obſequitur. Notum eſt, quid de A. Albino cenſuerit M. Cato, quum in principio hiſtoriae eius multis verbis veniam gratiamque malae exiſtimationis, ſi quid eſſet erratum, poſtulari legiſſet. Tum enim Cato: *Nae tu*, inquit, *Aule, nimium nugator es, quum maluiſti culpam deprecari, quam culpa vacare. Nam veniam petere ſolemus, aut quum imprudentes errauimus, aut quum compulſi peccauimus. Te, inquit, oro te, quis perpulit: vt id committeres, quod, priuſquam faceres, peteres vt ignoſceretur?* CORN. NEP. apud GELL. *Noct. Attic. XI*, 8. (Catonianum illud quidem, & nimis ſeuerum fuerit, ſi quis eos reprehendat, qui officio vel obſequio adducti ad dicendum, deinde veniam illius vel obſequii vel neceſſitatis reſpectu petunt ſuae vel imbecillitati vel verecundiae. G.) Itaque & CICERONEM parcius huiuſmodi formulis captare beneuolentiam, animaduertimus, ſed plerumque iis argumentis, quae ἤθη vocant oratores, auditorum vel iudicum fauorem ſibi conciliare. At ſicubi vti conſtituit nouo quodam atque inuſitato genere dicendi, tali formula eum veniam precari animaduertimus. Exemplum reperias *in orat. pro Archia cap.* 2. *Quaeſo a vobis, vt in hac cauſſa mihi detis hanc veniam, adcommodatam huic reo, vobis, quemadmodum ſpero, non moleſtam, vt me pro ſummo poëta atque eruditiſſimo homine dicentem, hoc concurſu hominum litteratiſſimorum, hac veſtra humanitate, hoc denique praetore exercente iudicium, patiamini de ſtudiis humanitatis ac litterarum paullo loqui liberius, & in eiuſmodi perſona, quae propter otium ac ſtudium minime in iudiciis periculiſque tractata eſt, & vti prope nouo quodam & inuſitato genere dicendi.*

XIII. In CONCLVSIONE plerumque vel quaedam fit argumentorum repetitio ſeu anacephalaeoſis, vel paraeneſis quaedam ad auditores ſubnectitur, atque adeo adfectus aliquis moueatur *). Sed cauendum, ne in rebus non adeo magni momenti tragoedias agamus, eoque in illud incidamus vitium, quod ΠΑΡΕΝΘΥΡΣΟΝ vocari ſupra *P. I. cap.* 2. *num.* 53. monuimus **). Qualis eſſe debeat concluſio?

*) Atque eatenus recte poſt ARISTOTELEM monent rhetores, in exordio regnare ἤθη : in tractatione λόγους; in concluſione πάθη. Et hinc eleganter docet QVINCTILIAN. *Inſt. orat. lib. VI. c.* 1. *perorationis duplicem eſſe rationem, poſitam aut in rebus, aut in adfectibus. Rerum repetitionem & congregationem, quae Graece dicitur ἀνακεφαλαίωσις, a quibuſdam Latinorum enumeratio, & memoriam iudicis reficere, & totam ſimul cauſſam ponere ante oculos, & etiamſi per ſingula minus mouerit, turbam valere. Adfectus quoque eſſe neceſſarios, ſi aliter obtineri vera & juſta, & in commune profutura non poſſint.*

**) Scilicet noſtrae orationes veterum illarum veluti vmbrae ſunt. Olim in orationibus plerisque adfectus erant concitandi, & magnis in laudibus tota Graecia erat PERICLES, qui non loqui, ſed fulminare, & in eorum mentibus, qui audiſſent, quaſi aculeos quosdam relinquere dicebatur. Quum enim iſti oratores vel de republica dicerent, vel de ciuium capite, & quidem apud plebem, quae non tam ratione, quam adfectu regitur : facile patet ratio, cur ea oratio omnium praeſtantiſſima viſa ſit, quae adfectus quam vehe-

vehementiſſime moueret. At hodie non de ciuium capite & fortunis, non de reipublicae ſalute aut interitu, ſed de rebus ſcholaſticis declamamus, vbi frigida plerumque eſt nimia adfectuum commotio. (Sed quidni diſcamus quoad licet, vt ſi res ferat pro rep., pro virtute, loqui aut ſcribere ita poſſimus, vt quibuſdam certe perſuadeamus? G.)

Qualis totius orationis ſtilus?

XIIII. Denique in orationibus vel declamationibus ſcholaſticis quam maxime ſtili habenda eſt ratio *). Conuenit vero huiuſmodi orationibus ſtilus mediocris **), oratorius ***), elegans ****), perſpicuus *****), nonnumquam etiam grauis & concitatus ******). Recte enim obſeruauit PLATO, *orationi & iis rebus, quae oratione tractantur, quamdam inter ſe cognationem intercedere oportere* †).

*) Plerumque enim non tam ob inſignem aliquam vtilitatem, quam ad oſtentandam eloquentiam habentur. Turpe ergo eſſet, dicendo infantiam prodere, quam tacendo potuiſſes diſſimulare.

**) De quo vide ſupra *part. I. c. 2. num.* 45. Hinc parum placent orationes Polonorum, quae ſemper cothurno incedunt, nec PHILIPPI MELANCHTHONIS, quae vix ultra dictionem tenuem adſurgunt. Vid. MORHOF. *Polyhiſt. I, 6, 3. 3. p. 277.*

***) Conf. ſupra *part. I, c. 2.* Vix ergo publici ſaporis ſunt orationes ERYCII PVTEANI, CASP. BARLAEI, M. ZVERI BOXHORNII, DOMIN. BAVDII, & in primis IO. CONR. DANHAVERI, qui poëticam potius, quam oratoriam exprimunt facundiam. IVST. LIPSII orationes elegantiores purioreſque ſunt eius epiſtolis, adeo vt eas nonnulli Lipſio ſuppoſitas exiſtiment. Vid. VINC. PLACC. *de Pſeudon. p. 219.*

****) De hoc ſtilo vide ſupra *part. I. c. 2.* Cauendum tamen, ne nimium elegantiae ſtudium in ſophiſticam, vt ita loquar, vaniloquentiam euadat.

*****) Vide ſupra *part. I. c. 2.*

******) Quoties ſcilicet adfectus mouendi. Adde tamen, quae ſuperiore paragrapho monuimus.

†) Operae pretium itaque fuerit, optimos hic recenſere oratores, quos a renatis litteris floruiſſe conſtat. Primas itaque partes merito M. ANTONIO MVRETO deferimus, cuius eloquentiam etiam IOS. SCALIGER in *excerptis Puteanorum*, & IAN. NIC. ERYTHR. *Pinacoth. III. p. 74.* admirantur. Proximi huic ſunt IO. CASA, de cuius opuſculis praeclare meritus eſt NIC. HIERON. GVNDLINGIVS, AON. PALEARIVS, M. ANT. MAIORAGIVS, DIONYS. PETAVIVS, PETR. IO. PERPINIANVS, Hiſpanus, de quo IAN. NIC. ERYTHR. *Pinac. l. c.* FRANCISCVS VAVASSOR, IO. CASELIVS, PETR. CVNAEVS & AVG. BVCHNERVS. Reliqui tantum non omnes longe infra mediocritatem ſubſiſtunt.

CAPVT

CAPVT III.

DE PANEGYRICIS.

I.

A Declamationibus differre ORATIONES PANEGYRICAS *), iam ſupra obſeruauimus. *Eſt* vero λόγος PANEGYRICVS ORATIO *ſollemnis* **), *in laudem perſonae illuſtris ſtilo magnifico elaborata* ***), *& in ſplendido auditorum congreſſu habita.* Panegyricus quid ſit?

*) Panegyricae dictae ſunt hae orationes, ὅτι πάντες ἤγειρον, *quia omnes congregabant*, vt recte obſeruat SCALIG. *poët.* III. 109. Tales conuentus Athenis erant ludi quinquennales, de quibus DIONYS. HALIC. *Fragm. Rhet. I.* ſed & quatuor illi ludi Graeciae, Olympici, Nemei, Pythii & Iſthmii *panegyres* dicebantur. SCAL. *de art. poët. I.* 23. Quum vero in eiuſmodi conuentibus etiam orationes in laudem virorum illuſtrium, & bene de patria meritorum haberentur: orationes iſtae dictae ſunt *panegyricae*. (Nempe his conuentibus certabatur vt de corporis viribus & agilitate, ſic de eloquentia, quam hic ἐπιδείκνυντο, *in ſe eſſe oſtendebant* rhetores: unde ἐπιδεικτικὸν ſ. *demonſtratiuum genus* dictum eſt, cuius materiem ſumebant laudes hominum, Deorum, rerumpublicarum &c. G.)

**) Omnes ergo panegyricae orationes ſunt laudatoriae, ſed non omnes laudationes ſunt orationes panegyricae. Sollemnis enim eſſe debet huiuſmodi oratio, & hinc in magna quadam celebritate haberi. Dicuntur enim ἀπὸ τοῦ πανηγύρειν, id eſt *a congregando*, adeo vt & *nundinarum* πανήγυριν dixerit CICERO *epiſt. ad Att. I*, 14. (Tali celebritati deſtinatum finxit ISOCRATES ſuum πανηγυρικὸν λόγον, in quo X. vel XV. annis elaborauit. Argumentum, Athenienſes Lacedaemoniis praeferendos in ducatu contra Perſas. G.)

***) Stilo panegyricae orationis adeo propria eſt magnificentia, vt Graeci ideo panegyricum vocent, quidquid eſt ſplendidum, elatum atque admirabile. Sic PLVTARCHVS Praeciam, ſcortum nobile vocat πανηγυρικήν. Et ATHENAEVS Apelicota Teium πανηγυρικῶς potius, quam στρατιωτικῶς, educatum ait. Vid. CAEL. RHODIGIN. *Lect. ant.* XXVIIII, 12.

II. Quandoquidem vero ſplendidae eiuſmodi ac veluti ambitioſae laudationes non facile ab adulatione vacuae eſſe ſolent: multi eas vix putant ferendas *). Enimuero quum virtutem tollere videatur, qui laudem omnem & gloriam remoueri iubet **): malim ego quidem non tam ipſas illas orationes, quam adulationem ſeruilem & paraſiticum veluti oratorum quorumdam obſequium reprehendere ***). An viri ſapientis ſit ſcribere panegyricos?

*) Iam olim optimi quidam principes ſibi dicendos panegyricos ipſi magnopere deprecati ſunt. Peſcennius Niger cuidam panegyricum recitaturo : *Scribe*, inquit, *laudes Marii vel Hannibalis, vel alicuius ducis optimi, vita functi, & dic, quid ille fecerit, vt eum nos imitemur. Nam viuentes laudare irriſio eſt, maxime imperatores, a quibus ſperatur, qui poſſunt necare, qui proſcribere : ego autem viuus placere volo, mortuus etiam laudari.* AEL. SPART. *Peſcenn. Nig.* 11. De Alexandro quoque Seuero, principe optimo, auctor eſt LAMPRID. *in vita eius* 35. *oratores & poëtas non ſibi panegyricos dicentes, quod exemplo Nigri Peſcennii ſtultum dixerit, ſed aut orationes recitantes aut facta veterum, libenter eum audiuiſſe.*

**) Virtutis enim comes eſt laus & gloria, & plerisque non ſolum rerum bene geſtarum praemium, verum etiam incitatrix ad res maiores alacriter ſuſcipiendas conſtantiſſimeque peragendas. Vnde PLINIVS : *poſtquam*, inquit, *deſiimus facere laudanda, laudari quoque ineptum putamus.* CELLAR. *praef. ad Panegyr. vet. XII.*

***) Nonnumquam tamen laus eiuſmodi, quantumuis nimia, non tam adulatio videtur, quam admonitio. Multis ſane PLINIVS ſplendido illo panegyrico ſuo non tam virtutes Traiani celebraſſe, quam eum, qualis eſſe debeat, admonere voluiſſe videtur. Ceterum eleganter laudationis atque adulationis diſcrimen oſtendit LVCIANVS *in apologia* ὑπὲρ τῶν εἰκόνων *Tom. III. p.* 327. *ſequ.* vbi docet, *adſentatorem quaecumque ſui compendii cauſſa laudare, nullaque veritatis ratione habita, ea omnia immodicis laudibus extollenda exiſtimare. Impudenter quoque mentiendo illum plura addere de ſuo, adeo vt non vereatur Therſiten quoque forma turpiſſimum ipſo Achille pulcriorem dicere, & Neſtorem inter omnes eos, quotquot ad Ilium pugnaturi venerint, natu minimum. Perſancte quoque eum deieraturum, Croeſi filium acutiore eſſe auditu praeditum Melampode, praeterea Iphnea acutius cernere quam Lynceam, dummodo ſpes aliqua conſequendi lucri ob mendacium adpareat. Porro autem laudatorem nequaquam mentiri, aut addere aliquid, quod in totum in laudato non compareat, ſed ea, quibus quis natura praeditus ſit bonis, tametſi non admodum magna ſint, extollere : nec lucrum ea laude captare, ſed iuſtum virtutibus pretium ſtatuere*, cetera.

Quinam e veteribus eiuſmodi orationes ſcripſerint?

III. Ceterum in panegyricis conſcribendis e veteribus ingenium exercuerunt PLINIVS *) & duodecim illorum panegyricorum auctores, CL. MAMERTINVS, EVMENIVS, NAZARIVS, AVSONIVS, LATINVS PACATVS **), quos coniunctim poſt alios edidit CHRIST. CELLARIVS ***).

*) PLINII panegyricus arte magna, nec minore dictionis concinnitate compoſitus eſt. In primis vel ideo commendari meretur, quod & ciuilium rerum periti copioſiſſimum prudentiae imperatoriae penu in luculentiſſima illa oratione deprehendunt.

**) Auctores hi pro temporum, quibus floruere, varietate, vario ſtilo vtuntur. Incedunt fere cothurnis, & nonnumquam poëtico magis, quam oratorio dicendi genere delectantur. Laudari tamen meretur artificium oratorium, niſi quod nonnumquam nimis ad ſeruile obſequium ſeſe demittere videntur.

***) Seorſum hos auctores recenſuit, notiſque ac indicibus ſuo more illuſtrauit CHRISTOPHORVS CELLARIVS, *Halae* cIↄIↄccIII. 8.

IIII. Nec deſunt, qui a renatis litteris panegyricos in laudem ſummorum principum ſcripſerunt *). Eminent in his ERASMVS, PIERIVS WINSEMIVS, EZ. SPANHEMIVS, AVG. BVCHNERVS, IO. HENR. BOECLERVS, OCT. FERRARIVS, DAN. EREMITA, ANT. MALAGONELLVS & quidam, quos noſtra hac aetate in hac arte excelluiſſe conſtat **). *Quinam e recentioribus?*

*) Non vna exſtat panegyricarum orationum collectio. Praecipua aliquot voluminibus prodiit *Hanou.* cIↄ Iↄc XIII. 8. ſed orationes non omnes his tomis comprehenſas eiusdem eſſe commatis, recte obſeruauit MORHOF. *Polyhiſt. I, 6. 3. 6. p.* 280. T. I.

Eraſmus. Exſtat huius ERASMI oratio panegyrica ad Burgundum principem, optima, multaque eruditione referta, in cuius etiam ſtilo nihil poterit deſiderari, iudice eodem MORHOFIO *l. c.*

Winſemius. Exſtant huius oratoris panegyrici varii, veluti in laudem Guſtaui Adolphi, regis Sueciae, *Franequ.* cIↄIↄcXXXIII. fol. in exceſſum Henrici Naſſouii, *Franequ.* cIↄIↄcXXXXI. fol. & alii. Guſtaui ſane Adolphi, regis incomparabilis & magni libertatis Germanicae puriorumque ſacrorum vindicis res geſtae plurimorum eruditorum ingenia excitarunt, vt eas aeternitati pro virili conſecrare anniterentur. Neſcio tamen an non palma debeatur DAN. HEINSIO, cuius excellentiſſima de laudibus Guſtaui Adolphi oratio nemini ignota eſt.

Spanhemius. Splendido admodum & plane antiquo ſtilo EZ. SPANHEMIVS laudauit Chriſtinam, Sueciae reginam, *Gen.* cIↄ Iↄ CLII. 4. Exſtat eiusdem panegyricus genethliacus de nato Electori Brandenburg. filio.

Buchnerus. Buchneriana oratione nihil poteſt eſſe ſplendidius, nihil vberius, nihil grauius. Nonnumquam tamen paullo longius a puritate illa caſtitateque terſae Latinitatis diſcedit, quod iam ab aliis eſt obſeruatum.

Boeclerus. Huius variae exſtant orationes panegyricae *Tomo III. diſſertat. academicarum.* Sed agmen facile ducit illa in laudem Chriſtinae reginae, rerum ſummam ſuſcipientis, *Vpſaliae* habita.

Ferrarius. Huius praecipue laudandae ſunt orationes binae, quarum altera in laudem Chriſtinae, reginae Sueciae, conſcripta, ſub titulo *Pallas Suecica*, altera in laudem Ludouici XIIII. regis Franciae, prodiit *Venet.* cIↄIↄCLXVI. 4.

Eremita. Exſtat huius luculentiſſimus panegyricus Coſmo Mediceo, Magno Hetruriae Duci, dictus, de quo multi iudicarunt, ita in eo omnem artis oratoriae adparatum exhauſiſſe DANIELEM EREMITAM, vt, ſi iterum ipſi dicendi obtigiſſet occaſio, nihil ſibi eloquentiae ac artis ſupereſſe, fuiſſet intellecturus. Sed edidit tamen & alterum panegyricum in laudem Ferdinandi Medicei. Recuſos illos cum aliis eiusdem opuſculis habemus *Vltrai.* cIↄ Ic CCI. 8. *cum praefatione* GRAEVII.

Malagonellus. Prodierunt MALAGONELLI orationes *Romae* cIↄIↄCLXXXXVII. 12. ſed facile adparet, eas non tam Ciceronis aliorumque caſtae orationis ſcriptorum facundiam, quam argutum illud Plinii dicendi genus, quod florida ſententiarum varietate aures permulcet, ſapere. Vid. MORH. *Polyh. l. c. p.* 208.

**) Plures aetate noſtra prodierunt panegyrici, quos omnibus his facile oppoſueris. Praecipue tamen in Belgio IO. GE. GRAEVIVS, & P. BVRMANNVS. Helmſtadii CASP. COERBERVS & IVST. CHRISTOPHORVS BOEHMERVS. Vitembergae CONR. SAM. SCHVRZFLEISCHIVS & I. G. BERGERVS. Altorfii Noricorum C. G. SCHVVARZIVS. Halae CHRISTOPHORVS CELLARIVS & NIC. HIER. GVNDLINGIVS, magnam hoc dicendi genere laudem ſibi pepererunt, quamuis fatendum ſit, GVNDLINGII dictionum non vbique veterem illam purita-

tem atque elegantiam, quam in CELLARIO aliisque miramur, redolere. Vnde merentur variae illorum orationes, quae & colligantur, & diurna nocturnaque verſentur manu.

Quotuplices ſint orationes panegyricae?

V. Vt vero, quomodo ſcribendi ſint panegyrici, tanto magis pateat: ſciendum eſt, eos eſſe duorum generum. Alii enim ANALYTICA *), alii SYNTHETICA **), quam vocant, methodo conſcribuntur. VOSSIVS tertium genus addit, quod *mixtum* vocat, *lib. I. cap 9.* †

*) *Analyticam* methodum ſequimur, quoties viri cuiusdam illuſtris hiſtoriam ordine temporis percenſemus. Sic PLINIVS auſpicatus a Traiani adoptione, quae is deinde in imperio geſſerit, paullo adcuratius exponit. Sic & LATINVS PACATVS laudaturus Theodoſium, primum de patria Hiſpania, deinde de patre, tum de dotibus fortunae, hinc porro de virtutibus dotibusque animi, denique de rebus geſtis agit. Et ita quidem plerique ſolent elaborari panegyrici, qui adeo nihil aliud ſunt, quam hiſtoriae vel vitae magnorum virorum, multis ſententiis atque locis communibus, tamquam gemmis quibuſdam, illuminatae.

**) *Syntheticos* panegyricos vocamus, in quibus thema quoddam tractandum ſuſcipitur, quod deinde ex vita hiſtoriaque viri cuiusdam illuſtris illuſtratur. Exemplo eſſe poteſt panegyricus CL. MAMERTINI Maximiano Herculeo dictus, in quo demonſtratur, *Herculeum, quum ad reſtituendam rempublicam a Diocletiano vocaretur, plus tribuiſſe beneficii, quam acceperit.* Vid. *paneg. vet.* I, 3. Hoc thema deinde petitis ex eius hiſtoria vitaque argumentis demonſtrat. Ita & BVCHNERVS Henricum a Friſen laudaturus, magni cancellarii ſiſtit imaginem, eumque & genere nobilem, & virtute ornatum, & auctoritate conſpicuum, & doctrina prudentiaque inſignem eſſe debere, exemplo eius demonſtrat. Ceterum ſynthetica haec laudandi ratio ab ipſo CICERONE inuenta videtur, quippe qui in *oratione pro lege Manilia* eadem fere methodo Pompeium Magnum collaudat.

† (Vbi enarratis his quae ad ortum, pueritiam, adoleſcentiam pertinent, virilis aetatis claſſes quaedam conſtituuntur laudum v. g. vitae publicae & priuatae; prudentiae, iuſtitiae aliarumue virtutum. G.)

Earum argumenta ex hiſtoria petenda.

VI. Quemadmodum ergo declamationibus diſciplinae *), ita panegyricis hiſtoria adparatum ſufficit **): neque quisquam ſcribet panegyricum, niſi qui interiorem viri laudandi vitam atque hiſtoriam in numerato habet.

*) Vid. ſupra *cap.* 2.

**) Siue enim analytica, ſiue ſynthetica methodo panegyricus ſit elaborandus, vtramque paginam facit viri illius (ſ. feminae, quin ciuitatis, populi, &c. G.) cui conſecratus eſt, hiſtoria. Vnde primo omnium ſollicitum de ea eſſe oportet oratorem. Quemadmodum vero ſuperiore capite declamationem ſcripturos res e diſciplinis collectas in certas claſſes ac argumenta diſpeſcere iuſſimus: ita & hic hiſtoria viri, quem laudaturi ſumus, in certas periodos deſcribenda eſt. Et quidem, ſi ſyntheticam methodum eligimus, argumenta iam nota ſunt. Quamuis & hic loci communes ſaepe ex intima philoſophia morali, iurisprudentia naturali, & ciuili maxime prudentia depromendi ſint. Deinde vero diſpiciendum, quid ex hiſtoria vel

vita

vita viri laudandi ad probandam illam orationis partem aliquid conferat. Sin magis placeat methodus analytica: laudandus erit heros noſter a *patria*, *parentibus*, *educatione*, *dotibus corporis*, *fortunae*, *animi*, *rebus geſtis*, *cet.* Quotcumque ergo mihi laudabilia in hiſtoria eius offeruntur, totidem naſci mihi intelligo panegyrici argumenta. (Loci illi *a patria, parentibus &c.* non tantum directe valent, quoties illuſtria & ſecunda commemorare licet; ſed etiam ex contrario, ſi obſcuram & contentam patriam quis illuſtrauit, ſi ex malis ortus, praue educatus bonus ipſe tamen euaſerit &c. Caute tamen iſta, in viuis certe, vel apud illorum poſteros, tractanda ſunt. G.)

VII. Collecto igitur ex hiſtoria adparatu, eodemque in partes aut argumenta diſtributo, ſingulae partes erunt elaborandae. Verum caue hic eodem modo, quo in declamationibus, procedas. Quum enim in his argumentum vnumquodque per ſyllogiſmum vel enthymema oratorium diſponatur *): in panegyricis ſingula argumenta *loco communi* & ipſa *hiſtoria* conſtant **). Singula argumenta conſtant loco communi & hiſtoria.

*) Vide *caput antecedens.*

**) *Locus communis* oſtendit, rem eſſe laudandam; (quod quidem ipſum per ſyllogiſmum nonnumquam perficitur, qui Aetiologiae in Loco communi locum ſubit. G.) *hiſtoria* vero, laudem iſtam in virum illum illuſtrem cadere, demonſtrat. Solet tamen nonnumquam locus communis vel omitti, vel breui certae ſententiae includi. Nonnumquam etiam locus communis hiſtoriae, nonnumquam haec illi praemittitur, aliquando inter ſe miſcentur.

VIII. *Locus communis* facile inuenietur, conſiderato paullo adcuratius argumento *). Quomodo vero elaborandus diſponendusque ſit, iam priore huius opuſculi parte docuimus **). Quomodo loci communes elaborandi?

*) E. g. ſi quis laudandus eſſet a genere, loci communes tractari poſſent, ſplendidos natales multum conferre ad auctoritatem: illuſtri ſanguini ineſſe quosdam virtutis igniculos: incitatrices ad res magnas gerendas eſſe virtutes exemplaque maiorum. (Sic etiam in contrariis de quibus ad §. praec. dictum. G.) Porro ſi de peregrinationibus eiusdem dicendum eſſet: locum inuenirent tractationes de peregrinandi prudentia, de vtilitate peregrinationum, cet.

**) Vide ſupra *lib. I. c. 3. num. 11. ſequ.*

VIIII. *Hiſtoria* ipſa non nuda recenſenda, ſed intermixtis ſubinde iudiciis politicis & moralibus, nec non variis ſimilitudinibus, exemplis, teſtimoniis illuſtranda *). Nihil enim occurrere debet in panegyricis, niſi illuſtre, ſublime, magnificum. Quomodo hiſtoria?

*) Alias enim nihil intereſſet inter hiſtoriam & panegyricum. Hinc vita variis iudiciis & illuſtrationibus, tamquam gemmis, diſtinguenda eſt. Exempli loco proferemus partem panegyrici noſtri, quem ſempiternae memoriae SAMVELIS STRYKII aliquando conſecrauimus. In eo educationem huius viri ita narramus, vt ſubinde intertexamus iudicia quaedam ac illuſtrationes, quas alio charactere a reliqua hiſtoria hic diſtinguemus: *Vix inaeſtimabile hoc coeli depoſitum deoſculati fuerant parentes: vix mirificam filii indolem e iucundis puerilis pru-*

dentiae praeludiis animaduerterant: quum diligenter ac prouide circumſpicerent viros, qui tantae ſpei admouerentur, ingeniumque ad ſumma omnia natum adcuratiſſime formarent. Lentium, non ignobile in Marchia caſtellum, quaſi omne ſibi decus in STRYKII natalibus conſtaret, *non alia ferebat ingenia, quae iuuenilibus ſtudiis praeeſſent. Sed defectum ſuppleuit parentum pietas, qui non detrectarunt peregre alere filium, quem domi adhuc fauſtis ſub penetralibus nutriuerant*: pulcherrimo prodigalitatis genere gloriam hanc lucrati, quod STRYKIVM orbi dederint, quo maius dare nihil potuiſſent. *Miſſus hinc Seehuſium, & mox*, ſchola hac tantum ingenium non diutius capiente, *Coloniam Marchicam, dici non poteſt quam praecoci incremento adoleuerit. In perpoliendo illo honeſtiſſima aemulatione concertarunt Voſſius, Mullerus, Wellius, digni hoc diſcipulo magiſtri*: de quibus identidem cogitanti maxime fit ambiguum, illine STRYKIO, an hic ipſis debere plura videatur. STRYKIO enim illi ad humanitatem optimasque artes: hic illis ad gloriam profuit; illi huic doctrinae ſuffecerunt copias: hic reddidit aeternitatem. O beatum diſcipulum his magiſtris! O beatiſſimos magiſtros diſcipulo tali! *Sexennium iam in ſtudiis iſtis tirocinia ingenii incredibili cum laude poſuerat, talemque ſe praeſtiterat vbique, vt & aequalium generoſorum conatus, & magiſtrorum opinionem ingenio vinceret: reliquum erat, vt vinceret ſe ipſum, eumque campum inueniret, in quo virtus eius excurreret latius, & parta tot vigiliis doctrina mirifice ſe in publico conſpectu explicaret.* Proditum memoriae eſt, Aeſculapii quondam filiis ad commendandam artis auctoritatem ſuffeciſſe, ſi Alexandriae ſe dicerent eruditos. *Eadem tunc erat Leucoridis fama, ad quam, tamquam ad mercaturam bonarum artium, non ſolum e vicinia, ſed & diſſitiſſimis regionibus ingens quotidie multitudo confluebat, exemplum inde petitura melioris cuiusdam cultiorisque doctrinae. Hic grauiora auſpicatus* STRYKIVS, *celeriter antecellere omnibus ingenii gloria viſus eſt.* Quid tam eſt praeter conſuetudinem, quam adoleſcentulum, reipublicae deſtinatum, politiſſima humanitatis ſtudia in academiis excolere? *excoluit*: philoſophiae ſe totum tradere? *tradidit*: his praeſidiis animum ad maiora nitentem praemunire? *praemuniuit. Vidiſſes illum iam in Sperlingii ſcholis caſtioris ſapientiae receſſus curioſe indagantem, iam duce elegantiſſimo Kirchmaiero nouos conatus manſuetioribus litteris impendentem, iam reliquorum philoſophorum inhaerentem ſubſelliis. His meditamentis* NOSTER *praeluſit eruditioni*, quam orbis mox erat admiraturus. Eat in omnis aeui memoriam tam illuſtre exemplum, & pudore ſuffundat poſteros, qui ſuas praecipitando curas, illotis, quod aiunt, manibus ſublimiorum ſcientiarum ſacra turbant, & nouo genere furoris, prius eruditi eſſe volunt, quam erudiri. *Aliud animo ſedit ſapientiſſimo* STRYKIO, *qui quum ad veram Alciatorum, Hotomanorum, Budaeorumque gloriam, non dormitantem illam oſcitantemque gloſſatorum ſapientiam conniteretur; ſtudiis elegantioribus ſelectiſſimam indolem admouit*, quae & fundamentum ſternunt eruditioni reliquae, & ſui neglectum per omnem vitam ſeuera vltione vindicant. Quantum ceteris adoleſcentibus ad ſalutandos amicos, quantum ad corporis exercitationem, quantum ad alias voluptates innoxias, & ad ipſam requiem animi & corporis conceditur temporis; quantum alii tribuunt intempeſtiuis conuiuiis, quantum denique aleae, quantum pilae: tantum ille ſibimet ad haec ſtudia recolenda ſumſit. Cuius quidem conſilii quantos fructus per omnem vitam perceperit, ſi alia deeſſent huius rei argumenta, vel ex ipſo, quod paullo poſt amplexus eſt, iuris prudentiae ſtudio adparuit. *Sublimioribus enim his ſacris initiatus, nihil reliquit intactum, nihil intentatum, nihil, quod non ſagaciſſima mente penetrarit. Siue vaſto iuris Romani mari ſe committeret, ſiue ſe praerupto ſpa-*

tioſiſſi-

tioſiſſimoque legum pontificiarum pelago crederet, ſiue rerum denique ciuilium adſueſceret fluctibus; his ſemper velis ſecurus tam feliciter enauigauit, vt nullis adlideretur errorum ſcopulis, nulla popularium opinionum incurreret breuia, nullas ignorantiae ſyrtes pertimeſceret. Quid ex Zieglero, Lyſero, Klengelio? quid ex Nergero? quid deinde in Viadrina ex Dechero, Brunnemanno aliisque doctiſſimis viris de omni iuris legumque ratione accepit, quod non animo ita praeparato tam facile haeſerit, vt non tam diſcere, quam reminiſci quodammodo & recordari, ex illa vetere Platonis ſententia, videretur? *quam fortunato conatu omnes & Romanae diſciplinae & Germanici iuris rationes & diuortia vaſto animo eſt complexus? Quam nihil ex imperii legibus & inſtitutis ignorare ſe paſſus eſt?* Hunc in modum deformatus & lineis omnibus expreſſus exſcriptusque erat ille STRYKIVS, qui ingenii atque eruditionis magnitudine oculos in ſe non patriae ſolum, ſed vniuerſae Germaniae eſſet conuerſurus. Id tantum ad ſummam laudem reſtabat, vt partes quaedam expolirentur amplius, & inducto veluti colore illuminarentur, vt tamquam in Apellea tabula, ſic in STRYKIO, nihil pulcritudinis aut artificii deeſſet.

X. *Stilus* panegyricorum ſit ſublimis *), grauis **), acutus ***), nonnumquam etiam, ſi ita ferat materiae ratio, concitatus ****). Obſeruandum tamen, ſublimis etiam ſtili certos veluti gradus eſſe. Vnde quo illuſtrior eſt, quam laudamus, perſona; eo ſublimiorem grauioremque eſſe ſtilum oportet *****). Qualis ſit panegyricorum ſtilus?

*) Vide ſupra *part. I. c. 2. num. 46.*

**) Maxime haec grauitas in locis communibus & iudiciis, quae hiſtoriae immiſcenda eſſe diximus, elucet. Vide ſupra *part. I. c. 2.*

***) Attamen vt in omni vita, ita & hic illud adprime vtile eſt, NE QVID NIMIS. PLINIVS & ſequentes panegyricorum ſcriptores, in primis AVSONIVS, plus iuſto indulgent ingenii acumini, quod etiam vbique oſtentant IO. VVOVVERVS & ANT. MALAGONELLVS. Caſtiores ea in re M. ANT. MVRETVS, AVG. BVCHNERVS, IO. GEO. GRAEVIVS, C. G. SCHVVARZIVS, quos merito imiteris. Conf. *part. I. c. 2. num. 63.*

****) Stilus concitatus panegyricorum praecipue in exordiis & concluſionibus locum habet, quoties adfectus mouendi ſunt vehementiores. Conf. *part. I. c. 2. num. 54.*

*****) Quum enim inter rem, de qua diſſerimus, ipſamque orationem quamdam veluti proportionem eſſe oporteat: facile patebit, ſublimiorem eſſe debere ſtilum in panegyrico magno alicui principi conſecrato: paullo remiſſiorem vero, ſi viri vel rerum geſtarum, vel eruditionis ſcientiaeque gloria conſpicui, virtutes ſint celebrandae. Hinc grandiore oratione AVG. BVCHNERVS Guſtaui Adolphi, regis Sueciae & Ioannis Georgii I. Electoris Saxoniae laudes enarrat, quam FRISII, METSCHII, ROEBERI, SENNERTI. Minus hoc obſeruauit IO. HENR. BOECLERVS, cuius oratio paene ſemper eſt eadem.

XI. Ad *exordium* & *concluſionem* quod attinet, nihil ſingulare habent panegyrici, niſi quod in vtraque parte vehementiores moueri ſoleant adfectus, quam qui in declamationibus locum habere poſſunt *). Quid in exordiis & concluſionibus obſeruandum?

*) Nam ſaepe in panegyricorum vel exordiis vel concluſionibus vti ſolemus apoſtro-

apoſtrophis, ſermocinationibus, proſopopoeiis, exclamationibus, aliiſque figuris patheticis, quae in declamationibus non ſolum intempeſtiuae, verum etiam frigidae plerumque eſſent futurae.

CAPUT IIII.

DE DIALOGIS.

I.

Dialogi, etſi hodie rariores, laudem tamen merentur.

IN ſcriptionibus proſaicis, locum haud poſtremum merentur dialogi, qui veteribus non modo *), verum etiam vltimi aeui ſcriptoribus quibusdam **) fuere in deliciis. Et quamuis hodie paene ab vſu receſſerint, digni tamen ſunt ob iucunditatem ac elegantiam, ***) de quibus praecepta nonnulla ****) ſuppeditemus.

*) Summis Graecorum philoſophis ea ſcribendi methodus mirifice placuit. Hodienum exſtant PLATONIS, AESCHINIS & XENOPHONTIS dialogi plane egregii. Nec ignoti ſunt ATHENAEI δειπνοσοφισαὶ, LVCIANI *dialogi*, aliaque huius generis opera. E Latinis in dialogis ſcribendis excelluit CICERO, qui & philoſophica & oratoria ſcripta pleraque hac methodo compoſuit. (VARRONIS *de re ruſtica libri III.* ipſi quoque formam dialogi habent. G.) Exſtat etiam CORN. TACITI vel potius incerti auctoris de cauſſis corruptae eloquentiae dialogus elegantiſſimus, cui iungendus MINVCII FELICIS inſignis dialogus, quo Chriſtianae religionis cauſſam contra gentilium calumnias perorauit. Omitto MACROBIVM, qui (in Saturnalibus G.) ATHENAEVM, (in δειπνοσοφισῶν libris G.) non infeliciter imitatus eſt, & alios.

**) Recentioribus paullatim vel diſplicere, vel ignota eſſe coepit haec ſcribendi ratio. Neque tamen nulli aliquid ea in re auſi ſunt. Nam ut colloquiorum ſcriptores omittam, & qui in vernacula eiusmodi quid tentarunt; non inuenuſti ſane ſunt dialogi quidam M. ANT. MAIORAGII, IANI NICII ERYTHRAEI, IVSTI LIPSII.

***) Quemamodum enim omnis imitatio habet, quod nos capiat atque oblectet: ita non poteſt non dialogus cum voluptate legi, qui doctorum virorum mores, vrbanitatem diſſerendique rationem veluti in theatro ſiſtit. Nec iucunditate ſolum, ſed & vtilitate ſua, nonnumquam ſe commendant dialogi. Quum enim veritates nonnullae ita ſint comparatae, ut ſi nudae ac ſine inuolucro ſiſtantur, animo parum compoſito duriores videri poſſint: conſultiſſimum erit, argumentis in vtramque partem adlatis, de iis diſputare, & lectori permittere iudicium. Cui rei maxime inſeruient dialogi. Vnde facile patet, cur GALILAEVS a GALILAEIS librum de ſyſtemate mundi dialogiſtica, quam dogmatica, methodo conſcribere maluerit. Et neſcio ſane, an non id innuere voluerit QVINCTILIANVS, quando dialogis libertatem adſcribit, *lib. X. c.* 5. *Quapropter hiſtoriae nonnumquam vbertas in aliqua exercendi ſtili parte ponenda, & dialogorum* LIBERTATE *geſtiendum.* Quamuis enim ibi pro *libertate* Voſſiani codices habeant *vbertate*: tamen quum id vocabulum iam paullo

ante

ante adhibuerit ſcriptor elegantiſſimus, non ſane veroſimile eſt, eum illud hic repetere voluiſſe.

****) Equidem iam olim elegantem de dialogo librum edidit CAR. SIGONIVS ad Io. Moronum, cardinalem, excuſum *Venet.* cIↃIↃ LXII. & *Lipſ.* cIↃIↃLXXXXVI. in 8. Sed ille hiſtoricus potius & criticus eſt, quam rhetoricus, quod & de GEORGII PASCHII diatriba de vſitata veterum exemplo ratione tradendi per dialogos, *Kilonii*, cIↃIↃCC. 4. edita, dicendum videtur.

Dialogus quid ſit?

II. *Eſt* vero DIALOGVS *fictum *) inter viros doctos **) colloquium, quo variae de materia quadam dubia ſententiae ***) expenduntur.*

*) Pleroſque ergo dialogos ſermones perſonis tribuere, quos numquam inter ſe habuere, ſatis conſtat. Ac proinde SOCRATES, viſo PLATONIS Lyſide: *Proh Dii immortales*, inquit, *quam multa de me mentitur adoleſcens!* DIOG. LAERT. III. 35. Non magis veras eſſe, quae in LVCIANI, CICERONIS, aliorumque veterum dialogis viris ſummis tribuuntur, orationes, facile vnusquisque, qui in his non plane hoſpes eſt, intelliget. (CIC. Fam. IX. 8. ad Varronem, *Puto fore, vt cum legeris mireris, nos id locutos eſſe inter nos, quod nunquam locuti ſumus. Sed noſti morem dialogorum.* G.)

**) Extant etiam dialogi, in quibus Dii vel mortui in campis Elyſeis inter ſe confabulari finguntur, quales e veteribus LVCIANVS confecit. (Cuius etiam meretrices & ſutores & galli adeo colloquuntur. G.) Hos POETICOS dicere poſſis ob ingenioſam fictionem, quae hic vtramque paginam facit. Sed quum ob futiles libellos noſtra memoria hac methodo ſcriptos hi dialogi fere ridiculi facti ſint: iis iam quidem non immoramur.

***) Equidem, quemadmodum familiares de rebus variis inter ſe caedunt ſermones: ita & dialogos de rebus omnibus conſcribi poſſe, nemo dubitauerit. Sed quum hic de iis potiſſimum agamus colloquiis, quae inter viros eruditos habita finguntur, hi vero non videantur de lana caprina ſermocinari: aptiſſimam dialogis materiam ſuppeditabunt quaeſtiones dubiae, de quibus in vtramque partem ſolet a viris doctis diſputari. Sic CICERO modo diuerſas de Diis ſententias, modo ancipites veterum de diuinatione diſputationes, modo quaeſtiones de fato, vel de ſumma hominis felicitate, examinat paullo adcuratius.

Quotuplices ijſi ſint?

III. Quamquam autem multiplices ſunt dialogi *): praecipue tamen hic obſeruandum, alios HISTORICOS **) eſſe, alios COMICOS ***). Quae diuiſio non ab obiecto, ſed a forma vel ſcribendi ratione, deſumitur.

*) Sic PLATONIS dialogi vulgo diuidi ſolent in φυσικοὺς, qualis eſt *Timaeus*; ἠθικοὺς, qualis eſt *Apologia Socratis*; λογικοὺς, quales ſunt *Theages*, *Cratylus*, *Sophiſta*, *Laches*: ἐλεγκτικοὺς, quales *Parmenides & Protagoras*; πολιτικοὺς, quales *Criton*, *Phaedo*, *Minos*, *Sympoſion*, *Leges*, *Menexenus*, *Clitipho*, *Philetus*; πειραστικοὺς, quales *Euthyphron*, *Meno*, *Ion*, *Charmides*; μαιευτικοὺς, qualis *Alcibiades*; ac denique ἀνατρεπτικοὺς, quales *Hippias*, *Euthydemus & Gorgias.* Vid. ALBINI *introd. in Platonis dialog. n.* 5. apud FABRIC. *Biblioth. Graec.* III, 2. *p.* 46.

**) *Hiſtoricos* dialogos voco, in quibus, quid inter perſonas actum ſit, hiſtorice narratur. Tales ſunt CICERONIS dialogi

dialogi de oratore, de finibus, de diuinatione aliique, in quibus tum occaſio colloquii, tum ipſi, qui inter amicos vltro citroque habiti ſunt, ſermones hiſtorice enarrantur.

***) *Comicos* adpello dialogos, vbi, ſine narratione, ſermones perſonarum, directa oratione, proponuntur. Tales ſunt CICERONIS dialogi *de legibus*, vt & eiusdem *Topica ad Trebatium*, nec non *partitiones oratoriae*. PLATONIS etiam, LVCIANI & ERASMI dialogi plerique ſunt comici.

Quales perſonae eligendae in dialogis hiſtoricis?

IIII. Ad hiſtoricos quod adtinet dialogos, primo omnium eligendae ſunt perſonae, & quidem tales, quae vno eodemque tempore vixerunt *), & quas ita loquuturas fuiſſe veroſimile ſit **).

*) Ridiculum ergo eſſet v. c. Abrahamum, Petrum & Mahumedum colloquentes introducere, qui quum eodem tempore haud vixerint, nec colloqui profecto inter ſe potuerunt. Et tamen ne PLATO quidem ſibi ab hoc vitio temperauit, qui in *Timaeo* philoſophum hunc Pythagoraeum introducit colloquentem cum Socrate, quos tamen *eodem ſaeculo haud vixiſſe*, iam MACROB. *Saturn.* I, 1. obſeruauit, quamquam & CICERO *de finib. V.* eum a Platone auditum referat. Immo & Socratem cum Parmenide, cuius pueritia vix Socratis ſenectutem adprehenderit, & Paralum ac Xanthippum, Periclis filios cum Protagora committit Plato, quum illos multo ante infamis illa peſtilentia Athenis abſumſiſſet. MACROB. *ibid.* (In dialogis mortuorum maior hic licentia, cum apud inferos vna eſſe fingi queant, qui totis ſaeculis alioquin fuere ſeiuncti. G.)

**) Vt vbique, ita & hic τὸ πρέπον vtramque paginam facit. Hinc ludibrium deberet lectoribus, qui e. g. *Auguſtum* & *Liuiam* de ſubſtantiae definitione, aut de vſu ſyllogiſmorum loquentes introduceret. Quis enim credat, par iſtud coniugum de quaeſtionibus eiusmodi leviſſimis inter ſe diſſeruiſſe? Peccauit ea in re ipſe CICERO. Quum enim in quaeſtionibus Academicis Lucullum & Catulum introduxiſſet loquentes, ab Attico monitus, tantos † viros de rebus eiusmodi colloquutos, vix eſſe veriſimile, mutavit conſilium, aliasque perſonas elegit.

† (Pro illo *tantos* rectius dictum eſſet *hos*. Nemo tum tantus, quem non deceret diſputare de argumento Academicorum. Sed ſcilicet Lucullus & Catulus hoc genus litterarum non amabant. G.)

Quot partibus illi conſtent?

V. Partes eiusmodi dialogorum tres numeramus, παρασκευὴν, (*exordium*) ἀγῶνα (*tractationem*) καὶ ἐπίλογον (*epilogum*) *).

*) Παρασκευὴ occaſionem colloquii, ἀγὼν ipſum colloquium, ἐπίλογος denique, quomodo illud abruptum ſit, enarrat.

Qualis ſit παρασκευὴ?

VI. Παρασκευὴ partim *prologo* *), partim *narratione* **) conſtat, tametſi prologus non ſemper videatur neceſſarius.

*) *Prologus, nihil aliud eſt, quam totius dialogi exordium*, quod vel ab ipſa re, vel a circumſtantiis loci, temporis, perſonarum, poteſt deſumi. Sic CICERO dialogos de diuinatione auſpicatur a vetere quaeſtione, an ſit diuinatio quaedam praeſenſioque rerum futurarum? Dialogis de natura Deorum prologum a philoſophorum diſſenſu de exſiſtentia & natura Deorum praemittit. In principio librorum de legibus, de laudibus municipii Arpinatis; alibi de laudibus Luculli & Hortenſii diſſerit. (Tanta ſuauitas eſt horum prologorum

logorum, quae tenere etiam illos poſſit, quibus de caetero longum eſt ipſos Dialogos legere. G.)

**) *Narratio* quaſi viam pandit ad colloquium, & qualis fuerit ſermocinandi occaſio, enarrat. Dicendum ergo, ubi viri iſti congreſſi ſint, & qua occaſione in hanc diſputationem inciderint. Ingenio ergo non magis, quam iudicio, hic opus eſt, ne quid fingamus, quod circumſtantiae non ferant.

VII. *Prologus* non aliter, quam quodcumque aliud orationis exordium, elaboratur *). *Narratio* vero ordinem temporis obſeruat, adeoque, quid anteceſſerit, quidue conſequutum ſit, ſigillatim exponit **). Ea conſtat prologo & narratione.

*) Quemadmodum ergo orationis exordium *protaſi*, *aetiologia*, *apodoſi* & *baſi* abſoluitur: ita eaedem partes in dialogorum prologis obſeruantur. Id quod vel vnico exemplo demonſtrare iuuat: CICERO *de nat. Deor. I*, 1. in prologo huius dialogi diſſenſum philoſophorum de Deorum exſiſtentia & natura hoc ordine exponit.

I. PROTASIS. *Magna ſemper fuit inter philoſophos contentio de natura Deorum.*

II. AETIOLOGIA. *Diſputant enim*

I. *de exiſtentia Deorum.*

II. *de eorum eſſentia.*

III. *de prouidentia.*

III. APODOSIS. *Et tamen haec quaeſtio maximi momenti eſt.*

IIII. BASIS. *Hinc philoſophiae me ſedulo dedi, & maxime amaui academicam, quae nihil temere adfirmat. Vnde etiam methodo academicorum de natura Deorum diſputabo.*

Habes hic omnes exordii partes, ad quas facile etiam reliquorum dialogorum prologos licebit reuocare.

**) Hinc vulgo aiunt, *narrationem* conſtare *antecedentibus*, *concomitantibus*, & *conſequentibus*. CICERO eodem dialogo ita narrationem diſponit.

I. ANTECEDENS. *Veni ad Cottam feriis Latinis, & inueni diſputantem cum Velleio Epicureo & Balbo Stoico.*

II. CONCOMITANTIA. *Tum me Cotta inuitauit ad diſputandum.*

III. CONSEQVENS. *Facile ei aſſenſus, primo Velleium rogaui ſententiam.*

Elegans in primis eſt παρασκευὴ, quam Octauio ſuo praemiſit MINVCIVS FELIX. Exorſus enim a laudibus Octauii Chriſtiani, deinde narrat Caecilium, Deorum cultorem, Octauio familiariſſimum, ſalutatum hunc veniſſe, quocum hic ad maris litus deambulatum exierit. In via Caecilium incidiſſe in ſimulacrum Serapidis, quod quum more maiorum veneraretur, Octauium monitum eſſe a Minucio, ne pateretur familiarem diutius in tanta re errare. Hinc occaſionem illis natam de religione diſputandi.

VIII. Ἀγὼν ipſum enarrat colloquium. Vbi obſeruandum, varias de quaeſtione ſententias inter perſonas colloquentes eſſe diſtribuendas *). Primae partes plerumque deferuntur perſonae, quae opinionem vel vulgarem, vel paullo abſurdiorem defendit **). Vbi haec perſona dixit ſententiam, altera reſpondet, & prioris argumenta partim probat, partim refellit, &, quid ſibi videatur, exponit ***). Idem & reliquae, ſi plures ſint, perſonae faciunt. Accedit nonnumquam veluti arbiter, qui totam litem componit ****). Quid ſit ἀγών?

*) Hanc regulam adcurate plerumque obſeruat CICERO. Sic in dialogo de natura Deorum alium ex mente Epicureorum, alium ex ſententia Stoicorum,

corum, alium ex Platonicorum principiis de Diis diſſerere fingit. Ita & MINVCIVS FELIX Caecilio partes paganorum, Octauio Chriſtianorum tribuit.

**) Hinc in CICERONIS ſaepe laudato dialogo VELLEIVS Epicureus, in MINVCII FELICIS Octauio Caecilius, Deorum cultor, prior dicit ſententiam.

***) Hic quoque exemplum lucutentiſſimum dabit MINVCII FELICIS dialogus, in quo Octauius Caecilii argumenta non ſolum adcurate refellit, ſed & pro Chriſtiana religione copioſius diſſerit.

****) Ita eodem dialogo MINVCIVS FELIX veluti arbitri partes in ſe ſuſcipit. Sed obſeruandum, arbitro eiuſmodi locum vix eſſe in dialogis CICERONIS. Quum enim hic academicorum ſcholae dediſſet nomen, qui nihil temere adfirmabant: facile patet ratio, cur numquam componat litem, ſed lectores veluti ſub cultro relinquat.

Qualis epilogus? VIIII. *Epilogus* plerumque breuiſſimus eſt, & tantum, quomodo interruptum ſit colloquium *), aut quid rei conſequutum ſit **), enarrat.

*) Hic quoque aliquid, quod veriſimile ſit, fingendum, v. c. acceſſiſſe amicum, qui alio ſermonem inflexerit, vel itum eſſe ad coenam, in qua aliis de rebus in multam noctem confabulati ſint, cetera.

**) Sic MINVCIVS FELIX in epilogo narrat Caecilium Octauii oratione permotum, profanas de religione ſententias eieraſſe, & chriſtianae eccleſiae dediſſe nomen.

Quales perſonae eligendae in dialogis comicis? X. Dialogi *comici* non hiſtorice narrant, quid inter ſe ſermocinati ſint amici, ſed tantum directa oratione, vt comici ſolent, ſingulorum orationem proferunt, praemiſſis ſemper perſonarum nominibus *). Quo fit, vt veluti κατ' ἐξοχὴν *colloquia* vocentur eiuſmodi dialogi.

*) Quum in dialogis *hiſtoricis* plerumque perſonae verae introducantur inter ſe colloquentes: in comicis nomina fere finguntur, quamuis & hic laudem mereatur ὀνοματοποιΐα, quae characterem perſonarum quodammodo exprimit, qua in re PLAVTVS in primis mirus fuit artifex.

Quot partibus illi conſtent? XI. Haec quoque colloquia παρασκευῇ, ἀγῶνι & ἐπιλόγῳ abſoluuntur. Verum παρασκευὴ nec prologum nec narrationem complectitur, ſed tantum ipſum oſtendit ſermonis initium, & quo ordine colloquentes in hos ſermones inciderint *).

*) Sic ERASMVS colloquium de peregrinationibus religioſis inchoaturus, fingit peregrinantem quemdam, domum redeuntem, in amicum incidere, qui illum blande ſalutatum de itinere percunctatur. Quumque inter alia hic quaerat, quem inde fructum ceperit, occaſio illis ſubnaſcitur de peregrinationibus religioſis liberius confabulandi. Elegans eſt illud ERASMI colloquium, & quod vna cum eiuſdem ἰχθυοφαγίᾳ palmam reliquis omnibus praeripere exiſtimo. Vnde illud colloquendi artificium ex his quam optime addiſci poſſe videtur. (Sed CICERO etiam *Tuſculanae* diſputationi *primae* praemittit Exordium: deinde, *Sed quo commodius*, inquit, *diſputationes noſtrae explicentur; ſic eas exponam, quaſi agatur res, non quaſi narretur.*

Ergo

Ergo ita naſcetur Exordium. A. Malum mihi videtur eſſe mors &c. G.

XII. *De ſtilo dialogorum* non eſt, quod hic plura moneamus, quum illum iam ſupra *) ſatis adcurate deſcriptum meminerimus. Illud tantum addo, hic quoque perſonarum, quas loquentes introducimus, habendam eſſe rationem, ne vel pueris cothurnos, vel Herculi ſoccos aptemus **). Qualis dialogorum ſtilus?

*) Vid. *part. I. c. 2. num.* 58.

**) Alius enim dicendi character viro erudito: alius indocto, alius viro honeſto, alius paraſito, alius Thraſoni competit. Hac quoque in re parem vix habent LVCIANVS, PLAVTVS, & TERENTIVS, quibus nemo fere diuerſos perſonarum characteres ipſa etiam forma ſtili adcuratius expreſſit. Contra ea PLATO, cuius ſtilo omnes tantam tribuerunt laudem, vt ipſum Iouem, ſi Graece loqui vellet, Platonis oratione vſurum ſomniarint, vbique eumdem ſeruat ſtili characterem, eamdem orationis vbertatem, eaque re multum venuſtatis dialogis ſuis detrahit. (Diſcrimen perſonarum ſeruat etiam PLATO: ſed nimirum apud eum omnes philoſophantur: vnde non tanta poteſt eſſe, quanta in Luciano, varietas. G.)

CAPVT V.

DE INSCRIPTIONIBVS.

I.

PRoſa oratione etiam *inſcriptiones* conficiuntur, quae cum vltimis potiſſimum temporibus, id eſt, patrum noſtrorum memoria, nouam veluti faciem induerint *), recte in *antiquas* & *nouas* diſpeſci poſſunt. Inſcriptiones vel veteres, vel nouae.

*) Quales veteres fuerint inſcriptiones, ſatis adparet e tot marmoribus, quorum epigraphas collegerunt IAN. GRVTERVS, THOM. REINESIVS, RAPH. FABRETVS, IO. BAPT. FERRETIVS, IAC. SPONIVS, IAC. PHIL. TOMASINVS, SERTOR. VRSATVS, IAC. SALOMONIVS, ONVPHR. PANVINIVS, MARC. VELSERVS, PHIL. A TVRRE, CAR. CAES. MALVASIA, IO. VIGNOLIVS, nuper etiam SCIP. MAFFEIVS *in Antiquitatibus Galliae*, & MAIANSIVS in *epiſtolis*, aliique quam plurimi. Vt iam non dicam de noua MARQVARDI GVDII collectione, quae Leonardiae typis Halmianis excuſa, prodiit tandem cIↄIↄCCXXXII. (Et de tribus operibus, quibus ANTO. FRANC. GORIVS locupletauit ſaeculum, nempe *Inſcriptionibus* iis, quas DONIVS collegerat, tum *Etruſcis*, ac denique *Columbario* ſ. *monumento Libertorum Liuiae Auguſtae*. G.) At poſtremis temporibus aliud in vſu eſſe coepit inſcriptionum genus, ex meris argutiis conflatum, quod cum vetere illo nihil habet commune, niſi quod auctores & harum inſcriptionum breues longaſque lineas promiſcue ponere ſolent. Quum enim ob poëtarum ineptias ipſa carmina, quantumuis nitida, ſordere

coepiſſent viris grauibus. (Quidſi etiam hoc addas; Cum ob difficultatem diuinae artis carmen deſperarent quidam, ingenii laudem captantes viri? G.) coeperunt illi aliquid reperire inter orationes & verſus medium, &, loco carminum, cudere inſcriptiones argutas. Auctores huius rei Itali, inter quos mirifice hoc ſiue inſcriptionum, ſiue elogiorum genere delectati ſunt LAVR. PIGNORIVS, IAC. SALIANVS, EM. THESAVRVS, OCT. FERRARIVS, IO. PALATIVS aliique, quos deinde & Galli, Germani, ceteraeque nationes imitari non dubitarunt. Parum honorifice tamen de nouo hoc inſcriptionum genere ſentiunt eruditi, quotquot ſunt antiquae elegantiae tenaciores. Nam praeterquam quod exemplo veterum deſtituuntur: neſcio quid declamatorium & ſophiſticum ſapit argutus ille inſcriptionum ſtilus, nec magis virum grauem decet, quam veſtis auro gemmiſque operta. Vid. BOECLERI *Muſeum tom. III. diſſert. acad. p. 337. ſequ.* MORH. *diſciplin. argut. III, 4. p. 180. ſeq.*

Veterum exemplo conſcriptae quando hodie locum inueniant?

II. *Veteres* hodie imitamur, quoties in portis, propugnaculis, pontibus, aliiſque publicis operibus inſcriptiones ponendae ſunt *). Idem ſtilus lapidaris maxime ornat epitaphia **), cenotaphia ***), & alia huius generis monimenta.

*) Non temere vllum opus publicum exſtruxere Romani, quod non addita inſcriptione aliqua veluti conſecrarint. Illud & hodie imitantur principes, famae ſuae ſtudioſiores, vt vel ex ſolis illuſtriſſimi auctoris MONIMENTIS PADERBORNENSIBVS liquet. Sic & hodie ſaepius titulis eiuſmodi ornantur portae vrbium aediumque publicarum, catarractae, arcus triumphales, pontes, aliaque opera publica, qualia exempla paſſim exſtant in EM. THESAVRI *inſcriptionibus*. Hic vero caue nouas illas inſcriptiones, quarum ſuperiore paragrapho mentionem fecimus, imiteris. Exigit enim temporum noſtrorum elegantia, vt veterem potius illum ſtilum lapidarem exprimere conemur.

**) Neque enim probantur eruditis epitaphia hodierna, in quibus praeter vitae mortiſque hiſtoriam, & aliquot ſententias e ſcriptura ſacra depromtas, nihil omnino occurrit, quod placeat. Imitandi & hic veteres, quorum epitaphia & breuitate concinnitateque, & interdum etiam acumine, ſed non anxie quaeſitis argutiis, ſeſe lectoribus commendant. Plura eiuſmodi monimenta exſtant apud GRVTERVM, REINESIVM, SPONIVM aliosque, e quibus optima quaevis ſeligi oportet, quae imitemur. Neque enim negari poteſt, alia ſequioris aeui inquinatam Latinitatem; alia vel auctorum vel lapicidarum ruditatem redolere.

***) Cenotaphia ab epitaphiis quomodo differant, nemo ignorat. EPITAPHIVM *eſt titulus vero ſepulcro ſuffixus*; CENOTAPHIVM *inſcriptio ſepulcro honorario adiecta*. Talia ſepulcra honoraria ſunt monimentum illud Druſi Moguntinum, vulgo *der Eichelſtein*, & celeberrimum cenotaphium Piſanum, Caii & Lucii Caeſarum memoriae poſitum, quod ſingulari eoque pererudito commentario illuſtrauit doctiſſimus Romanae eccleſiae cardinalis HENRICVS NORISIVS, *Venetiis*, cIↃIↃCLXXXI. *fol.*

In iis quid obſeruandum?

III. Vt vero ſtilum lapidarem veterem paullo adcuratius exprimamus, quaedam tum circa *materiam*, *diſpoſitionem*que, tum circa *eloquutionem* ac *orthographiam* monenda ſunt.

IIII. *Ma-*

IIII. *Materiam* facile ſufficiet occaſio. Nemo enim non videt, ſi verbi gratia aedificium publicum inſcriptione vel titulo notandum ſit, tunc finem, cauſſam efficientem, & tempus in eiuſmodi monimento eſſe exprimenda *). Non temere tamen inſcriptio publica poni ſolet, in qua non Principis honorifica fiat mentio **). Earum materia.

*) Sic e g. muris Veronenſibus haec inſcriptio addita reperitur apud GRVTER. *Inſcript. pag.* CCXVI. 12.

COLONIA. AVGVSTA. VERONA.
NOVA. GALLIENIANA.
VALERIANO. II. ET. LVCILLO. COSS.
MVRI. VERONENSIVM.
FABRICATI.
EX. DIE. III. NON. APRIL.
DEDICATI. PRID. NON. DECEMBR.

Habes hic murorum finem, ſcilicet vt praeſidio eſſent coloniae Veronenſi: habes cauſſam, vel certe quibus conſulibus Romanis id factum ſit, habes denique aedificationis ac dedicationis tempus. Omnia enim haec ſcire poſteritatis intererat.

**) Quaecumque in monarchia geruntur, Principis geruntur auſpiciis. Vnde non facile praetermitti ſolet grata ac honorifica eorumdem mentio. Quid? quod legibus cautum ſit, ne priuatorum nomina operibus publicis inſcribantur, ſed principum, *l.* 3. *D. de operib. publ.* niſi priuati ſumtus in illa feciſſent, *l.* 2. *§.* 2. *l.* 3. §. 2. *D. eod.* Notandum tamen, adulationem illam, quam in Romanis poſterioribus vbique animaduertimus, ex inſcriptionibus etiam paſſim elucere. Nihil enim frequentius eſt loquutionibus: DEVOTVS NVMINI MAIESTATIQVE EIVS, DIVINA EIVS PROVIDENTIA, cet. (*Vbi* tamen obſeruandum, alio ſenſu haec talia de principibus dicta, alio de aeterna natura, quam deum vocamus. G.)

V. Ad diſpoſitionem quod adtinet, a *publicis monimentis* ſeiungere ſoleo *epitaphia*, quo olim & inſcriptiones priuatorum ſtatuis ſubiectae pertinebant: quamuis vti antiquioribus temporibus inſcriptiones vel titulos ſtatuarum plane ignorabant, & pleroſque a poſteris demum additos eſſe obſeruat IAC. PERIZ. *Animadu. hiſt.* c. 7. *p.* 302. *ſequ.* ita & iam pridem exoleuit mos ille priuatis dedicandi ſtatuas. In EPITAPHIIS plerumque praemittitur CONSECRATIO *), cui deinde ſubiungitur MORTIS vel SEPULTURAE mentio **). Hinc porro ſequitur NOMEN defuncti ***), cui ELOGIUM aliquod breue & acutum ****) addi ſolet. Accedit poſtea DIES EMORTUALIS & defuncti AETAS. Nonnumquam & ALLOQVVTIO vel ad defunctum *****), vel ad viatorem ******), ſubiicitur. Quibus omnibus denique ſubiungitur NOMEN illius, qui iſtud monimentum fieri curauit †). Reliqua, tamquam πάρεργα, merito praetermittimus ††). Earumdem diſpoſitio, & quidem epitaphiorum.

*) CONSECRATIO illa vel dedicatio ſaltim non temere omittebatur a Romanis, apud quos ſepulcra pontificii iuris, adeoque religioſa, putabantur. Vid. *antiqu. Rom. iuris prud. ciuil. illuſtrant.* II, 1. 4. *p.* 409. Quum vero illa dicata dicerentur Diis inferis: ſemper fere epitaphiis praemitti ſolebant litterae: D. M. id eſt, *Dis Manibus*, vel: D. M. S, *Dis manibus ſacrum*,

item : D. I. M.S. *Dis inferis manibus ſacrum*, IAC. GVTHER. *de iure man. III*, 1. Verum quum apud nos ſuperſtitionem illam iam pridem expulerit ſanctior religio : conſecratio illa in Chriſtianorum epitaphiis vel plane omitti, vel certe in has litteras inflecti poteſt : D. O. M. S. vel. D. O. M. id eſt, *Deo optimo maximo ſacrum*, vel : *Deo optimo maximo.*

**) Solet haec elegantiore aliqua phraſi exprimi v. g. MORTALE, QVIDQVID HABVIT, HIC DEPOSVIT. ADSTAS VIATOR TROPAEO. SITAE SVNT SVB HOC MONIMENTO EXVVIAE, cet.

***) Hic quoque cauere ſolent antiquae elegantiae ſtudioſiores, ne nomina longo titulorum ſyrmate onerent. Sic Principis titulum veteri exemplo ita liceret reddere : INCOMPARABILIS PRINCEPS, vel : IOSEPHVS, IMP. CAES. AVG. P. P., vel : PRINCEPS PIVS, FELIX, AVG. P. P. vel : CAROLVS IMP. CAES. AVG. GERMANICVS. GALLICVS. HISPANICVS. ITALICVS. HVNGARICVS. TVRCICVS. (Notandum, a deuictarum gentium nominibus hos titulos ſumtos. Itaque nec HISPANICVM, nec ITALICVM, nec HVNGARICVM, minime omnium GERMANICVM, ex iſta ratione vocari Carolum debuiſſe. Ciuilia bella nec triumphum nec nomen dabant. Potius itaque conſueta & ſolennia titulorum verba hic ſeruarem. G.) Talia etiam ſunt elogia : PRINCEPS IVVENTVTIS, PRINCIPIS AMICVS, PRINC. A SECRETIS, AB EPISTOLIS, cet.

****) Id quo breuius atque acutius, eo erit elegantius. v. c. INCOMPARABILIS EXEMPLI FEMINA, QVAE NVMQVAM MARITVM, NISI MORTE, TVRBAVIT. PVER VENVSTVLVS, IPSISQVE GRATIIS AMABILIOR. PRINCEPS IMMORTALITATE DIGNISSIMVS, SI ALIVD AD AETERNITATEM ITER PATVISSET. AMOR DELICIVMQVE GENERIS HVMANI. QVEM AVT NASCI NVMQVAM, AVT NVMQVAM MORI OPORTVISSET, cet.

*****) Talis eſt vetus illa : HAVE BEATISSIMA ANIMA, NOS TE EO, QVO QVEMQVE NATVRA IVSSERIT, ORDINE CVNCTI SEQVEMVR. Talis etiam formula in antiquis monimentis frequentiſſima : H. S. E. S. T. T. L. *hic ſitus eſt : ſit tibi terra leuis.* GRVT. *Inſcr. p.* CCCXXI, *6. p.* DCLXXV, 10. *p.* DCXCIII, 8. *p.* DCLXXVI, 1. *p.* DCCII, 10. *p.* DCXCV, 9. Quemadmodum vero his locis omnibus litterae tantum ſingulares occurrunt : ita tota formula expreſſa eſt apud eumdem *p.* DCCCXLIII, 1. *p.* DCCXVII, *9. p.* DCCLXXXV, 3. Add. MARTIAL. *Epigr. V*, 34. & *VIIII*, 30. Sunt & aliae formulae adloquendi cineres : HAVETE ANIMAE, REINES. *claſſ. XIII*, 70. HAVE DVLCIS, DVLCIS VALE, REINES. *claſſ. XIIII*, 192. SALVE, HAVE, VALE, GRVTER. *p.* DCXCI, 6. *p.* DCCLXIX, 4. REINES. *claſſ. XIIII*, 31. ΘΑΡΡΕΙ, ΘΑΡΣΕΙ, ΕΥΘΥΜΕΙ, ΘΑΡΡΕΙ ΚΑΙ ΘΥΜΟΝ ΕΧΕΙ ΑΓΑΘΟΝ, REINES. *praeſ. p.* 8. & *claſſ. XIIII.* 31. GRVT. *p.* CIϽCXX, 4. *p.* DCCCCXXXIII, 11. HELIOD. II, 1. III, 1. ΕΜΨΥΧΕΙ ΣΥΝ ΤΟΥ ΟΞΙΡΙΔΟΣ, REINES. *inſcript. praeſat. p.* 8.

******) Sepulcra Romani ſolebant condere in agris iuxta vias, vbi & ſpacium quoddam, ſepto plerumque cinctum, religione occupari credebatur. Vid. *antiqu. Rom. iuriſpr. illuſtr. II*, 4. *p.* 409. *ſequ.* Hinc tam frequens viatorum mentio in epitaphiis Romanis. (hodie plerumque abſurda. G.) Saepe etiam defuncti viatores adloqui, & de communi mortalitate rerumque omnium vanitate admonere fingebantur. Tales ſunt elegantes illae adloquutiones : NON FVI, FVI, NON SVM, ERO. VIXI, VT VIVIS, MORIERIS, VT SVM MORTVVS. SIC VITA TRVDITVR. SOLVS CVRSIM QVAERIS, VT CENSORIO ILLO DIE TANTO FACILIVS SINE IMPEDIMENTO RESVRGAM, quamuis hanc formulam non antiquam, ſed poſt renatas litteras inuentam eſſe, facile

cile pateat, idque praeclare demonſtratum ſit a TH. REINESIO in *praefat. inſcriptionum*. Adde & hanc, quae in pueri ſepulcro locum habere poſſet: QVVM FATA INTERCIPIANT PVEROS, TIBI QVID EXSPECTANDVM SIT, MEMENTO. Aliquando & colloquium aliquod inſtituitur inter defuncti cineres & viatorem: BONVS HOMO SICVT ET TV. ΧΡΗΣΤΗ ΧΑΙΡΕ, ΚΑΙ ΣΥΓΕ. Exempla habet REINES. *Claſſ. XII. Inſcr. I. p. 606.* Eſt vbi aliquid rogare fingitur defunctus a viatore, veluti: NEMO NOS INQVIETET, REINES. *claſſ. XII*, 60. ET QVICVMQVE TITVLVM NOSTRVM RELEGES, ROGO PER SVPEROS, SIC VT AD INFERNAS PARTES RECIPIARIS, NE VELIS TRIBVS SEPVLCRIS MOLESTARI, REINES. *claſſ. XIIII*, 33. ROGO PER SVPEROS, QVI ESTIS, OSSA MEA TVEATIS, pro *tueamini*, REINES. *claſſ. XVII*, 170.

†) In hac ſubſcriptione plerumque neceſſitudo, quae inter defunctum & ſuperſtitem interceſſerat, vel cauſſa, cur monimentum poſitum ſit, exprimitur. Tales ſunt formulae: PARENTI OPTIMO ET B. D. S. M. (id eſt, *bene de ſe merenti*) C. CRISPVS FILIVS, HOC MONIMENTVM L. L. Q. (id eſt, *lubens lugenſque*), vel CVM LACRVMIS POSVIT. PATRVO B. D. S. M. C. MANLIVS EX TEST. F. F. vel F. C. id eſt, *ex teſtamento fieri fecit*, vel *faciundum curauit*. Paullo maioris momenti ſunt litterae: H. M. H. S. id eſt, *hoc monimentum heredes ſequitur*, quas, quoties hereditario iure conditorium poſſidemus, epitaphiis ſubiicimus. Ceterum, ne exemplum deſit epitaphii, hoc ordine compoſiti, illud hic fingemus:

D. O. M.
ADSTAS. VIATOR.
TROPAEO.
VIRI. INCOMPARABILIS.
ET. QVO. VNO. NOMINE.
OMNES. LAVDES. OMNIAQVE.
DECORA.
CONTINENTVR.
HVGONIS. GROTII.
QVI.
VTRIVSQVE. FORTVNAE.
VICTOR.
SOLI. THEOLOGORVM. INVIDIAE.
ET.
MORTI.
SVCCVBVIT.
VIXIT. ANNOS. LXII.
OBIIT. ROSTOCHI. IN. ITINERE.
KAL. SEPT. CIƆIƆCXLV.
HAEC. SCIRE. TVA. INTERFVIT.
VIATOR.
TV. IN. REM. TVAM. ABI.
ET.
QVAM. MAGNA. VEL. VNA. VRNA.
CAPIAT.
HOC. LOCO. MONITVS. DISCE.
PATRI. B. D. S. M.
HOC. MONIMENTVM.
GROTIVS. FILIVS. ET. COGNATI.
L. L. Q. POSS.

††) Talia in vetuſtis epitaphiis & titulis ſepulcralibus quam plurima obſeruamus, quae iam BARN. BRISSONIVS & alii collegerunt. Vt paucis rem exemplis illuſtremus, aliquando adiiciebatur poena, inferenda in arcam pontificum, ſi quis ſepulcrum alienaret. GRVTER. *Inſcr. pag.* CX, 1. *p.* XII, 12. *p.* CIƆCXXXIX, 12. *p.* DCCCCXLVI, 6. *p.* DCII, 8. REINES. *Inſcr. claſſ. I*, 43. *p.* 87. Aliquando edicitur, ne extraneum corpus in idem monimentum, vel infra finem maceriae inferretur, REINES. *claſſ. XII*, 37. ne vſtrinum monimento adplicaretur, *ibid.* n. 123. vt dolus malus monimento abeſſet, REINES. *claſſ. XV*, 25. In primis frequentes in veterum epitaphiis imprecationes, quibus iis dira quaevis minabantur, qui ſepulcrum violare non dubitaturi ſint. e. g. OLLAM EIVS SI QVI INVOLARIT, AD INFEROS NON RECIPIATVR, REINES. *claſſ. XVII*, 168. conf. *claſſ. XIIII*, 33. Quin, quod mireris, ne Chriſtiani quidem ab huiuſmodi imprecationibus in titulis ſuis ſepul-

pulcralibus abſtinuerunt. Vid. REINES. *claſſ. XX*, 440. 441. *p.* 1000.

Nec non monimentorum publicorum. VI. Reliqua monimenta publica ita diſponi poſſunt, vt praemiſſo PRINCIPIS *nomine* & *titulo* *), breuis rerum geſtarum addatur HISTORIA **). Eam deinde ſequitur deſcriptio OPERIS PVBLICI, hoc titulo notandi, vel OCCASIONIS, operi huic conſtruendo datae ***). Denique additur SVBSCRIPTIO perſonarum vel collegii, cuius impenſis hoc monimentum conſtructum eſt ****).

*) Hic quoque repetendum, quod ſupra §. 5. huius capitis monuimus, dandam ſcilicet eſſe operam, ne cum longo prouinciarum ſyrmate nomen Principis proferamus. Quum enim ſtilo lapidari hic vtendum ſit: ſatius erit, vetere more Principum titulos recenſere. (Sed malunt plerumque viri ciuiles veterem morem migrari, quam immutari aliquid in conſuetis titulis principum. G.)

**) Res geſtae fere caſu ablatiuo ſolent deſcribi, e. g. PROSTRATIS. HOSTIBVS, CONCILIATA. PACE. PATRIA. OPIBVS. LOCVPLETATA, cet.

***) Nonnunquam & operis ipſius & occaſionis ſimul iniicitur mentio, e. g. CIVIBVS. IN. IVS. IVRANDVM. ADACTIS. ARCVM. HVNC. TRIVMPHALEM. CONSTITVIT. DEVOTA. VIRTVTI. MAIESTATIQVE. EIVS. CIVITAS.

****) Vbi tamen cauenda eſt antiquitatis adfectatio. Sane merito ludibrium debent cordatioribus, qui ſollemne iſtud S. P. Q. omnibus fere municipiis tribuunt, vbi populo nihil iuris eſt in adminiſtranda republica, & vbi vmbra potius collegii, quam ſenatus hoc nomine dignus occurrit. Romae ſaepe nomina ſubſcribebant operum publicorum curatores. Hi erant viri ſenatorii ordinis, qui ſub diſpoſitione praefecti vrbi erant, & ſub ſe habebant procuratores & diſpenſatores operum publicorum. De his erudite, vti ſolet, REINES. *Inſcr. claſſ. VIIII*, 54. *p.* 571. Ceterum noſtrum erit huius quoque paragraphi doctrinam exemplo illuſtrare. Tale eſt, quod ſequitur:

D. O. M.
IMP. CAROLVS.
REX. GERMANORVM. HISPAN.
HVNGAR. BOEMORVM.
SICVLORVM.
PRINCEPS. PIVS. FEL. AVG. P. P.
PROFLIGATIS. HOSTIBVS.
REDDITA. CIVIBVS. PACE.
IMPERIO. CLASSE. MILITIBVS.
OPERIBVS. FIRMATO.
ALBAM. GRAECAM. TVRCIS.
EREPTAM.
NOVIS. HIS. PROPVGNACVLIS.
MVNIVIT.
OPTIMO. PRINCIPI.
HOC. MONIMENTVM.
P. O. S. S.
DEVOTI. VIRTVTI. MAIESTATIQVE.
EIVS.
REGNI. HVNGARICI. PROCERES.

Stilus lapidaris qualis? VII. Potiſſimum vero reſpiciendum eſt ad STILVM, quem LAPIDAREM vocant critici. Eum enim nonnulla ſingularia habere, nemo ibit inficias *).

*) Praecipua hic tantum conſectabimur. Obſeruandum itaque eſt,

I. *In marmoribus multa occurrere vocabula, multaſque loquutiones, reliquis Romanae linguae auctoribus ignotas*, quales ſunt ABANTE, DEANTE, AETERNA,

TERNALIS. Vid. SCALIGERI *indices*, GRVTERI *inſcriptionibus additos*, qualem etiam *cap.* 18. ſuis indicibus inſeruit REINESIVS. Ex eo notamus vocabula BALLATIO, BALLEMATIO, VALLATIO pro *ſaltatione*, CAPITVLARIS *pro ſeruo arcario*, DVPLICARIVS, pro eo *qui vtrique parti fauet*, FRVNITVS pro *fruitus*, SCHOLA OLLARVM, pro *receptaculo vrnarum*. TATA, προσφώνησις φιλοπαιγικὴ τῶν πρὸς μείζονα, POR pro *puer*, PORA pro *puella*, VIRGINIA CONIVX, VIRGINIVS COMPAR, VIRGINIVS VIR. VTERQVE ALTER pro *fratre*. Quae pauca tantum ſpeciminis loco damus. Verum caue in his quaeras delicias. Multa enim huius generis lapicidarum ruditati; multa vulgi dialecto (vel ſequiori aeuo. G.) debent originem. Forſan etiam aliquando aberratum eſt ab iis, qui inſcriptiones veteres e lapidibus deſcripſerunt. (Quod oſtendit lectionis varietas. Summa fide in *Etruſcis inſcriptionibus* verſatus eſt laudatus ante GORIVS. G.) Exempla ſane eiusmodi lapſuum plurima notauit CAR. SPONIVS: plura adhuc dabit MARQV. GVDIVS, cuius correctiones orae operis Gruteriani adſcriptae maximam partem publici iuris factae ſunt, cum in noua & ſplendida marmorum Gruterianorum editione, tum in *actis eruditorum Lipſienſibus*, ipſaque noua marmorum Gudianorum collectione.

II. *Singulares quoque eſſe in marmoribus conſtructiones*, qualium haud paucas notauit idem SCALIGER, e. g. CVM FERARVM LIBYCARVM. Sed nec hic eſt quod imiteris, quum eaedem id prohibeant rationes, & haec nimis archaiſmum ſapiant. Licebit ex eodem indice Reineſiano quaedam huius generis excerpere. ADQVIESCERE CVI pro *prope aliquem quieſcere*, AD CVMVLVM AEDIFICARE, id eſt, *ad colophonem perducere*, COMITARI CVM ALIQVO, EX PARVO CREVIT, MOLESTARI ALICVI, MONERE TAVROBOLIVM.

III. *In primis inſcriptiones praeferre orthographiam antiquam*, veluti OLLI pro ILLI, COERAVERVNT pro *curarunt*, ABEI pro ABI, QVOI pro CVI. Imitari licebit, quae frequentiſſima reperies in bonae aetatis monimentis, veluti HEIC pro *hic*, SVLPICI pro *Sulpicii*, KALENDAE pro *calendae*, EIDVS pro *idus*. Reliqua pro obſoletis habenda. Neque enim adfectationis notam effugies, ſi orthographiam vetuſtiſſimam, immo & falſam aliquando in hodiernis monimentis ſequendam exiſtimaueris. Talis eſt uſus frequens AE pro E, e. g. CAELERIS, CAEREALIS, immo, quod miteris, DIAE, COMPARAES, PACAE, PRAESBYTER, QVINQVAE pro *celeris*, *Cerealis*, *die*, *compares*, *pace*, *preſbyter*, *quinque*. Eo etiam referimus promiſcuum vſum B & V. vt ABABVS pro *abauus*, ATABVS pro *atauus*, BALERIA pro *Valeria*, VXORI BENE BIBENTI pro VXORI *bene viuenti*, DVVIVS, INCOMPARAVILIS, VENEMERENTI, VONAE pro *dubius*, *incomparabilis*, *bene merenti*, *bonae*. Talia, quae magno numero dedit REINES. *in indice Inſcr. cap.* 19. quis ſanus imitanda putet?

IIII. *Frequentiſſimas eſſe in inſcriptionibus formulas quaſdam*, quas merito notabis, V. C. BENE DE SE MERENTI LVBENS LVGENSQVE. Plures idem *index Scaligerianus* antea laudatus ſuppeditabit.

V. *Denique praecipue notandas eſſe ſiglas*, *vel vocum abbreuiationes*, de quibus ſingularis exſtat liber SERTORII VRSATI, in IO. GEORG. GRAEVII *Theſauro antiquitatum Rom. tom. XI. p.* 507. recuſus. Addi poſſunt *indices* SCALIGERI & REINESII, nec non IO. NICOLAI commentatio *de ſiglis veterum*, *Lugd. Bat.* cIↃIↃCCIII, in quibus eiuſmodi notae vel abbreuiationes, in lapidibus obuiae, plena manu proferuntur.

VIII. Pergimus ad inſcriptiones *nouas*, quae, quod ad materiam adtinet, parum a carmine differunt *). Res omnis ad vnicam regu- Inſcriptionum

nouarum Iam redit, *non temere* ſcilicet *in inſcriptione ponendam lineam, quae*
materia, *non acutum quid & admirandum prae ſe ferat* **). Attamen, ſi dicen-
inuentio, dum quod res eſt, quo magis hanc obſeruabis regulam, eo mino-
& elo- rem laudem reportabis ab iis, qui, quam frigida ſit illa acuminum
quutio. nimia adfectatio, non ignorant.

*) Quaecumque ergo inuentio poemati conſcribendo inſeruit, eadem & inſcriptioni ſuppeditat materiam. Parum enim intereſt inter carmen & inſcriptionem nouam.

**) Quum ergo fontes acuminum me iam ſupra, ſub finem *part. I, cap.* 2. §. 63. dare meminerim: hic quidem actum agere nolo, ſed exempli loco addere ſufficiet inſcriptionem EM. THESAVRI, vt, quales ſint illae lautitiae, harum rerum cupidis exemplo oſtendamus. Exſtat illa p. 319. & Iobi, quem ipſe Eſaui pronepotem putat, continet elogium: (cuius ſinguli prope ſenſus aut falſum aliquid, aut ineptum, interdum etiam in Deum homineſque iniurium continent. G.)

In arenam, o ciues!
Gemini congrediuntur athletae,
Orientis alter; alter occidui ſolis imperator,
Iob & Daemon.
Simplicem illum videbitis cum multiplici
hoſte pugnantem,
Illum ſemper eumdem, hunc ſemper alium:
Qui forma carens, formas alternat.
Sed proderit Iobo aduerſarii varietas,
Toties vnum triumphaturo.
En mollium Sabaeorum ſpecie ſimulatus
hoſtis,
Iobi boues praedatur,
Haec prima daemonis velitatio, robur
eneruare deliciis.
Sed irrito euentu.
In flammam mutatur flammarum hoſpes,
& coelo cadens, vbi ſtare non potuit,
Incendit, quacumque incedit:
Et paſcentes ouiculas igni depaſcitur,
Hinc magicum Chaldaeorum agmen
mentitus,
Camelos cum rectoribus corripit.
Suſtinet hanc iacturam diuinus pugil,
Qui opibus impeditior, quo ditior,
Aeque beneficum vocat numen, ſiue opes
adferat, ſiue auferat.
Sic praedonem angit, dum de praeda
non angitur,
Hactenus proluſit adgreſſor: iam propius,
Vt regiam euertat, in ventum vertitur.
Nil enim aulae nocentius vento.
Omnes turbat hic turbo, praeter illum
cui nocet;
Qui ruinas inter infractus,
Latiore coelo fruitur, dum tecta ſubſidunt.
Sed maiores ciet lacrymarum nimbos
hic ventus.
Dulcem ſenis ſobolem inter epulas
ruina ſepelit,
At facilius terram mouet, quam Iobum:
Qui ruente familia ſuſtinere poteſt
orbitatem.
Spoliato quid ſupereſt? Vita.
Hanc tortoris imagine, cruciat, non rapit:
Vt intra corpus & cadauer medius,
Iob vitam optet, vel mortem.
Iob neutrum curat.
Et ante numen cadens aemulum ſternit
dum ſternitur,
Debellauerat; niſi defeſſus Antagoniſta
Deteriorem ſibi vicarium ſufficeret,
Feminam.
Viro igitur vxorem delegat,
Quae poſtremam ſuis malis imponere
manum ſuadeat,
Et mortem morte anteuertere.
Beneficam crederes hanc maleficam;
niſi eſſet uxor,
Cui luxus eſt, debili marito carere.
Detrahit hanc pietatis laruam mariti
pietas.
Ac linguam lingua retundens,
Viuere mauult, inuiſus coniugi ac ſibi;
Totiesque hoſtem verberat, quoties ſpirat:
Et nihil amaturus, praeter Deum,
mortem etiam odit.
Nam poſtremis in malis,
Fortius eſt mortem arcere, quam arceſſere.

Iam

Iam inter rapinas & ruinas nudus,
palmam tenet.
Sed ipſam in palmam victus inuolat
Daemon,
Et vltimos conatus adhibet, amico-
rum probra,
Hi tanta virtute, amaris ſalibus reſperſa,
Famoſis carminibus victoris famam
corrumpunt.
Habet hanc felicitatem nouiſſima
calamitas,
Quod inuidiam extinguit: hoc vno
inuidenda.
Iob omnium miſerrimus, inuidos
habet amicos,
Nimirum poetas.
Tam male mordaces, vt vel vlceroſum
mordeant.
Adeo inter aulicos, virgines Muſae
laſciuiunt.
Euicit extremum hunc laborem
ſtrenuus Iob,
Qui contemtus & contentus, hoſtes
hoſtiis luſtrat.
Hic toto caeli theatro plauſus excitat,
Nec minore praemio, quam praelio,
Regno, liberis, opibus, duplo auctior,
hos ipſe luctus cecinit:
& calamitates calamo felices fecit.

PARS III.

DE VARIIS CVLTIORIS STILI FACULTATEM ADSEQUENDI SVBSIDIIS.

CAPVT I.

DE AVCTORVM LECTIONE.

I.

Latina lingua inter mortuas referenda.

LAtina lingua iamdudum inter mortales conticuit. In Latio enim ipſo, vbi olim quam maxime floruit, ſenſim ita barbarorum commercio coepit inquinari, vt demum noua inde enata ſit dialectus, quam Italicam dici moris eſt *). Idem in prouinciis huius linguae fatum fuit, in quibus LVSITANICA, HISPANICA & GALLICA linguae, in priſcae Latinae locum ſucceſſere **). Vt adeo nulla hodie ſit prouincia, in qua vetus illa lingua Romana ita vigeat, vt eam vſu, vel conſuetudine cum prouincialibus, addiſcere poſſis ***).

*) Praeclare linguae Latinae μεταμορφώσεις, &, vt ea ſenſim in Italicam mutata ſit, oſtenderunt CAR. du FRESNE in *Diſſertatione, Gloſſario mediae & infimae Latinitatis* praemiſſa, & CHR. CELLARIVS in *Diſſertatione de linguae Italicae origine.*

**) De earum linguarum natura praeclare diſſeruit BREREVVOOD *in Scrutinio linguarum*, cui iungendus NOR-

HOF. *Polyhiſt.* I, 4. 3. 4. p. 19. *ſequ.*

***) Exſtat libellus ἀδέσποτος Gallice primum ſcriptus, dein *Londini* cIↄIↄ-CLVIIII. in 12. excuſus ſub titulo: *An examen of the vvay of teaching the latin tongue tot little children hy vſe alone*, in quo regi ſuadet auctor vt ciuitatem aliquam Latinam inſtituat, in qua ſolo vſu ac conſuetudine linguam doceantur pueri: quod conſilium etiam, quod mireris, probatur MORHOFIO, adcurati iudicii viro, in *Polyhiſt.* I, 29, 21. *p.* 461. Sed vereor ego quidem, ne & infructuoſum hoc conſilium, & eadem Latinae huius ciuitatis fata futura ſint, ac olim rei publicae Platonicae, quae nuſquam, niſi in Platonis cerebro, exſtitit. (V. G. non eſt ſperandum, qui Latine recte loqui poſſit, eum ſutorem, aut pediſſequum aut calonem nouae ciuitatis futurum. G.) Latinam linguam comparandam eſſe non colloquiis, ſed ſtilo, docet SANCTIVS *in Mineru. p. m.* 859. *ſeq.* (Vid. ad §. proximum. G.)

Hinc potiſſimum ex auctoribus claſſicis diſcenda.

II. Ex eo vero conſequitur, vt Romanae linguae puritas ac elegantia non aliunde, quam ex veteribus, qui naufragium euaſerunt, auctoribus claſſicis, hauriri poſſint *). Quum vero multum referat, quo ordine, quaque ratione auctores euoluas **): de ea quoque re nonnulla, more noſtro, monebimus.

*) Cave tibi perſuadeas, ex vſu tantum & loquendi conſuetudine ad Latinae linguae facultatem poſſe perueniri. Tantum enim abeſt, vt hoc fieri poſſit, vt potius inde naſci ſoleat inquinatum illud ac ſordidum dicendi genus, quo monachi maxime, nec non Poloni & Hungari delectantur. Quo fit, vt Itali, Latinae elegantiae ſtudioſiores, a ſermonibus Latinis etiam cum viris doctis de induſtria abſtineant, ne dictio aliquid ex idiotiſmo vernaculae trahat, quem etiam viri, quamuis eloquentiſſimi, in colloquiis vix effugiunt. (Praeſertim ob magnam illam patrii ſermonis cum Latina lingua ſimilitudinem. Vid. quae ad part. I, cap. 2, §. 7. not. 1. diximus. G.) Neque ſola ſcriptione Latinae eloquentiae facultatem adſequimur. Quid enim iuuabit ſcribere, niſi antea ipſam linguae indolem ac genium animo conceperis? Id vero qua alia ratione conſequi poſſis, quam lectis diligenter auctoribus, ego quidem vix intelligo. (Paullo diſtinctius hac de re videndum eſt, ſi pronuntiare aliquid velimus. Nobis ita videbatur. I. Ex vſu ſolo loquendi in nulla lingua diſces ſcribere, adcurate ſcribere. Satis hoc apparet in plebe, mulieribus. II. Sed ex vſu loquendi loqui diſces, vt loquuntur ii, a quibus didiceris. III. Qui igitur volunt aliquando loqui Latine, iis cum idoneis hominibus loqui prodeſt. IIII. Immo etiam ad intelligendum & ſcribendum tantum confert, quantum in vigentibus hodie linguis conferre quotidie experimur. V. Sed ad hoc vt adcurate & ornate ſcribere poſſimus, inſuper opus eſt lectione, & iis, quae mox dicentur ab auctore, remediis. VI. Habitus male loquendi nocet ſcribere adcurate volentibus. VII. Caeterum ſunt tres gradus, ſimul quidem tractandi, ſed ordine, quo eos indicamus, perficiendi in adultis a) intelligere, b) ſcribere, c) loqui. VIII. In infantibus inuerti ordo poteſt, & res modo illo naturali tractari, quo alias linguas diſcimus. VIIII. Sed illud tum demum fiet, cum idoneis praemiis inuitati idonei homines paruorum inſtitutioni praeficientur. G.)

**) Sunt equidem, qui ſolum legendum CICERONEM exiſtimant. Verum Ciceronianos illos, ſi diis placet, iam dudum exagitarunt viri cordatiſſimi. Alii omnes auctores eo, quo ſcripſerunt, ordine, id eſt ſecundum aetatum, in quas inciderunt, ſeriem legi iubent, qua ratione vſum ferunt CL. SALMA-

SIVM.

SIVM. (Et ad ipſarum rerum cognitionem nihil poteſt fieri adcommodatius. G.) Sed inde non poteſt non inaequale ac frigidum naſci dicendi genus, quod nec magnus *ille* criticus ſemper euitare potuit. Eo itaque ordine vtendum puto, vt ſenſim ad perfectionem linguae perueniamus, & auctor vnus alteri veluti viam ſternat; quo facilius intelligi, ac in ſuccum ac ſanguinem verti poſſit.

III. Quod ad ordinem huius lectionis adtinet, ſemper mihi ſe probauit TANAQVILLI FABRI methodus, tanto magis admiranda, quanto iucundius eius experimentum in ipſo filio cepit, quem, a decimo aetatis anno ad decimum quartum, hac ratione ita vtraque lingua expoliuit, vt cum viris certare poſſet *). Nos vero, quamuis FABRVM non per omnia ſequuti, FABRI tamen methodo praecipuos Latinae linguae auctores ita diſponemus, vt quatuor curſibus ille ambitus abſolui, ex prioribus ſemper animus ad poſteriorum intelligentiam praeparari poſſit. In lectione auctorum certum ordinem commendauit TAN. FABER.

*) Mentionem huius methodi aliquoties facit FABER in Epiſtolis, ſed poſtea eam adcuratius deſcripſit in libello: *Methode pour commencer les humanités Grecques & Latines*, *Salmurii*, cIↄIↄLXXII. 12. (Recuſa *dans les Mémoires de literature par Mr. Sallengre* Tom. 2. P. 2. p. 62. ſqq. G.) ex quo tractatu pleraque excerpſit, & *Polyhiſtori* ſuo intexuit MORHOF. *part. I. lib. II. cap. 9. n. 44. ſequ.* Hanc methodum ergo & nos ſequemur, ſed ea vſi libertate, vt in ipſo auctorum ordine pleraque, noſtro arbitrio, mutemus. (Poteſt methodus iſta tota adhiberi in inſtitutione vnius aut paucorum aequalium: in publica ſchola Germaniae, vt vulgo eſſe ſolent, non poteſt. G.)

IIII. Primo itaque curſu, in quo ſingulari cura ac diligentia opus eſſe videtur, PHAEDRI *fabulas*, POMPONII MELAE *geographiam*, EVTROPIVM, & CORN. NEPOTEM euoluendos ſuaſerim. *Ex primo* enim auctore vocum phraſiumque aliqua copia, *ex ſecundo* geographiae veteris notitia, *ex tertio* hiſtoria Romana, *ex vltimo* denique hiſtoriae Graecae non minima pars poterit hauriri. His vero praeſidiis praemunitus, facile, ex mea quidem ſententia, reliquos auctores omnes facilius intelliget. Qui auctores primo curſu perlegendi?

Phaedrus. Equidem FABER, pueri ſe adcommodans ingenio, loco PHAEDRI, quem difficiliorem pro tironum captu iudicabat, capita aliquot ex euangelio IOANNIS propoſuit. † Sed non deſunt mihi rationes, quare hoc conſilium minus commendandum putem. Inquinatior eſt interpretis, quem vulgatum vocant, Latinitas, quam vt ab ea auſpicium fieri poſſit Latinae linguae: & nimis altas radices agunt, quae iſta aetate imbibimus. Nec video, quid in PHAEDRI *fabulis* difficilius videri poſſit. Argumentum earum, ſi pauca paullo obſceniora omiſeris, puerile eſt, ac ſumma cum voluptate coniunctum. Stilus tenuis, & plane talis, quali in familiari ſermone vtebantur Romani. Summa quoque in his fabulis eſt orationis puritas, nec iudicium ſuum eruditis vmquam probauit SCIOPPIVS, qui neſcio quem Thraciſmum in PHAEDRI ſtilo ſibi ſubolfacere viſus eſt. Videatur SCHEFFERVS *in vita Phaedri*, eius fabulis praemiſſa, & MORHO-

FIVS *de Patauinitate Liuii*, *p.* 159. Inter minores PHAEDRI editiones praeſtant IO. CHRISTOPH. VVOLFFII, quae prodiit *Flenſburgi* 1709. 8. & PETRI BVRMANNI, quae prodiit *Hagae Comitum* 1719. 12. *&* *Berol.* 1742. Inter maiores duae *Burmannianae*, prima, quae cum integris commentariis GVDII, RITTERSHVSII, RIGALTII, NEVELETI, HEINSII, SCHEFFERI, PRASCHII & excerptis aliorum prodiit *Vitraiecti* cIↄIↄccxvIII. 8. mai. & altera, quae cum commentario nouo ipſius BVRMANNI prodiit *Leidae* cIↄIↄccxxvII. 4. mai.

† Rectiſſime Faber, & quisquis pueros velut a gremio formandos accipis. In Phaedro certe traiectiones quaedam, & breuitas obſcuritatem adferunt. Hodie ad initia illa tenerorum nihil adcommodatius *Hiſtoriis ſacris hubnerianis* Caſtellionea Latinitate a KRIGELIO donatis, ac deinde ipſa interpretatione CASTELLIONIS, de qua ſupra dictum §. 12. extr. *Epiſtolae Joannis* ob ſimplicitatem orationis, & repetitionem eorundem verborum, Grammaticis initiis adcommodatiſſimae ſunt. Sed ad haec poſt vſvm demum aliquem accedendum. G.)

Pomponius Mela. Geographiae cauſſa Phaedro ſubiungimus POMPONIVM MELAM, Claudiani aeui ſcriptorem. Ex eo enim non ſolum terrarum ſitus addiſci, verum etiam vocum phraſiumque copia non parum poterit locupletari. Latinitas enim huius auctoris, etſi non adeo elegans & florida, pura tamen eſt, & ſatis caſtigata, id quod profecto tironibus praecipue vtile eſt. Inter meliores editiones eſt ISAACI VOSSII, cui IACOBVS GRONOVIVS ſuam oppoſuit editionem, in qua potiſſimum CLAVDIVM SALMASIVM aduerſus VOSSII cenſuras inſigni, & familiari Gronouiano calamo, acrimonia vindicauit. Sed & hoc non impune tulit, ſiquidem VOSSIVS *adpendicem obſervationum ad* MELAM *Londini* publici iuris fecit. Denique huic πάντη περὶ πάντων reddidit IACOBVS GRONOVIVS. [Nouiſſime prodiit cum notis integris HERMOLAI BARBARI, PETRI IOANNIS OLIVARII, FREDENANDI NONII PINTIANI, PETRI CIACCONII, ANDREAE SCHOTTI, ISAACI VOSSII, & IACOBI GRONOVII, curante ABRAHAMO GRONOVIO, *Lugd. Batau.* 1722, 8. mai. In hac tamen editione non omnia, quae VOSSIVS aduerſus GRONOVIVM monuit, exſtare, viri docti monuerunt. Indignam tantis viris dixeris hanc litem, & plane pudendam, niſi nobis tot elegantes POMPONII editiones, totque obſeruationes vtiliſſimas peperiſſet. Inter minores praeſtat editio, quam nuper cum orbe eruditio communicavit vir. celeb. ABRAH. GRONOVIVS, *Leid.* 1742. *in* 12.

EVTROPIVM, quamuis ſequioris aeui hiſtoricum, vel ideo ſubiungendum MELAE duximus, quod nullus exſtat ſcriptor, qui ſtilo ſimpliciore hiſtoriam Romanam ab ipſis vrbis primordiis, ad occaſum paene occidentalis imperii vſque tradiderit. Romanae vero hiſtoriae cognitione non poterit is carere, qui ſe ad reliquorum ſcriptorum lectionem accingit. Accedit, quod iam habet in hoc auctore tiro, in quo geographiae veteris, quam a MELA edoctus fuerat, vſum perſpiciat. Latinitas eſt ſimplex, & nonnumquam ſatis terſa, vt adeo & vocum prhaſiumque copia legendo illo poſſit augeri. Si quid ex ſaeculi genio naeui trahit auctor, facile illud notari euitarique poterit, ſi iungantur notae CHRISTOPHORI CELLARII, in quibus illi lapſus adcurate notantur. Quare & eius editionem prae ceteris commendandam exiſtimamus. *Eutropius.* Nouiſſime EVTROPIVM cum *metaphraſi Graeca* PAEANII, & notis integris ELIAE VINETI, HENRICI GLAREANI, TANAQVILLI & ANNAE FABRI, THOMAE HEARNII, item ſelectis FRIDERICI SYLBVRGII & CHRISTOPHORI CELLARII edidit SIGEBERTVS HAVERCAMPVS *Lugduni Batavorum* cIↄIↄccxxvIII. 8. mai. qui & ſuas, & HEVMANNI notas adiecit,

in qua tamen editione multa itidem viri docti deſiderant.

Cornelius Nepos. Subiicimus Eutropio CORNELIVM NEPOTEM, idque ob multas rationes. Nam primo, ſi quid ex Eutropio aeruginis haereat, illud eius lectione facile poterit abſtergi: deinde ex eo inſignis parabitur elegantiſſimarum loquutionum copia. Denique eadem opera ex Graeca & Punica hiſtoria tantum addiſcet tiro, quantum ſatis erit ad ſequentes auctores tanto facilius intelligendos. Editiones exſtant innumerae: ſed ego, quod ad hunc vſum adtinet, *Cellarianam* reliquis exiſtimo longe anteponendam. Optima vero iam editio eſt, quam cum notis integris IANI GEBHARDI, HENRICI ERNSTII, & IO. ANDR. BOSII, & ſelectis ANDREAE SCHOTTI, DIONYSII LAMBINI, GILBERTI LONGOLII, HIER. MAGII, IO. SAVARONIS, aliorumque doctorum, nec non excerptis PETRI DANIELIS, & indice locupletiſſimo omnium vocabulorum, ſtudio & opera IO. ANDR. BOSII confecto edidit, AVGVSTINVS *van* STAVEREN, *Lugduni Batauorum* cIↃIↃ CCXXXIIII. 8. *mai.*

V. Emenſus hoc iter tiro, iamque tot adminiculis ad maiora inſtructus, alterum auſpicabitur curſum, quo TERENTIVM, CICERONIS *epiſtolas* & *libros* aliquot *philoſophicos*, nec non IVLIVM CAESAREM & MINVCIVM FELICEM diurna nocturnaque manu verſabit. *Qui ſecundo?*

Terentius. Qui ſuperiore curſu commendati ſunt auctores, ad puritatem pertinent: danda ergo poſtea erit opera, vt & concinnitatem elegantiamque veterum imitemur, & huc pertinent auctores in hanc claſſem relati. TERENTIO enim nihil poteſt reperiri elegantius. Phraſis eius, ſi ab archaiſmis quibuſdam diſceſſeris, non ſolum pura, ſed & nitida eſt, quod ipſe, quamuis alioquin modeſtiſſimus, in *praefatione Heautontimorumeni* prae ſe ferre non dubitat. Vnde lector iam ſenſim elegantiae adſueſcet, quae in Latino illo ſcriptore eſt maxima, ceu vel ex *chreſtomachia Terentiana*, editioni BOECLERI *Argent.* cIↃIↃ CLVII. 8. adiecta, adparet. Quare haec editio, & *Lindenbrogiana*, quae cIↃIↃ CXXIII. 4. prodiit, reliquis omnibus anteferenda videtur, maxime, quum poſterior veteris grammatici, AELII DONATI, *ſcholia* in TERENTIVM ſimul exhibeat. Add. BARTH. *Aduerſar. Lib. VIIII.* Splendidiſſima editio eſt, quam *commentario perpetuo* illuſtrauit, & cum AELII DONATI, EVGRAPHII, CALPHVRNII & FRIDERICI LINDENBRVCHII *obſeruationibus* edidit ARNOLDVS HENRICVS WESTERHOVIVS, *Hagae Comitum* cIↃIↃ CCXXVI. *duob. volumin.* 4. *mai.* Contractiorem hanc omiſſis aliis *cum interpretatione* DONATI & CALPHVRNII, vt & *commentario perpetuo* idem auctor poſtea edidit *Hagae Comitum* cIↃIↃCCXXXII. 8. *mai.* (Criticae artis ſtudioſis, & metri Comici rationem diſcere volentibus ſuper omnes commendanda editio RICH. BENTLEII, quae cum PHAEDRO & P. SYRI *aliorumque veterum ſententiis iterum* prodiit Amſtelaed. 1727. 4. quam Gottingae minore formae recuſum iri propediem ſperamus. G.)

Ciceronis epiſtolae. Vt Terentius elegantiae Romanae, ita CICERO concinnae pariter ac fuſae orationis guſtu nos imbuit. Hinc merito iam eius epiſtolae in manibus erunt, in quibus & elegantia, & ars periodica tanta adparet, vt facundiam ex earum lectione ſe adſequutos multi fateantur, & in his HERMANNVS BVSCHIVS apud FREINSHEMIVM *orat.* IIII. *p.* 46. Conf. MVRET. *part.* II. *orat.* XVI. vbi Ciceronianarum epiſtolarum vſum & praeſtantiam egregie demonſtrat. (Quod etiam a me peculiari Programmate

mate factum. G.) Nec adeo difficilis amplius erit harum epiſtolarum lectio ei, qui iam non poenitendam hiſtoriae Romanae & geographiae antiquae partem primo curſu ex Eutropio & Pomponio Mela ſibi reddiderit familiarem. Selectu tamen & ordine hic quoque opus eſt. Merito ergo I. *Epiſtolis ad Atticum*, in quibus CICERO ἀττικίζει, praefero *Epiſtolas ad diuerſos*: nec non *ad Quintum fratrem*. II. In his ipſis omitti poſſunt eae, quae a Coelio, nec non a Tirone ſcriptae ſunt; ſeligendae vero in primis III. epiſtolae, quas in proconſulatu ſcripſit. Iis enim nihil ſolet eſſe elegantius. Denique IIII. comparanda eiusmodi editio, in qua ordine chronologico epiſtolae diſpoſitae ſunt (vel quae Indicem illius ordinis adiectum habet, vt illae, quas ſtatim laudabimus, & VERBVRGIANA. G.) Ita enim lectio eo facilior erit ob hiſtoriae nexum, & continuam ſeriem. Reliquis tamen editionibus palmam iure quodam ſuo praeripiunt *Cellariana*, quae vna cum GOTTLIEB CORTII *adnotationibus* nouiſſime prodiit *Lipſiae* cIↄIↄCCXXXV. 8. *Bengeliana*, quam *iis inſtruxit rebus, quae ad interpretationem imitationemque pertinent*, IOANNES ALBERTVS BENGELIVS, atque edidit *Stutgardiae* cIↄIↄCCXVIII. 8. *mai.* & (FVNCCIANA cIↄIↄCCXXXVIII. 8. Sed omnium procul dubio praeſtantiſſima G.) *Graeuiana*, quae cum *notis integris* PETRI VICTORII, PAVLLI MANVTII, HIERONYMI RAGAZONII, D. LAMBINI, FVLV. VRSINI, *nec non ſelectis* IO. FRID. GRONOVII, *& aliorum*, ut & cum GEORG. GRAEVII *animaduerſionibus*, & *ex eiusdem recenſione* prodiit *Amſtelodami* cIↄIↄCLXXXXIII. *duob. volum.* 8. *mai.* (Certe ſine MANVTII *Commentariis* aggredi interpretationem Epiſtolarum Ciceronis veto, niſi qui ipſe ſit hiſtoriae & antiquitatis Romanae conſultiſſimus. G.)

Epiſtolae ad Atticum optime prodierunt *Amſtelodami* cIↄIↄCLXXXIII. *duob. volum. in* 8. *mai. ex recenſione* IOANNIS GEORGII GRAEVII, *& cum notis integris* P. VICTORII, PAVLLI MANVTII, MALAESPINAE, LAMBINI, FVLVII VRSINI, SIMON. BOSII *e chirographo eius auctioribus*, FRANCISCI IVNII & POPMAE, *ineditis item antea* ISAACI CASAVBONI, MVRETI & IO. FRID. GRONOVII, *ſelectisque* CORRADI, *atque aliorum*.

Eiusdem *epiſtolarum ad Q. Fratrem libri tres, & ad Brutum liber vnus, cum notis integris* PETRI VICTORII, PAVLLI MANVTII, LEON. MALAESPINAE, D. LAMBINI, F. VRSINI, FR. IVNII, IAN. GRVTERI & IACOBI GRONOVII, nec non FRANCISCI HOTOMANI *commentario in epiſtolam* primam *de prouincia adminiſtranda*. Adiectus eſt *ad Marcum Tullium fratrem de petitione conſulatus liber, cum integro commentario* VALERII PALERMI VERONENSIS, prodierunt *Hagae Comitum* cIↄIↄCCXXV. 8. *mai.*

Ciceronis libri philoſophici.

Libris philoſophicis reliquis praemittendos ego iudicarim *Catonem Maiorem & Laelium*, ob facilitatem. His deinde ſubiiciendos ſuaſerim *libros de officiis*, ob adcuratam eloquutionem & concinnitatem egregiam, quam ipſe CICERO in *prooemio* filio ad comparandam Latinae linguae facultatem profuturam iudicat. Proximos eſſe iuſſerim *libros de diuinatione*, & *de finibus bonorum & malorum*, ex quibus praeter Latinitatis elegantiam hauriri poterit inſignis hiſtoriae philoſophicae cognitio, qua plane non poteſt carere, qui reliqua opera philoſophica Ciceronis euoluere ſtatuit.

Libri tres de officiis, Cato maior, Laelius, paradoxa, ſomnium Scipionis, ex recenſione IOANNIS GEORGII GRAEVII; *cum eiuſdem animaduerſionibus & notis integris* D. LAMBINI, F. VRSINI, C. LANGII, FR. FABRITII, A. MANVTII *ſelectisque aliorum*, prodierunt *Lugduni Batauorum* cIↄIↄCCX. *duob. volum.* 8. *mai.*

Libri II. de diuinatione & liber I. de fato cum notis integris PAVLLI MANVTII, P. VICTORII, I. CAMERARII, D. LAMBINI, F. VRSINI, HADR. TVRNEBI & IO. DAVISII prodierunt *Cantabrigiae* cIↄIↄCCXXI. 8. *mai.*

CICE-

CICERONIS *opera, quae exſtant, omnia,* adcuratiſſime edita ſunt a IACOBO GRONOVIO *cum notis integris*, IANI GVILIELMII & IANI GRVTERI, vt & ASCONIO PEDIANO & *veteri ſcholiaſte*, *Lugduni Batauorum* cIↃIↃCLXXXXII. 4. (Splendido typo & forma oculis commodiſſima eſt VERBVRGIANA *Amſtelaed.* 1724. fol. 4. & 12. ſimul excuſa, in qua ad Gronouianam adiectae ſunt notae P. VICTORII, I. CAMERARII, F. VRSINI *integrae*, *aliorum* vero *ſelectae*. Magnificentiſſimam editionem An. 1741. 4. in vſum Delphini procuravit OLIVETVS, vbi contextus orationis, cum varietate editionum principum, ſeparatim ponitur, delectus annotationum, veteri more reuocato, ad finem reiicitur. G. †)

Julius Caeſar. Perlectis Ciceronis epiſtolis iam perſpicuus admodum, & intellectu facilior videbitur IVLIVS CAESAR, maxime in libris *de bello ciuili*, quos illis *de bello Gallico* praemittendos arbitror. Tota enim illa hiſtoria partim ex Eutropio, partim ex Ciceronis epiſtolis memoriae ſuccurret. Stilus eius eſt elegans, ſed ſimplex, vnde eum ideo Ciceroni ſubiungendum puto, quod quidquid redundantis copiae ex lectione Ciceronis forſan haeſerit, lecto CAESARE, poſſit abſtergi. Optima editio eſt, quae *cum animaduerſionibus integris* DION. VOSSII, IO. DAVISII, *aliorumque variis notis ex muſeo* IOANNIS GEORGII GRAEVII prodiit *Lugduni Batauorum* cIↃIↃCCXIII. 8. *mai.* (Regia magnificentia typorum & imaginum exornauit SA. CLARCKE *Lond.* cIↃIↃCCII. *fol. mai.* adiectis LXXX. tabulis aere expreſſis. Pleniſſima eſt OVDENDORPIANA 1737. 4. quae integras DION. VOSSII, IO. DAVISII & SA. CLARCKII *notas*, & collationem plurimorum MSS. contineat, editoris annotationibus intextam. G.)

Minucius Felix. Quum omnes, quos commendauimus, auctores, profano deorum cultu ſeſe polluerint, merito iam his ſubiungimus MINVCIVM FELICEM, Chriſtianum ſcriptorem, quum ille & elegantiae, & concinnitatis ſit ſtudioſiſſimus. Duae vero ſunt huius conſilii mei rationes. Nam praeterquam, quod inde noſtrae religionis principia ac myſteria ſtilo elegantiore exprimere diſcimus: dialogus iſte, quem *Octauium* inſcripſit, etiam bonam partem mythologiae continet, adeoque viam ſternit ad lectionem CICERONIS *de natura deorum*, & poëtarum, in quibus mythologia vtramque paginam facit. Attamen ei, qui cum fructu lecturus eſt MINVCIVM, ſuaſerim, vt ſimul ad manus habeat IVLII HYGINI *fabulas*, vel NATALIS COMITIS *mythologiam*, vel alium ex eiuſmodi ſcriptoribus mythicis, e quibus veteres coniunctim prodierunt *Amſtelodami* cIↃIↃCLXXXI. 8. (curis ſecundis THO. MVNCKERI. Auctior ſplendidiorque editio Amſt. A. cIↃIↃCCXLII. 4. debetur AVGVSTINO VAN STAVEREN. Inter paruos huius argumenti libellos FR. POMEY *Pantheum mythicum* tironibus commendandum ob facilem methodum, imagineſque deorum additas, quarum ope ſtatuas, picturas, nummos facilius intelligunt. G.) Ceterum MINVCIVM nitidiſſime ediderunt CELLARIVS, & IACOBVS GRONOVIVS *Lugd. Batau.* cIↃIↃCCVIII. 8. *mai.*

† *Altera editio Genevæ prælo ſubjacet, ab ipſo* OLIVETO *notis aucta, quæ notæ, more novo, ſingulis paginis fuerunt appoſitæ. Integra & emendatiſſima in lucem prodibit* ann. 1745. IX. vol. in 4. mai.

Qui tertio? VI. In tertio auctorum curſu ad ſtili differentiam reſpicio. Hinc in manibus iam erunt SALLVSTIVS, CICERONIS *orationes ſelectiores*, LIVIVS, SVETONIVS, PLINII *panegyricus*, TACITVS, CVRTIVS, PLAVTVS, SENECAE *aliquot libri philoſophici*, & denique LACTANTIVS. Si cui non vacat tam vaſtos auctores totos perlegere: ei potiores inde partes decerpere licebit.

Salluſtius. Vt ſtili vere *Attici* formam animo concipias, commendanda erit lectio C. CRISPI SALLVSTII. Nemo enim fere Atticam Thucydidis dictionem inter Latinos illo adcuratius expreſſit. Tribus verbis integras explet ſententias, non circumducit, non interponit, aſyndetis frequentiſſime vtitur, & vbique adſtrictior adparet. Vid. LEO ALLATIVS *de erroribus magn. viror. in dicendo, pag.* 36. vbi ſententiam SCALIGERI, breuitatem SALLVSTIO *lib. IIII. Poet. cap.* 24. negantis, refellit. Verborum tamen obſoletorum atque archaiſmorum nonnumquam adfectator eſt, quod merito in eo reprehendit SCIOPPIVS *de exercit. rhet. generib. p.* 13. *ſequ.* Omnibus editionibus palmam praeripiunt *Waſſiana*, quam *cum notis integris* GLAREANI, RIVII, CIACCONII, GRVTERI, CARRIONIS, MANVTII, PVTSCHII, DOVSAE, *& ſelectis* CASTALIONAEI, CORNELII & AVSONII POPMAE, IANI MELLERII PALMERII, FVLVII VRSINI, IO. FRID. GRONOVII, PETRI VICTORII, cet. edidit IOSEPHVS VVASSE, *Cantabrigiae*, cIↃIↃCCX. in 4. & ea, quam adnotationibus illuſtrauit GOTTLIEB CORTIVS, ac edidit *Lipſiae* 1724. 4.

Ciceronis orationes. Stili *Rhodii* & *Aſiatici*, nec non *oratorii morati* & *concitati* indoles optime ex CICERONIS *orationibus* elucet. Vnde ad earum lectionem merito nunc ſe accinget elegantioris ſtili ſtudioſus. Selectas vero commendo, quales ſunt *pro S. Roſcio Amerino, pro Archia poëta, pro M. Marcello, pro Q. Ligario, pro lege Manilia, pro T. Annio Milone, Philippica ſecunda*, & quaedam aliae, coniunctim aliquoties editae. Prae ceteris tamen adoleſcentibus CHRISTOPHORI CELLARII editio, ob diſpoſitiones, notas, & indices commendari meretur. (Omnium orationum pleniſſima optimaque editio I. G. GRAEVII *VI voll.* 8. *cum notis* omnium praecipuis, in primis MANVTII. G.)

Liuius. LIVII ſtilus eſt *Rhodius*, *elegans* & *grauis*. Hinc vt & hi dicendi characteres exemplo quodam perſpiciantur, merito decas aliqua huius praeſtantiſſimi ſcriptoris erit euoluenda. Vberius de eius ſtilo diſputatum eſt a MORHOFIO in *diſſertatione de Patauinitate Liuii.* Optima editio eſt IO. FRID. GRONOVII, quae tertium emendatiſſime prodiit *Amſtelod.* cIↃIↃCLXXVIIII. 8. *mai. Vol. III.* (Hanc fundamento quaſi ſubſtratam *Supplementis* FREINSHEMIANIS, & incredibili vi ſuarum alienarumque obſeruationum auxit ARN. DRAKENBORCH *cuius* iam *tertium volumen* prodierat *Amſt.* 1740. 4. reliqua expectabantur. Suas tantum dedit notas, ſed *ſupplementa* FREINSHEMIANA adiecit I. B. L. CREVIER *Pariſ.* cIↃIↃCCXXXVI. 4. IO. CLECICI editio repetita *Lipſ.* cIↃIↃCCXXXV. 3. voll. 8. lectioni curſoriae aptiſſima, de qua praefatus ſum. G.)

Tenuis ſtili effigiem ſiſtit SVETONIVS, ſaeculi II. ſcriptor, qui nuſquam adſurgit, ſemper humi repit. Praeſtantiſſima editio eſt, quam cum notis integris IO. BAPT. EGNATII, HENRICI GLAREANI, LAEVINI TORRENTII, FVLVII VRSINI, ISAACI CASAVBONI, IANI GRVTERI, THEOD. MARCILII, IO. GE. GRAEVII, CAROLI PATINI, (qui ex numiſmatibus illuſtrauit), & *ſelectis aliorum* edidit vir magnus PETRVS BVRMANNVS, *qui & ſuas adnotationes addidit.* Prodiit haec editio *Amſtelodami* cIↃIↃCCXXXVI. *in 4. mai. duob. volumin.* *Suetonius.*

Eodem tempore, quo Suetonium floruiſſe conſtat, ſtili *ſublimis* exemplum egregium dedit PLINIVS iunior, conſcripto admirabili *panegyrico*, cui parem vix habet Romana antiquitas, cuius nouam editionem adornare V. CL. CHRISTIANVM GOTTLIEB SCHVVARZIVM, mirifice laetamur. Sed & *Attici* atque *acuti* ſtili ſpecimen edidit PLINIVS, maxime in *epiſtolis*, de quibus tamen iam ſupra iudicium noſtrum dedimus. Optima editio eſt *Cortiana*, quae *cum notis ſelectis* IO. MARIAE CA- *Plinius.*

TANAEI,

TANAEI, IACOBI SCHEGKII, IACOBI SIRMONDI, ISAACI CASAVBONI, HENRICI STEPHANI, CONRADI RITTERSHVSII, CLAVDII MINOIS, CASPARIS BARTHII, AVGVSTI BVCHNERI, IOANNIS SCHEFFERI, IOANNIS FRIDERICI GRONOVII, CHRISTOPHORI CELLARII, GOTTLIEB CORTII, & PAVLI DANIELIS LONGOLII prodiit *Amſtelod.* cIɔIɔCCXXXIIII. 4. *mai.* (Eadem ratione *Panegyricus* editus ſtudio IO. ARNTZENII *Amſtelod.* cIɔIɔCCXXXVIII. 4. Eundem *Panegyricum* minuto ſed eleganti typo edidi *Goettingae* cIɔIɔCCXXXV. 8. *Epiſtolas* autem & *Panegyricum cum notis perpetuis Lipſ.* cIɔIɔCCXXXIX. 8. G.)

Tacitus. In TACITO praeter acumen etiam σεμνότητα ſeu *grauitatem ſtili* maxime commendant eruditi: idque nemo, niſi in iſtius lectione plane hoſpes, inficias iuerit. Vnde non moramur CASPAREM SCIOPPIVM, ANDREAM ALCIATVM & AEMILIVM FERRETVM, quibus ſoloecus iſte auctor, & plane e iuuenum manibus excutiendus videtur. Vid. VOSSIVS *de hiſtor. Latin.* I, 3. Inter TACITI editiones reliquis palmam dubiam reddit, immo praeripit, praeclara illa, quam ex noua parentis ſui IACOBI GRONOVII ad MS. Florentinum recognitione excudi curauit ABRAHAMVS GRONOVIVS, *Lugduni Batauorum* cIɔIɔCCXX. 4. *mai. cum notis integris* B. RHENANI, F. VRSINI, MVRETI, IOSIAE MERCERII, IVST. LIPSII, VALENTIS ACIDALII, CVRTII PICHENAE, IANI GRVTERI, HVG. GROTII, IO. FREINSHEMII, IO. FRID. GRONOVII, IAC. GRONOVII & IO. IENSII; *ſelectis* autem ALCIATI, AVRELII, BARCLAII, BOXHORNII, COLERI, MARCELLI DONATI, FERRETI, GVTHERII, KIRCHMAIERI, LOCCENII, LVPANI, REINESII, RVPERTI, SALINERII, SAVILIS, SCHEFFERI, VERTRANII, VIRDVNGI, & *aliorum.* (Curſoriae lectioni accommodatae BERNEGGERIANA 8. & RYCKIANA 12. G.)

Curtius. Stili *elegantis* & *floridi* ideam dabit CVRTIVS, incertae aetatis ſcriptor, quem ob declamatorium & anxium dicendi genus, naeuoſque varios multi plane nouum ac ſuppoſititium ſcriptorem putant. Vid. VOSSIVS *de hiſtor. Lat.* I. 28, GVID. PATIN. *epiſt.* 27. *p.* 96. CELLAR. *in iudicio de Curtio, editioni ſuae praemiſſo*, WAGENSEILIVS *in pera libror. iuuenil. tom.* IIII. *p.* 178. Verum, vtut facile largiamur, non immunem eſſe CVRTIVM a variis naeuis, in dictione aeque, ac in geographia admiſſis: non tamen ideo nitidum illum ſcriptorem vel nouum, vel plane e manibus iuuenum excutiendum arbitramur, vel ideo, quod ſtilus ille *venuſtus*, quem ſupra deſcripſimus, a nemine, quam a CVRTIO, felicius exprimitur. CVRTIVM a IO. CLERICI (qui in *Arte Critica* inclementius de illo iudicauerat, G.) iniuriis vindicauit V. CL. IACOBVS PERIZONIVS *in Q. Curtio Ruſo reſtituto in integrum, & vindicato, Lugduni Batauorum* cIɔIɔCCIII. 8. Optima CVRTII editio eſt, quae *cum omnibus ſupplementis, variantibus lectionibus, commentariis ac notis perpetuis* FR. MODII, VAL. ACIDALII, T. POPMAE, IOAN. FREINSHEMII, IO. SCHEFFERI, CHRISTOPH. CELLARII, NICOL. HEINSII, *vt & ſelectis & excerptis aliorum cura* HENRICI SNAKENBVRGII prodiit *Lugduni Batauorum* cIɔIɔCCXXIIII. 4. *cum figur.*

In *iocoſo* ſtilo regnat PLAVTVS, qui & purus eſt, & terſus. Verum hic obſeruandum, I. archaiſmos nimis amare PLAVTVM, id quod tamen ſaeculo, quo vixit, condonandum eſt. II. Eumdem ſtilum ex perſonarum, quas in theatro ſiſtit, ingenio formare, & hinc III. ſaepius fingere phraſes & voces, ridiculas magis, quam Latinas, (a qua re ne in grauioribus quidem perſonis ſatis temperat, riſum mouiſſe vndecumque contentus. G.) IIII. Locos quoque ſeruiles, quibus abundat, aliquando parum eſſe vrbanos, quod iam HORATIVS in *art. poët. v.* 270. *ſeqq.* notauit: *Plautus.*

At noſtri proaui PLAVTINOS *& numeros &*
Laudauere ſales : nimium patienter vtrumque,
Ne dicam ſtulte mirati ; ſi modo ego & vos
Scimus inurbanum lepido ſeponere dicto,
Legitimumque ſonum digitis callemus & aure.

Conf. DAN. HEINSII *Diſſertat. in hunc locum* HORATII, Terentii editionibus addi ſolita, & VAVASSOR *de ludicra dictione*. His obſeruatis fructum ex PLAVTI lectione non leuem capiemus. In optimis editionibus eminent FRIDER. TAVBMANNI, *cum eiuſdem luculentiſſimo commentario, & notis* IANI GRVTERI, quae prodiit cIↃIↃCXXI. 4. itemque IO. FRID. GRONOVII, quae prodiit *Amſtelodami* cIↃIↃCLXIIII. 8. Nec negligendum PHIL. PARAEI *Lexicon Plautinum*, quod inſignem vtilitatem adferet omnibus, qui dictionis Plautinae ſunt paullo ſtudioſiores. [Nouam PLAVTI editionem minatus eſt ARN. HENR. WESTERHOVIVS.

Seneca. In *acuto* ac *ſententioſo*, quem vocant, ſtilo, prae ceteris commendandus SENECA, quamuis eum etiam hac in re iuſto eſſe diligentiorem, iam ſupra ex QVINCTILIANO (Lib.X. 1, 125. ſeqq. G.) aliiſque ſit obſeruatum. Abundat ſane SENECA dulcibus vitiis, quae facilius, quam ſaniora, a iuuentute in imitationem trahuntur : vnde merito eius lectionem in tertium demum curſum reiecimus. Ex philoſophicis eius ſcriptis hic ſeligendos exiſtimarim libros *de tranquillitate animi, de prouidentia*, & *de clementia*. Reliqua, vt & *epiſtolae* vltimo curſui poterunt reſeruari. Editio IO. FRID. GRONOVII, quae prodiit *Amſtelodami* 1672. 8. *mai. volum.* III. reliquis adcuratior, commodior, atque elegantior habetur.

Subiungimus his omnibus LACTANTIVM, Chriſtianorum Ciceronem, quem ſaeculo IIII. ineunte floruiſſe conſtat. *Lactantius.* Eo enim duce facile diſcemus, quae optima ſit imitandi ratio. Nam Ciceronis dictionem atque vbertatem tam adcurate expreſſit, vt non temere quiſquam paria illi ea in re fecerit. Sunt tamen & in LACTANTIO naeui quidam ſaeculo, quo vixit, condonandi, quos aeque, ac virtutes illius cum cura expendit IO. AVG. KREBSII *diſſertatio*, *Halae Magd.* 1702. *habita, de ſtilo Lactantii Firmiani. Inſtitutiones* eius *diuinae* multo nitidiores ſunt libello *de mortibus perſequutorum*, quem STEPHANVS BALVZIVS e codice Colbertino exſcriptum primus extulit *Tomo II. Miſcellan. Pariſ.* 1679. 8. Vnde hunc librum non Lactantio, ſed Caecilio cuidam tribuendum exiſtimat MASSVETVS. Sed nec is libellus vel ob res, quas complectitur, notatu digniſſimas videtur praetermittendus. Editiones *inſtitutionum diuinarum* exſtant variae, in quibus *Cellarianae* locus haud poſtremus debetur; (Magno apparatu critico rem geſſit IO. LVD. BVNEMANNVS, cuius editio *Lipſ.* 1739. 8. *mai.* reliquis omnibus haud dubie praeferenda eſt. G.] Alter vero libellus *cum notis* STEPHANI BALVZII, GISBERTI CVPERI, COLVMBI, TOINARDI, GRAEVII, EL. BOHERELLI, TH. GALE, IAC. TOLLII editus eſt a PAVLLO BAVLDRI *Vltraiecti* 1692. 8. *mai.*

Qui quarto? VII. Quarto curſu, iis potiſſimum, qui ſeſe totos amoenioribus Muſis conſecrarunt, deſtinato, non ſolum reliqua auctorum hactenus recenſitorum ſcripta adeunda, ſed & per ceteros ſcriptores omnium aetatum diuagandum eſt *). Euoluendi itaque erunt ſcriptores rei ruſticae CATO, VARRO, COLVMELLA, ſcriptor architecturae doctiſſimus VITRVVIVS, hiſtorici porro VELLEIVS PA-

TERCV-

TERCVLVS, VALERIVS MAXIMVS, CAIVS PLINIVS, FLORVS, IVSTINVS, *ſcriptores hiſtoriae Auguſtae* ſex, & AMMIANVS MARCELLINVS, rhetores item & oratores M. ANN. SENECA, QVINCTILIANVS, & *auctores panegyricorum veterum*, quibus denique accedent CORNELIVS CELSVS, T. PETRONIVS ARBITER, FRONTINVS, AVLVS GELLIVS, APPVLEIVS, CENSORINVS, IVLIVS OBSEQVENS, FL. VEGETIVS, MACROBIVS, & MARCIANVS CAPELLA. Reliqui enim ſcriptores, quibus & SYMMACHVM, & CASSIODORVM, & patres pleroſque accenſeo, hiſtoriae potius, quam Latinitatis cauſſa euoluendi ſunt.

*) Quum enim viro eloquenti de variis rebus diſſerendum ſcribendumque ſit: facile adparet, non ſufficere ei paucos auctores. Hinc phraſes ad rem bellicam pertinentes ex ſcriptoribus hiſtoricis, tacticis, & qui de caſtrametatione egerunt; phraſes oeconomicas ex Catone, Columella, Varrone; loquutiones medicas ex Celſo; architectonicas ex Vitruuio & Palladio; alias denique ex aliis petet. Vnde ſimul intelligere licebit, quanto in errore verſentur, qui ſolo lecto Cicerone ad ſummam eloquentiae perfectionem ſe peruenturos exiſtimant.

Scriptores rei ruſticae, Cato. CATO, quum dudum ante Ciceronem ſcripſerit, non adeo elegans eſt. Archaiſmos adhuc habet ſaeculo ſuo familiares. Optimum tamen agricolam fuiſſe, iam CORNELIVS NEPOS in *vita eius* obſeruauit. *Varro.* VARRO innumera paene ſcripſit, in quibus tamen praeter libros tres *de re ruſtica* & *de lingua Latina* IIII. ad VIIII. non integros, fragmenta tantum commune illud naufragium euaſerunt. Scripta eius iam olim doctrinae potius, quam eloquentiae laude commendabantur, QVINCTIL. *Inſt. orat. X*, 1. AVGVSTIN. *de ciuitat. Dei VI*, 2. *Columella.* Elegantiſſimus de re ruſtica ſcriptor eſt COLVMELLA, qui ſub Claudio floruit, vir eloquentiſſimus, adeoque cum cura legendus. Coniunctim hos ſcriptores *cum notis virorum clariſſimorum & lexico rei ruſticae* edidit vir celeb. IO. MATTH. GESNERVS, *Lipſiae* 1735. 4. *Volum. II.*

Scriptor architecturae Vitruuius. M. VITRVVIVS POLLIO architecturae ſcriptor doctiſſimus eſt, nec nitidiſſimus tamen, quamuis ſaeculo Auguſteo floruerit. Hinc in eo peregrinitatem & plebitatem notant BARTHIVS *Aduerſar.* I, 10. & CASP. SCIOPPIVS. Saepe in linguas varias tranſlatus eſt hic auctor. Latinae quoque editiones exſtant haud paucae, in quibus commendanda praeſtantiſſima, quam cum GVIL. PHILANDRI *Caſtilionaei integris commentariis*, *exceptis notis* DAN. BARBARI, & *lexico Vitruuiano* BERNARDINI BALDI Vrbinatis, tum IO. BVTEONIS, NIC. GOLDMANNI, CLAVDII SALMASII & MARCI MEIBOMII *ad loca quaedam Vitruuii obſeruationibus*, *addita eius vita*, vulgauit IOANNES DELAET, *Amſtelod.* 1649. *fol.* [Spem praeſtantiſſimae editionis faciunt IO. POLENI *Exercitationes Vitruuianae*, *Patau.* 1739, 4. *max.* G.]

Velleius Paterculus. VELLEIVS PATERCVLVS ſub Tiberio floruit, hiſtoriamque edidit, cuius in poſtrema parte vbique oſtendit animum paraſiticum, ſtilumque Tiberio & Seiano obnoxium. Vnde eum potius panegyriſten dixeris, quam hiſtoricum. Dictio tamen eius, quidquid alii, eſt plane Romana, elegans, & vel ideo commendanda, quod hominum indolem cum cura deſcripſit. Inde IO. HENR. BOECLERI enatus eſt libellus *de characteribus politicis Velleianis*, *Argentor.* 1672, 8. [Praeſtantiſſima omnium, ac nitidiſſima editio eſt, quae *cum integris ſcholiis, notis, variis lectionibus, & animaduerſionibus doctorum*

curante

curante PETRO BVRMANNO prodiit *Lugduni Batauorum* 1719, 8. *mai.* nuperque repetita, cui ex illa *Oxonienſi* etiam HENRICI DODWELLI *annales Velleiani* acceſſerunt.] Fragmentum VELLEII, quod circumfertur, a WOLFG. LAZIO editum, ab eruditis dudum exploſum eſt.

Valerius Maximus. Eodem Tiberio imperante VALERIVS MAXIMVS vixit, qui hiſtoriam memorabilium dictorum factorumque in varios titulos diſtributam ſcripſit. Sed quum ſtilus vix ſapiat tam bonum aeuum: non dubitarim ego quidem eorum accedere ſententiae, qui non tam integrum auctorem, quam eius excerpta quaedam ad nos perueniſſe iudicant. Vnde & raro inter ſe conſpirant codices MSS. ceu obſeruauit BARTHIVS *Aduerſar.* XVIIII, 15. Omnibus editionibus palmam praerepturus fuiſſet IACOBVS PERIZONIVS, ſi eius prodiiſſet editio. Sed in ſpongiam incubuit hic Aiax, niſi quod nuper *Perizoniana*, quae reperiri potuerunt, nouae ac ſplendidae editioni ſuae inſeruit ABRAHAMVS TORRENIVS. [Prodiit haec editio *Leidae* 1726, 4. *mai. cum notis integris* HENR. LORITI GLAREANI, STEPHANI PIGHII, IVSTI LIPSII, CHRISTOPH. COLERI & RO. VORSTII, nec non *ſelectis aliorum obſeruationibus*, quibus accedunt *emendationes ineditae* CASPARIS BARTHII, FRANCISCI GVYETI, & MARQVARDI GVDII, item ANTONII SCHVLTINGII *Exercitatio ad Libri VII. cap. 7. de teſtamentis reſciſſis.*]

Plinius. C. PLINII SECVNDI *Hiſtoria naturalis* iuſtae inſtar bibliothecae eſt, vnde reliquorum eius librorum iactura tanto triſtior accidit reipublicae litterariae. Vid. PLIN. *Epiſt.* III, 5. Auctor nondum ſatis caſtigatus videtur ob codicum MSS. penuriam, & eorum, qui exſtant, naeuos, de quibus conqueruntur *Scaligeriana prima*, p. 20. Reliquis tamen praeferendae editiones IO. FRIDER. GRONOVII *cum notis variorum, Lugduni Batauorum* 1659. 8. *mai. tom.* 3. & illa cedro digna IO. HARDVINI, *Lutet. Pariſ.* 1723, *fol.* [Eam emendatiorem longe & auctiorem dabit celeberrimus IO. MATTH. GESNERVS, quam proinde auidiſſime exſpectamus.] *Exercitationes* ſiue *Solinianae*, ſiue *Plinianae* CL. SALMASII, incredibili eruditionis varietate refertae ſunt, adeo vt vir ille doctiſſimus omnes fere vaſtae doctrinae theſauros in iis exhauſiſſe videatur. Sed multa etiam inſunt parum adcurate ſcripta, multae hariolationes criticae, multae coniecturae ſatis audaces, vt poſtea viris doctis tantum non omnibus vapularit SALMASIVS. Prodierunt poſt Pariſinam editionem *Vltraiecti 1689. in fol. tribus tomis.*

Florus. FLORVS, ex Annaeorum gente, qui ſub Traiano ſcripſiſſe videtur, hiſtoriam ſtilo magis poëtico, quam hiſtorico, compoſuit. Vbique adfectat magnificentiam & acumina, quae tamen aliquando in frigus abeunt, vt ſupra aliquot exemplis demonſtrauimus. Non tamen ſine fructu eum leges, ſi iudicium adhibueris. [Splendiſſima atque emendatiſſima editio eſt, quae *cum integris* SALMASII, FREINSHEMII, GRAEVII, *& ſelectis aliorum animaduerſionibus ex recenſione & cum notis* CAROLI ANDREAE DVKERI prodiit *Lugduni Batau.* 1722, 8. *mai.* [Sed magnificentior erat, ſi tota eſſet, ea, cuius *duo libri* priores *in vſum Boruſſici & Brandeburgici principis heredis* a LAVR. BEGERO editi ſunt *Coloniae March.* 1704, *fol.* G.] [Immo ſine iactura nos Begeriana editione carere, oſtenderunt viri doctiſſimi, GRAEVIVS atque DVKERVS in *praefationibus* ſuis.]

Iuſtinus. Incertae aetatis eſt IVSTINVS, quem plerique ad ferream Latinitatis aetatem referunt. In compendium redegit TROGI POMPEII, ſeueriſſimi & priſcae eloquentiae viri *hiſtoriam Philippicam*: ſed ſtilo vltra aeuum ſuum elegante, vt illum dictionem Trogi ſui vbique retinuiſſe;

tinuiſſe vero ſimile ſit. Optima editio eſt, quae *cum integris commentariis* I. BONGARSII, F. MODII, M. BERNEGGERI, M. Z. BOXHORNII, I. VOSSII, IO. F. GRONOVII, I. G. GRAEVII, T. FABRI, I. VORSTII, I. SCHEFFERI *&* *excerptis aliorum* prodiit *Lugd. Batauorum* 1719. 8. *mai.* curante ABRAHAMO GRONOVIO, quae nuper repetita fuit. Adcuratiſſimam nobis editionem dedit, & [praeter praefationem lectu digniſſimam, G.] *variantes lectiones adiecit* PETRVS BVRMANNVS, *Lugduni Batauorum* 1722, in 12. Vtinam plures auctores eadem ratione prodirent.]

Scriptores hiſtoriae Auguſtae. Scriptores hiſtoriae Auguſtae vocantur, qui hiſtoriam imperatorum Romanorum, inchoatam a SVETONIO continuarunt, AELIVS SPARTIANVS, IVLIVS CAPITOLINVS, AELIVS LAMPRIDIVS, VVLCATIVS GALLICANVS, TREBELLIVS POLLIO & FL. VOPISCVS, qui omnes imperantibus Diocletiano & Conſtantino M. floruiſſe videntur; quamuis quas ſinguli vitas compoſuerint, non adeo videatur expeditum, ceu oſtendit vir doctiſſimus HENR. DODWELLVS in *Praelectionibus Cambdenianis.* Maximi merito habentur ob rerum, quas tradunt, varietatem: ſtilus vero haud parum ex aeui illius ſordibus trahit, nec adeo temere imitandus eſt. Coniunctim ſaepe editi ſunt iſti VI. viri, de quibus optime meriti ſunt IS. CASAVBONVS & CL. SALMASIVS, quorum notae cum ſaepius, tum potiſſimum *Lugduni Batauorum* 1670. 8. *mai. volum.* 2. prodierunt, in qua editione & IANI GRVTERI notae occurrunt. [Neque contemnenda minor editio OBRECHTI *Argent.* 1677, 8. G.]

Ammianus Marcellinus. AMMIANVS MARCELLINVS, Graecus natione, Latine tamen ſcripſit temporum ſuorum hiſtoriam. Quumque ſub Iuliano demum imperatore vixerit: facile colliges, qualem eius dictionem eſſe oporteat. Duriuſcula illa eſt, & horridior, quam vt ſtili cauſſa legi poſſit. Eſt tamen AMMIANVS ſcriptor prudens, grauis, ſeuerus, & veritatis ſtudioſiſſimus, vnde viri doctiſſimi in eo illuſtrando multum induſtriae collocarunt. Editio optima eſt, quae *cum integris obſeruationibus* FRIDERICI LINDENBROGII, HENRICI HADRIANIque VALESIORVM & IACOBI GRONOVII prodiit *Lugd. Bat.* 1693. *fol.* & 4. multis imperatorum nummis, gemmis, imaginibus, obeliſcis aeri inciſis exornata. [Nouam iam editionem parat celeb. ABR. GRONOVIVS.]

Seneca. M. ANNAEVS SENECA, rhetor, Lucii philoſophi parens, more ſaeculi, controuerſias & ſuaſiones, id eſt declamationes, ſcripſit. Vigebant enim tum vmbratiles illae exercitationes, quas ſuo more exagitauit PETRONIVS. Quamuis vero non niſi excerpta habeamus, quae ipſe SENECA in filiorum gratiam e penu memoriae, qua ad miraculum vſque valuit, depromſit: ſcripta tamen illa ſunt ea dictionis puritate & elegantia, vt nihil in eo genere purius exſtet aut venuſtius. Solent plerumque *declamationes* iſtae philoſophi operibus iungi, id quod etiam a IO. FRID. GRONOVIO factum, [cuius editio optima hactenus fuit.]

Quinctilianus. M. FAB. QVINCTILIANVS a Galba imperatore ex Hiſpania Romam deductus, rhetoricam ibi docuit, tanta fama, vt viros doctiſſimos, & in his PLINIVM etiam, diſcipulos habuerit. Exſtant eius *Inſtitutiones oratoriae,* aeternum opus, & *declamationes,* quae tamen quum ad Quinctiliani praecepta non ſint compoſitae, eius eſſe haud videntur. Splendidiſſima omnium ac vtiliſſima editio eſt ea, quam *cum virorum doctorum integris notis ac animaduerſionibus* dedit PETRVS BVRMANNVS, *Lugduni Batauorum* 1720. 4. *mai. volum.* 2. [Conferenda omnino eiuſdem viri celeb. *Epiſtola ad* CLAVDIVM CAPPERONNERIVM, *diaconum Ambianenſem, & Graecae linguae Profeſſorem, de noua eius* M. FAB. QVINCTILIANI *de inſtitutione*

tione oratoria editione, *Leidae* 1726, 4. *mai.*] [Prodiit CAPPERONNERII editiõ *Inſtitutionis oratoriae Pariſ.* 1725. *fol.* quae *Burmannianam* [quantum ad hoc opus, nam *declamationes* non habet) fide non bona refert, & plurimas editoris annotationes bonas malas adiunctas habet. Opus *de inſtitutione oratoria cum perpetuo* commentario edidit.]

Auctores panegyr. veter. De auctoribus his panegyricorum veterum iam ſupra actum eſt *part.* II. *cap.* 3.

Cornelius Celſus. CORNELIVS CELSVS, ſuauiſſimae Latinitatis auctor, artem medicam nitida dictione expreſſit, vnde eum Latinorum Hippocratem, & medicorum Ciceronem vulgo audias cognominari. Optime de eo meritus eſt medicus THEODOR. IANS. *ab* ALMELOVEEN, qui Celſum emendatiſſimum, ſuiſque illuſtratum notis dedit *Amſtelodami* 1730, 8. [Nouam editionem promiſit celeb. IO. HENR. SCHVLZIVS.]

Petronius. Accedit celeberrimus ille elegantiarum pariter, ac nequitiarum arbiter, T. PETRONIVS ARBITER, *Satirici* auctor, a quo ſola ſi abeſſet obſcenitas, nemo felicius manum ad ſcribendum adpuliſſet. Perſtrinxiſſe videtur Neroniani aeui infelicitatem, & forſan, ſi integrum exſtaret ſatiricon, auctorem habituri eſſemus non minus grauem vitiorum inſectatorem, quam IVVENALEM. Verum videtur aliquis, parum caſtus, ea tantum ex opere illo excerpſiſſe, quae inuenerat maxime obſcena. [Pro *tantum* melius dixiſſet auctor *praecipue*: obſcena enim vix decimam partem horum fragmentorum implebunt. G.] Commendandus itaque eſt non pueris ac adoleſcentibus, ſed compoſitae mentis viris, qui & inde haud pauca praeclare diſcent. Optima editio eſt, quam *cum integris virorum doctorum commentariis*, & *notis* NICOLAI HEINSII ac GVILIELMI GOESII *nunc primum editis*, vna cum IANI DOVSAE *praecidaneis*, & D. IOS. ANT. GONSALI DE SALAS *commentis* edidit PETRVS BVRMANNVS *Traiecti ad Rhenum* 1709. in 4. *mai.* [quae poſt ipſius mortem demum ſecundis perpolita curis recuſa eſt *Amſtelod.* 1743. 4. *mai.*] Exſtat & aliud fragmentum, Traguriae in Dalmatia repertum, de quo mirae inter VALESIVM, SCHEFFERVM, VVAGENSEILIVM, alioſque viros doctos interceſſere lites. Edidit illud *cum notis* ſuis IO. SCHEFFERVS, *Vpſaliae* 1665, 8. deinde THOM. REINESIVS, *Lipſiae* 1666, 8. hinc CHR. ARNOLDVS, *Norimberg.* 1667, 8. qui etiam totius illius litis hiſtoriam texuit, variaque virorum doctiſſimorum iudicia adiecit. Fuit etiam, qui totum PETRONIVM Albae Regiae a. 1688. repertum in lucem extulit FRANC. NODOTIVS, *Roterod.* 1693, 12. Sed non tam creduli adhuc fuerunt eruditi, vt hunc ſibi fucum fieri paterentur a milite. [Interim illud quoque inſertum eſt editioni *Lipſienſ.* 1731, 8. G.] [quam MENZIO debemus.]

F E Traiani aeuo eſt SEXTVS IVLIVS FRONTINVS, qui & *de ſtrategematibus*, & *aquaeductibus* & *cloacis* ſtilo non adeo nitido ſcripſit. Strategemata Vegetio plerumque addi ſolent: [ſed & ſeparatim *cum notis integris* FRANCISCI MODII, GODESCALCI STEVVECHII, PETRI SCRIVERII & SAMVELIS TENVLII edidit FRANCISCVS OVDENDORPIVS, *Lugduni Batauorum* 1731, 8. *mai.* Liber *de vrbis Romae aquaeductibus* opera & ſtudio ill. IOANNIS POLENI ſplendidiſſime prodiit *Patauii* 1722, 4. *mai.*]

A AVLVS GELLIVS, quem alii AGELLIVM vocandum contendunt, *Noctes Atticas*, ſed luculentiſſimas, ſcripſit, quo in libro innumera philologica, critica, hiſtorica, philoſophica, promiſcue tractauit. Optima editio eſt, quae *Lugduni Batauorum* 1706, 4. *mai.* cura IACOBI GRONOVII prodiit. Nouam exſpectamus a celeberrimo viro ABR. GRONOVIO. [Accepimus a P. D. LONGOLIO vtiliſſimo *indice* illuſtratam

Curiae

Curiae Regnitiae 1741, 8. G.]

Apuleius. APVLEIVS, Madaurenſis, Afer, monſtroſae ac tumidae Latinitatis auctor eſt, vt eum rudere cum aſino ſuo lepide iudicaret PHILIPPVS MELANCHTON. Proprietatis quidem ſatis eſt amans, & diligens veteris Latinitatis conſeruator, ſed qui tumore & adfectatione ita omnia corrumpit, vt phraſin eius non immerito *docto ineptam* cum VOSSIO & LIPSIO poſſis adpellare. Mirifice tamen APVLEII ſtilum amauit PHILIPPVS BEROALDVS, a multis hinc iure notatus. Commodiſſima editio eſt GEVERARDI ELMENHORSTII, quae cum *ſpicilegiis* IANI RVTGERSII, ER. PVTEANI, & IO. BRANTII cet. prodiit *Frſ.* 1621, 8. *Apologiam* edidit [IS. CASAVBONVS, *Heidelb.* 1594, 4. & G.] SCIPIO GENTILIS, ICtus doctiſſimus, cum MEVRSII *Caſtigationibus, Hanou.* 1607, 8. *Metamorphoſeos* autem *Libros XI.* IOANNES PRICAEVS, *Goudae* 1650, 8. [Nouam *operum* editionem promiſit OVDENDORPIVS.]

Cenſorinus. CENSORINVS, quem ſub Alexandro Seuero vixiſſe conſtat, librum ſcripſit aſtrologica mathematicaque doctrina refertiſſimum, *de die natali.* Stilus ſimplex eſt, nec plane contemnendus. Optimae editiones ſunt HENR. LINDENBROGII, *Lugd. Batauorum* 1642, 8. & quae *Cantabrigiae cum notis variorum* prodiit. [Iam vero ea, quae cura SIGEB. HAVERCAMPI, *Lugd. Bat.* 1743, 8. prodiit.]

Iulius Obſequens. IVLIVS OBSEQVENS *de prodigiis,* quae Romae & in vicinia acciderunt, *Libros II.* ſtilo ſimpliciſſimo ſcripſit. Eos *cum animaduerſionibus* IO. SCHEFFERI, & *ſupplementis* CONR. LYCOSTHENIS edidit FRANSCISCVS OVDENDORPIVS, *Lugduni Batauorum* 1720, 8. *mai.*

Vegetius. FL. VEGETIVS, aeui Theodoſiani auctor, tum *de re militari*, tum *de mulomedicina* ſcripſit. Prior liber vna cum reliquis ſcriptoribus cum notis variorum prodiit. Poſteriorem ſplendidiſſimae *editioni ſcriptorum rei ruſticae Tom. II.* inſeruit celeberrimus IO. MATTH. GESNERVS. [Multa quae ad illuſtrandum VEGETIVM faciunt, depredendes in BESSELII *Miſcellaneis.*]

Macrobius. Eiusdem aetatis ſcriptor AVRELIVS THEODOSIVS MACROBIVS vtiliſſimo ad poſteritatem inſtituto optima quaeuis ex Latinis Graeciſque auctoribus excerpſit. Quare etſi eius ſtilus varius eſt, multa tamen veterum fragmenta hodie intercidiſſe conquereremur, niſi a MACROBIO fuiſſent conſeruata. Certe ei inter alia debemus luculentiſſimum illud e CICERONIS libris *de re publica* ἀποσπασμάτιον, quod *Somnium Scipionis* adpellatur, in quod MACROBIVS commentarium doctiſſimum conſcripſit. Prodierunt MACROBII *Opera* ſaepius, ſed optima eſt editio, quae *cum notis integris* IS. PONTANI, IO. MEVRSII & IAC. GRONOVII prodiit *Lugduni Batauorum* 1670, 8. *mai.* [Noua editio cum notis variorum exſpectatur a celeb. viro, ADR. GRONOVIO.]

Marc. Capella. MARCIANI CAPELLAE ſtilus adeo horridus & durus eſt, vt eum *pecudalis eloquentiae* auctorem ſuo ſtilo vocet CASP. BARTHIVS, *Aduerſar. XXV,* 13. Fabulam ſcripſit *de Mercurii & philologiae nuptiis,* qua totam encyclopaediam, ſed non ſatis feliciter, complexus eſt. Auctori huic adoleſcens 14. annorum lucem accendere ſtuduit HVGO GROTIVS, cuius editio prodiit *Lugduni Batauorum* 1599, 8.

An etiam poëtarum lectione opus ſit? VIII. Omiſſos videbis poëtas. Nam PLAVTVS, TERENTIVS, PHAEDRVS, quos recenſuimus, licet metro ſe adſtrinxerint, dictione tamen familiari potius, quam poetica, vtuntur *). Neque tamen exiguus eſt poëtarum vſus etiam in ſoluta eloquentia, ſi cum iudicio legantur **). In primis vero commendandi ſunt ob puritatem ſermo-

ſermonis VIRGILIVS, HORATIVS, OVIDIVS, ***), CATVLLVS, TIBVLLVS, PROPERTIVS, ob phraſin LVCRETIVS ****), ob acumen LVCANVS *****). A tumidorum vero poëtarum, quales ſunt STATIVS, CLAVDIANVS, & alii ******), imitatione plane, me quidem auctore, abſtinebit elegantiae caſtioris ſtudioſus.

*) Comici enim perſonas ſiſtunt viliores, veluti ſenes, agricolas, ſeruos, libertos, paraſitos, & huius generis alios, qui cothurnis incedere haud ſolent. Hinc & eiuſmodi eligunt metrum, quod vix familiari & ſoluta oratione poſſit diſtingui. Paullo adſtrictior eſt PHAEDRVS, qui tamen & ipſe comicos potius, quam poetas alios imitatur.

**) Qui paullo ſubactiore [per ipſum legendi vſum G.] ſunt iudicio, ii, quid in poetis ſit poëticum, quid Latinum, facile diſcernent. [Vid. ſupra *part. I. cap. 2.* §. 15.] Ergo ex poëtis *magnam optimarum vocum phraſiumque copiam* colligent, quae etiam in proſa oratione inueniet locum. Dabimus exempla quaedam e CVNAEO. Dixerat HORAT. *Carm.* IIII, 4.

Per damna, per caedes, ab ipſo
Ducit opes animumque ferro.

Hanc phraſin eleganter imitatus CVNAEVS *orat.* I. *p.* 14. de academia Lugdunenſi: *quo plures*, inquit, *emergerent belli difficultates, tanto illa maior in dies pulcriorque effloruit, ita, quod prope inauditum eſt, per damna, per caedes, ab ipſo ferro duxiſſe vires ſuas & augmentum videtur.* Sic & LVCANVS *Pharſal. V*, 108. de infantibus a Mario occiſis:

Crimine quo parui caedem potuere mereri?
Sed ſatis eſt iam poſſe mori.

Haec ita imitatur CVNAEVS *orat.* II. *p.* 39. *Crudelitatem in omnes ciues exercuit; etiam in eos, quorum nullum erat aliud crimen, niſi quod mori poſſent.* Ita idem *orat.* IIII. *p.* 72. Ariſtotelem vocat *maximum vbique auctorem naturae verique*, idque ſtilo HORATII, qui *Od.* I. 27. Pythagoram hoc elogio ornauit. In deliciis quoque ipſi ſunt phraſes: *ſub fauſtis enutritus penetralibus*, ex HOR. *Carm.* IIII, 4. *Romani rerum domini* ex VIRG. *Aen.* I, *v.* 281. *Ioue aequo iudicare* ex HOR. *Epiſt.* II, 1. *v.* 68. *Victima ſuorum ciuium* ex SEN. *Herc. fur. v.* 922.

II. Poëtae etiam ſaepe ſuppeditabunt praeſtantiſſima epitheta, nec non

III. pulcerrimas ſimilitudines, imagines, & alia huius generis. Quam pulcrum v. c. eſt epitheton HOR. *Satir.* II, 3. *v.* 287. *foecunda Menenii gens*, pro ſtultis? Quam eleganti imagine de tardiore greſſu vtitur PLAVT. in *Poenul. III*, 1. *v.* 10:

Nam iſte quidem gradus ſuccretus eſt
cribro pollinario.

Caue tamen hic arripias epitheta vere poëtica, qualia iam ſupra notauimus. Non pauciora

IIII. e poëtis petes acumina & ingenioſas loquutiones. Sic MARTIALEM imitatus, de eo, quem mortis metus manus ſibi conſciſcere iuſſit, eleganter dices: *nihil eum potuiſſe facere ſtolidius, quam illum, ne moreretur, mori voluerit.* Denique

V. nonnumquam integra poëtarum loca oratione ſoluta reddi poſſunt, quod ſaepe ipſum CICERONEM feciſſe adparet. CVNAEI exemplum iam ſupra adduximus ex eius *Sardis venalibus*, *p.* 412.

***) VIRGILII dictio elegans eſt, ac plane Latina. Ad ſolutam tamen orationem propius accedunt eius *Ecloge* & *Georgica*, quam *Aeneis*, in qua abſolutiſſimum dare voluit ſublimis & heroici carminis exemplum. Ea vero propria eſt VIRGILII laus, quod res verbis aequat, & ex lectoribus fere efficit ſpectatores. Optima & ſplendidiſſima omnium eſt editio, quam cum integris *commentariis* SERVII, PHILARGYRII, PIERII, & *adnotationibus* SCALIGERI & LINDENBROGII *ad Culicem, Cirin*, & *Catalecta* edidit PANCRATIVS MASVICIVS Leo-

Leouardiae 1717, 4. *mai. tom. II.* [cuius tamen luminibus officiet Burmanniana, quam propediem exſpectamus.] Inter minores editiones praeſtat *Burmanniana* 1714, 12. *ex emendationibus* NICOL. HEINSII. Q. HORATIVS FLACCVS, impar aetate Virgilio, *Carmina Lyrica, Satiras, Epiſtolas,* & *de re poëtica* ſcripſit. In his *ſatirae, epiſtolae,* & *de arte poëtica* libellus proxime ad ſolutam orationem accedunt. Dictio in illis eſt grauis, morata, amoena, & caſte Latina. [Textum HORATII emendatiſſime exhibent editiones duae *Burmannianae,* altera *Trai. Batau.* 1689,12. cum RVTGERSII *lectionibus Venuſinis,* altera *ibid.* 1713. 12. *ad emendationes Bentleianas,* & ALEXANDER CVNINGHAMIVS, cuius editio prodiit *Hagae Comitum* 1721, 8.] Denique P. OVIDIVS NASO ſcripſit *libros amorum, metamorphoſes,* in quibus omnibus iuueniliter ſaepe laſciuit. Maiore iudicii maturitate compoſiti ſunt libri *triſtium, de Ponto,* & *faſti,* antiqua eruditione referti. *Heroidum epiſtolarum* puriſſima quidem dictio, ſed impurae ſaepe ſententiae ſunt, vt ſolet in libris eroticis. Stilus vbique candidus, natiuus, & facilis, quiue plurimum adiumenti ſolutae orationis ſcriptoribus ſuppeditare poſſit. Ita enim plerumque ſcribit OVIDIVS, vt demto numero poetico, ſolutam orationem audire te crederes. [Quin *diſiecti* etiam *membra poëtae,* vt loquitur HOR. *Sat.* I, 4, 62, agnoſcunt, qui de poëtis iudicare poſſunt. G.] [Optimae editiones ſunt duae *Burmannianae,* altera, quae tribus voluminibus in minore forma prodiit *Amſtelodami* 1714, & textum tantum exhibet; altera, quam *cum* integris IACOBI MYCILLI, HERCVLIS CIOFANI & HEINSIORVM & excerptis aliorum *adnotationibus* edidit vir laude noſtra maior PETRVS BVRMANNVS *Amſtelod.* 1727. *mai.* 4. *volum.* 4.]

****) T. LVCRETIVS CARVS, Ciceronis aequalis, philoſophiam Epicuri naturalem carmine Latino expoſuit, cuius dictionem, puram admodum eſſe vel ideo oportet, quod poſt Lucretii fata ipſe Cicero amici poemati limam adhibuit. Fugiendi tamen archaiſmi quidam, quibus aliquando indulſit LVCRETIVS. [Optima ac emendatiſſima ſine dubio eſt editio, quam *cum interpretatione & notis* edidit THOMAS CREECH, *Londini* 1717, 8. *mai.* quamuis non ignorem, recentiorem eſſe editionem *Hauercampianam,* quippe quae *Lugduni Batauorum* 1725. 4. *mai. vol.* 2. prodiit, quae tamen ob integros aliorum commentarios adiectos commendari meretur.] [Nempe habet ſplendidiſſima haec editio *notas integras* LAMBINI, GIFANII, T. FABRI, CREECHII, & *ſelectas aliorum,* tum magnam vim *variarum lectionum,* ipſiusque HAVERCAMPI & PREIGERI *annotationes,* & ornamenta alia. G.]

*****) Acutiſſimus poeta eſt LVCANVS, ex Annaea gente, M. Senecae rhetoris ex filio Annaeo Mela Nepos. QVINCTILIANO *Inſtit. orat. X,* 1. ſagaciſſimo ingeniorum cenſori, *ardens videtur, concitatus & ſententiis clariſſimis vſus, ſed oratoribus magis, quam poëtis adnumerandus.* Nos vero non poëſeos, ſed acutae dictionis cauſſa, commendamus LVCANVM, non ignari, verſus paullo inamoeniores & nonnumquam tragicos furores in eo notari. [LVCANVM cum lectionibus variantibus edidit GOTTLIEB CORTIVS, *Lipſ.* 1726, 8. eius vero *commentarius* nondum lucem vidit. Cum *ſcholiaſte* vero inedito & *adnotationibus* integris HENRICI GLAREANI, IACOBI MYCILLI, IOACH. CAMERARII, HVGON. GROTII, & ſelectis aliorum edidit FRANCISCVS OVDENDORPIVS, *Lugduni Batauorum* 1728. 4. *mai.* cui iungenda ea, quae cum commentario doctiſſimo celeberrimi BVRMANNI prodiit *Leid.* 1740. 4. *mai.*]

******) Meteora potius orationis, quam ſolidam ſtili elegantiam deprehendimus in PAPINIO STATIO, quem cum *animaduerſionibus* ſuis edidit CASPAR BARTHIVS. Vnde miror, eius tumores adeo placuiſſe IVSTO LIPSIO, AVG. BVCHNERO, & aliis, quibus magni

gni ſpiritus poëta videtur. Vbique excreſcit in tumorem, vbique eo ſublimitatis tendit, vbi, quo loco pedem ponat, non inuenit. Vnde recte illi, qui STATIVM fingunt in ſummo Parnaſſo ſedere, ſed caſuro ſimilem. Eumdem tumorem in SIDONIO APOLLINARI, CLAVDIANO, aliiſque ſequioris aeui poëtis reperimus, quorum lectionem ideo non adeo multum cultioris ſtili ſtudioſis profuturam arbitramur. [CLAVDIANVS aeuo meliore dignus poëta, etiam propter argumentorum rationem, & morum praecepta egregia commendandus illis, qui ex Virgilio & Horatio iudicium & velut guſtum formarunt. Editiones meliores C. BARTHII cum ampliſſimo Commentario *Francof.* 1650, 4. & *cum notis* N. HEINSII, *ac ſelectis varior. Commentariis Amſt.* 1665, 8. G.] *Commentarium* praelo paratum habuit celeb. BVRMANNVS, quem, ſi vota noſtra valent, debebimus celeb. BVRMANNO iuniori.]

In auctorum lectione quae obſeruanda.

VIIII. Sed haec quidem de ordine, quem in lectione auctorum obſeruandum arbitramur. Proximum eſt, vt, quae in ipſa lectione obſeruanda enotandaque ſint, doceamus.

Primo phraſes elegantiores.

X. Primum ergo danda eſt opera, vt ſenſum auctoris probe capiamus *). Deinde reſpiciendum ad voces & phraſes elegantiores, nec non ad compoſitionem ac conſtructiones rariores **). In his enim quanta ſita ſit ſtili elegantia, ii intelligent, qui, quae ſuperioris partis primae capite primo ea de re diximus, ſibi in memoriam reuocauerint.

*) Equidem in ipſo, quem commendauimus, ordine ad intelligentiam auctorum magnum poſitum eſt momentum. Suadendum tamen ſimul eſt auctores cum fructu lecturis, I. *vt optimas ſibi editiones comparent.* Quo emendatior enim eſt textus, eo auctor intelligetur facilius. Praeterea non tam facile librariorum vitia pro loquutionibus rarioribus atque elegantioribus adripient; ſed prudenter abſtinebunt ab iis, quae dubiae lectionis eſſe, ex editionibus cum MSS. collatis intelligunt. II. *Vt notas eruditorum diligenter conferant, in quibus difficillima plerumque loca cum cura explicantur.* [Sed non prius, quam vel haerere ſibi aquam ſentiant, vel certe dubitandi cauſſam habeant: ne tempus, quod melius in ipſis antiquorum monumentis collocatur, in rebus forte conſumatur ad rem noſtram non neceſſariis. G.] Neque tamen aliorum ſententiis, tamquam ſcopulis eſt inhaerendum. Saepe enim attentior lectio & meditatio aliquid ſuggeret, quod quis fruſtra in variorum notis quaeſiuerit, maxime quum illae notae variorum ſaepe rem eamdem repetant, difficiliora haud raro praeteruehantur, & in rebus exiguis & vulgo notis aliquando ſint verboſiſſimae. III. *Vt ne adſpernentur ſubſidia illa, quae ad explicandos auctores quam maxime faciunt.* Sic LIVIVM v. c. lecturus facilius progredieris, ſi praeter geographiam antiquam, etiam antiquitates Romanas, & LIPSII praeclarum opus *de militia vetere Romanorum* in conſilium adhibueris. Immo & in librorum omnium hiſtoricorum lectione in primis vtile ac frugiferum eſt, & chronologiam quamdam paullo adcuratiorem, veluti DION. PETAVII *Rationarium temporum*, & eos ſcriptores, qui de veterum Rom. familiis commentati ſunt, veluti GLANDORPIVM, ANT. AVGVSTINVM, FVLV. VRSINVM, a *Petauio* & *Vaillantio* editum auctumque in conſilium adhibere. Vtrique vſui ſeruient etiam STEPH. VIN. PIGHII *Annales Romanorum*, quamuis hic auctor, quod ad magiſtratus & perſonarum

ſonarum originem gentiumque ſucceſſionem adtinet, multa indulſiſſe ingenio videatur. [IIII. Ne diu haereant in locis obſcuris, ſed ea notaſſe contenti pergant, dum vel ipſe ſe aperiat, quod ſaepiſſime contingit, ſcriptor, vel ſit interrogandi peritioris occaſio, vel tempus interpoſitum aptiores ad interpretandum faciat &c. De his & aliis egi quantum licuit adcurate in *praefatione* ad LIVIVM *Lipſ.* 1735, 8. *editum*, cuius argumentum *de ſcriptorum veterum lectione tum ſtataria, tum curſoria.* G.]

**) Exempli loco eſto locus quidam SENECAE *Conſol. ad Marc. XV.* Prima periodus haec eſt:

Quid aliorum tibi funera Caeſarum referam? quos in hoc mihi interim videtur violare fortuna, vt ſic quoque generi humano proſint, oſtendentes, ne eos quidem, qui diis geniti, deosque gemituri dicantur, ſic ſuam fortunam in poteſtate habere quemadmodum alienam.

Hic mihi notarem elegantem compoſitionem *aliorum tibi funera Caeſarum*. Notarem etiam phraſes & vocabula: *funera Caeſarum*, pro funera in domo Auguſta; [Nempe *Caeſar* nomen proprium familiae tum imperantis; G.] *in hoc*, pro ideo, *principem violat fortuna*, pro fortuna principi aduerſa eſt. Satis enim patet, SENECAM ad ſacroſanctam principum perſonam reſpicere, quam alioquin violare nefas eſt. Nec inelegans eſt loquutio: *fortunam ſuam in poteſtate habere*. Succedat iam altera & tertia periodus:

Diuus Auguſtus, amiſſis liberis, nepotibus, exhauſta Caeſarum turba, adoptione deſertam domum fulſit. Tulit tamen fortiter, tamquam eius iam res ageretur, cuius cum maxime intereſſet, de diis neminem queri.

Hic diuus eſt ἀποθεώσεως ſignum. Inde vero ſtatim ego quidem colligerem, male dici *diuus. Paullus, diuus. Petrus*, quos numquam in deorum numerum retulimus. [Vid. quae monuimus ad *part. I. cap.* 2. §. 12. de verbo *Canonizare. Diuos* puto recte dici, quos a morte ſua in caelum receptos, & gloria atque honore inter homines florentes indicare volumus: idque demonſtrare ex diuinis humaniſque litteris conatus ſum *programmate* RANTZOVII *orationi in diuam Carolinam praemiſſo.* G.] Notarem quoque, *Caeſares* hic dici principes iuuentutis, qui in ſpem imperii ſuccreſcunt. [Quin familiae ſimpliciter hic nomen eſt. Illa ratio, quam auctor memorat, Conſtantini demum aeuo coepit. G.] Nec praetermitterem phraſes: *turba liberorum exhauſta eſt*, pro numeroſa proles morte intercepta eſt, quamuis durior ſit translatio, quum *turba* non *exhauriri*, ſed diſſipari, opprimique ſoleat. Sane & haec non ſatis adcurate vel eleganter dicta enotare vtile eſt. *Deſerta domus* pro orbitate, *adoptione fulcire deſertam domum* pro adoptione ſibi liberos in demortuorum locum ſurrogare, vbi denuo non ſatis elegans eſt tranſlatio, quum non *domus deſertae*, ſed hiſcentes, ventremque facientes & ruinam minantes fulciri ſoleant. *Nemo iam de deo queritur*, pro feliciſſima ſunt tempora. [Illud praeſertim obſeruandum, reſpici hic ad conſecrationem, quam ſperabat Auguſtus; cum ipſe mox inſerendum ſe ſenatui deorum, cogitaret; nolebat de eo velut collegio queri, cuius ipſe paullo poſt pars futura eſſet. G.] Pergit SENECA:

Tib. Caeſar, & quem genuerat, & quem adoptauerat, amiſit: ipſe tamen pro roſtris laudauit filium, ſtetitque in conſpectu poſito corpore, interiecto tantummodo velamento, quod pontificis oculos a funere arceret, & flente populo Romano, non flexit vultum, experiendum ſe dedit Seiano, ad latus ſtanti, quam patienter poſſet ſuos perdere.

Hic occurrunt vocabula *amittere* & *perdere*. Prius de filiis Tiberii; poſterius de Seiano, eiuſque ſociis vſurpat SE-

NECA. [Sic LIPSIVS. Sed, puto, hoc voluit Tacitus, Seianum docuit hoc ipſo exemplo Tiberius, quam patienter ferret ſuos perire, audacioremque ad rem gerendam fecit. G.] Hoc mihi in animum reuocaret differentiam vtriuſque vocabuli, *amittere* ſcilicet nos dici, vbi ſpes ſit recuperandi, *perdere*, vbi euanuerit. Illa ſpe ſcilicet liberos Caeſarum non minus, ac ipſos Caeſares, in diuorum numerum referebat eorum temporum ſuperſtitio. Obſeruandae porro loquutiones: *hoc oculos ab ea re arcet*, pro hoc inter oculos & rem interiectum; *non flexit vultum*, pro eodem vultu perſeuerauit, *experiendum ſe alicui dare*, pro experimentum in ſe dare. Plura addere nihil adtinet.

Deinde acumina rariora.

XI. Nec ad verba tantum reſpiciendum, verum etiam ad ingenioſa iudicia vel acumina, quae auctor immiſcuit *).

*) Haec dici non poteſt, quantam ſuauitatem adferant orationi, ſi ea cautione, quam ſupra commendauimus, adhibeantur. Sic in SENECAE periodis paullo ante recenſitis, mihi notarem arguta illa iudicia: *principes non ita ſuam fortunam in poteſtate habere, quemadmodum alienam.* Item *principis quam maxime intereſſe, neminem ſuo tempore de diis* [de fortuna] *queri.* Sic quoque ſi legiſſem PHAEDRI *Fab. I,* 14. praeter voces & loquutiones praecipue mihi in vſus meos ſeponerem acutum illud regis iudicium: *quantae putatis eſſe vos dementiae, qui capita veſtra non dubitatis credere, cui calceandos nemo commiſerat pedes?* Talia enim elegante imitatione exprimi aliisque rebus adcommodari poterunt, ceu infra docebimus.

Denique res notatu digniores.

XII. Denique quam maxime ratio habenda eſt rerum *). Vix enim operae pretium videretur, verborum tantum cauſſa per tot omnis aeui ſcriptores diuagari.

*) Per res in primis intelligo, I. ritus antiquos, [praeſertim ea loca, vbi manifeſto indicatur ritus, vt inde intelligantur obſcuriora, G.] II. ea, quae ad illuſtrandam hiſtoriam eccleſiaſticam, ciuilem, naturalem, iuris & legum, philoſophiae & litterarum pertinent, III. doctrinas e philoſophia depromtas, ita tamen, vt ſemper, cui ſectae aut methodo philoſophandi addictus fuerit auctor, conſideremus, [cum ſenſum alium atque alium habeant eadem verba pro diuerſa ſecta ſcribentis. G.] IIII. ſententias & apophthegmata, V. ſimilitudines & comparationes, VI. exempla memoratu digniora, aut ſi quid aliud ad inſtitutum noſtrum facere videbitur. Fieri enim poteſt, vt quis ſingularia quaedam themata aliquando adcuratius tractare conſtituerit. Huic ipſa ſuadebit ratio, vt res omnes, in auctoribus obuias, quae ad iſtud thema pertinere videbuntur, cum cura obſeruet, & in ſuos vſus ſeponat. Id quod pluribus exemplis docuit SAGITTARIVS in libello *de lectione atque imitatione Ciceronis.* Nos, vt iisdem SENECAE periodis regulam noſtram illuſtremus, ex iis notare poſſemus *exempla* Auguſti & Tiberii, qui liberorum amiſſionem forti animo tulerunt. Notaremus etiam *exemplum* ſtultitiae Seiani, qui ſe gratia principis excidere haud poſſe, putauerat. Porro obſeruaremus *ritum* veterum, quod etiam principes ſuos pro roſtris laudarint, nec non *alterum ritum*, quod pontificibus maximis Romanorum funera adſpicere non licuerit, ideoque interpoſuerint velamentum, quod oculos ab iſto conſpectu arceret.

Inde con-

XIII. Quum vero fallax plerumque ſit memoria, & nemo velit

ſit tantum laboris lectioni auctorum ideo inſumere, vt quae lege- rit obſeruaritque, eorum paullo poſt obliuiſcatur: *opus etiam erit excerpendi arte* *), quam tamen non confuſam **) aut cum taedio coniunctam ***), ſed expeditiſſimam eſſe oportebit. ficienda excerpta.

*) Fuerunt equidem, qui memoria feliciſſima freti hac excerpendi opera ſuperſederunt. Sed ii plerumque ipſi poſtea de iſta negligentia ſua conqueſti ſunt. Nam praeterquam quod memoria, quamuis feliciſſima, ſubinde fallit, aliaque pro aliis ſuggerit: moleſtus tunc erit euoluendi labor, quando locum auctoris requirere volueris. Accedit, quod licet iuuenes lecta facile teneamus memoria, ſenectus tamen homines plerumque reddat obliuioſos. Tunc vero iucundum erit, omnia, quae legimus, in collectaneis noſtris tamquam in cella penaria recondita intueri.

**) Confuſa erunt collectanea, ſi ea ita conficias, vt, quae quaeris, inuenire nequeas. Hinc non ſuaſerim, vt quis more vulgari, verba & res ſub titulis quibuſdam collocet. Nam primo ita res ad varias diſciplinas pertinentes adcumulantur, & res diuerſae naturae ſaepe ſub eodem titulo adparebunt. Deinde quum titulos arbitrio noſtro fingamus, & vna ſaepe obſeruatio ſub decem titulis inueniat locum: haud raro fiet, vt eam ſub pluribus titulis fruſtra quaeramus. Omitto alia, quae huic excerpendi rationi inſunt, vitia.

***) Innumera exſtant de excerpendi arte conſilia, quae non magis plerumque neceſſaria videntur, quam ſi quis artem reponendi theſauros magno adparatu docere vellet. Quis quaeſo probaret VINC. PLACCII ſcrinium? quis alia eiusmodi inuenta, qualia haud pauca recenſuit MORHOFIVS. *Mihi ea demum excerpendi ratio videtur optima, quae & omnium minime laborioſa, & tamen ad rem quamlibet reperiendam expeditiſſima eſt.*

XIIII. Magno vero laboris compendio excerpta locupletiſſima conficies, ſi lexicon aliquod adcuratius *) & aduerſariorum librum tibi paraueris. Et lexico quidem adſcribes vocabula, ſi qua inueneris, rariora **), ſignificationes vocum elegantiores ***), phraſes ſelectiores ****), epitheta notatu digniora *****), ſignatis ſimul auctorum locis ******), additisque obſeruationibus criticis & philologicis, quas in virorum doctorum adnotationibus deprehendiſti †). Et quidem lexicographica.

*) Excerpta eiusmodi lexicographica mirifice commendant IAC. THOMAS. in *Erotem. rhet. p.* 66. VINC. PLACC. in *Hiſt. excerpt.* eius libro de excerpendi arte adnexa, & MORHOF. *Polyhiſt. I, 2.* 3. 4. 619. Vſui hic erit *Lexicon Fabrianum* GESNERI, vel ideo, quod vir hic diligentiſſimus iam plurima enotauit, adeoque multum laboris nobis detraxit. [Non decoquemus, ſpero, hanc diligentiae laudem in eo, cui cum maxime operam enixam damus, *Theſauro linguae Latinae*, qui & amplior, & adcuratior reliquis ſui generis libris vt prodeat, nulli certe labori parcimus, & quod numquam nos facturos iterum ſcimus, illud vltimum quam poteſt bene facere conatu omni ſtudemus. G.)

**) Talia ſunt, quae, iam MORHOF. *l. cit. p.* 623. notauit, *vacuefacere* apud NEP. *leno* pro legato apud IVSTINVM, pro quo tamen emendatiores editiones legunt *legatus*, *calculo* pro calculatore apud CIC. aliaque huius generis. Probe tamen in eiusmodi vocabulis diſpiciendum, I. an forte ſint dubia? Multa enim, expenſis codicibus MSC. euaneſcere ſolent. Sic & PETR. BEMBVS apud CICERONEM inuenerat *multiſſimus*, eaque voce tamquam Ciceroniana fuerat

vſus.

vſus. Verum poſtea ex codicibus MSS. adparuit, non legendum in CICERONE eſſe *ex multiſſimis miſeriis* ſed *multis meis miſeriis*. Diſpiciendum quoque II. an ſint obſoleta? item III. an ioci cauſa inventa: Sic CICERO aliquando dicit *dextella* pro *dextra*, *Epiſt. ad Attic. XIIII*, 13. ſed quis dubitaret, quin ipſe hanc vocem ioci cauſſa inuenerit? Talia etiam multa apud PLAVTVM occurrunt. Haec quidem tamquam rariora notanda, ſed non temere imitanda videntur. Denique & id generatim obſeruandum, rariora, quantumuis bona, vel ideo non eſſe frequentanda, quia rariora ſunt. Notanda tamen ſunt diligenter, vt ne bonis auctoribus, qui aliquando talibus vſi ſunt, dicam temere impingamus. Sic rara quam plurima occurrunt in *Digeſtis*, quae in libro *Parergon* diligenter collegit BARN. BRISSONIVS, & acerrime exagitauit LAVR. VALLA. Et tamen pleraque defendi poſſe, ſatis oſtendunt *Opuſcula de Latinitate veterum ICtorum Lugduni Batau.* 1711, 8. recuſa, & adnotationes doctiſſimae, quae iis adſperſit CAR. ANDR. DVKERVS, [immo *Lexicon iuris Briſſonianum cum notis Heineccianis*.]

***) Rariores nonnumquam occurrunt vocum ſignificationes, quas notari in lexicis omnino par eſt. Sic *inſanire*, eſt immodicos ſumtus facere apud PLAVT. *Mil. glor. III.* 1. *v.* 59. VIRGIL. *Ecl. III. v.* 36. TERENT. *Phorm. IIII*, 3, 37. *ſupplicium* pro ſupplicatione non ſemel occurrit apud SALLVSTIVM. Talia notanda ſunt, ita tamen, vt & hic conſideremus, num forte auctor ad adfectationem ſit procliuior. Multae enim ſignificationes rariores ſunt apud SALLVSTIVM, quae vix videntur imitandae.

****) Phraſes eiusmodi ſunt ſeligendae, quas non facile ipſi fingeremus, e. c. *otium corpori dare*, eſt apud PHAEDR. *praef. libri III.* Hanc ipſe non excogitaſſem facile. Mea ergo intereſt, vt eam lexici adſcribam margini, ad vocem *otium*. In indice vero Germanico evolui poterit vox *ſich eine Veranderung machen*, ibique addi pagina lexici, in qua illa phraſis Latina adſcripta eſt. Eodem modo reliquae praſes elegantiores ſuo quaeque loco poterunt adſcribi. Neque tamen plane praetermittendi ſunt Germaniſmi falſo ſuſpecti. Quamuis enim illi non temere adfectandi ſint, multae tamen occurrunt loquutiones Latinae, quae quum nobis ob vernaculae ſimilitudinem haud parum ſuſpectae videantur, in optimis tamen auctoribus reperiuntur; v. c. *magnum ſe facere*, *hilarem ſe facere*, *veſtis bene ſedet*, *pro ſelice aliquem adſpicere*. Conferri meretur VORSTII libellus *de Latinitate falſo ſuſpecta*. [cum notis ac praefatione celeb. GESNERI nuper *Berolini* recuſus.]

*****) Talia epitheta non ſtatim ſuccurrunt, & tamen mirifice ornant orationem. MARIVS NIZOLIVS laudanda opera ſingulis ſubſtantiuis epitheta *Ciceroniana* ſubiecit, v. c. ad vocem *bellum* haec notauit epitheta: bellum *acerbum*, *aeternum*, *adfectum*, *non confectum*, *commotum*, *confirmatum*, *perniciosum*, *exitioſum*, *crudele*, *domeſticum*, *triſte*, *turbulentum*, *duriſſimum*, *peſtiferum*, *inteſtinum*, *iuſtum*, *denuntiatum*, *inductum*, *merum*, *mortiferum*, *nefarium*, *occultum*, *oppreſſum*, *renatum*, *reſtrictum*, *inflammatum*, *deterrimum*, *periculoſum*, *externum*, *profligatum*, *hoſtile*. Si ex reliquis auctoribus talia colligerentur, quantam nobis enatam videremus epithetorum ſegetem? [Hic magna erit Theſauri, quem inſtruimus, commoditas. Neque enim nuda, vt adhuc factum, ibi ponuntur epitheta: ſed quoties ea non ſimpliciter nomen ſuum declarant, adeoque non ſemper adhiberi poſſunt, ex contexto relationem illam & reſpectum indicamus, quo vera ſunt: qua vel ſola ratione infinitis ſcribentium vitiis, ineptis ſaepe ac ridiculis, occurri poteſt. G.) Sed in vſu eorum illa reuocanda erunt in memoriam, quae ſupra *part.* I. *cap.* 2. §. 47. [ea de re monuimus.

******) Hic denuo magno nobis adiumento erunt editiones optimae, in qui-

quibus plerumque textus in capita, & haec denuo in inciſa ſua ſecantur. Facile ergo phraſi Cornelianae: *petere commigrationis ſocietatem* poterit adſcribi locus NEP. I, 1, 2. vbi primus vitam imperatoris, ſecundus caput, tertius inciſum capitis notat.

†) In hunc cenſum veniunt I. *ſcholiaſtae veteres*, quos non temere praetermittendos puto, quia inſignem ſuppeditant obſeruationum doctiſſimarum copiam. Sic in CICERONEM commentati ſunt ASCON. PAEDIANVS & MACROBIVS: in VIRGILIVM, DONATVS & SERVIVS: in HORATIVM, ACRON, PORPHYRION, aliuſque ἀνώνυμος, cuius ſcholia ex codice MSC. primus extulit IAC. CRVCQVIVS. De IVVENALE etiam, TERENTIO, PERSIO, aliiſque auctoribus bene meriti ſunt ſcholiaſtae quidam veteres, quos euoluiſſe haud poenitebit. Conſulendae etiam II. adnotationes virorum doctorum, qui a renatis litteris lucem auctoribus accendere conati ſunt. In his vero bonae frugis pleniſſimae ſunt notae MVRETI, MANVTII, LIPSII, TAVBMANNI, SCALIGERI, SALMASII, CASAVBONI, GRONOVIORVM, GRAEVII, IS. VOSSII, BVRMANNI, IANI VVOVVERI, CELLARII, [DRAKENBORCHII, WESSELINGII.] Nam qui ad ſolam criticam pertinent commentarii, vtiles illi quidem ſunt, ſed huc non pertinent. Quin quum & ſparſim loca quaedam veterum ſcriptorum vel illuſtrent, vel interpretentur viri docti: operae pretium facturi ſunt, qui hujuſmodi opera ſtromatica & teſſelata diligentēr & cum iudicio legent. Tales ſunt M. ANT. MVRETI *Lectiones variae*: talia HADR. TVRNEBI & CASP. BARTHII *Aduerſaria*: THO. REINESII *Varia*, & quae IANVS GRVTERVS *in Face critica* vel *theſauro* ſuo laudabili induſtria collegit. Hic merito addendae, quae nuper ab anno 1732. magno optimarum litterarum bono prodierunt MISCELLANEAE OBSERVATIONES IN VETERES AVCTORES.

Nec non aduerſaria.

XV. In aduerſariorum libro promiſcue notari poſſunt, quaecumque acutiora in auctoribus claſſicis legimus *). Ea enim ſubinde perlegendo, &, qua occaſione vſui eſſe poſſint, meditando **), facile omnia memoriae infigemus.

*) Hic exſcribi velim integra auctorum loca, addito ſtatim numero libri & capitis. Margini deinde adſcribi poteſt titulus aliquis, ut tanto facilius poſſit inueniri, quod quaeritur.

**) E. c. ſi in aduerſariis meis inuenirem acumen illud PHAEDRI: *quantae putatis eſſe vos dementiae, ei credere capita, cui calceandos nemo commiſerat pedes?* cogitarem qua occaſione illud poſſim imitatione exprimere. Quum ergo PHAEDRVS loquatur de ſutore inopia deperdito, qui medicinam facere coeperit: fingerem ego, malum aduocatum praedia conduxiſſe. Sic in promtu futura eſſet imitatio: *quantae putatis hoc eſſe dementiae, res & fortunas ſuas committere ei, cui nemo commiſiſſet infortunium.* Sed de his paullo poſt in capite *de imitatione* plura monebimus.

Et denique loci communes reales.

XVI. Denique ad res quod adtinet, ſeiungere ego ſoleo eas, quae ad diſciplinas pertinent, & quae in ſola eloquentia vſui eſſe poſſunt. Illas ad ſuam quamque diſciplinam *), has in aduerſaria referri ſuaſerim **).

*) Totidem puto conficienda collectanea, quot ſunt diſciplinae. Sed vt hic quoque compendium facias laboris, in ſingulis diſciplinis ſeligendum erit compendium aliquod vel ſyſtema adcuratius ſcriptum, illudque charta munda diſtinguendum. Quotieſcumque ergo aliquid legis, quod ad hanc vel il-

lam diſciplinam pertinet, ſtatim in compendio illo euolues locum, vbi materia iſta occurrit, eoque referes locum auctoris. Sic nec titulis opus erit, nec indicibus. Nec periculum erit, vt omnia inuenire poſſis.

**) Huc refero exempla, ſimilia, ſententias acutiores, aliaque huius generis, quae tamquam gemmae intexi ſolent orationi elegantiori. Haec in aduerſariis adſcribi poſſunt eo modo, quem ſuperiore paragrapho commendauimus. Si enim in margine addantur tituli, iique deinde in indicem referantur, facile omnia poterunt reperiri. Sed in his omnibus is prudentiſſime agere videtur, qui ſuo quemque ſenſu patitur abundare.

CAPVT II.

DE IMITATIONE.

I.

Quid ſit imitatio? PArum vtilitatis adferet auctorum lectio, niſi acceſſerit IMITATIO. Haec vero nobis eſt facultas, auctoris ſtilum *), eiuſque ideam ſine plagii ſuſpicione **) exprimendi.

*) Quum vero ſtilus non conſiſtat in ſola phraſeologia, ſed in ipſo orationis habitu: facile patet, non eum imitari CICERONEM, qui phraſibus ex eius libris excerptis vtitur, ſed qui totum orationis Ciceronianae characterem ſollerter exprimit.

**) Aliud eſt exſcribere auctorem, aliud eumdem imitari. Hinc qui integras auctorum periodos orationi ſuae intexit, is non imitari, ſed plagium committere videtur. Qua in re plures forſan peccarunt eruditi, quam vulgo exiſtimatur. [Egregium exemplum habemus in *Exerc. ſoc. Lat. Ien. Tom. II. pag. 253. ſeqq.*]

Quid de ea notandum? II. Vt vero totam imitandi artem recte teneamus, de duobus potiſſimum capitibus videtur cogitandum, videlicet quem imitari oporteat *)? & quomodo ea imitatio prudenter ſit inſtituenda **)?

*) Satis equidem ipſa nos ſana docet ratio, exemplum quod nobis imitandum proponimus, ſuis numeris abſolutum eſſe debere. Recte enim PLIN. *Epiſt. I, 5. ſtultiſſimum credo, ad imitandum non optima quaeque proponere.* Sed quem, quaeſo, auctorem dixeris optimum? Fieri poteſt, vt in eodem genere plures eamdem laudem, ſed diuerſiſſimam tamen, conſequantur. Sane qui inter ſe contendit CICERONEM & PLINIVM, NEPOTEM & CAESAREM, LIVIVM & TACITVM, HORATIVM & IVVENALEM, vtroſque fatebitur maximos, ſed peculiari quadam & ſua laude. Quare non adeo expeditum eſt, quis e tot praeſtantiſſimis auctoribus praecipue, ſit imitandus.

**) Quemadmodum rebus in omnibus, ita & in imitatione, apprime hoc eſt utile, *ne quid nimis.* Qui neminem imitaturus ſuo indulget ingenio,

nio; plerumque ſibi fingit dictionem quamdam inſulſam atque inſipidam. Contra ea fieri poteſt, vt nimia imitandi cura in ſeruitutem illam euadat, de qua HORATIVS:

O imitatores, ſeruum pecus!

Praeclare de hoc hominum genere LIPS. *Epiſt. miſcell. cent. IIII, 52. Vbi,* inquit, *ſola imitatio eſt, & huic adhaeremus, quid fit? perſona ſcenica; & vt quidam magnorum virorum habitum atque inceſſum, aut geſtus imitantur, cetera & interna diſpares: ſic dictiunculas aut clauſulas aliquas* TVLLII *ſi forte referimus, ad vim & Venerem eius non adſpiramus.* Ita LIPSIVS, qui ſi tam prudenter prius iſtud extremum euitaſſet, quam hoc poſterius, ad ſummam eloquentiae laudem potuiſſet peruenire. Quare & hoc operae pretium eſt cognoſcere, qua ratione ita imitandi ſint optimi auctores, vt vtrumque vitemus vitium, & nec ingenio plus iuſto indulgere, nec κακόζηλοι videamur.

III. Ad priorem quaeſtionem quod adtinet, nec neminem imitandum puto *), nec promiſcue omnes **), ſed vnum optimum. Optimus vero videtur, qui cuiuſque ingenio ac captui quam maxime eſt adcommodatus ***). Quiſnam auctor imitandus?

*) Fuerunt, qui nullum imitandum crederent. [Nempe dedita opera, & vt hoc ipſum agerent. Nam alioqui fieri non poteſt, vt non quos audimus, legimus, amamus, admiramur, eorum fiamus etiam non id agendo ſimiles. Imitando enim etiam tum diſcimus omnia, cum ne quidem imitationis vel conſilium habemus, vel nobis ſumus conſcii. G.] Iam olim Caeſarem & Cottam eo maxime nomine admiratus eſt CICERO, qui in *libro II. de oratore: eſſe tamen multos,* inquit, *videmus, qui neminem imitentur, & ſuapte natura, quod velint, ſiue cuiuſquam ſimilitudine conſequantur: quod & in vobis animaduerti recte poteſt, Caeſar & Cotta. Neque vero veſter aequalis, Curio, quemquam mihi magnopere videtur imitari.* Enimuero tametſi facile largiar, Romanos alios in vernacula lingua ſola naturae ingeniique bonitate ad perfectionem aliquam potuiſſe peruenire, quemadmodum id ſaepe etiam in aliis fieri ſolet, qui linguam patriam adcuratius ſibi excolendam exiſtimant: hodie tamen, ex quo lingua illa exſpirauit, fieri non poteſt, vt ſine imitatione eius genium ac natiuam pulcritudinem adſequamur. Vnde ludibrium lectoribus debet ANG. POLITIANVS, qui in *Epiſt. VIII, 16.* omnem imitationem explodere videtur. [Cui reſpondet proxima epiſtola CORTESIVS. Si rem bene conſideres, non ita multum diſſentiunt. POLITIANVS anxiam imitandi dedita opera curam reprehendit ac ridet; CORTESIVS imitationem generatim commendat, ita tamen vt magis adſcriptus glebae Ciceronis videatur. Pulcre, vt reliqua, ita hanc liticulam expoſuit F. O. MENCKENIVS, in *vitae Politiani hiſtoria*, p. 194. *ſeq.* & recte hanc ſummam ſententiae POLITIANI poſuit, ex fine epiſtolae laudatae p. m. 140. quae certe ludibrium debere non videtur: *quaeſo ne ſuperſtitione iſta te alliges, vt nihil delectet, quod tuum plane ſit, & vt oculos a Cicerone nunquam deiicias. Sed cum Ciceronem, cum bonos alios multum diuque legeris, contriueris, edidiceris, concoxeris, & rerum multarum cognitione pectus impleueris, ac iam componere aliquid ipſe parabis: tum demum velim, quod dicitur, ſine cortice nates, atque ipſe tibi ſis aliquando in conſilio, ſolicitudinemque illam moroſam nimis & anxiam deponas effingendi tantummodo Ciceronem, tuaſque denique vires vniuer-*

ſas periclueris cet. His meum qualecumque ſuffragium adiicere equidem nihil dubito. G.]

**] Fieri non poteſt, quin inaequali ac ſibi parum ſimili adſueſcat dictioni, qui [primo tempore, quo formandum eſt iudicium, & ille quaſi guſtus. G.] per omnes vagatur auctores, & modo hunc, modo illum imitatur. Vix oculos prudentum ferret aedificium, in quod architectus ex mille diuerſiſſimae ſtructurae palatiis conieciſſet, quidquid pulcrum ei eſſet viſum. [Si quidem ſine iudicio id faceret, & naturales conſtanteſque ſymmetriae ſeu commenſus obſeruationes negligeret. Caeterum laudabitur, ſi Zeuxin illum imitatus, conquiſitis pluribus pulcritudinis exemplis, quantum liceat, in vnum illud opus ſuum transferat. Quod quin in ſcribendi genere locum habeat, liceatque ex variis ingeniis excellentiſſima quaeque libare, non eſt dubitandum. G.] Ea demum pulcra ac pudica videtur oratio, quae licet artificio varia, vbique tamen eumdem ſeruat colorem, nuſquam eadem, & ſemper tamen ſui ſimilis. Hanc vero facultatem adſequetur nemo, qui vel neminem, vel omnes promiſcue imitatur, ceu vel IVSTI LIPSII exemplo patet. [Nolim hunc vbique exemplum malorum admiſceri. LIPSIVS iuuenis ad Tullianam normam ſcripſit non deterius quouis Ciceroniano, & *oratione VI. vtrum a ſolo Cicerone petenda ſit eloquentia* ita diſputauit, vt reprehendi non poſſit. Vid. ad *part. I. cap. 2. §. 16.* G.]

***) Omnes legendos auctores, & ex iis optima quaeuis in vſum noſtrum eſſe ſeponenda, ipſi capite ſuperiore docuimus. Neque tamen ideo omnes promiſcue ſunt imitandi. Vnus, iſque optimus, eligendus, cuius ad exemplum totius orationis habitum componamus. Ex reliquis phraſes, acumina, res peti poſſunt. Merito vero eum iudicamus optimum, qui cuiuſque naturae ac ingenio videtur conuenientiſſimus. Sunt, qui naturae quodam impetu ad vbertatem & copiam feruntur: iis CICERONEM commendauerim. Sunt, quibus nihil, niſi quod adſtrictum ac argutum eſt, placet: his PLINIVS erit imitandus. Alii ſimplici quodam ac caſto orationis genere delectantur: hi facillime vel CAESAREM, vel CORNELIVM NEPOTEM imitabuntur. Denique quibus oratio grauis & preſſa eſt in deliciis, ii non inuita Minerua TACITVM ſibi imitandum proponent. Hinc naturam cuique ſuam hac quoque in re eſſe ſequendam, iam olim optime obſeruauit QVINCTIL. *Inſtit. orat. X, 2. Ergo primum eſt, ut, quod imitaturus eſt quiſque, intelligat, & quare bonum ſit ſciat, tum in ſuſcipiendo onere conſulat* SVAS VIRES. *Nam quaedam ſunt inimitabilia, quibus aut infirmitas naturae non ſufficiat, aut diuerſitas repugnet. Nec, cui tenue ingenium erit, ſola velit fortia & abrupta: cui forte quidem, ſed indomitum, amore ſubtilitatis & vim ſuam perdat, & elegantiam, quam cupit, non adſequatur. Nihil eſt enim tam indecens, quam quum mollia dura fiunt.* Quis vero auctor ingenio noſtro quam maxime videatur adcommodatus, facile ex eo intelligemus, ſi, quis maxime nobis placeat, & quem facillime imitando exprimamus, ſubinde facto periculo, experiamur. Ita enim fere natura comparatum eſt, vt tanto magis quidque nobis placeat, quanto eſt ingenio ac naturae noſtrae conuenientius. [Cautione illa hic opus eſt, quam ad *part. I. cap. 2. §. 42. n. 1.* commendauimus. Cauendum ab ἀνϑηλείας noxa. Procliues etiam hic ſumus ad vitia. Boni praeceptoris eſt ad Iſocratis exemplum calcaribus vti non in his, qui nimis exſultant, ſed qui tardiores ſunt, & contra. Qui nimis ſiccis delectantur, deducendi ad Ciceronem, Salluſtius commendandus his, qui luxuriantur cet. G.]

IIII. Eſt

IIII. Eſt vero imitatio vel PVERILIS, vel VIRILIS ſeu maſcula. Illa verba ac phraſes anxie & moroſe imitatur *): haec ipſum auctoris ingenium ac orationis habitum cum iudicio ac libertate exprimit **). Imitatio vel puerilis eſt, vel virilis.

*) Tales ſunt omnes illae imitationes, quas in ſcholarum triuio deprehendimus. Perlecta CICERONIS periocha, excerptis phraſibus elegantioribus, iiſque in epiſtolam aliquam aut hiſtoriam compactis, tum demum diſcipuli ſibi plane Ciceroniani, aut, ſi mauis, Ciceronianiſſimi videntur, quaſi omnis elegantia Ciceroniana in ſolis phraſibus, ac non potius in ipſo orationis habitu, conſiſteret. Mireris ergo viros quoſdam ceteroquin doctiſſimos nimium huic puerili imitationi tribuiſſe, ac ſaepe periodos integras ex auctoribus exſcripſiſſe. Iam a SCHEFFERO in *Gymnaſ. ſtil. p. 31.* eſt obſeruatum, AENEAM SYLVIVM in *Hiſtoria Europaea* de Hungaris ita diſſeruiſſe: *Turcas aurea & diſcolori veſte: Hungaros ferro atque aere fulgere. Chriſtianum agmen & ſtare paratum & ſequi, nec turba nec ſarcinis praegraue, intentum, quod dux non modo ſignet, ſed etiam innuat.* Atqui haec omnia ſunt ex CVRTIO, *Lib. IIII. cap. 26.* vix verbo mutato, exſcripta. Ferenda haec ſunt in pueris; in maturioris iudicii viris reprehenſione digniſſima, maxime, ſi non loca auctorum rebus, ſed res auctorum phraſibus adcommodentur. Cuius rei praeclarum exemplum ab eodem SCHEFFERO *pag. 32.* datum eſt ex EGINHARDI *Vita Caroli M.* qui Caroli ſui deſcripturus ſtaturam & corporis habitum: *formae*, inquit, *auctoritas ac dignitas, tam ſtanti quam ſedenti, plurima inerat, ceruix obeſa & breuior, venterque proiectior, valetudine proſpera, praeter quod, antequam decederet, noctibus ita dormiebat, vt ſummum quater aut quinquies non ſolum expergiſcendo, ſed etiam deſurgendo interrumperet.* Omnia haec ex SVETONII *Claudio*, *Nerone*, *Iulio*, & *Auguſto*, quemadmodum & alia, exſcripta ſunt. Quis vero crederet, Carolum *M.* illorum imperatorum formam ac corporis habitum in pleriſque tam adcurate expreſſiſſe? ſic EGINHARDVS *ergo, dum inepte* SVETONII *premit veſtigia, multa adfingit illi principi inſulſa & παρὰ τὸ ὂν*, ut eleganter. ait CASAVBONVS.

**) Virilis vel maſcula imitatio non verba tantum ac phraſin auctoris exprimit, ſed & inueniendi, diſponendiue artificium, ipſumque orationis habitum, ita tamen, ut illa exſcripta eſſe, nemo poſſit arguere. [Vt architectus non imitatur lapides, ligna, ferrum, ſed formam, ordinem, ornatum. G.] Eleganter QVINCTILIAN. *Inſt. orat. Lib. X. cap. 2. imitatio autem, (nam ſaepius idem dicam,) non ſit tantum in verbis. Illuc intendenda mens, quantum fuerit illis viris decoris in rebus atque perſonis, quod conſilium, quae diſpoſitio, quam omnia etiam, quae delectationi videantur data, ad victoriam ſpectent; quid agatur prooemio, quae ratio & quam varia narrandi, quae vis probandi ac refellendi, quanta in adfectibus omnis generis mouendis ſcientia, quantaque laus ipſa popularis vtilitatis gratia adſumta: quae tum eſt pulcerrima, quum ſequitur, non quum arceſſitur. Haec ſi peruiderimus, tum vere imitabimur.* E. g. elegans eſt haec periocha LVCRETII *Lib. I.*

Nec me animi fallit, quam ſint obſcura, ſed acri [illegible]
Percuſſit thyrſo laudis ſpes magna meum cor,
Et ſimul incuſſit ſuauem mi in pectus amorem
Muſarum, quo nunc inſtinctus mente vigenti
Auia Pieridum peragro loca, nullius ante Trita ſolo.

Haec imitatus eſt VIRGILIVS, ſed ita,

vt nemo eum plagii ſuſpectum habiturus ſit. Ita enim canit poëta ſuauiſſimus *Georg. III*, 289. *ſeq.*

Nec ſum animi dubius, verbis ea vincere magnum
Quam ſit, & anguſtis rebus hunc addere honorem,
Sed me Parnaſſi deſerta per ardua dulcis
Raptat amor: iuuat ire iugis, qua nulla priorum
Caſtaliam molli diuerterat orbita cliuo.

Similia haec VIRGILII ſunt illis *Lucretianis*: at non eadem tamen. Eamdem enim rem elegantiore phraſi alioque orationis charactere expreſſit VIRGILIVS. Sic ſupra etiam hanc produximus periodum CICERONIS ex *orat. pro A. Caecina, cap.* I. *Si, quantum in agro, locisque deſertis audacia poteſt, tantum in foro atque in iudiciis impudentia valeret: non minus in cauſſa cederet A. Caecina Sex. Aebutii impudentiae, quam in vi facienda eius ceſſit audaciae.* Eam nos p. 40. ita ſumus imitati: *ſi quantum in effringendis carceribus aſtutia poteſt, tantum ad effugiendam furcam audacia valeret: non minus iam hic fur carnifices deluderet audacia, quam lictoribus olim illuſit aſtutia.* Nec verba hic ſunt eadem, & res diuerſiſſima. Quicumque tamen utramque periodum inter ſe contenderit, ſtatim deprehendet, noſtram e *Ciceroniana* eſſe expreſſam. Scilicet non verba & phraſin, ſed ipſum orationis habitum ſumus imitati, eaque imitatio iure quodam ſuo *virilis* poterit adpellari.

Quid puerilis? V. Ad *puerilem imitationem* quod adtinet, ea multo facilior eſt. Modo enim phraſes ab auctore mutuas accipimus *): modo ſententiam quamdam aliis verbis phraſibusque exprimimus **), modo eamdem, additis quibuſdam detractisque vocibus aut circumſtantiis, refingimus ***).

*) Hoc imitationis genus maxime puerile eſt. Nihil enim artis habet vſus iſte phraſium. Sic ſi quis ita loqueretur: *quum & nobilitate generis, & gloria maiorum, & tua virtute vnus omnium maxime floreas: omnes non ſolum ſperant, ſed etiam confidunt, talem te aliquando futurum, qualem cognitum iudicarunt*: facile vnuſquisque videt, phraſes has omnes e CORNELII NEPOTIS *vit. Miltiad. c.* I. eſſe: ſed nemo tamen quidquam artis aut ingenii in hac imitatione deprehendet. [Hoc itaque genus extemporalibus modo quaeſtionibus tractari debet, non iuſtis ſcribendi materiis propoſitis. G.]

**) Secundam hanc imitationis puerilis ſpeciem iam QVINCTIL. *Inſt. orat. X*, 5. commendauit: *ſumamus ſententiam*, inquit, *eamque verſemus quam numeroſiſſime, velut eadem cera aliae atque aliae formae duci ſolent.* Exempli loco ſit ſententia illa Hectoris apud NAEVIVM: *pulcrum eſt laudari a laudato viro.* Hanc ſi quis aliis verbis ita exprimeret: *laudari ab iis, qui ipſi ſunt laude digniſſimi, is vero fructus laudandarum actionum videtur pulcerrimus*, dicerem ego, ſententiam illam ex NAEVIO quidem, ſed mutatis tamen verbis, eſſe expreſſam.

***) Haec quoque imitandi ratio puerilis eſt, ſed paullo artificioſior. Quemadmodum enim prima ſpecies furto manifeſto ſimilis eſt: ita haec eorum furum aemulatur ſollertiam, qui rebus furtiuis ſigna quaedam detrahunt, aut alia noua addunt, ne tam facile poſſint a dominis furtum concepturis, vel quaeſitoribus agnoſci. E. g. ſupra pag. 40. prolixam admodum ac verboſiſſimam adduximus periodum ex MVRETI *orationibus I*, 4. Eam coarctabimus facile, omiſſis nonnullis aut detractis, quae eminere videntur: *ſi eorum, quae viuunt, vnumquodque perficiendi*

perſiciendi ſui deſiderio tenetur, animuſque noſter tum denium, quando ad diuinum exemplar propius accedit, videtur perfectiſſimus : ea profecto erit omnium praeſtantiſſima facultas, quae homines deo, quoad eius fieri poteſt, arctiſſime deuincit. Eodem modo etiam amplificando refingi poſſunt auctorum ſententiae. Verum in vtraque imitandi ratione danda eſt opera, vt ne ſententiae elegantia ac acumen pereat. Plerumque enim tam preſſae ac rotundae ſunt optimorum auctorum ſententiae, vt neque addi quidquam, neque detrahi poſſit, quin ſimul maxima pars pulcritudinis pereat. Exemplo eſto ſententia, vt opinor, PVBLII SYRI : *cuiuis poteſt contingere, quod cuiquam poteſt.* Hic ſiue addas quidquam, ſiue detrahas, plurimum acuminis ac elegantiae decedet. Vnde adcurata opus eſt prudentis doctoris manuductione, ne adoleſcentes his decipiantur. [Huc etiam retulerim illud extemporalis exercitationis genus, quo directa narratio in indirectam ſeu obliquam mutatur, & contra. G.]

VI. *Virilis* imitatio non contenta phraſibus aut vocabulis, ipſas auctoris virtutes exprimere docet. Quum vero auctoris virtus modo in inuentione, modo in diſpoſitione, modo in eloquutione eluceat : maſcula in primis videtur imitandi ratio, qua auctoris INVENTIONEM adſequi contendimus *).

In virili vel inventionem imitamur.

*) Inuentio verſatur in excogitandis argumentis. Ea vero quum in λόγους, ἤθη, καὶ πάθη diuidantur, nullum eſt argumentorum genus, in quo non imitari liceat alios. Saepe auctores nobis ſuppeditant I. *enthymemata* elegantiſſima, quae nobis in vſus noſtros conuertere licebit. E. g. PLINIVS *Epiſt. I.* 10. laudaturus Euphratem, philoſophum Stoicum, quot praeclara enthymemata adcumulat ? Ait eum eſſe, I. obuium & expoſitum, plenumque humanitatis ; II. in diſputando grauem, ſubtilem, ornatum, ac paene Platonicum ; III. in ſermone copioſum, varium, dulcem, vt facile repugnantes quoque ducere poſſit. Addit IIII. multum ipſi venerationis adquirere proceritatem corporis, decoram faciem, demiſſum capillum, ingentem & canam barbam ; V. nullum horrorem in cultu eſſe, multam tamen ſeueritatem. Laudat quoque VI. vitae ſanctitatem cum comitate ; VII. ſeueritatem in inſectandis vitiis cum ſumma humanitate coniunctam. Nec VIII. liberos eius ad veram laudem adcurate inſtitutos praetermittit. Vide, quot hic enthymemata paucis periodis adcumulet PLINIVS ? An iam deeſſe tibi poſſent argumenta, philoſophum vel theologum aliquem praeclarum laudaturo ? Equidem adfirmare non dubitarim, toti orationi encomiaſticae ſufficere poſſe haec enthymemata. [Nempe non eadem vbique aſſumi poſſunt, quod a ſtupidis interdum imitatoribus fieri ſolet : ſed perſonam & argumentum noſtrum intuentibus occurrunt ſimilia. G.] Quem vero tunc deprehenſurum putas, te PLINIVM eſſe imitatum ? Nec minus II. *adfectus* excitandi rationem optime oſtendunt auctores claſſici. Exemplum denuo praebebit PLINIVS, *Epiſt. III*, 1. qui amore ſtudiorum inflammaturus Caninium Rufum, praediorum eius amoenitatem collaudat, ac deinde colligit, recte iis vtendum eſſe : non rectius vero iis vſurum Caninium, quam ſi, omiſſis ſordidis rei familiaris curis, in ſtudiorum ſeſe portum vindicet, maxime quum praedia illa poſt eum alium atque alium habitura dominum, gloria vero, vigiliis ac lucubrationibus parta, numquam ſit interitura. Quam eleganter hoc argumento παθητικῷ vti poſſes, ſi quando cohortari aliquem volueris ad diligentiam,

qui

qui in pingui aliquo receſſu, aut alio amoeniore loco viuit? Denique III. etiam *mores*, quos vocant, ſeu ἤθη optime ducibus auctoribus claſſicis addiſcimus. Vt hic quoque conſulamus PLINIVM, *epiſtola* eius *XI. libri I.* exemplo eſſe poterit, quam comiter cum amicis ſit expoſtulandum. Obiurgat Fabium Iuſtum de infrequentia litterarum, petit vt vel ſolum illud: *ſi vales bene eſt, ego valeo*, ſcribat, hoc enim ſibi fore maximum. Serio ſe id rogare ait, vt ſciat, quid agat, quod ſine ſollicitudine ſumma neſcire non poſſit. Tam morata epiſtola nobis etiam facile licebit cum amicis expoſtulare, ſi noſtro vſi ſtilo, mutata PLINII dictione, ſolum retineamus argumentum ἠθικόν. Ceterum incredibilem vtilitatem eloquentiae ſtudioſo hic adferet veterum Graecorum Latinorumque ſcriptorum comparatio. Hi enim pleraque, quae in Graecis admiramur, imitati ſunt, & ita quidem, vt aliquando ſuperarint. Pertinet huc SCALIGERI *Poetices lib. V.* vbi id exemplis innumeris oſtendit, addito ſimul vbique iudicio, qua in re vel ſuperarint Graecos Latini, vel iis manus dare coacti ſint. Quin a *capite* 10. eius libri ipſos Latinos inter ſe contendit eadem cura, oſtenditque, ſaepe vnum alterum in eadem ſententia exprimenda vel impari paſſu ſequutum eſſe, vel multis poſt ſe paraſangis reliquiſſe. Addi poteſt MACROBII *commentarius in* CICERONIS *ſomnium Scipionis*, quo Ciceronem Platonis ſimilem inuentionem expreſſiſſe, praeclare ipſo ſtatim libelli initio demonſtrat.

Vel diſpoſitionem.

VII. Nonnumquam & DISPOSITIONEM auctoris imitamur, cum generalem totius orationis *), tum eam, quam in ſingulis argumentis deprehendimus **).

*) E. g. BVCHNERVS *Panegyr. VIIII.* laudaturus Henricum Friſium, cancellarium Saxonicum, ita orationem partitur, vt cancellarium & *genere nobilem*, & excellentem *virtute*, & magnum *peritia*, & *auctoritate* validum eſſe oportere, eaſque virtutes omnes in Friſio eminuiſſe, oſtendat. Quilibet, in CICERONIS lectione paullo verſatior, intelliget, Tullianam eſſe hanc diſpoſitionem. Is in oratione *pro lege Manilia, cap.* 10. eodem modo laudat POMPEIVM MAGNVM. Ait enim, ſummo imperatori quatuor res ineſſe oportere, ſcientiam rei militaris, virtutem, auctoritatem, & felicitatem, eaque omnia in Pompeio ſumma eſſe.

**) Permultum enim refert, quomodo diſponantur argumenta ſingula. Fieri id ſolet per ſyllogiſmos & enthymemata. Sed in his diſponendis magnam oratori relictam eſſe libertatem, iam ſupra obſeruauimus. Non melius itaque nobis conſulemus, quam ſi ea quoque in re auctores veteres duces ſequamur. Exemplum petamus ex eiuſdem CICERONIS *oratione cap.* 15. vbi auctoritatem POMPEII hoc ordine collaudat:

I. MAIOR: *Quicumque maxima pollet auctoritate, is imperator optimus eſt.*

RATIO: *Homines enim vt contemnant, aut metuant, aut oderint, aut ament, opinione non minus famae, quam ratione, commouentur.*

II. MINOR: *Pompeius maxima pollet auctoritate.* RATIONES

I. *Popul. Rom. praeclara de eo iudicia tulit.*

II. *Pompeius rem publicam ſeruauit ſola fama ac celebritate nominis.*

III. *Plures gentes ei ſe dediderunt.*

III. CONCLVSIO. *Ergo Pompeius erit imperator optimus.*

Hoc ordine CICERO auctoritatem Pompeii celebrat. Dabimus operam, vt eodem ordine EVGENII, Sabaudiae ducis, prudentiam bellicam laudemus.

I. MAIOR:

I. MAIOR : *Quicumque prudentiſſimus eſt, is optimus erit imperator.* Et quoniam prudentia multum in bello quoque gerendo ac imperio militari valet : certe nemini dubium eſt, quin ea quoque mentis perſpicacia idem ille dux incomparabilis plurimum poſſit.

RATIO. *Plura enim ſaepe prudentia, quam manu in bello geruntur.* Vehementer autem pertinere ad res feliciter gerendas, quid agatur, ac quomodo vnumquodque prouide adminiſtretur, quis non intelligit, quum res ipſa doceat, imperatores in profligandis hoſtibus, expugnandis caſtris, vrbibuſque capiendis, plura ſaepe conſilio ac prudentia, quam ferro, effeciſſe?

II. MINOR. *Eugenius, dux Sabaudiae, eſt prudentiſſimus.* Quod igitur nomen vmquam in vniuerſo orbe Chriſtiano ob prudentiae laudem celebrius fuit? Cuius conſilia paria?

RATIO I. *Eius prudentiam tres imperatores Romanorum probarunt.* In quo principe tres Romanorum imperatores, id quod maximum prudentiae argumentum eſt, tantam ſpem collocarant, vt eum maximis exercitibus imperiique ſui fatis ſummo cum imperio praefecerint. [Haec ratio apud Ciceronem pulcre procedit, auctoritatem enim faciunt imperatori iudicia de ipſo populi : prudentiam non faciunt iudicia principum. Itaque tres Auctoris rationes pro prudentia Eugenii ad duas, nempe ad vſum rerum, quo comparata eſt, & ad res geſtas quibus comprobata eſt, referuntur. Iudicia imperatorum ſunt teſtimonia rationis poſterioris. G.]

II. *Prudentiam, multis variiſque bellis feliciter adminiſtratis, ſibi peperit.* An vero quidquam prudentiae ei deeſſe poſſe exiſtimatis, quem a prima adoleſcentia in caſtris verſatum, in omni bellorum genere fortuna exercuit, nullamque rem in vſu militari poſitam paſſa eſt ignorare?

RATIO III. *Vbique eius eluxit prudentia.* Itaque vt plura non dicam, neque aliorum teſtimoniis iudiciiſque confirmem, quantum conſilio prudentiaque valeat, ipſe ille ſibi teſtis virtutis ſuae ſit locupletiſſimus, qui quo anno Gallicano bello in Sabaudia oppoſitus eſt imperator, tam repente acutiſſimo hoſti conſilia omnia diſturbauit, vt prius ſe fuſum fugatumque, quam aduentantem EVGENII exercitum animaduerteret. Iam, recepta a Turcis Alba Graeca, quum res Chriſtianorum in Hungaria in peius ire coepiſſent, barbarorum opes animique creuiſſent, ſatiſque firmum praeſidium regnum illud non haberet : amiſſus fuiſſet tot victoriarum fructus, niſi ad id ipſum eo tempore EVGENIVM tanto bello prouidentia LEOPOLDI obieciſſet. Huius conſilium ac prudentia non ſolum Turcas ſuperiori Hungariae cum maximo exercitu imminentes retardauit, verum etiam caſtris operibuſque clauſos e latebris iſtis in aciem, ex hac in fugam, ac inde in praeterlabentem fluuium coniecit, tantoque terrore concuſſit Turcarum imperium, vt pertaeſi bellorum, pacis leges cum ſummo dedecore ſuo coniunctas accipere, quam EVGENII prudentiſſima conſilia diutius experiri mallent. Age vero illa res quantam declarat eiuſdem ducis in adminiſtrando bello ſollertiam, quod in poſtremo bello Gallicano callidiſſimos Gallorum duces alios intra ipſa moenia ac propugnacula, alios in acie caperet, reliquos pleroſque, copiis quamuis ſuperiores, ad internecionem caederet! Quot ille tum victorias reportauit? quot vrbes cepit? quot fecit prouincias? Quae omnia ſi quis eum ſolis armis ſolaque vi effeciſſe exiſtimat, nae is, ex mea quidem ſententia, magnopere fallitur.

III. CONCLUSIO. *Ergo* EVGENIVS *eſt imperator optimus.* Poteſtis ergo iam colligere, auditores, quantus dux ſit EVGENIVS, quem animi robur manu fortem, armorum vſus intrepidum, pruden-

prudentia denique reddit inuictiſſimum. Nemo, qui noſtra cum CICERONIS verbis contulerit, non ſimilitudinem quamdam deprehendet, quum tamen praeter artificium diſponendi connectendique formulas nihil admodum verbis Ciceronianis, eo loco obuiis, expoſuerimus.

Vel eloquutionem.

VIII. Denique & eloquutionem auctoris maſcula quadam ac decora imitatione effingimus, quoties auctoris cuiuſdam characterem *), acumina **), figuras ***), ac periodos ****) exprimere ſtudemus.

*) Sic ſi conſtat characterem dicendi auctoris eſſe ſublimem, mihi quoque perſpectam eſſe oportet rationem, ſublimitatem illam exprimendi. Et ita etiam reliquos characteres imitandi rationem cognitam me habere oportebit. Faciam e. g. periculum, an PLINII characterem in *Epiſtol. I*, 3. obuium imitatione quadam virili exprimere liceat:

Quid agit Lipſia, tuae meaeque deliciae? quid horti amoeniſſimi? quid illud nemus opaciſſimum? quid zmaragdinus pratorum viror? quid illi ſuaues & tamen ſerii doctiſſimorum virorum congreſſus? quid theatrum anatomicum, quod plurimus aër colluſtrat & refrigerat? quid acroateria illa ſpacioſiſſima? quid illa domeſtica? quid bibliothecae publicae priuataeque? Tenentne te, ac per vices ad ſe alliciunt? An, vt ſolent iuuenes, voluptatis deceptus illecebris crebris comeſſationibus indulges? Si tenent, ter quaterque; ſin minus, ne beatum quidem dixerim. Quin tu, (occaſio eſt enim,) indignam te ingluuiem aliis relinquis, & ipſe te in illo digno Muſis receſſu, honeſtarum artium ſtudiis adſeris. Haec ſit occupatio tua, haec remiſſio: hic labor, haec requies; in his dies, in his item noctes tranſigantur. Collige aliquid & reconde, quod ſit ſempiternum. Nam voluptates illae, exactis paucis annis, euaneſcent, hoc numquam iucundiſſimum eſſe deſinet, ſi ſemel coeperit. Non ignoro quam indolem, quod hortetur ingenium: tu modo da operam, vt tantum vtaris occaſione, quantum vti voles, quum non amplius vteris. Vale.

Nemo hic PLINII non agnoſcet ſtilum. Eadem eſt inuentio, eadem epiſtolae diſpoſitio, eadem dicendi forma preſſa & acuta, & tamen vix verba quaedam PLINIO debeo. Tentabimus porro, an eadem ratione etiam CVRTII ſtilum exprimere poſſimus. Deſcribit ille *Lib. III. c.* 5. milites de Alexandro aegrotante ſollicitos. Nos Suecos, GVSTAVI ADOLPHI regis caſum lugentes, charactere Curtiano deſcribemus:

Ingens luctus, ac paene iam deſperatio exercitum inuaſerat. Flentes querebantur, in tam praecipiti victoriarum curſu omnis memoriae fortiſſimum regem non in acie, non ab hoſte, proſtratum, ſed ſcelere ac inſidiis extinctum, cecidiſſe. Imminere Auſtriacos, triumphaturos, antequam conſeruiſſent manus. Sibi per eaſdem terras, quas victoriis illuſtraſſent, fuga dilabendum. Omnia ſibi tuta verenda, qui ne periculoſiſſima quidem reformidarint. Tantum iter, etiamſi nemo impediat, confecturis fame ac laſſitudine pereundum. Quem, cum imperio praefuturum trepidis? quem GVSTAVO futurum ſimilem? Iam vt mare Balthicum fuga attingerent, claſſem, qua tranſeant, quem praebiturum? Hic quoque aliae phraſes, alia materia, character tamen ac ſtilus idem eſt.

**) Quoties ergo occurrit acumen aliquod ingenioſius, diſpiciendum, qua occaſione illud locum inuenire poſſit. Nec hic tamen plagium, ſed imitationem requirimus. Non eidem ſemper rei, ſed alii, acutum illud dictum adcommodandum eſt. E. g. lepide MARTIAL. *Epigr. II*, 8. canit:

Hoſtem

Hoſtem quum fugeret, ſe Fannius ipſe peremit.
Hic rogo, non furor eſt, ne moriare mori?

Eodem vero exemplo dicere poſſem: *quis quaeſo maior vmquam furor poterit excogitari, quam Euclionum, qui ne eſuriant aliquando, per omnem vitam eſuriunt?*

***) E. g. elegans in primis eſt illa figura CICER. *Philipp. XII*, 3. *quid enim per deos immortales poteſt rei publicae prodeſſe noſtra legatio? prodeſſe dico? quid ſi etiam obfutura? quid ſi iam nocuit?* Eam ita exprimere licet alia occaſione: *putatiſne ei pecuniam ad bellum tantum conficiendum ſupereſſe? ſupereſſe dico? quid ſi etiam defutura ſit? defutura? quid ſi iam ſumma laboret inopia?* Eadem ratione & alias figuras elegantiores licebit imitando exprimere.

****) Saepe ita comparata eſt periodus, vt habeat aliquid admirandum. Tunc vero imitationem meretur. Exemplum iam adfuit ſupra, quum primam periodum CICERONIS ex *oratione pro A. Caecina* imitaremur.

VIIII. Hactenus, quis imitandus ſit, quot modis id fieri poſſit, & quid in puerili aeque ac maſcula imitatione in exemplum proponi debeat, paullo adcuratius inueſtigauimus. Proximum eſt, ut, qua arte maſcula illa imitatio conſtet, doceamus. Hic vero duo notanda ſunt imitationis capita, quorum alterum ANALYSIN, alterum GENESIN adpellamus *). Vnde opus eſt analyſi & geneſi.

*) Quicumque alicuius rei formam ac materiam imitandam ſibi proponit, is primo omnium rem interius contemplari, & ſingulas eius partes earumque diſpoſitionem adcuratius expendere: ac deinde de illis eodem modo effingendis connectendiſque debet cogitare. Prius per ANALYSIN, poſterius per GENESIN fieri ſolet. Eſt ergo nobis analyſis *artificioſa periochae cuiuſdam in partes ſuas ſolutio, eo conſilio ſuſcepta, vt, quid in ſingulis artificii lateat, perſpici poſſit.* GENESIS vero eſt *artificioſa materiae cuiuſdam ſecundum easdem partes diſpoſitio, ita comparata, vt idem artificium in ſingulis partibus eluceat.*

X. Ad ANALYSIN quod adtinet, primo periodos, quas maſcula ratione imitandas exiſtimamus, logice in membra ſua partimur *), deinde de phraſibus ac vocabulis iudicamus **), ac denique, qua arte ſingulae partes inter ſe connexae ac veluti coagmentatae ſint, expendimus ***). In analyſi quid conſiderandum?

*) Primo ergo opus eſt ANALYSI LOGICA. Ea quo modo inſtituenda ſit, iam ex philoſophia rationali conſtare debet. Nos ergo rem exemplo illuſtrabimus. MVRETVS *part. I. orat.* 22. ita ait:

Si pro tuus quiſque propugnatione ac defenſione plura pericula ſubiit, plus excepit acerbitatum, pluribus quaſi procellis ac tempeſtatibus agitatus eſt, eo plus gaudii ex iis, quae ad retinendam atque amplificandam illius dignitatem pertinent, ad eum peruenire credendum eſt: dubitare non potes, beatiſſime pater, quin Carolus rex, te pontifice creato, tanto ceteros reges eximia quadam percepti ex ea re gaudii magnitudine ſuperauerit, quanto non huius modo memoriae, ſed omnium aetatum ac ſaeculorum reges graui ac diuturna ſuſceptorum pro ſedis apoſtolicae auctoritate laborum ac diſcriminum perpeſſione ſuperauit.

Iam ſi vberrimam hanc ac incomparabilem periodum imitandam ducerem: primo omnium cogitandum eſſet de *analyſi logica*, quam ita inſtituerem. Tota periodus perfectum continet ſyllogiſmum:

MAIOR. *Quicumque pro altero plus periculi ac laborum ſubiit, is maxime de eius dignitate laetatur.*

MINOR. *Carolus rex pro pontifice plus periculi ac laborum ſubiit quam alii.*

CONCLVSIO. *Ergo de dignitate pontificis maxime laetatur.*

Accedat alia periodus ex PLIN. *Paneg. cap.* 1.

Bene ac ſapienter, P. C. maiores inſtituerunt, vt rerum agendarum, ita dicendi initium a precationibus capere, quod nihil rite, nihilque prouidenter, ſine deorum immortalium ope, conſilio, honore auſpicarentur.

Occurrit hic initio

I. THESIS. *Dicendi auſpicium more maiorum a precibus faciendum.*

II. AETIOLOGIA.

1) *Eſt enim id a maioribus bene ac ſapienter inſtitutum.*

2) *Etiam aliae actiones omnes a precibus inchoandae.*

3) *Nihil rite & prouidenter ſine deorum ope geritur.*

**) Accedere deinde debet IVDICIVM DE PHRASIBVS. Conſiderandum enim, quid in ſtilo & dictione auctoris praeclarum ac admiratione dignum videatur. Sic in MVRETI periodo obſeruo, 1) auctorem ſaepe coniunxiſſe per μεριςμὸν eiuſmodi vocabula, quae paene eiuſdem ſignificationis videntur, nec tamen ſunt. Nam hoc modo coniungit *propugnationem* ac *defenſionem*, quarum haec etiam ſcriptis & verbis; illa armis tantum ſuſcipitur. Ita etiam ipſam defenſionem ita deſcribit, vt gradatim adſurgat a *periculis* ad *acerbitates*, ab his ad *procellas* ac *tempeſtates*. In ſecundo periodi membro eadem ratione coniungit *retinere* & *amplificare dignitatem*, vt oſtenderet Carolum non ſolum id dediſſe operam, vt ne pontificis conditio deterior redderetur, verum etiam vt melior eſſet. In tertio membro, adiectiuo in ſubſtantiuum mutato amplificat orationem. Nam pro *magno gaudio percepto* ait: *eximia quaedam percepti ex ea re gaudii magnitudo.* In poſtremo membro denuo coniungit *huius memoriae* & *omnium aetatum ac ſaeculorum reges*: nec non *labores* & *diſcrimina*. Et haec quidem in illa MVRETI periodo ad iudicium de phraſibus pertinere videntur. Quod ad PLINII adtinet periodum, is quoque coniungit eiuſmodi vocabula: veluti *bene* ac *ſapienter*: *rite* & *prouidenter*, *deorum opem*, *conſilium*, *honorem*. Obſeruanda quoque ſynonymia phraſium: *initium ab aliqua re capere*, & *auſpicari.*

***) Sic ſatis patet, MVRETVM periodi ſuae membra coniungere per particulas & formulas: I. *ſi quod quiſque*, II. *eo plus*, III. *dubitare non potes, quin tanto*, IIII. *quanto.* In PLINII periodo connexio eſt ſimpliciſſima. Rationem enim poſtponit theſi, eique illam connectit per particulam cauſſalem QVOD.

Quid in geneſi? XI. ANALYSIN ſequitur GENESIS. Perſpecta enim interiore periochae alicuius pulcritudine, danda eſt opera, vt thema quoddam eodem ordine diſponamus *), eiuſdemque generis phraſibus **), ac connexionibus ***) vtamur. Sic enim fiet, vt ouum ouo non ſimilius videatur, quam ſtilus noſter ſtilo auctoris ****).

*) Exemplis res erit clarior. MVRETI periodum ſupra in ſyllogiſmum ſoluimus. Sumemus ergo plane aliam materiam, eamque eadem ratione diſpone-

ponemus. Theſis noſtra erit : *nobiles iuuenes prudentiae ciuilis cognitio decet.* Syllogiſmus inde naſcetur talis :

MAIOR. *Quidquid in rei publicae adminiſtratione maximi momenti eſt : id diligenter excolendum eſt a nobili iuuene.*

MINOR. *Prudentia ciuilis in rei publicae adminiſtratione maximi momenti eſt.*

CONCLVSIO : *Eſt ergo a nobili iuuene diligenter excolenda.*

Ita & PLINII periodum theſi & rationibus conſtare diximus. Eodem exemplo nos ponemus

THESIN : *Phyſices initium ab experientia capiendum.*

AETIOLOGIA.

I. *Hoc enim viri ſapientes monuerunt.*

II. *Omnium artium auſpicium ab experientia fieri debet.*

III. *Nihil ſolide addiſcitur ſine experientia.*

Has diſpoſitiones, quamuis ad aliam materiam adcommodatas, ſuperioribus illis ſimillimas eſſe nemo non videt.

**) Quidquid in phraſeologia auctoris praeclarum atque admirabile viſum eſt, illud imitatione eſt exprimendum. Sic quum MVRETI aeque ac PLINII artificium in eo potiſſimum conſiſtat, vt voces idem paene ſignificantes coniungant, vt phraſes ſynonymas vſurpent, vt denique adiectiuum in ſubſtantiuum commutent : danda erit opera, vt & nos hæc omnia imitemur. E. g. diſtinguit MVRETVS *defenſionem* ac *propugnationem* : nos in noſtro exemplo eodem modo ſcientiae *intelligentiam* & *vſum*, ſeiungemus. MVRETVS per gradus a *periculis* ad *acerbitates*, & ab his ad *tempeſtates* & *procellas* adſurgit. Nos eadem ratione a *doctrina* ad *prudentiam*, ab *hac* ad *exercitationem* vel *exſequutionem* conſiliorum progrediemur. MVRETVS iungit dignitatem *retinendam* atque *amplificandam* : nos eodem modo politicam & *imbibendam* & *excolendam* eſſe dicemus. Et ſic facile reliqua etiam imitari licebit, ceu paullo poſt ipſa exempla ſatis oſtendent.

***) In connexione imitanda cum ad ordinem membrorum, tum ad formulas connectendi reſpiciendum eſt. E. g. quum ſupra MVRETI periodum in ſyllogiſmum redegerimus : facile animaduertemus, ſubiectum maioris propoſitionis primum ; praedicatum eiuſdem ſecundum ; concluſionem tertium ; & adſumtum denique quartum membrum conſtituere. Idem ergo ordo nobis quoque imitandus eſt. Sic PLINII periodo quum primo rationem primam & ſecundam, deinde ipſam theſin, ac poſtremo tertiam rationem poſitam obſeruemus : nobis quoque ab eo ordine haud diſcedendum erit. Particulae vero & formulae connectendi poterunt retineri.

****) Ne iactantius hoc dictum exiſtimes, ſubiungemus exemplorum noſtrorum ἐξεργασίαν. MVRETI itaque periodum ita imitabimur :

Si e cuius quiſque ſcientiae intelligentia atque vſu plus doctrinae ſperat, plus ſibi comparat prudentiae, pluribus denique ad res gerendas praeſidiis inſtruitur, eo plus induſtriae ad illam addiſcendam excolendamque generoſos adoleſcentes allaturos, credendum eſt : dubitari profecto non poteſt, auditores, quin degustatis prius cultioribus litteris, prudentiam ciuilem tanto alacrius, quam reliquas artes, ſint imbibituri, quanto non inferioribus modo, ſed omnibus omnino artibus ac ſcientiis, eximia quadam ac mirifica percipiendae ex ea vtilitatis vbertate ac magnitudine antecellit.

Sic & PLINII exemplo, hanc effingemus periodum :

Bene ac prudenter, ſi quid aliud philoſophi praeceperunt, vt artium addiſcendarum, ita naturam contemplandi initium ab experientia eſſe capiendum, quod numquam accurate, numquam ſolide homines ſine ſenſuum ſuorum perceptione, teſtimonio, iudicio philoſopharentur.

Obſeruationes quaedam aliae de imitatione.

XII. Et hoc quidem eſt totum illud imitandi artificium, quod pauci adcurate tenent. Illud addo, neminem moueri debere rei difficultate. Quamvis enim ea imitandi ratio initio paullo operoſior videatur: diuturna tamen exercitatione eam ſenſim adſequemur imitandi facultatem, vt non tam imitari, quam omnia ex ingenii penu depromere videamur.

CAPVT III.

DE VARIIS STILI EXERCITIIS.

I.

Exercitationum neceſſitas.

AD metam iam denique peruenimus, nec quidquam videtur reliquum, quam vt de exercitiis quoque ſtili *) aliquid moneamus. Verum ea in re licebit nobis eſſe breuioribus, quum poſt alios **) ex inſtituto illam exſequuti ſint CASP. SAGITTARIVS & IO. SCHEFFERVS ***).

*) Omnes, qui de cultiore ſtilo praecepta quaedam dederunt, praeter φύσιν & μάθησιν etiam ἄσκησιν ſiue *exercitationem* commendarunt. Et recte quidem, quia, teſte illa rerum magiſtra, nulla lingua ſine vſu adcurate addiſcitur. Quum vero conſuetudinem cum Latine loquentibus interceperit nobis linguae huius interitus, ſcriptione haec iactura vtcumque penſanda eſt. *Stilus* enim, teſte CICERONE, *optimus dicendi magiſter eſt.* Et THEON rhetor, a THOMA GALE editus, in *praefatione opuſculi* ſui: *quemadmodum*, inquit, *picturae ſtudioſis nihil profuerit, cognouiſſe Apellis, Protogenis, & Antiphili tabulas, niſi & ipſi pingere tentarint: ita & eloquentiae operam daturis neque copia ſenſuum, neque puritas ſermonis, neque compoſitionis concinnitas, neque audiuiſſe praeclara, nihil denique horum omnium, quae rhetorica complectitur, vtile eſſe poterit, niſi quiſque & ipſe quotidie ſcribendo ſeſe exerceat.* [De exercitationis neceſſitate illud vnum tenendum, multo facilius eſſe per ſolam exercitationem diſcere ſcribere, quam ex ſolis praeceptis. Ne Grammatice quidem ſcribere ex ſolis praeceptis, nedum ornate, diſces. Serius multo inuenta ſunt praecepta, cum olim eſſent, qui recte ſcriberent. G.]

**) Iam QVINCTIL. *Inſtit. orat. X,* 3. nonnulla de ſcribendi exercitiis praecepit, quem deinde plures ſequuti ſunt, veluti MANVT. *Epiſt.* I, 4. STVRMIVS, MORHOFIVS, *Polyhiſt. Tom.* I. *libr.* II. *cap.* 13. & alii.

***) CASP. SAGITTAR. *de lectione ac imitatione Ciceronis*, & IO. SCHEFFERVS *de ſtilo, cap.* 13. 14. & ex inſtituto in *Gymnaſio ſtili, ſeu de varia ſcribendi exercitatione*, ex quo nonnulla hic decerpere iuuabit.

II. Tiro-

II. Tironibus auſpicandum erit a VERSIONE, quippe omnium facillima. Sed quum in ſcholis plerumque e vernacula aliquid in Latinam linguam transferendum proponatur: conſultius videtur, e Latinis multa vertere Germanice, eaque interiecto tempore denuo Latina reddere *). Commendatur ergo verſio.

*) Verſiones Latinae cum fructu non adeo magno coniunctae videntur, ſi tironibus imperentur. Quum enim nondum guſtu quodam Latinae elegantiae imbuti ſint; fieri non poteſt, quin Latinitas, hac exercitatione comparata, Germaniſmos redoleat. At ſi ſaepe auctorum veterum loca in vernaculam transferantur: facilius obſeruabitur vtriuſque linguae differentia. Cauere tum diſcent tirones Germanicos idiotiſmos, ordinem verborum Germanicum, & quidquid in lingua noſtra a Latinae proprietatibus abhorret. Ego ſane adoleſcentem me memini magnam CVRTII & NEPOTIS partem in vernaculam transferre, notatis vbique vtriuſque linguae differentiis, ex quo labore quantum fructum ceperim, non ſine voluptate quadam recordor. [Verſio apud tirunculos praemitti debet quae ſingula verba ordine ſimpliciter exprimat; deinde ſtatim ſubiicienda maſcula quaedam interpretatio, ſententiae auctoris & linguae noſtrae rationibus accommodata. Procedente tempore illa prior puerilis ratio paullatim parcius proponenda, & obſcurioribus tantum locis adhibenda: vbi vires acceſſerint, omittenda penitus. Eo etiam adſuefaciendi adoleſcentes, vt intentis in Latinum exemplum oculis ſtatim Germanica recitare poſſint, cet. G.]

III. Verſionibus eiuſmodi aliquamdiu adſueti, VARIATIONIBUS ſuam exercebunt induſtriam, operamque dabunt, vt ſententiam aliquam aliis caſibus *), verbis, phraſibus **), figuris ***) permutent. Variatio.

*) Huius variationis per caſus iam ſupra *part. I. cap.1. §.21.* fecimus mentionem. Iam exemplo multiplicem illam variandi rationem illuſtrabimus. Sit nobis ſententia: *omnes homines ſunt ab otio procliues ad libidinem.* Iam in caſu ſecundo dicere licebit: *eſt ea hominum omnino omnium indoles, vt ab otio ad voluptatem ac libidinem ſint procliues.* In caſu tertio: *commune id omnibus hominibus vitium eſt, vt ab otio ad libidinem ruant.* In caſu quarto: *omnes homines otii dulcedo ad libidinem ſolet inuitare.* In caſu ſexto: *hominibus otio ac deſidia veluti ſepultis, ſepultae animo libidines veluti reuiuiſcunt.*

**) Quaerenda ergo erunt vocabula eiuſdem notionis, quae ſynonyma vocare ſolent philoſophi. Veluti in ſuperiore exemplo: *ita natura comparata eſt omnium mortalium, vt laborem defugientes, in libidinem, id eſt, e Charybdi in Scyllam incidant. Omnium omnino hominum indoles ab otio procliuis eſt ad libidinem. Non temere quiſquam labores defugit, quin libidinem tanto acrius concupiſcat, cet.*

***) Variatio per figuras non minus eſt elegans, & mirifice exercet ingenium. Sic ASYNDETON erit: *omnes homines ab otio ad luxuriam, libidinem, laſciuiam praecipiti curſu ruunt.* ANAPHORA: *nihil eſt hominibus otioſis ad luxuriam, nihil ad laſciuiam, nihil ad libidinem ac voluptatem procliuius.* CLIMAX: *ea hominum paene omnium eſt indoles,*

indoles, vt ab otio in luxuriam, ab hac in laſciuiam, atque ab ea denique in foediſſimas libidines non gradu ſed praecipiti curſu ferantur. Sic facile per alias figuras inſtitui poterit variatio. Sane mirifice hoc & ingenium acuit & iudicium, ſi prudentis magiſtri accedat inſtitutio. Neque enim haec exercitatio committenda eſt iis, qui nondum aere lauantur.

Carminis ſolutio. IIII. Non praeter rem etiam a SCHEFFERO, MORHOFIO & aliis commendatur CARMINIS SOLVTIO *), quippe qua ipſi veteres non ſine fructu vſi ſunt **). Eſt autem illa *elegans verſuum, neglecta menſura & dictione poëtica, in proſam mutatio* ***).

*) Commendari haec vel eo nomine meretur, quod inde facillime addiſci poteſt ſtili poëtici ac proſaici differentia.

**) Iam olim eo exercitationis genere vſos eſſe SVLPITIVM & AVGVSTINVM, docet SAGITTAR. *de lect. & imit. Cicer. num.* 118. Solebant vero veteres non ſolum loca poëtarum notabiliora menſura ac dictione poëtica ſoluere, verum etiam oratorum dicta in poëmata ſua transferre. Vt exemplo rem illuſtremus, CICERO in *orat. pro C. Rabirio*: *nihil me*, inquit, *clamor iſte commouet; ſed conſolatur, quum indicet, eſſe quoſdam ciues imperitos, ſed non multos. Numquam, mihi credite, populus Romanus hic, qui ſilet, conſulem me feciſſet, ſi veſtro clamore perturbatum iri arbitraretur.* Poſteriorem partem in poema ſuum tranſtulit SILIVS ITALICVS VII, 219.

Feruida ſi nobis corda, abruptumque putaſſent
Ingenium patres, & ſi clamoribus; inquit,
Turbari facilem mentem: non vltima rerum
Et deplorati ſnandaſſent Martis habenas.

Sic & ipſe CICERO nonnumquam loca poëtarum metro ſoluta in orationibus ſuis expreſſit. Exempli gratia, EVRIPID. in *Hippolyto* de mulieribus libidinoſis ita canit:

ὐδὲ σκότον φρίσσυσι τὸν ξυνεργάτην,
Τέρεμνά τ' οἴκων, μή ποτε φθογγὴν ἀφῇ.

Neque tenebras noctis perhorrerent conſciae,
Neque, ipſa ne quando eiiciat vocem, domus.

Haec ita ſoluta oratione expreſſit CICERO *pro Coelio*: *ex hac igitur domo progreſſa iſta mulier, de veneni celeritate dicere audebit? nonne ipſam domum metuet, ne quam vocem eiiciat? non parietes conſcios? non noctem illam funeſtam ac luctuoſam perhorreſcet?*

***) Exempla complura peti poſſunt ex NICOD. FRISCHLINI *paraphraſibus*. Vir enim iſte doctiſſimus VIRGILIVM, HORATII *Epiſtolas*, & PERSII *Satiras* in proſam ingenioſe conuertit, quod in HORATIO & IVVENALE etiam tentauit EILH. LVBINVS in *periphraſi Horatii* & *ecphraſi Iuuenalis*.

Coarctatio. V. Ad formam ſtili mutandam praecipue pertinet COARCTATIO, quae eſt *preſſa atque adſtricta eorum, quae cum ambitu ab auctore dicta ſunt, expoſitio* *).

*) Non hic intelligimus coarctationem illam, qua tota auctorum opera diffuſiſſima in epitomen contrahuntur, ſed qua ſtilus vberior in preſſum atque adſtrictiorem conuertitur. Facile enim ab iis, qui in poteſtate habent

bent Latinam eloquentiam, ſtilus Aſiaticus in Rhodium, immo & Atticum poterit commutari. E. g. CICER. *Verrin. IIII. nego*, inquit, *in Sicilia tota, tam locuplete, tam vetere prouincia, tot oppidis, tot familiis tam copioſis, vllum argenteum vas, vllum Corinthium aut Deliacum fuiſſe; nego vllam gemmam aut margaritam fuiſſe, aut quidquam ex auro & ebore factum, ſignum vllum aeneum, marmoreum, eburneum; nego vllam picturam neque in tabulis neque textilem fuiſſe, quin quaeſierit, inſpexerit, quod placitum ſit, abſtulerit.* Vbertima haec eſt, ac plane Aſiatica periodus. Eam tamen facile ita coarctabimus: *nego in vniuerſa Sicilia, locuplete ac populoſa prouincia, vllum vas rari operis fuiſſe: nego vllam fuiſſe gemmam, aut quidquam ex auro, ebore, aere vel marmore ingenioſius confectum; nego picturam vel telam egregiam fuiſſe, quin quaeſierit, inſpexerit, abſtulerit.* Vel breuius; *nego in Sicilia (at quanta prouincia!) vllum vas rari operis, aut quidquam vel materia pretioſum vel artificioſius elaboratum fuiſſe, quod non a Verre quaeſitum, inſpectum, ablatumque fuerit.*

VI. Ex quo ſimul patet, quale ſit quintum exercitationis genus, quod AMPLIFICATIONEM vocant. Eadem enim arte etiam ea, quae preſſius ab auctore dicta ſunt, per *μερισμὸν* *), circumſtantias **), deſcriptiones ***), alioſque amplificandi fontes ****), dilatamus. Caue tamen, ita amplifices, vt periodus in *τῦφον* euadat, quam quippe in vitio poni, iam ſupra obſeruauimus. Amplificatio.

*) Dicere e. g. CICERO *diu. in Verr. I.* volebat: *putaſne te poſſe, quae Verres vbique patrarit, diſtincta oratione proferre?* Hoc amplificaturus, primo illud *vbique* per *μερισμὸν περιφράζει*, enumeratis prouinciis & locis, quae Verres ſceleribus polluerat, deinde illud *diſtincte* per deſcriptionem illuſtrat, adeoque inde naſcitur haec periodus vberrima: *putaſne te poſſe, quae C. Verres in legatione, quae in praetura, quae Romae, quae in Italia, quae in Achaia, Aſia, Pamphyliaque patrarit, ea, quemadmodum locis temporibusque patrata ſint, ſic criminibus & oratione diſtinguere?*

**) Eadem oratione inſequente ſtatim periodo CICERO dicere volebat: *putaſne te poſſe id efficere, vt, quae praeter fas fecit, iudicibus ſatis acerba ac indigna videantur?* Haec quoque amplificaturus, primo addit circumſtantiam *cur? eſſe enim id maxime neceſſarium*; deinde addit deſcriptionem eorum, quae contra fas & aequum fecerit Verres, eoque *libidinem, nefas, crudelitatem* refert. Denique ſequitur circumſtantia *quomodo?* tam acerba enim haec facinora iudici videri debere ait, quam iis, qui illa paſſa ſint. Vnde haec enaſcitur periodus: *putaſne te poſſe id, quod eiuſmodi reo maxime neceſſarium eſt, facere, vt, quae crudeliter fecerit, ea aeque acerba & indigna videantur eſſe iis, qui audient, ac illis viſa ſunt, qui ſenſerunt?*

***) Sic quum CICERO *pro Roſcio Amer. c. 13.* dicere potuiſſet: *etenim ſi vultu ſaepe laeditur pietas: quod ſupplicium ſatis acre in parricidam reperietur?* vtrumque membrum periodi amplificat deſcriptione: in priore membro verba illa ait eſſe prouerbium a viris ſapientibus repertum; in poſteriore parricidam luculenter deſcribit. Vnde enaſcitur periodus: *etenim, ſi, id quod praeclare a ſapientibus dicitur, vultu ſaepe laeditur pietas: quod ſupplicium ſatis acre reperietur in eum, qui mortem obtulerit parenti, pro quo mori ipſum, ſi res poſtularet, iura diuina atque humana cogebant?*

****) Neque enim vllus eſt locus dialecticus, nulla circumſtantia, nulla figura, vnde non amplificatio quaedam pet-

peti poſſit. Ex inſtituto ea de re agit VAL. THILO in *Rudim. rhetor. de period. amplificat. & connex. part. II. c. 3. ſequ. p.* 92. *ſequ.*

Characteris imitatio.

VII. Sextum exercitationis genus CHARACTEREM dicunt. Sunt vero characteres *imagines quaedam animorum, per externas notas expreſſae deſignataeque* *). Quum vero ſine inſigni philoſophiae moralis notitia character animi exprimi nulla ratione poſſit **): ab iis demum ſuſcipienda eſt haec exercitatio, qui in hac philoſophiae parte ſunt verſatiſſimi.

*) Caue ergo exiſtimes, *characteres* eſſe mera elogia. Quare etſi VELLEIVS PATERCVLVS in deſcribendis hominum ingeniis videatur feliciſſimus: in eo tamen peccaſſe videtur nitidiſſimus ſcriptor, quod vix quemquam ſine elogio praetermiſit. Pictorum reprehenditur adulatio, qui vix pingere ſe quemquam poſſe putant, niſi pulcriorem fingant. Quanto magis notandi, qui non deſcribunt, ſed laudant, & tamen veram imaginem vel characterem nobis ob oculos poſuiſſe videri volunt?

**) Hinc cum fructu hic conferri poſſunt, quicumque in excolenda ethica characteriſtica exercuerunt ingenium, veluti THEOPHRASTVS in *characteribus morum*, DE LA BRVYERE, CL. PASCALIS in *characteribus*, & ſi qui ſunt huius generis alii. Vt vero, quid ſit character, eo luculentius pateat, exemplum dabimus e PETRONII *Satir. cap.* 117. *pag.* 542. *edit. Burmann.* qui characterem oſtentatoris hac elegante notatione expreſſit: *ſecundum hanc formulam imperamus Eumolpo, vt plurimum tuſſiat, vt ſit modo ſolutioris ſtomachi, ciboſque omnes palam damnet; loquatur aurum & argentum, fundoſque mendaces, & perpetuam terrarum fertilitatem. Sedeat praeterea quotidie ad rationes tabulaſque teſtamenti, omnibus fidem renouet; & ne quid ſcenae deeſſet, quotiescumque aliquem noſtrum vocare tentaſſet, alium pro alio vocaret, vt facile adpareret, dominum etiam eorum meminiſſe, qui praeſentes non eſſent.* En hic oſtentatoris effigiem, tam profecto adcuratam, vt tibi eum videre coram videaris. Talia etiam circa alia vitia hominum tentanda ſunt, ſed ita, vt ſemper philoſophiae moralis principia adhibeamus in conſilium.

Deſcriptio.

VIII. Proxima eſt DESCRIPTIO, vel ἔκφρασις, genus exercitationis, SCHEFFERI *) iudicio, iucundiſſimum & ad ſplendorem orationis pulcritudinemque praecipue comparatum. Eſt vero deſcriptio expoſitio, rem eiusque naturam ac indolem perſpicue ſubiiciens oculis **).

*) SCHEFFER. *Gymnaſ. ſtil. p.* 41.

**) In deſcriptionibus feliciſſimum eſt ingenium VIRGILII. Vnde is non parum in hoc genere orationis proficiet, qui elegantiſſimas huius poëtae deſcriptiones in proſam orationem commutabit. Exempli loco eſſe poterit deſcriptio tempeſtatis, quae *Aen. I, v.* 85. *ſeqq.* occurrit, qua nihil poterit excogitari elegantius. CVRTIVS etiam in deſcriptionibus excellit, quamuis eae nonnumquam ſophiſticum potius, quam hiſtoricum redoleant ingenium. Huc pertinent deſcriptiones praelii *Libr. III. c.* 10. & *Libr. IIII. c.* 6. triumphi *Libr. VIIII. c.* 10. Marſyae amnis *Libr. III. c.* 1. Nos exempli loco dabimus deſcriptionem itineris per Libyam ad Iouis Hammonis templum apud eumdem CVRT. *Libr. IIII. cap.* 7. *iter expeditis quoque & paucis vix tolerabile ingrediendum erat: terra caeloque aquarum penuria eſt:*

Steri-

ſteriles arenae iacent, quas vbi vapor ſolis accendit, feruido ſolo exurentes veſtigia, intolerabilis aeſtus exſiſtit, luctandumque eſt non tantum cum ardore & ſiccitate regionis, ſed etiam cum tenaciſſimo ſabulo, quod praealtum & veſtigio cedens aegre moliuntur pedes. Cauendum tamen hic ab hyperbolis & frigidis exaggerationibus, a quibus, vt ſupra notauimus, raro abſtinent FLORVS & CVRTIVS.

VIIII. Denique etiam ETHOPOEIA commendari ſolet, id eſt, *imitatio ſermonis, moribus alicuius & negotio adcommodata* *). In qua praecipue danda eſt opera, ne τὸ πρέπον neglexiſſe videamur **). Ethopoeia.

*) Pleni ſunt eiuſmodi ethopoeiis hiſtorici & poetae. Sic CVRTIVS modo Alexandrum, modo Darium, modo alios loquentes introducit, nec vllam temere praetermittit occaſionem, quantum declamatorio acumine valeat, oſtentandi. Plures quoque eiuſmodi orationes ſunt apud LIVIVM, SALLVSTIVM, TACITVM, quin & apud poëtas VIRGILIVM, SILIVM ITALICVM, LVCANVM. Ex inſtituto vero ethopoeias compoſuit THEON, quae cum DEMETRII PHALEREI libello *de eloquutione* prodierunt *Oxonii* 1676, 8. Exempli loco ſit breuis, ſed elegans ethopoeia, qua Darii adfectum exprimit CVRTIVS, *Libr. IIII. c.* 10. quum is de Alexandri M. humanitate & clementia in captiuam vxorem factus eſſet certior: *dii patrii, primum mihi ſtabilite regnum; deinde, ſi de me iam tranſactum eſt, precor, ne quis Aſiae rex ſit, quam iſte, tam iuſtus hoſtis, tam miſericors victor.*

**) Hinc, ſi quis regi ſubtilem orationem de materia quadam philoſophica, aut philoſopho orationem magnificam de re militari tribueret: is profecto non ethopoeiam ſcribere, ſed Herculi ſoccos, puero cothurnos, aptare videretur. Mirus in ea re artifex eſt TERENTIVS, cuius *Eunuchum* ſi quis perlegerit, non poterit non eius ingenium in exprimendis hominum moribus, & oratione loquentibus attemperanda, mirari.

X. Referri huc etiam ſolent progymnaſmata, veluti *fabula, narratio, chria, confirmatio, confutatio, laus, vituperatio, comparatio, locus communis, theſis,* & quae ſunt huius generis alia. Verum quum de progymnaſmatibus fere innumeri exſtent libelli: nolumus nos quidem actum agere, ſed defuncti hoc quem nobis imperauimus labore, hic ſubſiſtimus. Concluſio opuſculi.

[Annotationes noſtras obſignabimus dicto Craſſi, id eſt, ipſius CICERONIS *de orat.* I. 34. *legendi etiam poëtae, cognoſcenda hiſtoria, omnium bonarum artium ſcriptores ac doctores & legendi & peruolutandi, & exercitationis cauſſa laudandi, interpretandi, corrigendi, vituperandi, refellendi, diſputandumque de omni re in contrarias partes, & quidquid erit in quacunque re, quod probabile videri poſſit, eliciendum atque dicendum.* Id. *Bruto* c. 15. *vt hominis decus ingenium, ſic ingenii ipſius tamen eloquentia.* G.]

SILLOGE
EXEMPLORVM,
PRAECEPTA SVPERIORA
ILLUSTRANTIVM.

PRAEFATIO.

NOn animus erat initio, hanc exemplorum ſyllogen adiicere, partim quod praecepta ipſa ſatis perſpicua ſint, partim quod nuſquam deeſſe exempla luculentiſſima viderentur. Attamen, quum amici in ſcriniis meis vidiſſent nonnulla, iam olim a me diligentius elaborata, quae huic opuſculo lucis aliquid accendere poſſe exiſtimarent, eſſentque auctores, vt & iſta praeceptis ſubiicerem: nolui ego eorum voluntati refragari. Ne vero vtilitate ſua deſtituerentur iſta opuſcula, ſubinde in ora paginarum ſubieci numerum paragraphorum, adeoque praeceptorum, quorum ad normam iſta ſunt a me elaborata. Tu, lector, & hoc, quidquid eſt, aequi bonique conſule; & vale.

I.

I.

EPISTOLA,

QUA PRAXIS CAPITIS I. OSTENDITUR.

EGo vero *a*, ANTONI *b* ſuauiſſime *c*, tanta cum admiratione *d* felicitatem TVAM *e* intueor, vt quem tibi ea *f* in re non dicam anteferendum, ſed comparandum arbitrer *g*, inueniam omnino neminem *h*. Contigit enim TIBI, quod neſcio an vlli *i*, vt praeter ſplendidos natales, praeter ſummam, qua fulges *k*, dignitatem, extentumque vitae ſpatium, quod TIBI ſummus rerum arbiter conceſſit, filium quoque habeas, omni doctrinae, virtutiſque laude multo *l* ornatiſſimum *m*. Equidem, qualis eſſet aliquando futurus *n*, iam pridem ego fretus eius indole ac praeclaro ad virtutem impetu, conieceram. Iam vero augurium iſtud meum exitu comprobante *o*, non poſſum non *p* vtrique no-

a) *Vero*) Eleganter hoc additur ab initio pronomini ego, *part.* I. *cap.* 1. §. 20. *reg.* 1. *pag.* 22.

b) *Antoni*) non ANTHONI, *part.* I. *c.* 1. §. 8. *reg.* 1. *p.* 9. nec recte ſcripſiſſem ANTONI, per §. 6. *reg.* 2. p. 8.

c) *Suauiſſime*) Vocatiuus enim non ſtatim ab initio, ſed plerumque poſt aliquot verba ponitur, *part.* I. *c.* 1. §. 19. *reg.* 1. p. 19. nec recte ſcripſiſſem *ſvauiſſime*, per *part.* I. *c.* 1. §. 7. *reg.* 3. 8.

d) *Tanta cum admiratione*) per regulam 13. §. 19. p. 21.

e) TVAM) per regulam 3. §. 6. p. 8. nec recte ſcripſiſſem TUAM per *reg.* 1. §. 6. p. 8. *ſeq.*

f) *Quem tibi ea*) plura hic iunguntur pronomina. Vid. §. 19. *reg.* 12. p. 20.

g) *Arbitrer*) propoſitio incidens reliquae orationi inſerta eſt. Vid. §. 19. *reg.* 3. p. 19.

h) *Neminem*) caſus obliqui vocis *nemo* periodum eleganter concludunt. Vid. *ibid. reg.* 10. p. 20.

i) *Neſcio an vlli*) elegans deſcriptio ſuperlatiui, de qua ſupra *part.* I. c. 1. §. 22. p. 24.

k) *Qua fulges*) propoſitio incidens reliquae orationi inſerta. Vid. §. 19. *reg.* 3. p. 19.

l) *Multo*) ſolet hoc ſuperlatiuis addi. Vid. §. 20. *reg.* 3. p. 22.

m) *Ornatiſſimum*) ſuperlatiuum periodum eleganter concludere, obſeruauimus §. 19. *reg.* 9. p. 20.

n) *Eſſet aliquando futurus*) tempora e participiis & verbo ſubſtantiuo compoſita diuelli ſolere, obſeruatum eſt §. 19. *reg.* 7. p. 20.

o) *Exitu comprobante*) variatio per participium, de qua §. 22. *reg.* 6. p. 25.

p) *Non poſſum non*) pro oportet. Vid. §. 22. *reg.* 5.

noſtrum pro eo ac debeo *q*, gratulari *r*. TIBI, cui eiuſmodi contigit filius, quem ne fingere quidem ac concipere meliorem poſſis: mihi, qui neſcio qua *s* ingenii ſollertia *t*, de futura eius virtute ac dignitate tam vere diuinaui. Quum primum ex ephebis exceſſerat, in elegantiorum litterarum *u* ſtudiis incremento tam praecoci adoleuit, vt, diſceretne *x*, an ex PLATONIS ſententia *y* reminiſceretur, vix poſſet a quoquam exiſtimari *z*. Tantum ſane abeſt *a*, vt comiſſationibus *b*, aleae, otio, (id quod *c* vulgo *d* faciunt adoleſcentes,) quidquam attribuerit temporis, vt quibuſdam iuſto videretur diligentior *e*, eſſentque, qui *f* frenis potius, quam calcaribus *g* ei opus eſſe exiſtimarent. Haec omnia niſi *h* quis tam magna iudicet, nihil vt *i* illis poſſit eſſe praeſtabilius *k*, nae iſte iniquus eſſet rerum aeſtimator. Sed ſunt tamen longe maiora. Quemadmodum enim adhuc *l* condiſcipulos omnes; ita paullo poſt, vbi duodeuiceſimo *m* aetatis anno academiam noſtram ſalutauit, ſe ipſum vicit. Doctoribus operam dedit aſſidue, iiſque *n* erudiſſimis, & in philoſophia iuriſque prudentia, quanta quanta eſt *o*, tanta induſtria eſt verſatus *p*, quanta illa eſſe, quum ſumma eſt, ſolet *q*. Sane, qui ab eo electi fuerant praeceptores, quemquam negabant *r* ſibi innotuiſſe, qui filio TVO, quamuis

reg. 5. p. 27.

q) *Pro eo ac debeo*) de hac formula vid. §. 19. *reg.* 6. p. 20.

r) *Poſſum gratulari*) verba haec diuelluntur per regulam §. 19. reg. 8. p. 20.

s) *Neſcio qua*) vide ſupra §. 22. *reg.* 6. p. 27.

t) *Sollertia*) ita ſcribendum pro *ſolertia*. Vid. §. 11. p. 12.

u) *Litterarum*) ita ſcribendum eſt, non *literarum*. Vid. §. 11. p. 12.

x) *Diſceretne*) in ſententia enim dubitatiua auctores meliores non bis ponunt *an*, Vid. §. 16. *reg.* 7. p. 17.

y) *Ex ſententia*) non: *iuxta Platonem*, §. 15. *reg.* 3. p. 15.

z) *Poſſet a quoquam exiſtimari*) inter duo verba, quorum alterum ab altero regitur, eleganter aliquid interſeritur. Vid. §. 19. *reg.* 8. p. 20.

a) *Tantum abeſt*) Variatio haec commendatur §. 22. *reg.* 3. p. 26.

b) *Comiſſationibus*) ita ſcribendum, non *comeſſationibus*, §. 11. p. 11.

c) *Id quod*) vid. §. 20. *reg.* 11. p. 23.

d) *Vulgo*) Male dicunt *communiter*, de cuius aduerbii vſu vid. §. 15. *reg.* 1. p. 15. *ſeq.*

e) *Iuſto diligentior*) iuſto comparatiuis additur. Vid. §. 20. *reg.* 5. p. 22.

f) *Eſſentque, qui*) omittitur hic *aliqui*, per *regulam* 2. §. 21. p. 24. *ſeq.*

g) *Quam calcaribus*) *quam* cum caſu vel verbo ſuo interſeritur reliquae orationi per §. 19. *reg.* 4. p. 19.

h) *Niſi quis*) *ſi* & *niſi* poſt aliquot vocabula poni, obſeruauimus §. 20. *reg.* 10. p. 23.

i) *Nihil vt*) pro *vt nihil*. Vid. *regulam* 14. §. 19. p. 21. *ſeq.*

k) *Nihil praeſtabilius*) comparatiuus hic ponitur pro ſuperlatiuo. Vid. §. 22. *reg.* 5. p. 26. & claudit periodum per *reg.* 9. p. 20.

l) *Adhuc*) non hactenus. Vid. §. 15. *reg.* 2. p. 15.

m) *Duodeuiceſimo*) *viceſimo* ſcribendum eſſe, non *vigeſimo*, obſeruauimus §. 11. p. 12.

n) *Iiſque*) de huius pronominis vſu diximus §. 20. *reg.* 12. p. 23.

o) *Quanta quanta eſt*) id eſt, *tota*. Variationem hanc commendauimus §. 22. *reg.* 7. p. 27.

p) *Eſt verſatus*) *in aliqua re verſari* dicendum, non *circa aliquam rem*. Vid. §. 15. *reg.* 8. p. 17.

q) *Quanta illa eſſe, quum ſumma eſt, ſolet.*) Eiuſmodi deſcriptiones ſuperlatiui commendatae ſunt §. 22. *reg.* 1. p. 26.

r) *Negabant*) *dico*, ſequente negatione, mutatur

uis *s* paene *t* adoleſcenti, eſſet induſtria ingeniique acumine *u*, vlla ex parte *x*, comparandus. Quae quum ita ſint, fieri profecto non poterat *y*, quin in dies *z* euaderet *a* doctior *b*, &, quantum eruditione valeret, etiam in patria increbeſceret *c* rumor. Princeps certe, acerrimus ingeniorum cenſor, arceſſi *d* iuſſit *e* politiſſimum iuuenem, & cum eo ſeorſum *f* colloquutus *g*, non multa ſolum in eum exſtare voluit clementiae argumenta, verum etiam auctor *h* TIBI fuit, ut ne *i* eum, ſi demum reuertiſſet *k*, abs TE ſegregari patereris. Vt quiſque *l* in aula honeſtarum artium ſtudia maxime curabat *m*, ita filium tuum colebat obnixiſſime, ſperabatque fore *n*, vt eo aliquando amico, collega, & in re publica adminiſtranda ſocio, vteretur. Nec quiſquam tamen, meo quidem iudicio *o*, futuram iſtam filii TVI felicitatem me praeuidit adcuratius, quippe qui ex ipſis adoleſcentiae meditamentis, qualis futurus eſſet *p*, vere iudicaui. Non mirum itaque TIBI videbitur, VIR AMICISSIME, nos ambo *q* communiter *r* de ſucceſſibus iſtis ad inuidiam vſque felicibus laetari. Quod ſi *s* enim amicorum omnia ſunt communia, & optimus quiſque *t* amici voluptatem ſibi propriam exiſtimat: quid eſſet, quaeſo, quod *u* ego expers eſſe velim TVAE tam inſignis laetitiae? Quam ob rem eam felicitatem non TIBI ſolum, ſed nobis,

tatur *in nego*. Vid. §. 22. *reg*. 4. p. 27.

s) *Quamuis*) de huius particulae vſu actum §. 15. *reg*. 4. p. 15.

t) *Paene*) non *pene*. Vid. §. 11. p 11.

u) *Ingenii acumine*) pro *ingenio acuto*. De hac variatione actum §. 22. *reg*. 3. p. 24.

x) *Vlla ex parte*) pro *ex vlla parte*. Vid. §. 19. *reg*. 13. p. 21.

y) *Fieri non poterat*) id eſt, *oportebat*. Vid. §. 22. *reg*. 5. p. 27.

z) *In dies*) ita diuiſim ſcribendum, non coniunctim *indies*, §. 11. p. 12.

a) *Euaderet*) de conſtructione huius verbi vid. §. 16. *reg*. 1. p. 16.

b) *Doctior*) ſi *euaderet* poſt hoc vocabulum fuiſſet poſitum: moleſtior fuiſſet iunctura ob ὁμοιοτέλευτον. Vid. §. 19. *reg*. 16. p. 21.

c) *Increbeſceret*) non *increbreſceret*, §. 11. p. 11.

d) *Arceſſi*) non *accerſi*, §. 11. p. 11.

e) *Iuſſit*) de conſtructione huius verbi conſule §. 16. *reg*. 5. p. 17.

f) *Seorſum*) ita ſcribendum, non *ſeorſim*, §. 11. p. 12.

g) *Colloquutus*) non *diſcurrit*, vt vulgo dicere ſolent. Vid. *cap*. 2. §. 14. p. 38.

h) *Auctor*) non *autor*, vel *author*, §. 11. p. 11.

i) *Vt ne*) pro *ne*. Vid. §. 20. *reg*. 11. p. 23.

k) *Reuertiſſet*) ita CICERO, non *reuerſus eſſet*. Vid. §. 14. *reg*. 3. p. 14.

l) *Vt quiſque*) variatio particularum relatiuarum, *quo*, *eo*. Vid. §. 22. *reg*. 2. p. 26.

m) *Maxime curabat*) non ergo dicendum cum vulgo, *maximi curabat*. Vid. §. 16. *reg*. 2. p. 16.

n) *Fore*) de variatione hac diximus §. 20. *reg*. 6. p. 22. *ſeq*.

o) *Meo quidem iudicio*) vid. §. 20. *reg*. 2. p. 22.

p) *Qualis futurus eſſet*) non *qualis fuerit*. Vid. §. 16. *reg*. 4. p. 17.

q) *Nos ambo*) non, vt vulgo, *nos ambos*. Vid. §. 14. *reg*. 1. p. 14.

r) *Communiter*) de vera huius aduerbii notione vid. §. 15. *reg*. 1. p. 15.

s) *Quod ſi*) pro *ſi*. §. 20. *reg*. 10. p 23.

t) *Optimus quiſque*) *quiſque* eleganter jungitur ſuperlatiuis, §. 20. *reg*. 4. p. 22.

u) *Quid eſſet, quod*) pro cur. Vid. §. 20. *reg*. 8. p. 22.

nobis, quin ſaeculo *x*, ac rei publicae gratulor, DEVM precatus, vt, quemadmodum vxoris, incomparabilis exempli feminae *y* praeproperum fatum rationes TVAS nuper non parum turbauit, ita contra ea *z* perceptum ex filii fortuna laetitiam propriam TIBI eſſe iubeat ac perpetuam, donec emenſus hoc vitae ſpatium, relicto hoc virtutum tuarum herede, inter caelites ſumma illa ac ſempiterna beatitudine perfruaris. VALE. KAL. IVLIs *a* cIↃIↃCCXVIIII.

II.

PRAXIS DOCTRINAE DE PERIODIS.

Part. I. cap. 2. §. 17. *ſequ.* b

SI quantum huic vniuerſo terrarum orbi fulgentiſſimum ſolis lumen prodeſt, tantum rei publicae optimi prouidentia principis prodeſſe creditur: dubitare non potes, REX POTENTISSIME, quin nos omnes tanto TVI deſiderio teneamur, quanto boreales imperii TVI gentes iucundiſſimum ſolis exortum, in diuturna iſta nocte, praeſtolantur *c*. Quin, quum nos TVI deſiderium multo aegrius feramus: dicere non veremur, nos illis eſſe multo infeliciores *d*. Illis natura ſemeſtrem noctem; nobis fortuna ſex propemodum annorum caliginem obiecit *e*. Illis ſol, veluti emendaturus errorem tanto diutius fulget: nos PRINCEPS veluti experimentum patientiae noſtrae capturus tanto conſtantius fugit *f*. O dies, o tempora, quodnam huic tanto dolori noſtro alleuamentum dabitis *g*? Sex iam propemodum circumacti ſunt anni, ex quo TE, REX CLEMENTISSIME, in medio victoriarum curſu amiſimus *h*. Ex eo tempore, quid paſſa ſit Suecia, quantumque detrimenti imperium TVVM ceperit: nec barbaros, inter quos verſaris, ignorare arbitramur *i*. Erepta TIBI eſt Liuonia,

x) *Saeculo*) ita ſcribendum eſt, non *ſeculo.* Vid. §. 11. p. 12.

y) *Feminae*) non enim ſcribendum *foeminae* aut *faeminae.* V. §. 11. p. 11.

z) *Contra ea*) non *e contra.* Vid. §. 13. p. 13.

a) IVLIs) pro IVLIIS. Vid. *cap.* 1. §. 6. *reg.* 1. p. 8.

b) Epiſtola adficta Suecis, diuturnam Caroli XII. regis abſentiam lugentibus.

c) Periodus *quadrimembris*, qualem c. 2. §. 24. p. 46. *ſequ.* deſcripſimus.

d) Periodus *bimembris cauſſalis.* Vid. c. 2. §. 21. p. 44.

e) Periodus *bimembris contraria*, *ibid. not.* ***. p. 44.

f) Periodus eiuſdem generis, *ibid. p.* 44.

g) Periodus ſimplex, *c.* 2. §. 19. p. 41. *ſeq.*

h) Periodus ſimplex, *ibid.*

i) Periodus trimembris, §. 23. p. 45.

uonia, occupata Finnia, expugnata clariſſima regni tui propugnacula; nuper & Bremam Verdamque amiſimus; nec Pomerania procul abeſſe a deditione videtur *k*. Tacemus tot ciuium exactiones, vrbium ruinas, agrorum deuaſtationes, hominum ſtrages, quibus ita exhauſtae debilitataeque ſunt prouinciae TVAE, vt ſi diutius TE caruerimus, nihil ad eas reſtituendas remedii ſupereſſe videatur *l*. Equidem duo ſunt, quae nobis, niſi DEVS rem expediat, exitium minantur; maxima pecuniae commeatusque inopia, & conglobata tot vicinorum potentia, quarum altera his victoriam; altera nobis ſeruitutem triſtiſſimam praeſagit *m*. His malis qui mederi poſſit, inuenimus profecto, praeter TE, neminem *n*. TV ſolus nobis veluti naufragio proximis inſtar ſideris benefici exorieris *o*. Auguſto, principi tui quam ſimillimo, praeteruehenti Puteolos adclamaſſe legimus nautas, per illum ſe viuere, per illum nauigare, per illum bonis ac fortunis frui *p*. O vtinam Sueciae noſtrae feſtus ille atque auſpicatiſſimus illuceſceret dies, quo TE ex illo deficientis paene naturae angulo redeuntem intueretur *q*? Quam fauſtis TE acclamationibus eſſet exceptura? quantus futurus eſſet votorum concentus? quanta congratulatio *r*? Profecto non nautae tantum, ſed ſenes, iuuenes, pueri, viri, mulieres, ciues, pagani, milites, ſe per TE viuere, per TE ſpirare, per TE bonis omnibus ac fortunis frui profiterentur *s*, TE enim abſente etiam victores victis viſi ſumus ſimillimi: te redeunte, victi quoque triumphabimus *t*. Quae quum ita ſint, TE, POTENTISSIME REX, oramus, ac per communia ſacra, quibus nihil TIBI in vita carius eſt, obteſtamur, ſi TE non tamquam regem, ſed diuum quemdam tutelarem ſuſpeximus, ſi non modo bona ac fortunas; ſed ipſam vitam, & ſi quid nobis vita carius eſt, pro imperio TVO deuouimus, ſi te abſentem innumeris adhuc lacrumis ſumus proſequuti, ſi denique egeni & miſeri eſſe, dummodo TE patriamque ſaluam videremus, numquam recuſauimus: vt redeas demum in regna tua, nec nos diutius incredibili TVI deſiderio contabeſcere patiaris *u*.

k) Periodica circumductio, §. 27. p. 50.
l) Schoenotenes, de quo §. 27. p. 50.
m) Periodus quadrimembris.
n) Periodus ſimplex.
o) Periodus ſimplex.
p) Periodica circumductio.
q) Periodus bimembris.
r) Periodica circumductio.
s) Schoenotenes & periodica circumductio.
t) Periodus bimembris contraria.
u) Pneuma, de quo §. 26. p. 49.

 III. PRA-

III.

PRAXIS DOCTRINAE DE ORNATA ORATIONE.

Part. I. *cap.* 2. §. 29, *ſeq.*

FRontem explicate *a*, amici, & hominis, ipſo Catone triſtioris, iocos ac facetias accipite. Non ignoratis, quam cenſorio *b* ſim ſupercilio, & ſatis, vt opinor, meminiſtis, ex pumice facilius aquam, quam ex me riſum, exprimi poſſe: adeo totum mihi os ad ſeueritatem ac triſtitiam natura factum videtur. At nunc tamquam Circeo poculo inebriatus *c*, ſubito vobis alius ac mei diſſimilis prodeo. Nullum mihi hodie excidet *d* verbum, niſi vrbanum, lepidum, iocoſum, facetum, ipſiſque Saturnalibus *e* dignum. Quum enim mundus ſeneſcens *f* deſipere iam pridem coeperit: quid ni & nos iucundum exiſtimemus, deſipere in loco *g*, & interdum magno conatu maximas nugas agere? Quod igitur felix fauſtumque ſit *h*, fabulam vobis narrabo, aut ſi mauultis, ſomnium, quo neſcio an ſuauius vmquam Morpheus, ille ſomniorum dator, cuiquam immiſerit. Fabulam promitto & ſomnium, ne quis veſtrum erret, aut ſibi praedictum neget. Nihil enim eorum, quae dico, verum eſſe ſcitote. Sed iam, vt diei tempus eſt, non eſtis longiore praefatione detinendi *i*. Scio enim, quam ſit odioſa res Circenſibus pompa *k*. Ad rem ipſam igitur veniam: vos, ſi veneres *l* amatis, operam mihi date, & non auribus ſolum, atque animo, ſed & ipſis, vt ille ait, vnguiculis attendite *m*. Deficere iam coeperat

a) *Frontem explicate*) ſignum pro ſignato. Vid. §. 31. p. 54.

b) *Cenſorio*) adluſio ad antiquitates Rom. de cenſoribus, vid. §. 33. p. 57. ſimul etiam epitheton in ſe elegans eſt. Vid. §. 31. p. 55.

c) *Circeo poculo*) imago commendatur. §. 32. p. 56.

d) *Verbum excidet*) tranſlatum vocabulum. Vid. §. 30. p. 52.

e) *Saturnalibus dignum*) denuo ad antiquitates Rom. adluditur. Solebant enim Saturnalia omni laetitiae genere tranſigi.

f) *Mundus ſeneſcens*) tranſlatio. Vid. §. 30. p. 52. *ſeq.*

g) *Deſipere in loco*) ſententia haec HORATII eſt: *dulce eſt deſipere in loco.* De ſententiis diximus §. 35. p. 59. Quo modo vero verſus & hemiſtichia in proſam transferri poſſint, monuimus §. 36. p. 60. *ſeq.*

h) *Fauſtumque ſit*) adluſio ad formulam antiquam, qua in adloquendo populo vti ſolebant.

i) *Detinendi*) haec quoque formula antiqua eſt dimittendi ſenatum.

k) *Pompa*) adluſio ad ritum veterem. Vid. §. 33. p. 57.

l) *Veneres*) metonymia cauſſae pro effectu, §. 31. p. 54.

m) *Vnguiculis attendite*) adagium. Vid. §. 34. p. 58. *ſeq.*

perat dies, & imminens crepuſculum ſtudiis meis indixerat ferias *n*, quum me, vt fit, alia ex aliis cogitantem ſomnus paullo altior oppreſſit. Non erat in muſeo lectulus, non grabatus, in quem feſſa membra proiicerem, & tanta tamen erat deſidiae dulcedo, vt ne locum quidem mutare ſuſtinerem. Subſtratis itaque capiti quibuſdam grandioris ſtaturae libris *o*, huic ſcilicet ceruicali indormire coepi. Nec inſolitum id hodie eſt mei ordinis hominibus; quorum plerique libris, quam in libros, incumbere *p* malunt. Ceterum vix requieueram, quum mihi viſus ſum iis in locis verſari, quae poſt ea in omnibus geographorum commentariis fruſtra quaeſiui, & quae nuſquam terrarum eſſe credo, niſi forte in Epicuri fuerim intermundiis. Vbique enim erat vaſtiſſima deſertiſſimaque ſolitudo *q*, adeo, vt obſtupefactus mirarer, quo demum fato meo, ex iſto vrbano ſtrepitu in has regiones extra anni ſoliſque vias *r* tam ſubito inciderim. Conſilium tamen in arena capturus *s*, cliuum proximum occupo, ex eoque, tamquam e ſpecula *t*, oculis emiſſitiis *u* omnia vndiquaque luſtro, ſi quis forte ſe obiecerit oculis meis, qui errantem ex illa moleſtiſſima ſolitudine in viam reduceret. Haec dum ago, viam ad me adfectat ſenex decrepitus, oculis turgidis, adunco naſo, barba promiſſa *x*, qui pallii laciniis ante pectus collectis, peram ingentem dorſo trahebat, baculumque dextra mouebat frequentius. Videre vobis viſi eſſetis laruam quamdam, ſi in hoc mundi ſenium incidiſſetis. Ego ſane, tamquam ad Meduſae adſpectum *y*, initio obrigui: mox, accedente illo propius, ex ſupercilio intellexi, cum philoſopho mihi fore negotium, adeo grauitas ex oculis, habitu, pallio, ipſaque ſapiente barba elucebat *z*. Mirabar interim, etiam alibi terrarum homines eſſe ignaua opera philoſopha ſententia, qui ſtrumam dibapho tegunt *a*, ſtultitiaeque ſuae praetexunt ſupercilium. Diu multumque ergo mihi addubitanti, accederemne hominem, an me ſubducerem longius, demum prius conſilium placet. Quid multis? obuiam procedo veneran-

do

n) *Indixerat ferias*) tranſlatio. Vid. §. 30. p. 52. *ſeq.*

o) *Staturae libris*) tranſlatio. *Ibid.*

p) *Libris quam in libros incumbere*) antanaclaſis, de qua §. 32. *num.* 1. p. 56. De phraſi *incumbere libris & in libros*, vid. ſupra *c.* 1. §. 16. p. 17.

q) *Vaſtiſſima deſertiſſimaque*) elegantia epitheta, quibus vſus CIC. *de diuin. II*, 19.

r) *Soliſque vias*) elegans deſcriptio, qua vſi ſunt VIRGIL. *Aen. VI. v.* 795. & CVRT. IIII, 8.

s) *Conſilium in arena*) adagium, quo ſimul ad artem gladiatorum adluditur. Vid. *cap.* 2. §. 33. p. 57. ſequ.

t) *Tamquam e ſpecula*) imago. Vid. §. 32. *num.* 5. p. 56.

u) *Oculis emiſſitiis*) elegans epitheton, quo PLAVTVS vſus eſt.

x) *Promiſſa*) haec quoque epitheta commendanda.

y) *Meduſae adſpectum*) imago. Vid. §. 32. *num.* 5. *p.* 56.

z) *Sapiente barba*) iocoſum epitheton.

a) *Strumam dibapho tegunt*) adagium, quo vſus eſt CICERO.

do nugatori b, inclinatoque corpore, ac paene proſtrato : *te ego*, inquam, *mi pater, per barbam tuam, aut, ſi mauis, per genium tuum rogo, vt dicas, vbi habitem ?* aut ſi Graeca tibi magis arrident : τίς γῆ; τίς δῆμος; τίνες ἀνέρες ἐγγεγάασι c ? Tum ſalſiſſimus ſenex, qui paullo ante Manliana minari imperia videbatur, labia diſtorſit, & in cachinnum ſolutus : *quem mihi*, inquit, *poëtam aut hiſtrionem video. Oportet te profecto, hoſpes, adhuc ferulae ſubeſſe, qui non modo obuiis omnibus nates porrigis, verum etiam* HOMERI *verſiculum tenes memoria. Illud enim pueri faciunt, & qui ſunt hac aetate ipſis pueris ſtolidiores : Homerum vero hodie pauciſſimi, qui pedem ſcholae extulerunt, norunt. Ecquis enim hodie melioris aeui poëtas vel a limine ſalutat* d ? *Ecquis auditis Euripidis, Sophoclis, Pindari nominibus, non deos quoſdam inferos euocari* e *exiſtimat ? Equidem audio, nullas hodie in terris fieri nuptias, quin feſcennina canant* f *poëtae, nec mortuum vſquam efferri, quin iiſdem poëtis praeficis vtamini* g : *verum id quoque audio, frequentiſſimis nunc febribus concuti homines, eo quod quiſquis hos verſiculos legere ſuſtineat, febricula extemplo vexetur. Enimuero, quia te erectioris eſſe indolis animaduerto : placet hoc, quidquid eſt, humanitati dare, teque locorum hominumque ignarum in viam reducere. Primo, vt hac te ſollicitudine liberem, ego ſum vmbra Menippi, Cynici illius celeberrimi, qui quum vera paullo liberius ſcripſiſſem, ſatiras ſcribere viſus ſum. Te vero ſcias in ea loca penetraſſe, quae nefas eſt a mortalibus viuis luſtrari. Quare, vt ne diutius extra ſidera erres, nec viuus Rhadamanti imperia audias, comitem me tibi adiungam, & tecum excurram in terras, viſurus res mortalium, quas in peius ire, illi, qui hinc quotidie adueniunt, renunciant. Intereſt enim tua, vt hominum, quos eruditos hodie vocant, ſtultitiam ſplendidam, tamquam in illuſtri poſitam monimento intuearis, quo a puluere & radio excitatus* h, *in verae ſapientiae adyta te vindices, in quibus vera aliquando ac ſumma felicitate perfruaris.* Agnoui ego Cynici pus atque venenum i : neque tamen me haud oblectauit dicacis ſenis vrbanitas, ac liberalis inuitatio,

b) *Venerando nugatori*) epitheton iocoſum.

c) *τίς γῆ*) verſus HOMERI *Odyſſ. N.* v. 233. Vid. §. 36. p. 59. *ſeq.*

d) *A limine ſalutat*) prouerbialis loquutio, qua ſimul adluditur ad ritum veterem ſalutantium, & clientum, limini inſidentium. Vid. §. 33. p. 57.

e) *Deos quoſdam euocari*) adluditur ad ritum euocandi deos, in quo monſtroſis vtebantur vocabulis. Vid. §. 33. p. 57. *ſeq.*

f) *Feſcennina canant*) denuo adluditur ad ritum nuptialem, de quo BRISS. *de vet. ritu nupt.* & alii.

g) *Praeficis*) adluſio ad ritum funebrem; de quo KIRCHMANN. *de funerib. Rom.*

h) *A puluere & radio excitatus*) adagium e mathematicorum ſcholis deſumtum, quo vtimur, quum aliquem ad ſubliminiora ſtudia excitatum dicimus. Pueri enim ſtudia ab arena & radio auſpicabantur.

i) *Cynici pus atque venenum*) hemiſtichium HORATII *Serm.* I, *pr.* Vid. §. 36. p. 60. *ſequ.*

tio. Quare comitem me illi do, certuſque ire, quo fata trahant, retrahantque k, compoſito ad feſtinationem greſſu praeeuntem ſequor. At illud hominis monſtrum, non ire videbatur, ſed repere, egoque aegre continebam riſum, quod vmbram quoque non volitare, ſed leuatis tardiſſime veſtigiis procedere, obſeruabam. Neque hoc fugit naſutum ſenem, qui adridens: *miraris*, inquit, *inceſſum paullo, quam huius ſaeculi mores ferunt, tardiorem. Sed ſcias velim, iuuenes nos ſolidioribus immorantes ſtudiis omnem feſtinandi pruritum exuiſſe. Hodie vt quiſque vidit academiam, & tres annos in auditoriis lapis lapidi inſedit* l, *viua quaedam ac ſpirans ſibi bibliotheca* m *videtur, cornicumque oculos configere* n *parat. Ita abſoluiſſe dicitur ſtudia, quem ne ſummae quidem ignorantiae ſuſpicione abſolueres* o. *Adeo vero feſtinantibus vobis, & canum inſtar e Nilo bibentibus, ſimulque fugientibus* p, *pedes ad concitatiores greſſus formari non miror. Ego vero, qui in Diogenis contubernio non triennium vixi, ſed conſenui: paullo tardius progreſſus maius confeci ſpacium, quam veſtrum quiſquam hodie feſtinando conficiet.* Non auſus ſum ego irritare illud ſilicernium. Quamuis enim ſatis vrbanus videretur Menippus meus: in alieno tamen regno etiam tuta omnia metui q. Deprecatus itaque ſuſpicionem, ad alia inflexi ſermonem, conſpicatuſque procul flumen, quale illud ſit, interrogaui. At ſenex Stygium illud eſſe, monuit. Eius ad ripas adſtantem vidi Charonta, ſqualidum illum portitorem, qui a Menippo iuſſus ſtatim expediuit cymbam, noſque in alteram ripam tranſmiſit, vbi ingens vmbrarum turba vectorem exſpectabat. Obſtupui, vbi ſingulos fata ſua narrantes audiui. Hunc amicae dolus; illum inimici furor; iſtum luxuria & laſciuia abſtulerat, & quum percontaretur Menippus, qui ac vnde eſſent, plerique ſe e Germaniae academiis aduenire fatebantur. Eos tantum non omnes faceſſere iuſſit Charon, nec ego cum Menippo progreſſus, quo peruenerint, ſatis animaduerti. Menippus vero pleroſque luxuria ſua occubuiſſe intelligens: *ehem*, inquit, *quanta hodie eſt ſtudiorum intemperantia? omnes ſtudioſi, vt audio, Catones facti ſunt. Ad academias enim confluunt, tamquam diuturnam ſitim explere cupientes. Mirum ni imbibiſſe litteras dicantur, qui per tot annos plus vini, quam olei, conſumunt.* Interea dum de ea re confabulamur, vrbem non adeo procul conſpicimus, ſatis, vt videbatur, populoſam, cui propiores facti in turbam armatam incidimus, tanto

k) *Trahant retrahantque*) eſt & hoc e poëta expreſſum. Vid. §. 36. p. 60. *ſ. qu.*

l) *Lapis lapidi*) antanaclaſis. Vid. §. 32. *num.* 1. p. 56.

m) *Viua quaedam ac ſpirans bibliotheca*) elegans elogium viri eruditi, quod LONGINO datum nouimus.

n) *Cornicum oculos configere*) adagium HORATII.

o) *Abſolueres*) antanaclaſis.

p) *Canis e Nilo*) adagium apud MACROB. *Saturn.* II, 2.

q) *Tuta omnia metui*) adluſio ad ſententiam. Vid. §. 35. p. 59. ſeq.

tanto fremitu per vias publicas diſcurrentem, vt furerentne, an Hannibalem ante portas exſpectarent, addubitarem *r*.

IIII.

EXEMPLVM STILI ATTICI,

ad part. I. cap. 2. §. 39.

QUomodo te vetus bibliotheca tua? quomodo ſupplementum nouum? placentne libri, poſtquam tui facti ſunt? Solet id quidem. Numquam enim libelli aeque nobis cari ſunt precario, ac iure poſſidentibus. Me libraria ſupellex raro poſſidet: delectat tamen, ut mea: alioqui longa deſidia oblangui. Habet hunc finem diuturnum otium, vt ab otio deſiſtere pigeat. Vale *a*.

V.

EXEMPLVM STILI ASIATICI,

ad part. I. cap. 2. §. 40.

ETſi ſatis audacter parumque verecunde facere videor, VIR DOCTISSIME, quum te tot grauiſſimis obrutum negotiis, litteris meis nec Latine ſatis ſcriptis, & ab omni elegantia ac ſuauitate deſtitutis, interpello; quoniam tamen poſt tam diuturnam ſterilitatem proximis his menſibus libellum hunc enixum eſt ingenium meum, exiſtimaui, me contra officium facturum, niſi eumdem ad te mitterem, tuumque ei nomen praeſcriberem *b*. Etenim quum codex, ex quo auctorem hunc maxime reſtitui, antiquus, pariter atque emendatiſſimus ex bibliotheca tua mecum ſit communicatus, ſine eo autem nihil ego, quod operae ſit pretium; fuiſſem profligaturus: nemini potius hoc, quidquid eſt, muneri mitti debuerat, quam TIBI,

r) Satis adparet, beneuole lector, ſatiram hanc eſſe Menippeam. Eam iuuenis confeci, notaturus academiarum corruptionem, moreſque ſtudioſorum parum compoſitos. Verum quum non ſatirae exemplum, ſed praxin regularum de ornata oratione, dare conſtituerim, nec omnes facile ferant acriora eiuſmodi remedia: licebit nobis hic filum orationis abrumpere, & partem poſteriorem ſupprimere, maxime quum fontes ornatae orationis tantum non omnes prior haec pars oſtendat.

a) Epiſtola breuis, expreſſa ex PLINII *Epiſt.* II, 15.

b) *Praeſcriberem*) Tota haec ampliſſima periodus pauciſſimas continet ideas: *etſi litteris te interpellare ſubdubitem: libellum tamen hunc tibi dedicandum putaui.*

TIBI, cuius iam antea χρήσει καὶ κτήσει fuit *c*. Accipe ergo hunc libellum ea fronte, qua ſoles omnia, quae ab amicis proficiſcuntur: & quum iam dudum humanitate omnes non modo tuae ſortis, ſed omnium ordinum homines longo poſt te reliqueris interuallo, fac quaeſo, vt me nunc etiam ſpe de te concepta minus excidiſſe iure poſſim laetari *d*. Quod ſi a te fuero conſequutus, VIR DOCTISSIME, facile omnium non modo iniqua, verum etiam peruerſa iudicia contemnam, omnibuſque illis gloriam illam anteponam, quod TIBI, tanto viro, tamque adcurato ingeniorum cenſori, induſtria mea & ſummum bene de re litteraria merendi ſtudium haud diſplicuerit *e*.

VI.

EXEMPLVM STILI RHODII

ad part. I. cap. 2. §. 41. a

ETſi ſatis audacter facere videor, VIR DOCTISSIME, quum te litteris meis parum Latinis interpello: quoniam tamen proximis menſibus libellum hunc edidi, putaui, pro amicitia noſtra me illum TIBI nuncupare debere. Quum enim codex MSC. quo in recenſendo hoc auctore maxime vſus ſum, e bibliotheca tua mecum ſit communicatus: exiſtimaui id munus potiore iure deberi nemini, quam TIBI, cuius iam antea id fuit. Accipe ergo hunc libellum ea, qua ſoles, humanitate, nec patere, vt me ſpe mea excidiſſe exiſtimare poſſim. Quod ſi fuero conſequutus: non modo aliorum iudicia facile contemnam, verum etiam ſummam laudem gloriamque mihi adſequutus videbor. VALE.

c) *Κτήσει fuit*) Haec quoque copioſa periodus his paucis verbis exprimi poteſt: *communicaſti enim mecum codicem MSC.*

d) *Poſſim laetari*) Tot verba has ideas complectunt: *beneuole ergo pro humanitate tua hunc libellum accipe.*

e) *Diſplicuerit*) Tota haec periodus pauciſſimas continet ideas: *dedicatione mea humaniter accepta, mihi maximam gloriam conſequutus videbor.*

a) *Cap. 2. §. 41.*) ſtudio eamdem epiſtolam coarctaui, vt ſtili Aſiatici & Rhodii diſcrimen tanto luculentius perſpiciatur.

VII.

EXEMPLVM STILI TENVIS

ad part. I. cap. 2. §. 44. a

SI id nobis contigiſſet, auditores, vt luctus, in quem incidimus, publicus, ſignis ſaltem quibuſdam nobis oſtenderetur: magno quidem moerore animi ad dicendum adgrederemur, ſed nobis tamen paullo minus videremur infelices. Verum eheu! praeter opinionem nobis accidit haec calamitas, priuſque nos oppreſſit, quam id metuere poſſe videremur. Tanto ergo nos exiſtimamus infeliciores, quanto minus doloris noſtri cauſſam atque originem perſpicimus. Amiſimus eheu! FRIDERICVM REGEM, optimum non modo noſtrae aetatis, verum omnium ſuperiorum ſaeculorum principem, idque eo tempore, quo nihil ſubeſſe periculi credebamus. Bone Deus, quanta erat ciuium omnium per tot prouincias laetitia, quum meliuſcule habere REGEM increbeſceret? At o vanas hominum ſpes! o incerta gaudia! In publica illa laetitia ingens nos dolor ac luctus incredibilis oppreſſit, intercepto rege, quem ſalvum atque incolumem eſſe, laetabundi acceperamus. Etiamſi itaque in hoc acerbiſſimo funere ipſi veluti exanimati adſtare videamur: continebimus tamen, quoad fieri poterit, lacrumas, & vel in laudibus principis noſtri non dicam praedicandis, ſed recenſendis, ſolatium quaeremus. Intereſt ſane rei publicae, intereſt poſteritatis, ne tanta principis noſtri merita vel ingrati diſſimulare, vel iuſto verecundiores ſilentio praetermiſiſſe dicamur. Quare vos auditores, vt dicturum de FRIDERICI laudibus attento beneuoloque animo audiatis, non quod de voluntate veſtra addubitem, ſed quia mos eſt ita rogandi, rogo.

VIII.

EXEMPLVM STILI MEDIOCRIS

ad part. I. cap. 2. §. 45.

SI vel in eo nobis peperciſſet fortuna, auditores, vt triſtem illam, quae nos nihil tale cogitantes oppreſſit, tempeſtatem vel ſignificatio quaedam antecederet: maximo quidem dolore hoc parentandi officio defungeremur, ſed videremur tamen nobis, in ſumma quamlibet infelicitate, paullo feli-

a) Hic quoque vnum idemque exemplum tribus dicendi characteribus exprimemus. Eſt vero exordium orationis parentalis in laudem Friderici, regis Pruſſiae.

ſeliciores. Sed iam eheu! inexſpectata in nos procella deſaeuiit, omneſque fortunas noſtras, ac propemodum ſpes ipſas, triſtiſſimo ictu turbauit. Quid ergo nobis poteſt eſſe infelicius, quorum dolori hic veluti acceſſit cumulus, vt ipſa etiam celeritate haec calamitas duplo redderetur intolerabilior? Vixit enim (o triſte ac lamentabile verbum!) vixit eheu FRIDERICVS, ſaeculi noſtri delicium, ciuium amor, quo nemo vel pietate religioſior, vel iuſtitia ſanctior, vel prudentia conſultior, virtutibuſque omnibus ornatior admirabiliorque fuit: & quod maxime mens attonita luget, eo ipſo tempore viuere deſiit, quo iam conualuiſſe illum iucundo initio at poſtea triſtiſſimo errore credebamus! Bone deus, quanta tunc erat omnium laetitia, quanta congratulatio, quantus votorum per templa, curias, palatia, ac priuatorum concentus, quando reuixiſſe credebamus optimum principem. Quocumque nuncius tam laetus penetrabat, omnes laetitia ſumma, optimaque ſpe implebantur, ſeque ſaluo FRIDERICO, ipſos quoque ſaluos exiſtimabant. At o vanas hominum ſpes! o incerta gaudia! Eamne infelicitatem experiri nos oportuit, vt laetantes exultanteſque tantus luctus opprimeret? Eamne ob cauſam nos fortuna breui hac perfrui voluptate voluit, vt ea intercepta tanto acerbius adfligeremur? Ita eſt profecto, auditores: immo ita eſſe, nemo niſi rerum omnium ignarus dubitabit. Enimuero tametſi in FRIDERICO nos ipſos amiſiſſe videamur: ſuperabimus tamen, quoad fieri poterit, moerorem, & vel in meritorum eius virtutumque contemplatione quaeremus ſolatium. Hoc vnum enim exigere a nobis videtur diuina anima, poſtquam ad caeleſtes illas ſempiternae felicitatis ſedes euolauit, vt ne merita illa, quae in nos exſtant, innumera vel diſſimulemus, quod ingratorum; vel tacite praetermittamus, quod iuſto verecundiorum foret. Quum vero eius virtuti nulla vmquam par inueniri poſſit oratio: ego quidem infantiae, quam animi parum grati ſuſpicionem ſubire malui, ſtatuique, id quod veſtra pace facere licet, breui oratione tot maximi principis merita complecti, geographorum imitaturus ſollertiam, qui maximas prouincias tabulis ſatis anguſtis ſolent delineare. Quod dum facio, quamuis ipſa, quae in animis veſtris adhuc calet, pietas ſatis magnam mihi audientiam factura videatur: tamen magis conſuetudine, quam quod id neceſſarium iudicem, a vobis etiam atque etiam peto ac contendo, vt orationi meae in eminentiſſimas maximi principis laudes excurrenti, exigui temporis attentionem ne denegetis.

VIIII.

EXEMPLVM STILI SVBLIMIS
ad part. I. cap. 2. §. 46.

SI vel hoc malo noſtro nobiſcum tranſegiſſet fortuna, vt triſtiſſima, quae nos oppreſſit, procella ſaltem ſignis quibuſdam ac ſignificationibus nobis oſtenderetur: maximo quidem cum dolore illaetabili huic parentandi officio accingeremur, at videremur tamen nobis, in ſumma quamlibet infelicitate, paullo feliciores. Verum iam eheu! inexſpectata in nos tempeſtas deſaeuiit, ceciditque fulmen, non ante praeuiſum, quam omnia quaqua verſum vno ictu terreret, concuteret, proſterneret. Ecquid proinde nobis poteſt eſſe infelicius, quorum infelicitati hic veluti cumulus acceſſit, vt velocitate fatalis nuncii attoniti vix ſenſui noſtro ac dolori credamus? Amiſimus enim, (heu triſte ac illaetabile verbum!) amiſimus, inquam, FRIDERICVM REGEM, aeui noſtri Traianum, omnibus ſaeculis lugendum principem, qui nihil in vita, niſi laudandum, aut fecit, aut dixit, aut cogitauit: ac eo quidem tempore grande hoc coeli depoſitum amiſimus, quo iam laetitiae publicae ſenſum ex renunciata eius ſalute nobis praecipere videbamur. Bone deus, quanta erat omnium congratulatio! quam effuſa cunctorum laetitia, quum prouincias peruagaretur rumor, defunctum eſſe incomparabilem principem fatali periculo, remiſiſſe morbi pertinaciam, & melius habere eum, cuius ſalute omnium ſalus continebatur. Quocumque nuncius tam fauſtus penetrabat, tantos vbique excitabat plauſus, vt non tam REX, quam populus e diuturno morbo conualuiſſe videretur. Verum o vanas hominum ſpes! o triſtes rerum humanarum viciſſitudines! Laetantes atque ouantes tantus ſubito nos oppreſſit dolor, ut etiamnum, quid nobis acciderit, non ſine ſtupore miremur. Proditum memoriae eſt, fama mendace de Germanici ſanitate Romam perlata, auditas vbique eſſe gratulantium ac inter ſe concinentium voces: SALVAM ROMAM, SALVAM PATRIAM, SALVVM GERMANICVM: eodem vero paullo poſt morte intercepto, eum confeſtim inſequutum eſſe luctum publicum, qui nec ſolatiis vllis, nec edictis, potuerit inhiberi: lapidata tum templa, ſubuerſas deorum aras, Lares familiares in publicum abiectos, quin & partus expoſitos, tamquam infelices futuros, ſi tanto funeri ſuperſtites viuerent. Enimuero deſiderium iſtud, cum furore magis, quam ratione coniunctum, non tam inuſitatus quidam, qui in defuncto Germanico enituerat, virtutum ſplendor, non tam meritorum aut praeſtitorum humano generi beneficiorum magnitudo excitauerat; quam atrocitas temporum, & Tiberii, peſſimi principis, ſaeui-

ſaeuitia, quam Germanici reuerentia ac metu adhuc aliquantulum repreſſam eſſe Romani exiſtimabant. Nobis aliae ſunt, ac longe aequiores deſiderii rationes. Interceptus nobis eſt princeps vere GERMANICVS, quo ne voto quidem aut cogitatione meliorem fingere quiſquam potuiſſet, quo nemo erat pietate religioſior, iuſtitia ſanctior, prudentia conſultior, belli paciſque artibus maior atque illuſtrior. Quem vnum in primis ſuſpiciebat Europa, quem vnum obſeruabant principes, timebant hoſtes, peregrini vero non minus ac ciues incitatiſſima pietate colebant. Talis fuit Auguſtus noſter, auditores, talis fuit publicae ſalutis ac felicitatis cuſtos, cuius ſepulcrum, nulli mortalium indefletum, piis atque adſiduis lacrumis adſpergimus, cuiusque nominis non ſine dolore quodam vmquam poſſumus recordari. Vt paucis dicam, quae ſentio, eum lugemus principem, qui erat immortalitate, conſentientibus omnium iudiciis, digniſſimus, ſi aliud patuiſſet iter ad beatam illam, ad quam omnia referebat, aeternitatem. Tametſi igitur in hoc acerbiſſimo funere non tam REGEM, quam nos ipſos efferre: non tam PRINCIPI, quam nobis exſequias ire iuſtaque facere videamur: continebimus tamen, quoad eius fieri poterit, lacrumas, & vel in meritorum EIVS virtutumque eminentiſſimarum contemplatione dolori noſtro adleuamentum quaeremus, *miſerum iſtud* quidem, ac *luctuoſum*, ſed tamen adleuamentum futurum. Id vnum enim exigere a nobis videtur *ſanctiſſima anima*, *poſtquam relicta hac rerum humanarum caligine ad caeleſtes ſedes, vnde terris data erat, reuertit*, vt diuina, *quae culpare nefas, decreta religioſe veneremur*, eique non muliebribus lamentis, ſed pia excelſarum virtutum ipſius memoria parentemus. Vtinam vero ſupremus felicitati eius cumulus nunc accederet, diſertus laudator. Vtinam, vt Achilli Homerus, Traiano Plinius, FRIDERICO GVILIELMO Pufendorffius: ſic FRIDERICO MAGNO magnum ſuperſtes eſſet ingenium, quod eius imaginem ac ſimulacrum, tamquam Phidiae aliquod ſignum, aeternitati conſecraret. Verum illud praeſtare eximie, atque ita laudare REGEM, vt ſimul praeclaram ingenii laudem referas, excellentiſſimi ingenii ac conſummatiſſimae facundiae eſſet, hoc eſt, noſtrarum *minime virium labor*. At me, quem eloquentia non commendabit, excuſabit pietas, cui quomodocumque dicere, quam *tanti principis virtutem* ac *ſumma in genus humanum merita tacere*, *aequius excuſatiusque viſum eſt*. Vos vero, auditores, vt incomparabilem regem omni pietate eſtis proſequuti, ita mihi de gloria patriae deque ſaeculi noſtri miraculo verba facienti non lingua modo, ſed & animis auribusque, fauete.

X.

LOCVS COMMVNIS
ad part. I. c. 3. §. 11. 12.

Eſt ea praeclara ac laudanda principis feminae moderatio, vt non magis principem ſe eſſe, quam ſubeſſe principi, in tantoque faſtigio poſita, parum a priuatis abeſſe, exiſtimet. Hoc animo praemunita non erit caſtrorum ſocia, non irrumpet in curiam, nec figendi refigendiue leges ſibi vindicabit licentiam, a quibus omnibus eam ipſa gynaecei penetralia, ipſe ſexus pudor ſegregat *a*. Equidem Theodoram, Iuſtiniano non tori modo, ſed & imperii conſiliorumque ſociam fuiſſe accepimus. Nec Liuiam ab Auguſti latere vnquam ſe diuelli paſſam eſſe, veteres canunt annales. Verum quam parum ſibi laudis vtraque ea ſollertia peperit, vel inde intelligas, quod facti infamia in ipſos maritos redundarit. Et ſane quis in mulieribus illis non dicam laude, ſed excuſatione dignam iudicaret impotentem illam dominandi libidinem? Inſidiabantur virorum adfectibus, leges ac imperii fata non publica vtilitate, ſed ſua libidine, metiebantur, modo liberis, modo adulteris, modo viliſſimis eunuchis ac gnathonibus conſultare, omnia habebant venalia. Vt paucis me expediam, ſanctioribus maritorum conſiliis, maiore fama, quam laude ſua ſeſe ingerebant *b*. Quanto vero prudentius res ſuas compoſuit Plotina, digna Traiano coniux, digna ſaeculo illo femina, quae non alia ratione principem ſe probauit, quam quod caſtitate, modeſtia, ſanctitateque morum omnibus ſaeculi ſui feminis eminentiorem ſeſe probaret *c*? Ita ſcilicet eſt natura comparatum, vt feminae, ingenio variae, animoque molles, ad obſequium magis, quam imperium factae, nec tam conſiliis atque auctoritate, quam precibus ſanctisque votis maritis prodeſſe poſſe videantur *d*. Quare illae demum ſapiunt maxime, quae maiori ſibi gloriae ducunt, maritum habere principem, quam principi veluti demiſſo ad ſeruile obſequium cubiculario imperare *e*.

a) Theſis: *principes feminae non debent ſeſe ingerere ſanctioribus maritorum conſiliis.*

b) Illuſtratio ab exemplo contrario Theodorae & Liuiae.

c) Noua illuſtratio ab exemplo Plotinae.

d) Aetiologia duplex. I. *Mulieres ad obſequium magis quam imperium factae.* II. *Principes feminae precibus potius, quam conſiliis, bene de re publica merentur.*

e) Concluſio ſeu repetitio theſeos.

XI.

SYLLOGISMVS ORATORIVS

ad part. I. cap. 3. §. 13. ſequ.

Niſi luctus & lacrumarum ſqualor omnem nobis aciem mentis praeſtringeret, neque homines, praeſentium curioſi omnes rerum futurarum cogitationes temere abiicerent: illud profecto ſtatuendum videretur, quod qui ex miſera hac rerum humanarum caligine ad ſempiternam beatitudinem migrarint, non tam luctu, quam congratulationibus ſint a nobis proſequendi *f*. Quum enim ita ſit natura comparatum, vt illaetabile iſtud lacrumarum officium iis demum praeſtandum ſit, quorum infelici caſu non minus, ac noſtro, adficimur: conſequens profecto eſt, vt qui ad meliora tranſierunt, non lugendos, ſed cum gratulatione dimittendos iudicemus *g*. Ecquis quaeſo vmquam eorum conditioni illacrumauit, qui nondum in lucem prodierunt? Vel eo enim nomine luctus iſte nobis videretur ridiculus, quod qui nondum ſunt, ne miſeri quidem eſſe poſſint. Siccine vero eos, qui miſeri nondum ſunt, non lugendos, hos vero, qui miſeri eſſe deſierunt, & felicitate numquam interitura fruuntur, deflendos gemituque proſequendos iudicabimus *h*? Silenum ſaepe aiunt dicere ſolitum, non naſci optimum ſibi videri, proximumque, citiſſime mori *i*; eamdemque Thracum fuiſſe ſententiam accepimus, qui natales ſuorum lacrumis atque eiulatu, funera tripudio laetitiisque omnibus proſequebantur, mortuiſque triumphum magis decernebant, quam exſequias. Quod ſi gentes, ab omni humanitate alienae, ſuorum iacturam animo tam intrepido pertulerunt, quibus non niſi vana quaedam immortalitatis ſpes illuſit: quid nobis faciendum exiſtimabimus, quibus certiora diuinum numen pollicetur *k*? Nonne gratulabimur noſtris, qui hoc vitae mortalis momentum cum aeternitate, & breuem lucis vſuram cum beata illa ac ſempiterna luce commutarunt *l*? Quicumque ſane ex hac vita pie diſcedunt, procul ab hac rerum humanarum miſeria conſtituti, perpetuo dei conſpectu perfruuntur. Non eos bellorum furor, non peſtilens aliquod ſidus, non vlla alia, quae nobis incumbit, terret calami-

tas

f) Maior propoſitio: *quicumque ex hac miſeria ad meliora euolarunt, ii non ſunt lugendi.*

g) Aetiologia maioris propoſitionis prima: *luctus tantum debetur miſeris.*

h) Aetiologia ſecunda: *ſi eos non lugemus, qui nondum ſunt, quo iure lugebimus eos, qui miſeri eſſe deſierunt?*

i) Illuſtratio maioris ab apophthegmate Sileni.

k) Illuſtratio eius noua a conſuetudine Thracum.

l) Minor propoſitio: *atqui mortui ex hac miſeria ad meliora euolarunt.*

tas *m*. Heu, quam iucunda erit illa patria! quam exoptata mutatio! ſane quum Vlyſſes Ithacae ſuae ſaxum omnibus aliarum regionum deliciis antehabuerit: quid illos putatis facturos, qui poſt diuturnos errores veluti ad portum ſempiternae felicitatis fauſto ſidere adpulerunt *n*? Quare, ſi ſapimus, non illacrumandum demortuorum ſorti, ſed felicitati illorum gratulandum putabimus, nosque ita potius comparabimus, vt eo, quo quemque deus iuſſerit, ordine, laeti ſequamur *o*.

XII.

EPISTOLA FAMILIARIS

ad part. II. cap. I.

Rogaſti me ſententiam, cui potiſſimum academiae nomen a filio TVO dari velim. Verum cum non parere iniquum, tum parere ac ſententiam dicere, temerarium videtur. Quemadmodum enim de pictoribus, ſculptoribus ac poetis non niſi artifices iudicant: ita non niſi ſapientum, hoc eſt, non mei ordinis hominum, eſt, perſpicere ſapientes. Quantum tamen video, Fridericiana academia vel eo nomine filio debebit eſſe commendatiſſima, quod in ea iuris prudentiae ſtudium tanta cura ac induſtria excolitur, vt in ea vel Berytum vel Bononiam, ſed feliciore ſidere, renatam dixeris. Et quid diligentius quaeſo tractari debet hoc aeuo, quo ita vbique feruent lites, vt murices optent cordatiores, quibus fora & curiae ſternantur? Nulli ſane homines beatiores hodie videntur, quam qui vel maxime vacant litibus. Teſtis eſſe poteſt conſobrinus tuus, qui quum annis, vt noſti, abhinc tribus cauſſas agere in vicinia noſtra coeperit, tantam ſubito rem, tantumque corpus fecit, vt eum nuper obuium vix agnoſcerem. Quod ſi hac via perrexerit: mox eum habebimus non capite cenſum aut proletarium, ſed primi cenſus aduocatum, egregium, confidentem, loquacem, & qui vel nutu ac renutu, non ſecus ac oraculum Ammonium, omnia ciuium ſuorum fata temperabit. O egregium ac lautum in primis hominem! Vtinam vero & Quincto meo liceret eſſe aeque felici. Is ex quo pertaeſus rei ruſticae, medicinam in urbe noſtra facere, coepit, numquam Aeſculapium habuit propitium. Omnes enim vel mori, quam eius opera vti malunt. Niſi mature ſignum receptui dederit, ilicet, actum eſt, Quinctum ego meum in Quincto ipſo amiſi. Principem iuuentutis ſatis triſtiſſimis nuper interceptum eſſe, iam ex ipſa fama omniumque ſermonibus intellexeris.

m) Aetiologia minoris per deſcriptionem ſempiternae beatitudinis: *dei conſpectu fruuntur, nullamque calamitatem ſentiunt.*

n) Illuſtratio minoris ab exemplo Vlyſſis, & ſimilitudine a nauigantibus deſumta.

o) Concluſio. *Ergo mortui non ſunt lugendi.*

ris. Eam nobis iacturam nuper ſarciuit ſereniſſimae principis foecunditas, enixae filium tam lepidum, tam formoſum, tam patri celſiſſimo ſimilem, vt nihil ſupra. Noua iam tenes omnia, reliqua paene vetera ſunt. Adderem equidem, me TE amare, ipſisque oculis habere cariorem; niſi & id vetus eſſet. Solum forſan illud nouum ac tantum non inuſitatum TIBI videbitur, quod ad TE propediem excurrere decreui. Inuitat me ſudum, inuitat tui amor, quo nihil mihi vmquam erat antiquius. Tu fac, vt cellas habeas pleniſſimas. Integram enim famem non ad oua tantum, ſed ad mala ipſa adferam. Ne vero mihi ſpes illa intercipiatur, cura quaeſo vt valeas *p*.

XIII.

EPISTOLA ELABORATIOR

ad part. II. cap. I.

QUum de futura arboris proceritate ex ipſa frutice liceat augurari: ſane ego te iam inde a TVA pueritia ſuſpexi, praedixique multis, talem TE futurum, qualem cognitum, ducto ex praeclara indole argumento, iudicaueram. Id vero augurium de TE meum exitu nunc comprobatum video, poſtquam conſentientibus celſiſſimorum nutritorum ſuffragiis docendi TIBI munus in florentiſſima academia -- demandatum eſt *q*. Quare non poſſum non vtrique noſtrum iure gratulari: TIBI, qui ſpartam nactus es, praeclara illa virtute TVA, ac parta tot vigiliis doctrina digniſſimam: mihi vero, qui de futura felicitate dignitateque TVA tam vere conieci *r*. Profeſſor es, optabile ac honorificum! Quaenam enim praeclariores, quaenam TE digniores curae eſſe poſſent, quam perpolire ingenia, exponere eruditionis theſauros, & quotidie expromere aliquid atque effingere, quod ad ornanda honeſtarum artium ſtudia pertineat? Quid praeſtantius illo munere, quo cum laude atque ex fide functus non vni alicui ciuitati, id quod in ſe honorificum eſt, ſed toti prouinciae atque vniuerſae Germaniae nouas ſubinde doctiſſimorum iuuenum colonias ſubmittes? Habes profecto nunc, ALBERTE, campum, in quo TVA virtus atque inuſitata eruditio excurrat. Pietatem praecipue colere, exemploque oſtendere id, quod doces, poſſe fieri: excubare

p) Habes hic epiſtolam miſcellaneam. En propoſitiones:
I. *Suadeo, vt filium Halam mittas.*
II. *Conſobrinus tuus cauſas cum plauſu agit.*
III. *Quinctus infeliciter artem medicam facit.*
IIII. *Princeps iuuentutis deceſſit, eiusque in locum alius natus.*
V. *Mox ad te venturus ſum.*

q) Eſt hoc exordium proprium, ab ipſa ſcribendi occaſione deſumtum. Vid. *part. II. c.* I.

r) Propoſitio primaria, quae per totam regnat epiſtolam. Vid. *part. II. c.* I.

animo pro ſalute ac dignitate celeberrimae academiae: docendo diſputandoque iuuenes quotidie reddere doctiores: nihil omnino facere, nihil ſcribere, nihil cogitare, in quo ſtatim decus non eluceat, hoc demum erit, mihi crede, TVVM officium, hic labor, hae illae praeclarae cogitationes, quae in eam, quam ſuſtines, Spartam ita cadunt, vt ſine ſummo dedecore ab illa ſeiungi haud poſſint *s*. Magna haec quidem ſunt ac laborioſa, fateor, verum etiam tanto praeclariora, ſempiternaque cum gloria coniuncta. Erit enim aliquando tempus, quo mille tibi decretas ſtatuas non ſine voluptate intelliges. Quotcumque enim TVIS auſpiciis ad veram ſapientiam ac doctrinam peruenerint, totidem TIBI ipſe viua ac ſpirantia gloriae TVAE ſimulacra conſecrabis. Atqui haec etiam tunc immortalem TE praeſtabunt, quum vitae huius perfunctus munere cum beatiſſimo illo coeleſtium animorum coetu coniungeris *t*. Quapropter macte hac virtute, macte hoc animi impetu, TVIque etiam in hoc vitae genere eſto quam ſimillimus. Ego id vnum exopto, vt qui te in hac ſtatione collocauit, (collocauit autem ſummus rerum arbiter, deus,) idem faueat porro muneribus ſuis, nouoque iſti honori addat perpetuitatem *u*. VALE.

XIIII.

ORATIO VEL DECLAMATIO

DE IVRE ANTIQVO GERMANICO DILIGENTIVS EXCOLENDO *x*.

ad part. II. cap. 2.

CUm plurimis in rebus, non modo imperitae multitudinis, ſed & eruditorum quorumdam hominum, caecitatem ac peruerſa iudicia licet intueri, auditores: tum in hoc maxime, quod plerique rerum ſuarum incurioſi, in peregrina atque aliena omni animi cogitatione feruntur. Quamuis enim alias ita ſit natura comparatum, vt ſuum quisque natale ſolum, in quo primum vitalem hunc ſpiritum hauſit, omnibus omnium regionum prouinciarumque deliciis anteponendum exiſtimet: pauci tamen ſunt, quibus non patria in ipſa patria, id eſt patrii mores, domeſticaque inſtituta veluti ſordeant. Quaſi ea lege nobiſcum tranſegiſſet natura, vt omnes ſapiant exteri ac peregrini, nos ſoli ab omni recta ratione inopes velut vmbrae feramur

s) Argumentum I. *a muneris profeſſorii praeſtantiae*.

t) Argumentum II. *a gloria, e munere iſto exſpectanda.*

u) Concluſio *ſuaſoria & votiua.*

x) Declamatio haec olim diſputationi ſollemni ac inaugurali *de origine atque indole iurisdictionis patrimonialis* praemiſſa, nunc vero hinc inde paullulum locupletata eſt.

mur *y*. Quae res dici non poteſt quam abſona ſit, quantumque detrimenti adferat rei publicae. Si recte enim poſueris calculum, non modo luxum ac profuſionem, ſed omnia paene vitia ex illa peruerſa curioſitate ac inſano rerum externarum amore nata atque in rem publicam inuecta, intelliges *z*. At nusquam tamen maiore cum periculo, coniuncta videtur iſta rerum peregrinarum admiratio quam in legibus *a*. Quum enim illae indoli hominum, finique ac formae rei publicae attemperandae ſint: non poteſt non ſumma inde naſci rerum omnium confuſio, ſi leges, alienae ciuitati adcommodatae, in noſtram rem publicam temere inuehantur *b*. Id quod non rectius, opinor, intelligetis, quam ſi quantum optandum Germanis ſit veterum patriarum legum ſtudium, breui oratione oſtendero. Veſtrum erit, auditores, fauere linguis, meque non de lana caprina, ſed de re grauiſſima, dicere inſtituentem, fauore veſtro ac beneuolentia ſubleuare: id quod non tam, quod de voluntate veſtra dubitem, quam quia mos eſt ita rogandi, rogo *c*.

Ac primo quidem, vt inde potiſſimum orationis noſtrae primordia capiamus, ſi nihil poſſet de priſcis Germanorum legibus atque inſtitutis dici, quam quod ea aequiſſima iuſtiſſimaque fuerint: vel id ſolum nos ad eorum ſtudium incitare atque alacriores reddere iure deberet *d*. Conſtat enim inter omnes, qui aliqua ſaltim rerum ciuilium cognitione imbuti ſint, non alia in re magis elucere diuinam illam ac regnatricem ſapientiam, quam in legibus iuſtis, aequis, & ad illam antiquiſſimam & rerum omnium principem naturam expreſſis *e*. Sane quemadmodum praeclarus ille ac aeternus naturae ordo, quo perpetuo quodam ac aeterno tenore cuncta mouentur, vniuerſus mundus adminiſtratur, ſingulaque, quae vel intelligentia percipiuntur, vel ſenſu comprehenduntur, certo ac definito ordine ad totius vniuerſi ſalutem ac commodum conſpirant, nos quam maxime ad contemplandam admirabilem illam diuini numinis ſapientiam incitat: ita non poſſumus non diuinam atque inuſitatam eorum ſuſpicere prudentiam, qui iis rem publicam legibus deuinxerunt, quibus efficitur, vt vbique regnet iuſtitia; vitia vero hominum ac fraudes damnis, ignominiis, vinculis ac ſuppliciis mulctentur, iuſti ac honeſti ſuſceptique pro re publica labores honoribus ac praemiis condecorentur, ac, vt paucis dicamus, ipſa ciuitas domi quieta ac pacifi-

 ca,

y) Exordii protaſis: *turpe eſt, quod plerique peregrina praeferunt rebus domeſticis.*

z) Aetiologia: *multum enim detrimenti hoc adfert rei publicae.*

a) Applicatio: *haec curioſitas perículoſiſſima in legibus exteris.*

b) Baſis: *haec enim non quadrant ſtatui rei publicae noſtrae.*

c) Propoſitio cum captatione beneuolentiae.

d) Argumentum I. ſyllogiſmo oratorio incluſum:

Quae leges ſunt aequiſſimae, illae ſtudio noſtro digniſſimae ſunt.

Leges Germanorum ſunt aequiſſimae.

Sunt ergo digniſſimae ſtudio noſtro.

Huius ſyllogiſmi propoſitio hac prima periodo continetur.

e) Aetiologia maioris propoſitionis: *ex legibus enim elucet ſumma ſapientia.*

ca, hoſtibus venerabilis ac formidoloſa reddatur *f*. Quibus poſitis, (eſt enim hoc ita clarum ac perſpicuum, vt non egeat demonſtratione,) non erunt profecto vllius gentis leges ac inſtituta ſtudio noſtro digniora, quam illa priſcorum Germanorum, quae & ſanctiora aliis & rei publicae noſtrae fuerunt vtiliſſima *g*. Sane, quod admiratione rei publicae ſuae apud CICERONEM dicere auſus eſt Craſſus, illud iure quodam noſtro de priſcis Germaniae moribus repetere licebit: fremant omnes licet, dicam quod ſentio, bibliothecas certe omnium philoſophorum pauciſſimae illae iuſtiſſimaeque antiquorum Germanorum leges, ſi quis earum fontes & capita expenderit, & auctoritatis pondere, & vtilitatis vbertate videntur ſuperare *h*. Ignorabat Germania leguleios, praecones actionum, formularum cantores, ſyllabarum aucupes. Non hic erant leges innumerae, ſubtiles, captioſae, in quas incauti, etiam nihil tale meriti, tamquam in laqueos inciderent: nihil hic praetorum edictis, ad decipiendam plebem comparatis, nihil iureconſultorum interpretationibus, aut, ſi mauis, cauillationibus, ſtatuebatur pretii, nihil denique rabularum vulturumque togatorum artibus, quibus cum ipſa aeternitate lites communicarentur. Simplicia hic omnia, iuſta ac ſanctiſſima. Pauca erant inſtituta, ſed perſpicua, iuſtiſſima, atque ex ipſa illa aeterna ratione prudenter deriuata, quibus docebantur maiores noſtri non infinitis concertationumque plenis diſputationibus, ſed auctoritate nutuque legum, domitas habere libidines, coercere omnes cupiditates, ſua tueri, ab alienis mentes, oculos, manus abſtinere *i*. Et quae aliae, quaeſo, leges exſpectari potuerunt a gente, quae ab omni luxu, libidine, ac habendi cupiditate aliena, non in cauſſidicorum ſtrophis, ſed in recte factorum conſcientia collocabat fiduciam *k*, & in qua, vt ait CORNELIVS TACITVS, auctor grauiſſimus, plus valebant boni mores, quam alibi bonae leges *l*? Quare ſi nos pro eo ac decet, nos noſtra patria delectat, cuius tanta eſt vis tantaque natura, vt Ithacam illam, in aſperrimis ſaxis tamquam nidulum adfixam ſapientiſſimus Vlyſſes ipſi immortalitati anteponendam exiſtimauerit: quo amore tandem inflammati eſſe debemus in eius leges, quae tantum aequitate omnium gentium iura ſuperarunt, quantum ipſi maiores noſtri reliquis innocentia ſanctitateque morum praeſtiterunt *m*? Neque id vnum eſt, auditores, quod nos ad conquirendas atque e ſitu & puluere extrahendas illas

f) Illuſtratio majoris propoſitionis a ſimili: *quemadmodum ex naturae ordine diuina: ita ex legibus bonis hominum ſapientia quammaxime elucet.*

g) Minor propoſitio ſyllogiſmi primi oratorii.

h) Illuſtratio minoris *a comparatione legum Germ. cum XII. tabulis Rom. & adcommodatione elogii earum apud Ciceronem ad leges patrias.*

i) Aetiologia minoris propoſitionis I. *Leges enim Germanorum omni ſubtilitate caruerunt.*

k) Aetiologia eiuſdem II. *Lata enim ſunt a gente omnium innocentiſſima & ſanctiſſima.*

l) Illuſtratio noua *a teſtimonio* CORN. TACITI.

m) Concluſio: *Ergo antiquas Germanorum leges ſunt ſtudio noſtro digniſſimae.*

las patriarum legum reliquias debeat inflammare: ſunt enim & alia, eaque maiora *n*. Eſt haec mortalium omnium indoles, vt pleraque vtilitate ſua metiantur, eaque demum exiſtiment induſtria & contentione ſua digniſſima, quae maximo ſibi vſui intelligunt futura. Neque ita immerito ſentiunt *o*. Quum enim vitae breuitas nos ſpes vetet inchoare longas, nec vllum tempus a bonae mentis ſtudioſo videatur prudenter collocatum, niſi quo legendo meditandoque melior, reique publicae vtilior, redditur: facile patet, non eſſe ſuperuacua conſectanda in tanta temporis egeſtate, ſemperque nos meminiſſe debere *p*, non ſcholae, ſed vitae, quidquid diſcimus, eſſe diſcendum. Conſultus a neſcio quo Ariſtippus, quid potiſſimum adoleſcentibus putaret diſcendum? Id, inquit, quod viris ad vſum vitae commodiſſimum futurum eſt. Praeclare profecto ac ſapienter. Quotus quiſque enim, vt ait PLINIVS, tam eſt patiens, vt velit diſcere, quod in vſu non ſit habiturus *q*? Quae ſi vera exiſtimamus, vt ſunt profecto veriſſima: conſequens eſt, vt leges Germaniae antiquas omnium praeſtantiſſimas & in ipſo foro noſtro agendis cauſſis vtiliſſimas iudicemus *r*. Equidem plerique hodie in ea ſunt ſententia, viuere nos debere legibus Romanis, easque non olim Romae magis, quam hodie in Germaniae foris ac iudiciis, vigere. Verum enim vero dici non poteſt, quantum hos fugiat ratio *s*. Tametſi enim iura Iuſtinianea initio in ſcholas, ex his in palatia principum, ac poſtremo in tribunalia penetrarint; contigiſſe tamen videtur Germaniae, quod in magnis aquarum exundationibus ſolet. Quemadmodum enim tunc ſpecioſiſſimae quaeuis aedes diruuntur, arbores euelluntur humo, multaeque res peregrinae ſedibus ſuis motae, & incertis vibratae fluctibus, in terras noſtras proiiciuntur; ita illaetabili illa patriarum legum eluuione, optimis iuſtiſſimisque legibus, loco motis, aliae peregrinae ſunt inuectae, id eſt, ius illud Iuſtinianeum, quo non temere aliud a Germanorum inſtitutis reperiri potuiſſet alienius. Sicuti autem in triſti eiusmodi diluuio non omnia ita penitus pereunt, vt non, decedentibus aquis, complura adpareant antiqui ſplendoris ac fertilitatis veſtigia: ita nec legum patriarum omnium ita fecimus naufragium, vt non praeclarae quaedam earum reliquiae tamquam fractae disiectaeque tabulae hinc inde in foris ac tribunalibus ſuperſint *t*. Et ſane, ſi dicendum, quod res eſt, pleraque, quibus in foro vti-

 mur,

n) Tranſitio ad argumentum II. quod huic ſyllogiſmo oratorio includitur:
Quodcumque in foro vtilitatem ſummam adfert, illud diligentius excolendum eſt.
Leges antiquae Germaniae in foro vtilitatem ſummam adferunt.
Sunt ergo diligentius excolendae.

o) Maior propoſitio huius ſyllogiſmi oratorii.

p) Ratio maioris propoſitionis. *Non enim ſcholae, ſed vitae diſcendum.*

q) Illuſtratio maioris propoſitionis *a teſtimonio Ariſtippi & Plinii.*

r) Minor propoſitio: *leges antiquae Germanicae in foro ſummam vtilitatem adferunt.*

s) Aetiologia minoris: *non enim eas penitus aboleuit ius Romanum.*

t) Illuſtratio *a ſimili.*

mur, inſtituta, non Roma aut Conſtantinopoli ad nos aduecta, ſed ex antiqua Germania tamquam per manus tradita accepimus. Vigent in foris noſtris complura Romani iuris praecepta: aſt, non ideo vigent, quod Romana ſunt, ſed quod ratione ac aeterna illa lege quam ex natura ipſa adripuimus, hauſimus, expreſſimus, nituntur. Contra ea, quae vere a Romanis inuenta conſtat, ea ſi non omnia, ſaltim pleraque, in Germania noſtra hodienum exſulant, nec potuerunt adhuc, quidquid moliti ſint iureconſulti, ciuitatis noſtrae iura impetrare. Quidquid in iuris prudentia Romana de libertis ac ſeruis, de ingenuis ac libertinis, de ritibus manumiſſionis, ac iuribus patronatus, de patria illa, qua filii regebantur, poteſtate, de emancipatione, adoptione, ritibus nuptiarum, de tutoribus item ex lege Atilia, Iulia & Titia, ac denique de tutela parentum fiduciaria, ac patronorum ſubtiliſſime diſputatur, illud omne in foris noſtris non maiorem, quam leges Indorum aut Perſarum, adfert vtilitatem. Aliae apud nos audiuntur perſonarum diuiſiones. Quotidie in foris noſtris diſceptatur de nobilibus & plebeiis, de dominis directis & vaſallis, de amtſaſſiis & ſchrifftſaſſiis, de colonis, curmedis, laſſis, landſidelis, hominibus propriis, de liberis ſeparatis & non ſeparatis, de nuptiis in conſpectu eccleſiae factis, quae omnia longe abſunt a diſciplina Triboniani. Iam ſi porro nobis ea, quae de rerum iuribus, & de modo litigandi in iure Romano traduntur, ob oculos ponimus: denuo vix quidquam, quod in Germaniae foris locum inueniat, reperiemus. Frequentiſſime in his audiuntur pacta ſucceſſoria, gerada, res expeditoriae, fideicommiſſa familiarum, lites cambiales, actiones exequutiuae, actiones ex pacto, aliaque huius generis innumera, quae adoleſcentibus ſoli iuri Romano innutritis tam noua atque inexſpectata videbuntur, vt primum in curias noſtras delati, credituri ſint ſe in alium terrarum orbem veniſſe *u*. Equidem non ignoro, auditores, quantum operae impendant jureconſulti, Romanarum legum admiratores, vt omnia, etiam patria inſtituta ex illo vetere iure Quiritium deriuaſſe videantur: ſed id ſcio etiam, infeliciter plerumque iis hoc commentum procedere. Quis enim credat, actionem, qua damna hodie vlciſcimur, eſſe ex lege Aquilia, quum eorum nihil, quae ab Aquilio ea lege cauta legimus, in Germania vſu vſquam receptum ſit? Quis credat, parentum poteſtatem in liberos, quae apud nos viget, ex illa patria Romanorum maieſtate eſſe, quum, quae Romani ea in re inuenerunt, in Germania non magis, quam in vltima Thule, ſeruentur *x*? Scilicet quemadmodum mali inſtitores merces patrias, mutato tantum inuolucro, pro peregrinis obtrudunt, vt eo facilius inueniant emtores, peregrinis iſtis nominibus deluſos: ita ſua intereſſe putant iureconſulti, vt omnes leges Germanicas, quoad eius fieri poteſt, Romanas eſſe mentiantur, vt tanto frequentiores ad acroaſes has confluant adoleſcentes, immodica rerum Romanarum

u) Illuſtratio per μειωμόν.

x) Solutio obiectionis.

narum admiratione iam inde ab incunabulis imbuti *y*. Quae cum ita ſint, quis non videt, pleraque, quae in foro noſtro diſceptantur, ex antiqua Germania tamquam fractas e naufragio tabulas, ad nos perueniſſe? Et quis dubitet, quaeſo, fore vt maxima lux adfulgeat iuris prudentiae noſtrae, ſi plures Conringii, Conradi Sinceri, Schilteri aliorumque doctiſſimorum virorum exemplo excitati, in indagandis explicandisque antiquis Germaniae legibus paullo plus ſtudii atque induſtriae conferrent *z*? Vos itaque, auditores ornatiſſimi, qui veram laudem ac dignitatem quaeritis, vos ego hortor atque obteſtor, vt tanto alacrius hoc antiquitatum Germanicarum ſtudium amplectamini, quod & iuſtiſſimas prudentiſſimaſque vobis leges ſuppeditabit, & in forenſi illa, ad quam adſpiratis, opera incredibilem adferet vtilitatem. Quam beata tunc erit Germania noſtra, ſi illa tot peregrinarum legum mole leuata erigere ſe denuo ac veluti lacertos mouere coeperit? Et quantam laudem gloriamque adſequentur, quicumque in hoc tam ſalutari rei publicae ſtudio omnem operam atque induſtriam collocauerint? Habetis ergo, iuuenes, campum, in quo virtus veſtra, partaque tot vigiliis eruditio excurrat: veſtrum erit, praeclaram hanc bene de re publica merendi occaſionem non dimittere e manibus, ſed ita res componere, vt ſtudia veſtra & patriae vtilia & vobis quam maxime ſint glorioſa *a*.

XV.

PANEGYRICVS

SEMPITERNAE MEMORIAE VIRI INCOMPARABILIS,

SAMVELIS STRYKII,

CONSECRATVS. *b*

SI, quemadmodum animus, ſic orationis atque eloquentiae opes, triſte mortalitatis fatum effugerent, nec ea eſſet rerum humanarum conditio, vt eloquentiſſimi non minus, quam indiſerti, effuſo extremo ſpiritu, conticeſcant: nuſquam profecto, niſi in pallido STRYKII incomparabilis ore, par tanti viri laudibus facundia poſſet reperiri. Nam nec in quo dicendi vis & copia vberior exſtiterit, nec in quo maior fuerit oris atque

y) Illuſtratio a ſimili.

z) Concluſio ſecundi argumenti. *Ergo legum Germaniae antiquarum indagatio ſtudio noſtro digniſſima eſt.*

a) Concluſio totius orationis paraenetica.

b) Panegyricus hic iam typis exſcriptus eſt *Halae Magd.* cIↄIↄccx. *in fol.* Sed quia exempla iam pridem diſparuerunt: hic eum recuſum dedimus.

que orationis commendatio, ex omni memoria noſtra cuiusquam recordamur. Sed! FVIT haec noſtra quondam felicitas! FVIT, eheu, eloquentiſſimus STRYKIVS, iucundum eruditis nomen, iuris prudentiae columen, litterarum decus, maximum Fridericianae ornamentum: FVIT, inquam, &c. quod mens, recenti dolore languida, aegre profert, obmutuit. Non cathedras amplius diuina eius & ſuauiſſima implebit oratio: non acroateria, non iureconſultorum conſeſſus, candidiſſima illius voce perſonabunt. Siluit, adquieuit, conticuit: nec quidquam nobis ex tanta bonorum adfluentia, praeter triſte deſiderium, fatorum inuidia reliquit. O fallaces hominum ſpes! o incerta gaudia! o ancipites rerum viciſſitudines! Eone euentu academiam viri conſummatiſſimi ingenio frui oportuit, ut erepto tanto acerbiore diſpendio careret? Eane lege ex STRYKIO tam incredibilem laetitiam cepimus, vt eius amiſſione tanto vehementius excruciaremur? O dies, o tempora, quod huic dolori noſtro ſolatium dabitis? Quis itaque miretur, omnem ferme eloquentiae vigorem cum STRYKIO elanguiſſe? Quis miretur, diſertiſſimorum virorum Muſas, ſubito moerore perculſas, nunc tacere; funerique huic, nulli eruditorum indefleto, triſti potius ac religioſo ſilentio, quam laudibus parentare *c*? Quemadmodum enim ſol, ſimul ac diurno itinere defunctus iucundiſſimum luminis ſui iubar oculis noſtris ſubduxit, non niſi tenebras orbi reliquit & nocturna ſilentia: ita, exſtincto ſole noſtro, exſtincto STRYKIO, quidquid antea in laudes illius officioſiſſimum fuit, iam moerorem ſilentio teſtatur, attonitumque obſtupeſcit *d*. Enim vero quid agimus? quousque lugebimus tandem? quamdiu dolori indulgebimus? Vincat demum adfectus adfectum; ſoluat triſtitiam amor: luctum pietas; deſiderium fidelis grati animi memoria. Satis luximus, quem nimis numquam lugebimus: nimis defleuimus, quem numquam deflebimus ſatis. Id reliquum eſt, vt in conſummatiſſimi VIRI merita intenti, gratos nos & devotos piis Manibus perpetuo exhibeamus *e*. Permitte igitur, o ſanctiſſima anima, quae iam coelitum choris adſociata laeta laetitiis omnibus aeternum triumphas, permitte, o admiratio quondam litterati orbis, nunc deſiderium & dolor: permitte, inquam, deſideratiſſime STRYKI, ut haec communis triſtitiae ſilentia, ſi non terſa oratione, gemitibus tamen planctibusque interrumpam, & ſupremo hoc officio non tam TVIS laudibus, quam incredibili dolori meo, ſatisfaciam. Amiſi TE ſtudiorum meorum auctorem, amiſi patronum, amiſi parentem, quem alterum mihi benignum numen indulſerat. Patere ergo, vt in illaetabili hoc pietatis officio orbitati meae leuamentum inveniam: & vel defuncto TIBI grati memorisque animi vota exſoluam, qui tot ſum

a vi-

c) Hactenus exordii protaſis: *Cum* STRYKIO *apud nos omnis eloquentia videtur obmutuiſſe.*

d) Illuſtratio a ſimili, loco aetiologiae.

e) Apodoſis: *merito tamen dicendum de laudibus* STRYKII.

a viuente beneficiis cumulatus, ut ingrato mihi viuendum moriendumque videatur. Non quidem is ego ſum, qui dicendo decus aliquod addere poſſim virtuti TVAE, *laudes omnes ſupergreſſae*. Quis enim tam abiecte de meritis TVIS immortalibus ſentiat, ut TE ſempiternae gloriae per eum commendari poſſe putet, qui TE commendando, nec propriam ingenii laudem conſequatur? Attamen quum nec pietati ſatisfacere aliter poſſim, nec debitori turpe ſit, vel minimam crediti partem ſoluere, ſi reddere caput, atque aere alieno exire penitus nequeat: indulgebo aliquantulum ingenio, & iſthoc perpetuae venerationis meae conſecrabo monimentum: in maximo lucro poſiturus, ſi non tam diſerti, quam grati piique hominis officio defungar. Minus certe alias audacem ipſa me alacriorem reddet difficultas, cogitantem, quod mihi neceſſario eueniet, ut tantam laudum ubertatem nec exaequare dicendo, nec cogitando ſatis adſequi poſſim, idem cuilibet, quamvis exercitatiſſimo & omnibus ad dicendum inſtructo homini euenturum fuiſſe *f*.

Quid vero in tanta laudandarum rerum adfluentia primo, quid ſecundo loco proferam? Quid dicam tam praeclarum ac admirabile, vt non plura atque eminentiora ſilentio praetermiſiſſe videar? Obruor profecto dicendorum multitudine, &, quod ſummis aliquando oratoribus contigit, copia ipſa ad inopiam redigor. Sane ſi rhetorum praeceptis obſtringendus animus, qui vel in diſciplinis a ſeruitute abhorret, aliena multa STRYKIO tribuentur, qui ſic abundat propriis, ut emendicatis ac quaeſitis aliunde neutiquam indigeat. Dicendum erit de natalium fortuna, quae non eſt arbitrii noſtri, ſed cuilibet divino fato & voluntate deſtinatur. Praedicanda nobilitas patriae, quae auſpicatiſſima STRYKII incunabula primum adſpexit, quaſi vt vina a iugis Falernis, Gauricis, Maſſicis, ita excelſae animae a patrio ſolo peterent pretium, & non potius civitati ſuae ſplendorem virtute conciliarent. Nec praetermittendae erunt opes, & fortunae obſequia, quae tamen nec bonum quemquam efficiunt, ſi adſint, neque, ſi abſint, deteriorem. Aliis igitur incedam veſtigiis, & in numeroſa laude non amplificandi locis, ſed delectu vtar. Qui abſolutiſſimum quoddam *Phidiae* ſignum contemplantur, dignitate formae adeo rapi in admirationem ſolent, vt mens obſtupefacta totius perfecti operis artificium uno obtutu non capiat. Luſtrantes itaque membra ſingula, jam faciem perſona dignam praedicant, iam decentem humerorum latitudinem, iam toros egregios, & adcuratum muſculorum poſitum, iam denique venas omnes decore expreſſas, ipſumque ſtatum corporis & proportionem mirantur, & ex omnium pulcritudine partium de totius ſtatuae praeſtantia iudicant. Mihi ſimiliter in STRYKIO perfectum iureconſulti exem-

f) Baſis: *id quod ego faciam*. Vbi ſimul τὸ ἦθος, quod in exordiis requiritur, obſeruabis.

plar admiranti, per partes videtur eundum, quae laudem hanc cumulatiſſime abſoluunt, demonſtrandumque, nec ad eruditionem admirabilem, nec ad ſummam prudentiam, nec ad pietatem diligentiamque incitatiſſimam quidquam IPSI defuiſſe *g*.

Tantum eſt iureconſulti tamque eximium nomen, vt illo vno omnes doctrinae ſapientiaeque copiae contineantur *h*. Fuerunt quidem, fuerunt tempora, quum dignitate hac in ludibrium proſtituta, ii demum crederentur, quidquid in iuris prudentia ſummum eſt, attigiſſe, qui nec leuiter guſtatis ſapientiae elementis, nec optimis artibus a limine ſalutatis, illud vnice per omnem aetatem egiſſent, vt in cathedris barbari, in litibus non incauti, & in foro ranis eſſent loquaciores. Nati hinc ſunt leguleii, rei publicae fatales, praecones actionum, ſyllabarum aucupes, qui non niſi multarum legum ſibi non intellectarum principia vno ſpiritu recenſere, atque ad ſingula verba Bartolum, Baldum, & neſcio quae alia pudenda ſaeculis nomina, velut caput aliquod Gorgoneum obuertere didicerant. Sed o miſeram, o ridiculam artem, quae in eo faſtigium ſapientiae conſtituit, vt fatearis, nihilo te eſſe aut Accurſio aut Bartolo ſapientiorem! Diu itaque eſt, ex quo orbis elegantior ſtatus controuerſiam mouit febriculoſis hominibus, quorum auctoritate antea iuris prudentiae dignitas non minus, ac Atlante coelum, ſuſtineri videbatur. Laborat nunc eorum fides, &, facta felici temporum reparatione, ea ſequuta eſt rerum immutatio, vt qui olim claſſicis & primis adſcribebantur ordinibus, hodie vix in proletariis aut capite cenſis locum inueniant *i*. Alia nimirum ſunt artis aequi & boni ornamenta, alia & validiora praeſidia, quibus dignitatem ſuam gloriamque cum laude tueatur. Si quis eſt mortalium, qui praepotente iſta ac glorioſa ſapientia generoſum animum praemuniuerit, qui praeſtandae tuendaeque beatitudinis rerum publicarum prudentiam ſibi ſummam conciliarit, qui, quid iuſtum, quid honeſtum, quid decorum ſit, omneſque veritatis inueſtigandae rationes in numerato habeat; qui denique & vniuerſam Romanae antiquitatis effigiem, & patriae mores ac diſciplinam, veluti animo impreſſa, circumferat; hunc demum tantam adferre ad iura peritiam exiſtimandum eſt, quantum horum adminiculorum copia ſe a vulgo ſegregauit *k*. Grande profecto atque arduum negotium! ſed cui viuida STRYKII excitatiorque indoles ab ineunte aetate adcuratiſſima cum diligentia ſe praeparauit; in hoc vno omni cura atque animi ſollicitudine defixa, vt iureconſultum aliquando non nomine magis,

g) Propoſitio vel partitio, ex qua elucet panegyricum hunc eſſe non ἀναλυτικὸν, ſed συνθετικόν. Vid. *part. II. c.* 3. §. 5. Siſtitur enim idea boni iureconſulti, oſtenditurque eum I) eruditum, II) prudentem, III) pium, IIII) diligentem eſſe debere.

h) Primum argumentum tractationis oſtendit iureconſulti eruditionem, vbi I) locus communis eiusque theſis: *ICtus debet eſſe erudítiſſimus.*

i) Illuſtratio a contrario.

k) Aetiologia loci communis. *Multae enim artes a ICto addiſcendae ſunt, ſi nomen hoc tueri velit.*

magis, quam meritis, referret *l*. Vix inaeſtimabile hoc coeli depoſitum deoſculati fuerant parentes; vix mirificam filii indolem e iucundis puerilis prudentiae praeludiis animaduerterant, quum diligenter ac prouide circumſpicerent viros, qui tantae ſpei admouerentur, ingeniumque ad ſumma omnia natum adcuratiſſime formarent. Lenzium, non ignobile in Marchia caſtellum, quaſi omne ſibi decus in STRYKII natalibus conſtaret, non ferebat ingenia, quae iuuenilibus ſtudiis praeeſſent. Sed defectum ſuppleuit parentum pietas, qui non detrectarunt & peregre alere filium, quem domi adhuc fauſtis ſub penetralibus nutriuerant, pulcherrimo prodigalitatis genere gloriam hanc lucrati, quod STRYKIVM orbi dederint, quo maius dare nihil potuiſſent. Miſſus hinc Seehuſium, & mox, ſchola hac tantum ingenium non diutius capiente, Coloniam Marchicam, dici non poteſt, quam praecoci incremento adoleuerit. In perpoliendo ILLO honeſtiſſima aemulatione concertabant Voſſius, Mullerus, Vuellius, digni hoc diſcipulo magiſtri: de quibus identidem cogitanti, maxime ſit ambiguum, illine STRYKIO, an hic ipſis debere plura videatur? STRYKIO enim illi ad humanitatem optimasque artes; hic illis ad gloriam profuit: illi huic doctrinae ſuffecerunt copias; hic reddidit aeternitatem. O beatum diſcipulum his magiſtris! o beatiſſimos magiſtros diſcipulo tali *m*! Sexennium iam in ſtadiis iſtis tirocinia ingenii incredibili cum laude poſuerat, talemque ſe praeſtiterat vbique, vt & aequalium generoſorum conatus, & magiſtrorum opinionem ingenio vinceret: reliquum erat, vt vinceret ſe ipſum, eumque campum inueniret, in quo virtus eius excurreret latius, & parta tot vigiliis doctrina ſe mirifice in publico conſpectu explicaret. Proditum memoriae eſt, Aeſculapii quondam filiis ad commendandam artis auctoritatem ſuffeciſſe, ſi Alexandriae ſe dixerint eruditos. Eadem tunc erat Leucoridis fama, ad quam, tamquam ad mercaturam bonarum artium, non ſolum e vicinia, ſed & ex remotiſſimis regionibus ingens quotidie multitudo confluebat, exemplum inde petitura melioris cuiusdam cultiorisque doctrinae. Hic grauiora auſpicatus STRYKIVS, celeriter antecellere omnibus ingenii gloria viſus eſt. Quid tam eſt praeter conſuetudinem, quam adoleſcentulum, rei publicae deſtinatum, potiſſima humanitatis ſtudia in academiis excolere? excoluit: philoſophiae ſe totum tradere? tradidit: his praeſidiis animam ad maiora nitentem praemunire? praemuniuit. Vidiſſes illum, iam in Sperlingii ſcholis ſubtilioris ſapientiae receſſus curioſe indagantem: iam, duce elegantiſſimo Kirchmaiero, nouos conatus manſuetioribus literis impendentem: iam reliquorum philoſophorum inhaerentem ſubſelliis. His meditamentis NOSTER praeluſit eruditioni, quam orbis mox erat admiraturus. Eat in om-

 nis

l) Hiſtoria STRYKII multis iudiciis moralibus & illuſtrationibus hinc inde diſtincta. Oſtenditur enim STRYKII eruditio per partes.

m) Recenſentur vero L. ſtudia ſcholaſtica.

nis aeui memoriam tam illuſtre exemplum, & pudore ſuffundat poſteros; qui ſuas praecipitando curas, illotis, quod aiunt, manibus ſublimiorum ſcientiarum ſacra turbant, & nouo genere furoris prius eruditi eſſe volunt, quam erudiri. Aliud animo ſedit ſapientiſſimo STRYKIO, qui quum ad veram Alciatorum, Hotomanorum, Budaeorumque gloriam, non dormitantem illam atque oſcitantem gloſſatorum ſapientiam, conniteretur: ſtudiis elegantioribus ſelectiſſimam indolem admouit, quae & fundamentum ſternunt eruditioni reliquae, & ſui neglectum per omnem vitam ſeuera vltione vindicant. Quantum ceteris adoleſcentibus ad ſalutandos amicos, quantum ad corporis exercitationem, quantum ad alias voluptates innoxias, & ad ipſam requiem animi & corporis conceditur temporis, quantum alii tribuunt intempeſtiuis conuiuiis, quantum denique aleae, quantum pilae: tantum ille ſibimet ad haec ſtudia recolenda ſumſit. Cuius quidem conſilii quantos fructus per omnem vitam perceperit, ſi alia deeſſent huius rei argumenta, vel ex ipſo, quod paullo poſt amplexus eſt, iuris prudentiae ſtudio adparuit. Sublimioribus enim his ſacris initiatus, nihil reliquit intactum, nihil intentatum, nihil quod non ſagaciſſima mente penetrarit. Siue vaſto iuris Romani mari ſe committeret, ſiue ſe praerupto ſpatioſiſſimoque legum pontificiarum pelago crederet, ſiue rerum denique ciuilium adſueſceret fluctibus, his ſemper velis ſecurus tam feliciter enauigauit, vt nullis adlideretur errorum ſcopulis, nulla popularium opinionum incurreret breuia, nullas ignorantiae ſyrtes pertimeſceret. Quid ex Ziegleroro, Lyſero, Klengelio, quid ex Nergero, quid deinde in Viadrina ex Dechero, Brunnemanno, aliisque doctiſſimis viris de omni iuris legumque ratione accepit, quod non animo ita praeparato tam facile haeſerit, vt non tam diſcere, quam reminiſci quodammodo & recordari, ex illa vetere Platonis ſententia, videretur? Quam fortunato conatu omnes & Romanae diſciplinae & Germanici iuris rationes & diuortia vaſto ingenio complexus? Quam nihil ex imperii legibus & inſtitutis ignorare ſe paſſus eſt? Hunc in modum deformatus, & lineis omnibus expreſſus deſcriptuſque erat ille STRYKIVS, qui ingenii atque eruditionis magnitudine non patriae ſolum, ſed vniuerſae Germaniae oculos in ſe eſſet conuerſurus. Id tantum ad ſummam laudem reſtabat, vt partes quaedam expolirentur amplius, & inducto veluti colore illuminarentur, ne tamquam in Apellea tabula, ſic in STRYKIO, quidquam pulcritudinis aut artificii deeſſet. Didicit proinde, etiam quum docendo eſſet aptiſſimus, neque veterano deeſſe videbantur, quibus capaciſſimum ingenium impleret. Non vt in praediis vrbanis, ſic in litterarum morumque ſtudiis, ne altius quis tollat, actio vllo vmquam iure prodita eſt: gliſcit quotidie magis atque emicat generoſa indoles, & limites omnes diſcendi cupiditate tranſcendit, tantamque ſibi euagandi viam facit,
quan-

quantam ipſe ſcientiarum ambitus capit ſpatioſiſſimam *n*. Quae edoctus NOSTER, noluit in patria haerere diutius, ſed peregrinandi cepit impetum, non vt pulcris & munitis vrbibus aut aedificiorum ſplendore oculos paſceret, non vt pompas ſpectaret & aularum obſequia, aut innocentes patriae mores inter peregrina vitia exueret, ſed vt rediret doctior, & prudentiam augeret, praecipuum illud iuris peritiae condimentum. Quod ſi Pythagoras ille Samius, & quidam ex veteribus alii, digni eo nomine laudibus habiti ſunt, quod vbicumque terrarum quidquam eſſet, quod diſci oporteret, eo commigrandum ſibi exiſtimarunt: quid de SIRYKIO dicemus, qui iudicio ſuo vſus non barbaros gymnoſophiſtas, non Chaldaeos mortalium ſuperſtitioſiſſimos, nec illos monſtrorum nutritores Aegyptios, ſed cultiores Europae nationes putavit adeundas. Digna videbatur Britannia, quam primam adnauigaret. Britanniam dico, illud Europae, qua meliorum eſt partium, munimentum, bellicae togataeque prudentiae ſedem, eruditiſſimorum hominum ſeminarium: hanc, inquam, Britanniam adiit, cui par eſt nihil, & nihil ſecundum. Quidquid Londinum in aula, palatiis, muſeis, magnificum ſplendidumque habet, aut artis vſquam ac elegantiae oſtentat, quidquid Oxonienſes Athenae exteris in exemplum vix imitabile proponunt, totum hoc, quantumcumque eſt, quod certe maximum eſt, totum hoc, inquam, vidit, perſpexit, cognouit, intenteque obſeruauit. Vidit tot viros omnis eruditionis atque elegantiae principes, quorum ad eminentiſſimam gloriam ipſe paullo poſt ſe totum compoſuit. Iis frui, cum illis eſſe ac verſari, eorum ſermonibus, ſtudiis, moribus intendere animum, quam ſalubre erat ac frugiferum! Vidit tot bibliothecas locupletiſſimas, quarum theſauros ipſe deinde animo circumferebat, Longino illi ſimilis, quem ſpirantem veluti bibliothecam & ambulans muſeum curioſa admirata eſt antiquitas. Vidit denique illa regnatricis prudentiae arcana, quae ipſe poſtea auditoribus fide incorrupta euulgabat. His mercibus transmarinis locupletior, quae nec imperioſam fortunae vim, nec maris naufragia, nec piratarum inſidias pertimeſcunt, ex Anglia ſoluit, ſecundoque ventorum flatu in Batauiam adpulit. Numquam profecto ſalutare Veneris ſidus blandius riſiſſe, numquam Caſtores fulgorem beneficum conſeruiſſe libentius exiſtimo, quam illo die, quo STRYKIVS inter fauſtas amicorum adclamationes nauem conſcendit. At finge, coelum ſubito eſſe turbatum, finge, mare ventis commotum tenebris totum inhorruiſſe; nauem porro vaſto gurgite iactatam, & nec in remis, nec clauo quidpiam praeſidii reliquum, ſed triſtia omnia, exitioſa, conclamata: quis dubitaret, NOSTRVM tot parentum votis diuinitus deſtinatum ſaluum ad litus fuiſſe euaſurum, ipſoque Iulio Caeſare multo confidentiorem timentem nautam adloquuturum: QVID TIMES, STRYKIVM VEHIS? Continenti igitur fauſto ſidere redditus, cultiſſimam Batauiam ita permeauit,

 vt

n) II. ſtudia academica.

vt nec ipſis Batauis lucri, ſed honeſtioris, cupiditate cederet. Docebant eo tempore Louanii Antonius Perezius, Franequerae Friſonum Vuiſſenbachius, illa iuris oracula, quorum e ſcholis, tamquam ex equo Troiano, maximus prudentiſſimorum hominum numerus prodierat. Hos audire NOSTER, his ſtudia ſua probare, horum in complexu & conſuetudine verſari, pulchrum ſibi ac honorificum exiſtimabat. Adiit & Lugdunum, Vltraiectum, Groningam, iucundas Muſarum ſedes, & eruditiſſimis hominibus liberaliſſimisque ſtudiis adfluentes, in quibus ita verſatus eſt, vt fructum vberrimum liceret ipſi ad conſcientiam referre. Alcibiadem ita a natura factum canunt annales, vt quarumlibet gentium moribus verſatile adplicaret ingenium. Hunc tradunt Athenis omnes ſplendore ac dignitate vitae ſuperaſſe, hunc Thebis ita labori inſeruiſſe, vt nemo eum corporis viribus aequaret; hunc denique Lacedaemone parſimonia victus atque cultus; inter Thracas bibacitate & incontinentia; apud Perſas venationibus & luxuria praeſtitiſſe perhibent. Miſera profecto & infelix gloria, imitari nequitiam, & vitia virtutibus redimere. Virtutes NOSTER, non vitia & ſordes, ſectabatur: non Socratis gibbum, ſed ſapientiam; non inuerecundiam Diogenis, ſed fortitudinem; non vinolentiam Cratippi, ſed acumen imitanda iudicabat, in hoc vnice defixus, ut exploraret ingenia, & ſingulas, quibus exſplendeſcerent, dotes in ſe vno omnes nexu pulcherrimo copularet o. Haec via eſt, quam triuit STRYKIVS, hae alae, quibus ad illud doctrinae faſtigium euectus eſt, vnde veluti fulgentiſſimum aliquod lumen reipublicae litterariae quam diutiſſime illuxit, haec adcuratiſſima cultura, ex qua nihil potuit, niſi inuſitatum atque admirandum, effloreſcere. Quid quaeſo dicendi facultate praeclarius? At eam ita imbiberat diſertiſſimus STRYKIVS, vt quacumque de re dicere ingreſſus eſſet, melle dulcior ex ore flueret oratio. Quid linguarum cognitione fructuoſius? Has tanta cura ſuas fecerat, vt nec in Graecia, nec in Palaeſtina, nec in vicinis Germaniae imperiis hoſpes aut peregrinus eſſet. Quid aut philoſophia grauius, aut hiſtoriarum notitia iucundius? Sed & has diſciplinas ita in numerato habuit, vt iis ad iura illuſtranda, non ad oſtentationem, vteretur. Quid de iuris prudentia dicam? in qua non homines amplius, ſed ipſam prouocare diſciplinam videbatur. Quid de regina illa ſcientiarum theologia? cuius ille tantam fuerat notitiam conſequutus, vt id vnum tota vita egiſſe videretur p. Haeret hic animus, & anceps in diuerſa trahitur. Si enim tot STRYKII decora conſidero, maxime vereor, ne vnoquoque iuſto breuius defungar: ſin reipublicae litterariae ſuffragia reuoco ad animum, dubitare nequeo, quin iam nimium dixerim, quum quae ieiuna oratione expreſſi, multo praeclarius conſtanti fama atque omnium ſermonibus celebrentur. Quin, ſi fama ipſa conticuiſſet, ſi STRYKIVS multo plures laudum ſuarum obtrectatores habe-

o) III. Peregrinationes.
p) IIII. Diſciplinae, quas praecipue excoluit.

haberet ſuperſtites, quam qui iuſtum virtutibus pretium ſtatuerent, nullumque eſſet praemium bonae menti ad ingratam poſteritatem propoſitum: duratura tamen eſſet gloria, tot vigiliis parta, nec moritura conſecrata aeternitati memoria, nec interitura incomparabilis doctrinae monimenta, quae de temporum non minus, quam hominum liuore honeſtiſſime triumphant. Epaminondam legimus famae ſuae tam fuiſſe ſecurum, vt quum ingens eſſet obtrectatorum numerus, nec liberos ipſe vllos ſuſtuliſſet, qui paternam gloriam defenderent, omnem tamen venturae aetatis, inuidiam omnes obliuionis minas generoſo contemtu vltus ſit, ideo, quod natam ex ſe relinqueret pugnam Leuctricam, quam non modo ſuperſtitem ſibi, ſed & immortalem futuram praedicabat. Non minus perenne monimentum ſuperſtes reliquit STRYKIVS; partus puta ingenii numeroſiſſimos, quos nullus vmquam dies, niſi qui ſaecula omnia, abolebit. Non hic operoſiorem diſſertationum recenſum agam, quarum complura volumina publicauit, iuſtae inſtar bibliothecae futura. Nec dicam de nitidis terſisque diatribis, quibus ſenſuum iura nouo atque inuſitatiſſimo conatu explicauit, de quibus vere vſurpare poſſis, quod Plato de ſenſibus ipſis praeclare ſcripſerat, illas excelſae mentis internuncias & ſatellites, & duces ad veritatem certiſſimas eſſe. Mitto & cautiones in contractibus & teſtamentis obſeruandas, in quibus felici induſtria prudentiam conſultricem cum probitate iuſtitiaque coniunxit. Taceo adcuratam de actionibus inueſtigandis tractationem, qua aequiore iure, quam C. Flauius, formularum ille compilator, ſellam curulem meruit. Omitto opera, quibus deſponſorum diſſenſionem, ſucceſſiones inteſtatorum, & iura clientelaria exſequutus eſt, luculentiſſima, nec non ſelecta, quibus Brunnemanni & Lauterbachii libros illuſtrauit, adnotamenta, in quibus omnibus eximium ſe vbique, hoc eſt, ſui ſimilem, monſtrauit. Vnum occurrit, quod ſilentio non eſt praetereundum, vſus Pandectarum hodiernus, publicae vtilitatis egregium opus, cuius iam tres partes eruditorum votis exhibuit. Sed o nos ipſa felicitate noſtra infortunatos, quibus adfectum hoc opus voluptatem maximam, non abſolutum deſiderium incredibile incuſſit! Inchoatam enim Apellis Venerem triſtes miramur, cuius perfectioni mors inuidit, nec dabit forte ventura aetas, qui pulcherrimae tabulae ad praeſcripta lineamenta ſucceſſurus ſit. Haec illa ſunt inuidenda opera, quibus nulla vmquam finem adlatura eſt aetas: hae firmiſſimae exſtructiones, quas nec temporum longinquitas, nec tempeſtatum coelique iniuriae, nec vlla conglobata hoſtium vis conficiet ac diſſoluet. Quae quidem niſi quis ita magna eſſe fateatur, vt ea omnibus maximarum laudum adoreis longe anteponenda videantur, iniquus profecto rerum aeſtimator ſit: ſed tamen ſunt alia maiora. Manum enim iniiciunt tot viua ac ſpirantia STRYKII monimenta, tot, inquam, viri eruditionis prudentiaeque laude cumulatiſſimi, quibus NOSTER omnes per

Ger-

Germaniam academias, omnia fori ſubſellia, iudicia denique omnia ac palatia principum impleuit. Ludibrium cordatioribus debet Gorgias Leontinus, qui de gloria ſua bene meriturus, ex quaeſtu, quem philoſophando fecerat, ſtatuam auream inaudito exemplo ſibi ipſe dedicauit. Tantis ſcilicet impenſis homini ſuae mentis ſtultitia ſtetit! Tanto molimine hoc illi erat agendum, vt vanitatis ſuae apud poſteros exſtaret memoria! Quanto honeſtius gloriae ſuae STRYKIVS conſuluit, qui totidem pulcherrima ſimulacra, quot formata a ſe ac perpolita ingenia poſteritati conſecrauit? Quo magis nimirum corpori animus naturae praeſtantia atque aeternitate antecellit: eo certior e viuis doctrinae ac virtutum ſimulacris, quam ſtatuis & imaginibus, corpori geminis, immortalitas ſperanda eſt *q*.

Parcius fortaſſis laudes STRYKII videbor exſequutus, qui ſummae eruditionis lineas duxi, prudentiae oblitus *r*. Non ſola profecto doctrina ac multarum rerum ſcientia eſt, quae iureconſultum abſoluit: inchoat tantum, & ſpeciem quamdam ac ſuperficiem eius adornat, cui vim omnem ac veluti ſpiritum prudentia tribuit *s*. Namque ſi quis eſt, qui legum tantum atque artium cognitione memoriam impleuit, & cui in ſola ſcientia omnis poſita laus eſt, ille perſonae tragicae videtur ſimilis, quae, niſi accedat Roſcius, qui eam gerat decore, geſtuque ingenioſo viuam ſpectantibus praeſentet, parum ab vmbra aut ſimulacro diſtare videbitur. Pariter prudentia eſt, quae doctrinam iurisperiti informat atque animat, quaeque maxime confert, quod in rei publicae redundat emolumentum. Haec efficit omnia, haec patrat omnia, huius vnius beneficio legibus ſua aequitas, foro iuſtitia, rei publicae ſecuritas conſtat *t*. Nouum ſe hic offert incomparabilis STRYKII decus, nouum ornamentum, quod vereor, vt ſatis mea mens aut cogitatio capere, nedum dicendo adaequare oratio poſſit. Vt enim de pictore, ſculptore, fictore, niſi artifex iudicare; ita, niſi prudens, non poteſt perſpicere prudentem. Quantum mihi tamen cernere datur, multa in NOSTRO ſic eminent ac elucent, vt mediocriter quoque doctos ac intelligentes aduertant & adficiant *u*. Quis vmquam, viſo tantum NOSTRO, non abſolutiſſimam quamdam prudentiae imaginem ſibi contemplari viſus eſt? Quis non ipſis in oculis & fronte explicatiſſima perſpicacis animi ſigna ac veluti radios eſt admiratus? Conſtans eſt cordatorum hominum opinio, iam inde ab vltimis ducta temporibus, eaque omnium gentium firmata conſenſu, habitare quaedam in ore mentis indicia, vultumque ita cum indole animi conſpirare, vt plerumque & orationem & ipſas actiones praeueniat. Hinc Ae-

q) V. Libri & opera, quae reliquit.

r) Argumentum II. de iureconſulti prudentia, quod denuo *loco communi* & *hiſtoria* abſoluitur.

s) I. Locus communis eiusque 1.) theſis: *iureconſulto etiam prudentia opus eſt.*

t) Aetiologia cum illuſtratione a ſimili.

u) II. Hiſtoria STRYKII, cuius prudentia elucet variis rebus.

Aethiopes, credo, ac Lacedaemonii in delegendis magiſtratibus prudentiam ex dignitate formae corporisque habitu aeſtimarunt, & veterum ſapientum non nemo adfirmauit, ſi qui mortalium ea corporis dignitate, quae in deorum ſimulacris cernebatur, vſquam terrarum reperirentur, dubitaturum eſſe neminem, quin eos ceteris imperare oporteat. Quid dicerent illi homines, ſi STRYKIVM eſſent intuiti? Si faciem illam vidiſſent honeſtiſſimam? placidam luminum grauitatem, frontis honorem, dignitatem vultus ac corporis, & cunctis venerabile celſae proceritatis decus? Quid ſi ſeueritatem ſupercilio & triſtitia vacuam, & venuſtate temperata ſenectutis inſignia vidiſſent? Quam pulcram, quam excelſam, quam perſpicacem in tam formoſo domicilio mentem quaeſiiſſent *x*? Nec fefelliſſet eos augurium. Quam enim rectitudinem mentis & iudicii inaeſtimabili dei munere erat conſequutus, eam firmauerat doctrina, & diuturno vſu ita perfecerat, vt actionum omnium indolem attento animo perſpiceret, iuris ac honeſtatis rationes magna circumſpectione perpenderet, ſuccreſcentia litium ſemina prouide extingueret, omnesque calumniarum latebras retegeret adcurate. Tu teſtis es, illuſtris academia Viadrina, cui STRYKIVS noſter, per omnia honorum ſtadia decurrens, ſummam in iure dicundo celebritatem prudentia ſua conciliauit. Teſtis & tu, celeberrima Leucoris, quam STRYKII prudentia decem annos praeſtitit beatiſſimam. Et quid te, alma mater Fridericiana, intra tam breue temporis ſpatium, ad eum florem & celebritatem famae euexit, vt de fructuum copia praeſtantiaque cum antiquiſſimis academiis frequentiſſimisque certare poſſis? Quid, inquam? niſi STRYKII prudentia; quae in rebus omnibus clariſſime ſemper eluxit. Hanc NOSTER docendi ratione perpetuo demonſtrauit. Docuit enim ſuauitate incredibili, quae omnium ad ſe oculos animosque aduerteret, prudentia vero tanta, vt nemo quidquam ex eo audiuerit, niſi profuturum, nec didicerit, quod neſciuiſſe fuerit rectius. Hanc adhibuit, quoties interrogantibus de iure erat reſpondendum. Nihil enim ſtatuendum, nihil pronunciandum exiſtimabat, niſi quod inſtituta cauſſae cum legibus comparatione iure ſtatuendum pronunciandumque videretur. Huius denique praeſidio reliquas muneris ſui rationes omnes feliciſſimis auſpiciis confecit. Siue enim in moderandis academiis eius iudicio opus eſſet, ſiue in iudiciis recuperatoriis eius induſtria deligeretur, ſiue denique in aulis expoſcerentur conſilia: talem ſe ſemper dedit STRYKIVS, vt prudentiae ſibi laudem ſeruaret integram, gratiamque ſummorum principum conciliaret *y*. Magnum eſt, placere principi: maius adhuc, plurium imperantium iudicio probari: at inconcuſſam eorum retinere gratiam, hoc in maximis negotiis difficillimisque

x) I. Ex ipſa forma & oculis.
y) II. Ex vſu diuturno in docendo, reſpondendo de iure & regendis academiis.

que numerandum. Quae omnia NOSTER, non quodam fortunae errore, aut fide in obſequium ſeruile ſubmiſſa, ſed inuſitata prudentia eſt conſequutus. Amatus eſt, quia meruit: nec deſiit amari, quum nec mereri deſierit. Certarunt in illo ornando eminentiſſimi principes, inter quos, quum omnibus in rebus mira eſſet concordia, in hoc vno conuenire non potuit, quis STRYKIVM poſſideret. Hunc glorioſus princeps FRIDERICVS GVILIELMVS Magnus, (at quam adcuratus ingeniorum aeſtimator! (in academia Viadrina ſummis honoribus auxit. Hunc IOANNES GEORGIVS, Saxoniae Elector, Leucoridis ſuae ornamentum votis omnibus popoſcit. Hunc potentiſſimus DANIAE REX, tamquam ſplendidiſſimum aliquod lumen, ſeptentrioni inferre contendit. Hunc denique SACRATISSIMVS FRIDERICVS noſter ſuum vindicauit, nouaeque, quam Halae conſtituerat, litterarum coloniae, veluti palladium aliquod pignusque futurae felicitatis dedit. Quin ne quid NOSTRO ad ſummam laudem deeſſet, ipſi Auguſtiſſimo LEOPOLDO prudentia STRYKII noſtri digna viſa eſt, quam ampliſſima comitis palatii dignitate condecoraret, vt teſtatius eſſet imperii ciuibus, quantum abs ſe prudentiae pretium ſtatuatur. Mirifica Homeri, poetae ſine exemplo maximi, poſt fata celebratur felicitas, quam liberalitati forte poetarum magis, quam vero debet. Eum enim Colophonii ciuem eſſe dicebant ſuum, Chii ſuum vindicabant, repetebant Salaminii, Smyrnaei vero ſuum eſſe, dedicato apud ſe illius delubro, confirmabant. Sed reliquerit ille tot ciuitates, quae ciuem ipſum fato iam functum expetiuerint: quanto felicius & maius eſt, haud pauciores non ciuitates, ſed principes, deo proximos, vidiſſe NOSTRVM, qui de ſe ornando fruendoque contenderent? Iam Homerum beneficae iſtae vrbes intempeſtiua munificentia mortuum ciuitate donarunt, quem viuum inopem ac ingenioſe mendicantem deſtituerant, nullamque habere paſſi fuerant, niſi ex conſcientia, mercedem. Noſter & viuus principum gratia floruit, ex florentiſſimis rebus ſuis deceſſit, exemplo poſteris futurus, quantum in prudentia virtuti praeſidium ſit, quantum innocentiae munimentum z.

Nec vero pietas EIVS, ceteraeque, quibus enituit, virtutes ſine laudibus videntur eſſe dimittendae, iuſtitia, puta, humanitas, beneficentia, reliquae, quas communi vita aut priuatim ita excoluit, vt aeque illarum fructus in rem publicam litterariam, cui natus erat, remitterentur a. Prima vtique atque excellentiſſima iureconſulti laus in pietate ſita eſt, quae ſi ab eius perſona abſit, aut ſummum ius, quod aiunt veteres, ſummam fieri iniuriam, aut iniuſtitiae ſpeciem induere neceſſe eſt b. Nam neque in verum ac iuſtum quiſquam mente incorrupta inquiret, niſi eum antea irradiarit numen propitium, neque ea, quae iuſta deprehenderit, ad publicam ſalutem referet animus,

z) III. E gratia principum, quam conſtanter retinuit.

a) Argumentum III. *de iureconſulti pietate.*

b) I. Locus communis, eiuſque theſis: *iureconſultum oportet eſſe pium.*

nimus, niſi emendatus. Quae virtus quum iuſtam rationem apud omnes habeat, qui iuri dicundo interpretandoue operam nauant: cui potior eſt, quam profeſſori? aut cui magis ſuſpicienda colendaque eſt, quam ei, qui principem inter doctores, principem inter iuſtitiae ſacerdotes locum obtinet? Flexibiles quamcumque in partem ducimur a praeceptoribus, &, vt ita dicam, ſequaces ſumus. His enim cari, his probati eſſe cupimus; quod fruſtra ſperaverint diſſimiles, eoque obſequii continuatione peruenimus, vt prope omnes eorum moribus viuamus. Ad hos dirigimur, ad hos conuertimur vnice, his tamquam perpetuae cuidam cenſurae paremus: nec tam praeceptis nobis opus eſt, quam exemplis, tanto maius in ſe pondus habituris, quanto luculentius adprobant, ea, quae praecipiuntur, fieri poſſe *c*. Numquam Lenonem expreſſiſſet Cleanthes, niſi ille egiſſet imitanda; hic imitatus eſſet acta egregie. At vero, dum non modo ſcholis illius ac ſermonibus, ſed vitae etiam interfuit, dum ſecreta omnia perſpexit, illumque, an ex formula ſua viueret, cum cura obſeruauit; tam acri ac vehemente incitatione animus ad virtutem inflammatus eſt, vt Cleanthes Lenonem breui tempore totum ſapientia referret. Platonem quoque & omnem in diuerſum ituram ſapientum turbam, plus ex moribus, quam verbis Socratis traxiſſe, memoriae proditum eſt. Denique & Metrodorum & Hermachum & Polyaenum viros eruditiſſimos non ſchola Epicuri, ſed contubernium feciſſe dicitur *d*. Edoctus iſta ab ineunte aetate STRYKIVS omnes reliquas, quibus adfluebat, virtutes ac ornamenta parum ad vſum rei publicae pertinere iudicauit, niſi ſuis exemplo aeque ad pietatem, ac praeceptis ad doctrinam prodeſſet *e*. Prima hinc ILLI ac antiquiſſima cura, Chriſto ſeruatore frui, illius meritis expiare ſordes, illius gratiae praeſidio emendare animum, caſte porro & pie deum colere, puras & ſanctas ei allegare preces, &, vt paucis me expediam, ita vitae ſuae rationes componere, vt quaecumque faceret, omnia fugiendae turpitudinis & honeſtatis adipiſcendae cauſſa ſibi facienda eſſe ſtatueret. In his auſpicabatur diem, & finiebat, hoc ipſius negotium, hoc otium, hic labor, haec quies, in his vigilias, in his etiam ſomnum reponebat, longe ab illis diuerſus, qui ſummam in eo iurisperiti laudem collocandam exiſtimant, ſi conſcientiae pariter ac pietatis ſenſum omnem amiſerit *f*.

Ea eſt pietatis ſanctitatisque conditio, vt numquam ſeiunctas a ſe habeat virtutes reliquas, ſed iſtis ſemper comitata adſit, & tamquam earum regina, ſacro hoc ſatellitio ſtipata, effulgeat. Simul ac ſol, ille ductor ſiderum, coelo noſtro illuxit; adeo innumeri ſtatim radii orbem ſimul implent, vt nullum eius ſpatium ſit, quod non ſplendidiſſimum illorum peruadat lumen, pul-

c) Aetiologia.
d) Illuſtratio ab exemplis.

e) II. Hiſtoria STRYKII, cuius pietas oſtenditur variis argumentis.
f) I. Ex praxi pietatis.

ſiiſque tenebris illuſtret. Simillime pietatem fulgentiſſimum virtutum reliquarum iubar ſequitur, quod tam mirifice in omnibus actionibus exſplendeſcit, vt nulla ſit vitae pars, neque publicis neque priuatis, neque forenſibus neque domeſticis in rebus, neque ſi tecum agas quid, neque ſi cum altero contrahas, quae non inde decus ac lumen ſortiatur. Id quod in nemine, quam STRYKIO noſtro, adparuit luculentius, qui pietate clarus, omnibus ſimul virtutibus enituit. Iuſtitiam, cuius ſe ſacerdotem nouerat, colebat religioſe, nec ferebat improbitatem & tergiuerſationes, quibus rabulae vnice triumphant, turpiſſimas. Grauis praeterea fuit, ſi quiſquam alius, idem vero etiam comis & benignus erga omnes, ſed probos maxime, hoc eſt, ſui ſimiles, quorum nullum a ſe triſtem vmquam diſcedere paſſus eſt. Inſectabatur vitia, non homines, nullius rei facilius oblitus, quam iniuriarum. Nihil iucundius ſuauiusque ſibi exiſtimabat, quam emendare errantes, idque tam ſapienter praeſtabat, vt ſequerentur monentem attenti, & perſuaderi ſibi, etiam quum perſuaſerat, cuperent. Mitto placidam ac quietam animi conſtantiam, cuius per omnem vitam ſtudioſiſſimus fuit, cui ſeruiuit vnice, quam nullis temere litibus aut iurgiis turbauit, procul ab illis ſeiunctus, quos vel verbo laceſſitos ſtatim mala mens & neſcio quis furor in ſimultates & ſcenica conuicia agit. Vt paucis me expediam, tanta STRYKIO noſtro concordia, tantus concentus omnium laudum omnisque gloriae contigit, vt nihil pietati eius vitae elegantia, nihil ſeueritati comitate, nihil grauitati humanitate detraheretur.

Quid denique de diligentia dicam ac adſiduitate admiranda, quae tot virtutibus tamquam cumulus acceſſit? Quis credat, ILLVM ab ineunte fere adoleſcentia grauiſſimis muneribus admotum tot negotia, vix multis ferenda, tam diu ſuſtinuiſſe? Quis vero credat ita ſuſtinuiſſe, vt & ſcribendis tot aeternis voluminibus ſuffecerit? Iam miſeri ac depreſſi homines per vniuerſam Germaniam eius opem ac conſilia expetebant, iam academiarum, iam ordinis ſui occupationibus vrgebatur, iam aularum negotia erant expedienda. His tamen fluctibus, quibus vel conſtantiſſimus quiſque opprimeretur, viuida indole ſubnixus, felici induſtria ſe emerſit; laboris patientiſſimus, parcus temporum diſpenſator. Numquam in cathedra eius opera, numquam vox deſiderata eſt, nec ſenex quidem aetatis vacatione vti, aut valetudini potius ſuae, quam adoleſcentum ſtudiis, ſeruire maluit, horas omnes ſibi periiſſe ratus, quas ſpei iuuenum, votisque parentum flagrantiſſimis ſubtraxiſſet. Celebratur a Tullio Q. Mucius, cuius ianua & veſtibulum in eius infirmiſſima valetudine adfectaque aetate, maxima quotidie frequentia ciuium & ſummo hominum ſplendore ita celebrabatur, vt eius domus oraculum vniuerſae ciuitatis eſſe videretur. Quam multo maioris admirationis fuit, venerandum ſenem noſtrum intueri, proſtratis licet per aetatem valetudinemque viribus, in frequentiſſima tamen iuuenum corona ter-

nis

nis per diem horis iura praeclara induſtria interpretantem? Quanto iucundius ſpectaculum STRYKIVM videre, ſola canitie ac corporis imbecillitate ſenem, ingenio iuuenem viribus quotidie maiora conantem non magis, quam perficientem egregie? Sic vixit NOSTER, ſic adoleuit, ſic conſenuit, ſic (o triſte ac illaetabile verbum!) deceſſit. Vltimum enim vitae actum dum maxima cura perpoliuit, ſtitit, abrupit inſuperabile fatum praeclaras decurſiones, & virum, immortalitate digniſſimum, ex vita, tamquam virtutum ſuarum theatro, euocauit. Stantem Veſpaſianum, NOSTRVM laborantem, iura reddentem ac docentem propemodum mori decuit, in hoc illo feliciorem, quod morbo, niſi ſenectute, nullo debilitatus, ſine vllo mortis ſenſu, exſpirauit, quod ſeptuagenarius fere inſtar iuuenis deſideratur, quod animam denique, deo amatam, deo deuotam, coelo, vnde acceperat, reddidit, vbi iam inter ſpiritus beatiſſimos, laetitia ineffabili triumphans, aeternitati intereſt, ad quam non niſi ita morienti iter patebat *g*.

Heu lux! heu ſidus academiae! heu pater deſideratiſſime! quo abis? Quo nemo eruditione ac doctrina ornatior, prudentia conſultior, pietate & iuſtitia ſanctior, nemo innumerabilibus in nos nos meritis clarior illuſtriorque fuit. Quem vnum in primis parentis loco venerari, quem vnum ſuſpicere omnes ac reuereri: vnde diſcendi cupidi doctrinam, oppreſſi opem, dubii conſilium expoſcere ſolebant. Heu decus academiae! heu litterariae rei publicae ornamentum! heu fulcrum ſpei noſtrae, firmiſſimumque columen! Eamne calamitatem incidere nos, vt funus TVVM deflere oporteat, quod concitatiſſima pietate totque precibus adhuc ſumus deprecati? Quid tanto dolori noſtro adferet leuamentum? quod tanto remedium vulneri inueniemus *h*? Sed quo abripior? In te vno nobis ſpes omnis ſita eſt, ſumme ac aeterne deus, ſtator academiae, quem propter beneficia populus chriſtianus optimum, propter vim ac poteſtatem maximum cognominat. Te, ſumme rerum arbiter, oramus ac religioſe veneramur, vt vulneri remedium, dolori ſolatium adferas. Serua nobis academiam, quae REGIS SAPIENTISSIMI auſpiciis inter medias belli tempeſtates nata, tuo munere tam breui tempore tam feliciter adoleuit, vt aetate ſua maior ſuperiorque videatur. Serua, quos ſuperſtites per te habemus, profeſſores excellentiſſimos, vt reddant nobis, quem amiſimus, STRYKIVM. Serua vnicum paternae virtutis heredem, vt patrem deſideratiſſimum in ſe Fridericianae reſtituat, & quam diutiſſime, adplaudentibus vniuerſis, exhibeat. Serua denique ac ſoſpitem incolumem, florentem praeſta celeberrimum THOMASIVM, digniſſimum ſolum STRYKIO ſucceſſorem, & praeſidem ordinis iuridici ALTERVM potius, quam SECVNDVM *i*.

g) Ex variis virtutibus reliquis.
h) CONCLVSIO, quae continet I. τὸ πάθος. *i*) II. Votum.

XVI.

DIALOGVS
DE VSV IVRIS ROMANI HODIERNO.

a MAgnum fuit ingenium FR. HOTOMANI, magnumque optimarum artium ſtudium, tum tanti in iuris prudentia tamque mirifici profectus, vt ſingulare illud ſaeculi ſui decus nulli aequalium poſtponendum videatur. Illuxerat diuinum illud ingenium Galliae, in quo ampliſſimo regno variis locis tanta cum laude iura interpretatus eſt, vt eius domus, id quod de Scaeuola eleganter dixit Tullius, totius Galliae eſſet oraculum. Enimuero non minorem ſibi laudem ex eius virtutibus decerpit Germania, quae non ſolum ſenatoriae HOTOMANORVM genti originem; ſed & noſtro, Pariſienſis lanienae periculum fugienti, receptum dedit tutiſſimum. Cogitanti vero mihi ſubinde de huius viri doctrina ac prudentia, permirum ſaepe videri ſolet, aeterna huius viri opera tam cito propemodum hominum manibus excidere potuiſſe. Iuris prudentiam enim ſectatus eſt non vmbratilem illam, qua ante iſta tempora omnia paene accroateria ac fora perſtrepebant, ſed ſolidam, ſed grauem, multaque artium atque antiquitatis notitia temperatam, vereque vſui futuram. Erant tum illa tempora, quibus ii demum videbantur iuris prudentiae laudem ſuſtinere, qui id vnice per omnem vitam egiſſent, vt quidquid a Bartolo & Baldo traditum acceperant, infigerent memoriae, & in foro ac cathedris ſtentorea voce creparent. Adeo tum miſeri homines ad illa gloſſatorum dumeta relegati, in barbarie delicias, & laureolam in muſtaceo quaerebant. Verum ab hac dementia dici non poteſt quam alienus fuerit HOTOMANVS, qui non modo veteri illi iuris prudentiae Romanas ex ipſa antiquitate ac elegantiore litteratura lucem accendit, verum etiam antiquas, quae paſſim in foris vigent, Gallorum conſuetudines ſumma induſtria indagauit, & primus fortaſſis, quam parum e iure illo peregrino hodierna fora admiſerint, in praeclaro illo ANTITRIBONIANO ſuo oſtendit. Eam de vſu iuris Romani ſententiam, quum etiam in familiari congreſſu, quum eſſent vna BARNABAS BRISSONIVS & IACOBVS CVIACIVS, fulgentiſſima illa iuris prudentiae lumina, elegantiſſimo ſermone expoſuerit: operae pretium me facturum exiſtimaui, ſi, quid inter tantos viros familiariter actum ſit, breui oratione exponerem *b*. Feruebat iam meſſis, & feriae non

a) Παρασκευή, & quidem prologus, de quo *part. II. c. 4. §. 6.*

b) Pars altera τῆς παρασκευῆς, narratio, de qua ibidem.

non ſolum iudiciariam curam, ſed & ſcholaſticos labores laxauerant, quum BARNABAS BRISSONIVS ad HOTOMANVM officii cauſſa domum veniret, eumque ſedentem in hortulo meditantemque offenderet. Huius ſummi viri aduentu ille mirifice recreatus, confeſtim libellos e manu depoſuit, amplexusque hoſpitem: Salue, inquit, o eruditum caput, mihique longe cariſſimum. Defixum me vides in libellis tuis, doctis profecto & limatiſſimis, ex quibus tantam me fateor cepiſſe voluptatem, quantam neſcio an iam dudum ex vllo volumine ceperim. Quid ergo optabilius mihi contingere potuiſſet conſpectu tuo, cuius vel monumentis ingenii quoties frui licet, in coelo mihi eſſe videor? Ad quae adridens ſuo more BRISSONIVS: & tu quoque, inquit, ſalue, elegantiſſime HOTOMANE, quo facundiorem laudum mearum praeconem hodie nuſquam reperiſſem. Quod ſi Themiſtocles nullum acroama nulliusque vocem libentius ſe audire profeſſus eſt, quam eius, a quo virtus ſua optime praedicaretur, quo me animo eſſe exiſtimas, quem aduentantem tot laudibus tu vir laudatiſſimus excepiſti, quas ego ſi agnoſcerem, eſſem profecto mei ignariſſimus? Enimuero, quamuis nimias illas, quas in me effudiſti, laudes non tam iudicio tuo, quam amori, tribuam: tamen quum tibi meum de formulis libellum in manibus eſſe videam, ſcire velim, HOTOMANE, de eo quid ſerio ſentias? Egone? inquit ille. Quid vero ſentiam, niſi talem illum eſſe, qualis a te proficiſci potuit, id eſt doctum, laborioſum, elegantem, & illuſtrandae iuris prudentiae Romanae pariter ac ſcriptoribus antiquis vtiliſſimum? Verumtamen quia me de te iudicantem amori pluſculum dediſſe ſuſpicaris: dabo operam, vt & hac te ſuſpicione liberem, & qua in re tecum mihi haud conueniat, candide exponam. Non ignoras, BRISSONI, iam diu in ea me eſſe ſententia, paullo minus, quam vulgus exiſtimat, vtilitatis ex iuris Romani ſubtilitatibus in foro noſtro redundare. Quum enim non Romae de iure reſpondeamus, ſed in Gallia, cuius non ſolum leges & mores, verum etiam imperii forma ab illa Romanorum re publica & inſtitutis longiſſime ſeiuncta ſunt: equidem non video, cur tam ſimus patientes, vt vel diſcere, vel ſcribere velimus, quod in vſu non ſimus habituri. Quamobrem mirari ſaepe numero ſoleo, te, qui ab ephebis in foro verſatus, denique ad ſummum palatinae militiae gradum adſpiraſti, & non potes leuem iuris Romani vſum experiundo non didiciſſe; excellentiſſimum illud ingenium ad Romanas tantum antiquitates adpellere, & eas formulas reuocare in lucem, quarum apud nos vſus, non dicam obſoleuit, ſed nullus vmquam fuit. Nolim hoc, BRISSONI, ita interpreteris, ac ſi abiectius de libro tuo ſentiam, quippe quem iam paullo ante faſſus ſum eſſe eruditiſſimum. Sed mallem tamen, id, quod pace tua dixerim, ingenium illud tuum commodares illuſtrandis antiquitatibus patriis, enucleandoque iuri veteri Gallico, ex quo pleraeque, quibus in foro vtimur, conſuetudines, reliquae eſſe videntur. Hoc vero eſt, quod a te boni omnes flagi-

flagitant: & inde eſt, quod nonnumquam ſubiraſcuntur formulis tuis, ceteroquin eruditiſſimis, quae tempus iſtud ſtudiumque tuum vtilioribus rebus ſubtraxerunt. Equidem exſpectaui iam diu, vt capitularia regum Franciae, aliaque patriae antiquitatis monimenta, quae in bibliothecis latitare non ignoras, opera tua e ſitu extracta illuſtrataque videremus. Aſt quum tu haec tardius, id eſt, vt ego interpretor, diligentius adornes: facere non potui per coniunctionem ſtudiorum, amorisque noſtri, quin hac admonitione non nimis verecunda te excitarem. Paullo commotior hac obiurgatione, quamuis amica, videbatur BRISSONIVS. Repreſſa tamen tantiſper indignatione, alio inflexit ſermonem, veritus, ne noua iſta HOTOMANI de vſu iuris Romani ſententia, a qua ipſa erat alieniſſimus, taedioſae diſputationi daret occaſionem. Quare prehenſa ac blande demulſa HOTOMANI manu: atqui hoc iam, inquit, non agimus, HOTOMANE. Eo enim adueneram conſilio, vt hortulum hunc tuum, quo nihil eſt cultius, curioſo oculo luſtrarem, ſimulque per platanona opaciſſimum, in quem per areolam proximam patebat via, defixis in terram oculis, deambulare coepit. Haud parum erubuit HOTOMANVS, ſentiens iam, ſe liberius, quam BRISSONII indoles ferebat, dixiſſe. Progreſſi tamen ambo per viam vmbroſam, & de variis rebus, maxime vero de re publica & temporum calamitate colloquuti, ſuam quiſque animi commotionem, ille indignationem, hic pudorem non inſcite diſſimulabant. At vix viam illam inter eiusmodi fabulas ſemel iterumque confecerant, quum contendentem ad ſe notarent IACOBVM CVIACIVM, cui, tamquam aeui ſui Papiniano, omnes tum iureconſulti veluti faſces ſubmittebant. Eius aduentu in primis recreatus BRISSONIVS, frontem, quam adhuc adſeuerauerat, explicuit, & ad venientem conuerſus: opportune, inquit, aduenis, prudentiſſime CVIACI. Ne enim, quid inter nos actum ſit, ignores, HOTOMANVS hic noſter, quem profecto decebat iuris prudentiae Romanae dignitatem pro virili ſua parte tueri, neſcio quo abreptus errore, abiectius de ea ſentit, eamque vix vllius hodie vſus eſſe contendit. Quum vero tu omnem aetatem in ornanda repurgandaque a tot ſordibus Romana iuris prudentia exegeris: tuum profecto erit, praeſtantiſſimam hanc facultatem ab hac contumelia vindicare, communemque amicum errore pernicioſiſſimo abſolvere. Cui CVIACIVS, delectatus hominis vrbanitate: at noſtra, inquit, cuius tu dignitati conſultum cupis, iuris prudentia, quemquam cauſſa indicta damnari vetat. Quare dum me iudicem adpellas, HOTOMANVS nobis erit exorandus, primum, vt ne me latum a te iudicem eieret, deinde, vt, niſi moleſtum ſit, cauſſam ſuam agat. Nec minus tuum erit, BRISSONI, ei reſpondere, vt facta cauſſae coniectione, ſecundum quem litem dari oporteat, ea, qua par eſt, aequitate cognoſcam. Aſſenſi, omnes culcitras poſcunt, & in platanonis ora adſident *c*. Tum HOTOMANVS, vindicatu-

c) Ἀγὼν, de qua praecipua dialogi parte diximus *part.* II. *cap.* 4. §. 8.

dicaturus BRISSONII indignationem, ita exorſus eſt: ſatis animaduerti, BARNABA ſuauiſſime, non parum te commotum eſſe iudicio meo, quod paullo ante iuſſus de formulis tuis depromebam. Quamquam enim nihil feceram reliqui, ut quanti ego labores tuos faciam, etiam ex iudicio illo meo intelligeres: vel id vnum tamen te mordere viſum eſt, quod ius Romanum paullo minori, quam tu quidem velis, vſui nobis hodie eſſe, exiſtimarem. Id enim ita, meo quidem iudicio, interpretatus es, ac ſi parum honoris veteri illi Romanorum iuris prudentiae detulerim. Verum, vt prius illud non inuitus fateor & prae me fero: ita de poſteriore maximam mihi facis iniuriam. Nunc tu, IACOBE,

quam rem vitio mihi det, quaeſo animaduertito.

Ius Romanum ego, ſi quis alius, ſuſpicio, atque admiror, neque vllum eſſe puto alterius gentis ius, quod cum hoc comparatum non ſordeat. At ſi quis ex me quaerat, credamne legum Romanarum, (nam quae in iure noſtro ex naturali illa aequi bonique diſciplina repetuntur, huc non pertinent,) in Galliae noſtrae foris inſignem aliquem vſum eſſe: tum vero fatebor, mihi alia omnia videri. Quin vt liberalius agam cum BRISSONIO noſtro, non ſolum eſſe, verum etiam eſſe poſſe aliquem eius vſum, negabo. Non magis ſane res publica noſtra ferret leges Romanas, quam veteres illas Moſaicas, quae licet omnes omnium philoſophorum bibliothecas & auctoritatis pondere, & vtilitatis vbertate mihi ſuperare videantur, a re publica tamen noſtra eiusque inſtitutis plane abhorrent. Haec eſt illa ſententia mea, quam an tam aduerſam iuris prudentiae noſtrae dignitati exiſtimes, fac, quaeſo, ex te, CVIACI, intelligam. Tum CVIACIVS ad HOTOMANVM conuerſus: noli, quaeſo, FRANCISCE, committere, vt inuidiam tuam accuſem. Id vero crimen quo pacto, quaeſo, dilueres, ſi intempeſtiuo iudicii noſtri deſiderio in transuerſum actus, nobis praeclaras illas, quae te in eam ſententiam impulerunt, rationes inuideres? Quare, niſi graue eſt, eas, quaeſo, deprome. Longam vero mihi orationem imperas, inquit HOTOMANVS, cui ſi plures depoſcerem clepſydras, id quidem iure meo facerem. Sed in compendium tamen rem mittam, & eundo per pleraſque iuris Romani partes, quam parum Gallica ciuitate donatum ſit, oſtendam. Duae ſunt totius iuris Romani partes, quarum altera ad ſtatum rei Romanae pertinet, altera ad rem cuiusque priuatam perſequendam retinendamque eſt comparata. Publicum illud ius antiquum nullius hodie eſſe vſus, omnes mecum fatebuntur, qui magiſtratuum munera & iura vna cum ipſa re publica mutari, non ignorant. Quidquid ergo Romana iuris prudentia de patriciis & plebeiis, de conſulibus, praetoribus, aedilibus, proconſulibus, praeſidibus prouinciarum, de praefectis vrbi & praetorio, de iuridico ciuitatis Alexandrinae aliiſque dignita-

gnitatibus praecipit, non magis profecto Galliae, quam iura Mandarinorum apud vltimos Seres, conueniunt. De aliis dignitatibus apud nos diſceptatur, id eſt, de iuribus regis, reginae, Delphini, fratrum regis, & eorum appanagii, principum item, baſtardorum regis, Conneſtabili, Parium, Mareſchallorum Franciae, magiſtri regii cubiculi, Admiralii, ducum, comitum, vicemomitum, vicariorum, baronum, item theſaurariorum Franciae, praefectorum fiſci & rationum, cancellarii, magiſtrorum ſupplicum libellorum, Parlamenti, Balliuiorum, Seneſchallorum. Plura huius generis referrem, niſi parcerem BRISSONIO noſtro, cuius aures, Romanae adſuetas elegantiae, tot barbara dignitatum nomina vix ferre exiſtimo. Iam ſcire velim, quid Romanis illis cum noſtris dignitatibus commune ſit? Nihil profecto omnia illa poſſunt rei publicae noſtrae prodeſſe, quae a Romana illa toto coelo, quod aiunt, diſtat. Expendamus, quaeſo, quid in Codice noſtro de iure publico traditum ſit: ſunt ea profecto ab iis, quae in Pandectis legimus, diuerſiſſima. Quam ob rem vero, niſi quod migrante Conſtantinopolin imperio, alia ſubito eſſe coepit rei publicae facies? Quod ſi vero Iuſtinianeo aeuo in ipſo romano imperio ius publicum Romanorum antiquum obſoleuerat: qua fronte illud Galliae obtruderetur, cuius imperium, a Francis conſtitutum, nihil ex eo tempore cum Romano illo vetere commune habuit? Pergere volentem interpellauit BRISSONIVS. Conſulturus enim memoriae, qua paullo minus, quam HOTOMANVS, valebat: ad hanc orationis partem ſeorſum reſpondere maluit. Simulata ergo indignatione:

Semper ego, inquit, *auditor tantum? numquamne reponam?*

Speciosa ſane eſt oratio tua, HOTOMANE, ſed, quod pace tua dixerim, parum ſolida. Numquam mihi dubium fuit, quin alia ſit noſtrae, alia olim fuerit Romanae rei publicae facies, nec ego me in rebus ciuilibus tam puto eſſe hoſpitem, vt cuique imperio ſuas dignitates ſuaque iura publica eſſe ignorem. Verum cogitanti mihi de ciuitatis Romanae facie, obuerſari videtur perfecta aliqua numeriſque omnibus abſoluta rei publicae imago, ex qua Galli non minus quam aliae gentes capere poſſint regnatricis prudentiae exemplum. Multa recenſuiſti barbara dignitatum noſtrarum nomina: ſed quid prohibebat, quo minus Franciae Mareſchallos, praefectos praetorio; duces, praeſides prouinciarum; theſaurarios Franciae, quaeſtores; praefectos fiſci, comites ſacrarum largitionum; Parlamentum ſenatum adpellares, niſi data veluti opera barbarus videri voluiſſes? Eadem fere ſunt veterum illarum noſtrarumque dignitatum munera, eadem propemodum iura, vt, ſi verum fateri velis, nominibus tantum differre videantur. Quae in orbe Romano imperatoris, eadem regis in Gallia noſtra iurisdictio eſt. Quam parum deinde differunt, Auguſtarum & reginarum, Caeſarum & Del-

Delphinorum iura? Quid porro? an non in Conneſtabilis & Mareſchallis noſtris veteres illos praefectos praetorio renatos intelligis? Idem de reliquis videtur ſtatuendum. Iam vide, quaeſo, HOTOMANE, quo pacto CVIACIO huic perſuadere coneris, iuris iſtius publici Romani nullum apud nos vſum omnino ſupereſſe. Ego vero non ſupereſſe aliquem vſum nego, inquit HOTOMANVS, ſed nullum vmquam fuiſſe contendo. Totum imperium noſtrum non a Romanis, ſed a Francis, horum victoribus conſtitutum eſt: nec ea in re Romanorum, ſed ſuos mores atque inſtituta ſequuti ſunt. Quum ergo leges illae de officiis & dignitatibus non Francis, ſed orbi Romano datae ſint: qui fieri poteſt, vt quasdam earum legum, quae numquam in Franciam penetrarunt, reliquias domi noſtrae quaeramus? Parum profecto ad rem facit, quod inter Romanas noſtrasque dignitate ſimilitudinem, quamdam deprehendere tibi videris. Si enim id ſufficere arbitramur, quid prohibet, quo minus & Sinenſium iura publica in Francia noſtra ciuitate donata ſtatuamus? Non difficilius ſaltim fuerit, ſimilitudinem quamdam inter Sinenſium Mandarinos Paresque Franciae, quos vocamus, quam inter Mareſchallos noſtros veteresque praefectos praetorio obſeruare. Verum peroraſſe mihi videor cauſſam, quod ad iuris prudentiam publicam attinet, nec ipſum BRISSONIVM tam ex animi ſui ſententia, quam ingenii mei exercendi cauſſa arbitror haec in medium attuliſſe. Quare ſi quidem vobis ita videbitur, priuatorum etiam iurium vſum expendam. Tum CVIACIVS: Ita vero, inquit, mihi videtur, & quidem maxime. Neque enim res erit magnorum laterum, vt mihi, quae adhuc dixiſti, perſuadeas. Diu enim eſt, ceu ipſe nouit BRISSONIVS, quod publici Romanorum iuris vſum in Francia nullum eſſe agnoui. Quare ſi eo me animo adpellauit iudicem, vt ea in re ſecundum ſe litem darem: vereor, ne eum conſilii poeniteat. At de iure priuato quid ſtatuendum ſit, nondum liquet. Quare dabis id opinor, amicitiae noſtrae, vt de eo potiſſimum nobis ſententiae tuae rationes ea, qua ſoles, dexteritate explices. Profecto ne BRISSONIO quidem id graue futurum, fretus eius humanitate, credere te, HOTOMANE, fide mea iubeo. Ego vero, inquit HOTOMANVS, id nec tibi nec huic BRISSONIO credo, niſi more Quiritium promiſeritis. Tune ergo, BRISSONI, aequo animo feres, me ea de re loquentem? Feram, inquit BRISSONIVS. Et tu, CVIACI, pergit HOTOMANVS, id me credere fide tua iubes? Oblectauit CVIACIVM viri vrbanitas. Protinus ergo reſpondit: ſe iubere, conuerſusque ad BRISSONIVM: vides, inquit, quo loco ſimus apud HOTOMANVM. Quia enim nos iuri Romano haud parum tribuere intelligit, non minus caute nobiſcum agit, ac ſi cum rabulis quibusdam, in medio foro Romano ſibi obuiis, res eſſet. Quaſi vero, inquit BRISSONIVS, hoc tempore opus eſſet iſtis ambagibus, nec hodie quaeuis pacta, nulla licet interpoſita ſtipulatione, rata haberentur. Tum HOTOMANVS: video me iam multum laboris hac ſtipulatione

tione compendii feciſſe. Hac vna enim ſollemnitate, quam modo BRISSONIVS euanuiſſe fatebatur, vniuerſae, quam agendam ſuſcepi, cauſſae haud parum lucis acceſſurum ſpero. Ex verbis naſci obligationem, non primum nos vel leges XII. tabularum, vel ius illud Flauianum, verum ipſa natura ac ſempiterna ratio docuit. At vero, quod obligatio illa inutilis ſit, niſi certa quaedam formula ſtipulandi conceptioque verborum interceſſerit, id vero Romanorum patriciorum commentum eſt. Quare illud apud nos quoque viget, non quia Romanis legibus demum cautum eſt, vt ſua quisque promiſſione teneatur, ſed quia id ex ipſo naturali iure hauſimus. At Romanas illas ambages, ad decipiendam plebem comparatas ideo non recepimus, quia Romana ſunt, hoc eſt, non publici ſaporis inſtituta. Iam ſi per vniuerſam iuris prudentiam Romanam eas, BRISSONI, idem, quod iam de ſtipulatione obſeruauimus, vbique deprehendes. Fere enim nihil, niſi quod ipſis naturae legibus ſtabilitur, in fora noſtra receptum, reliqua vero omnia, quae a Romanis inuenta accepimus, cum ipſa Romana re publica exoleuiſſe, intelliges. Noſti, BRISSONI, tria eſſe ſumma capita, ad quae vniuerſum ius Romanum, ipſius Triboniani iudicio, poſſit reuocari. Omne enim ius aut in ſtatu perſonarum, aut in rerum qualitatibus, quas vocant, adquirendoque dominio, & obligationibus, aut in actionibus inſtituendis excipiendiſque verſatur. Perſonarum prima apud Romanos diuiſio in liberos & ſeruos diducebatur. Hinc innumerae veterum iureconſultorum diſputationes de iure libertatis, de ritibus manumiſſionis, de diuerſa conditione libertinorum, de iure & auctoritate, quam domini retinebant ſeruo manumiſſo, quam ius patronatus nominabant, de colonis, ſtatu liberis, & ſexcentis huius generis quaeſtionibus. Iam cogita, quaeſo, quid vtilitatis nobis in forum prodeuntibus adlaturus ſit ingens & continuus ille labor, qui huic iuris parti addiſcendae inſumendus eſt. Apud nos ſeruilis conditionis hominum aliis pro dominorum arbitrio penſio imperatur, alii certam ſoluunt, alii manus mortuae eſſe dicuntur, alii matrimonium libere non contrahunt. Quae omnia quantum a Romanis inſtitutis remota ſint, nemo non intelligit. Quid iam dicam de patria poteſtate Romanorum? Habebant Romae patres liberos paene ipſis mancipiis ſubiectiores, adeo, vt & vendere eos & pignori dare, & quidquid adquiſiuiſſent, vel ſuum facere, vel in alios transferre poſſent. Quin? ſi quid contra officium admiſiſſent liberi, quo ſupplicio in eos eſſet animaduertendum, penes patres, tamquam reges quosdam domeſticos, erat arbitrium. Horum nihil in Gallia noſtra auditur. Romanorum commentum erat illa patria ciuium maieſtas: adeoque illud cum ipſa Romana ciuitate exſpirauit. Nos eo iure vtimur in liberos, quod ius naturae ac gentium non patribus, ſed parentibus, indulſit. Vnde & illos emancipationum ritus, quia a Romanis ſunt inuenti, non magis a Francis adoptatos reperimus, quam genera illa nuptiarum, adoptionum ac legitimationum,

num, de quibus tam ſubtiles exſtant in corpore Iuſtinianeo diſputationes. Idem concedendum erit de tutelis, ex lege Atilia & Iulia Titia, nec non parentum, fiduciaria, patronorum. Quis vmquam dixerit, tutores apud nos ex iſtis legibus dari? Pupillis praeeſſe debere, qui educationis bonorumque in ſe curam ſuſcipiant, ipſa docet aeterna illa lex ac ratio, quam e natura ipſa adripuimus, hauſimus, expreſſimus. Quaecumque vero Romani cauerunt, veluti, vt certis tantum magiſtratibus ius eſſet, tutores ex legibus dandi: vt tutores praeſentes certa formula auctores fierent, quoties quid a pupillo agendum eſſet: vt ſi parum ex fide gererent, ab vnoquoque ciuium in ſuſpicionem adduci & ad praetorem deferri poſſent: ea omnia, tamquam Romana inſtituta, ad nos haud pertinent. Hinc apud nos quidam ſunt cuſtodes, quidam legitimi, & in cuſtodibus quandoque nobilis, quandoque ciuilis eſt cuſtodia: quae omnia dici non poteſt, quam longe abſint a Triboniani diſciplina. Venio ad alteram iuris priuati partem, quae de iure rerum praecipit. Multa hic in legibus Romanis prudenter ac prouide eſſe ſtatuta de adquirendo rerum dominio, de ſucceſſione ab inteſtato, de contractibus item ac obligationibus, quis negauerit? Sed pleraque ita ſunt comparata, vt ad ſempiternae illius legis normam, tamquam ad Lydium lapidem, compoſita videantur. Hinc quod iſta in Gallia noſtra vigeant, adeo non mirum eſt, vt, ſi non vigerent, eſſet quam maxime mirandum. Vigent enim etiam pleraque in Turcia & poſitis ſub alio ſole regnis: quo vix fama quaedam iuris Romani vmquam penetrauit. Verum his in rebus multa addiderunt Romani, varia praecipientes de rebus mancipi & nec mancipi, de diſcrimine agnatorum, gentilium, cognatorum, de bonorum poſſeſſionibus, de ſtipulationibus, contractibus bonae fidei & ſtricti iuris, quae ne audiuntur quidem in foris noſtris, indicio certiſſimo, ea in Gallia non magis, quam Turcica iura, eſſe recepta. Alia ſunt, quae in iudiciis noſtris crepari audimus, veluti appanagia, vaſallagia, *d'héritages cotiers, ou ſurcottiers, des droits ſeigneuriaux, de iuſtice directe, cenſiue, reconnoiſſance*, & his ſimilia. Iam finge, BRISSONI, excellentiſſimum aliquod ingenium, quale in CVIACIO hoc noſtro admiramur, eo diuturna exercitatione perueniſſe, vt iura Romana non minus adcurate teneat, quam aut Cato, aut Scaeuola, aut Sulpicius. Si illud hac ſola ſcientia inſtructum in illud iudiciarium tuum regnum, aut aliud Galliae forum veniret; nonne ſibi, his auditis, in alio terrarum orbe pedem poſuiſſe videretur? Reliquae ſunt actiones. Sed de his plura addere nihil attinet. Vno enim, vt ita dicam, verbo rem omnem confeciſſe videbor, ſi nihil, quod ad nos faciat, in tota illa iuris prudentiae Romanae parte contineri dixero. Si quis tibi, BRISSONI, qui ſupremo Galliae foro tam diu praefuiſti, formulam actionis e libello tuo formularum, tamquam e praetoris albo, occineret, an tu, quaeſo, eum ſanae mentis crederes? Sin vero de modo atque ordine iudiciorum quaeritur, is nobis ne ſa-

tis quidem hodie notus ac perſpectus eſt, tantum abeſt, vt eum in regno noſtro ſequamur. Quae quum ita ſint, nec te, BRISSONI, nec hunc, quem mihi iudicem tuliſti, CVIACIVM dubitaturum arbitror, quin abſolvendus ſim a ſuſpicione illa, in quam tu me, ſententia mea non ſatis intellecta, adduxeras. His dictis, ſilentium ſequutum eſt, & BRISSONIVS, cui iam fuiſſet pro ſe dicendum, de iis potius, quae ab HOTOMANO in medium prolata fuerant, quam quae ipſe eſſet prolaturus, meditari videbatur. Tandem tamen, pudore ad dicendum adactus: Video, inquit, te, HOTOMANE, tanta orationis ſententiarumque vbertate cauſſam dixiſſe, vt mihi tam diſerti aduerſarii ingenium non minus, quam Ciceroni olim Hortenſii eloquentia, timendum videatur. Verum vt iuris prudentiae noſtrae cauſſam deſeram, eamque e foris noſtris exulare exiſtimem, fateor me oratione tua, quantumuis erudita, nondum adduci. Multis verbis poſſem pleraque, quae ab vſu receſſiſſe ais, temporibus ac foris noſtris vindicare: ſed paucis ſelectiſſimisque exemplis iuris Romani vſum hodiernum oſtendere malo. Quid tibi videtur, HOTOMANE, de toto teſtamentorum iure? illudne tibi Romae natum videtur? An vero Romae illud notius eſſe potuit, quam hodie eſt in Gallia noſtra? Quid dicam de ſubſtitutionibus, de legatis & fideicommiſſis, de codicillis & iis, quae ex iſto iure naſcuntur, actionibus? Quid his in foro noſtro auditur frequentius? Plura omnino iuris Romani capita exoleuerunt, fateor, (& quidni exoleuiſſent, quum iam imperatorum veterum aetate multa vetera Romanorum inſtituta euanuerint?) ſed omnia tamen receſſiſſe ab vſu, id quidem nec ego vmquam, nec hic, quem iudicem adpellaui, CVIACIVS concedemus *d*. Vtriusque iam ora erant in CVIACIVM conuerſa. Sed hic prudenter declinaturus ſententiam dicendi officium; Si mihi iudici, inquit, adſeſſores quidam aut decemuiri litibus iudicandis adeſſent: dicerem iam: DIXERVNT, diuiderem tabulas, adſeſſores mitterem in conſilium, diremtisque ſuffragiis aut abſoluerem te, BRISSONI, aut condemnarem. Verum quum ita diſſeruerit vterque veſtrum, vt ex incerto me paene reddideritis incertiorem: vtar iure meo, vetusque illud: NONDVM LIQVET pronunciabo. Adiuuit tergiuerſantem CVIACIVM fortuna. Defecerat enim inter confabulandum dies, acceſſeratque HOTOMANI ſeruulus, optimam hanc eruditiſſimorum hominum trigam vxoris nomine ad coenam inuitaturus. Quare, pacti inter ſe nouam ea de re diſputationem, conſurrexerunt, & progreſſi in aedes, frugalique excepti coena, multam noctis partem ſuauiſſimis ſermonibus exegerunt.

d) Epilogus, quae vltima pars dialogorum qualis eſſe debeat, diximus *part.* II. *cap.* 4. §. 8. 9.

XVII.

XVII.

INSCRIPTIO

STILO LAPIDARI CONFECTA.

D. M.
MORTALE. QVIDQVID. HABVIT.
HEIC. DEPOSVIT.
RAPH. LAMONIVS.
PVER. VENVSTVLVS. ET. GRATIIS. IPSIS.
AMABILIOR.
VIX. ANN. V. MENS. III.
SI. VITAM. QVAERIS. PAVCA. CAPE.
NON. FVIT. FVIT. NON. EST. ERIT.
SIC. VITA. TRVDITVR.
HAEC. SCIRE. TVA. INTERFVIT.
VIATOR.
IAM. IN. REM. TVAM. ABI.
FILIO. SVAVISSIMO.
MOESTISSIMVS. PATER.
L. L. Q.
POSVIT.

XVIII.

INSCRIPTIO

STILO RECENTIORE ELABORATA.

Expia omen,
audies infauſtum nomen
FAVSTI SOCINI
quem vixiſſe non magis expedit, quam
viuere.
Si patriam quaeris: Italia eſt,
cuius antiquos colonos imitatus, ſcelere
ſuperauit.

Italia terris; hic coelo, leges praeſcribere
auſus eſt.
Illa de tribus terrae partibus: hic de tribus
Deitatis perſonis triumphum
adfectavit.
Cui ipſe humanitatem debebat, eius
diuinitatem,
cui redemtionem; eius redimendi virtutem,
nefario, ſine dubio, auſu, in dubium
vocauit.
Tantum ingenium erat puero,
vt puer ſenex videretur.
At turbato ordine, ſenex puero magis
deſipuit,
doctus futurus, ſi minus didiciſſet.
A iurisprudentia auſpicatus inſaniam,
leges, quas violaturus erat, didicit;
fortaſſis, vt tanto argutius litigaret.
Inde ſacras litteras ſcrutatus eſt,
verum, vt aper vineam,
proculcaturus, quibus frui potuiſſet.
His inſtructus ſubſidiis,
cum veritate bellum gerere coepit:
quumque Cainum nulla ferret regio,
demum in Sarmatia delituit, at non latuit.
Libellis enim variis
ea ſparſit ſemina,
quae in infauſtum ſuccreuere lolium.
Id vnum laude dignum,
quod morari denique inter homines deſiit.
Tu, lector,
quod felix, fauſtumque ſit;
infauſtos Fauſti errores,
ſi vita tibi curae eſt, vita.

XVIIII.

DECLAMATIO.

SI exacta demum, qua adhuc paene obtorpuimus, inclementiſſima hieme, nihil aliud voluptatis ac ſolatii amoenior haec anni temperies nobis adferret, quam vt TVO, REX POTENTISSIME, exoptatiſſimo adſpectu perfrui, TEque, huius vrbis tecta cum ſplendidiſſimo comitatu ſubeuntem, fauſtiſſimis adclamationibus excipere iam liceat: tanta profecto noſtra haec futura eſſet felicitas, vt ea omnes *priſtinae aeris hiberni iniuriae* facile penſari vnicuique noſtrum viderentur. Quemadmodum enim, vbi ſol, conuerſo in boream flexu, diem ſpargere coepit meliore coma, omnia illico recreari, refoueri, reuiuiſcere, & ex diuturno veluti ſopore excitari, animaduertimus: ita idem euenire ſolet bonis ciuibus, ſaluum conſpicientibus optimum principem, ſacrumque eius venerantibus vultum, & ipſam manum, quae regnorum gentiumque fata diſpenſat, religioſis oſculis libantibus. Quis enim eo conſpectu multo iucundiſſimo non magnopere delectetur? quem non noua ſpe, nouaque veluti vita animet os illud venerandum, a quo nemo vmquam triſtior diſceſſit? Quo denique aduenire poteſt natus in regnorum ſalutem princeps, vt non nouo omnia lumine colluſtret, nouo calore reficiat, & noua paſſim, eaque expreſſiſſima relinquat infatigabilis ſollicitudinis ac prouidentiae ſuae veſtigia? Quis igitur miretur incredibilem illum hominum concurſum, quem in publico illo ingreſſu TVO fieri cum ſtupore vidimus? Nullius fuit tam prouecta ac praecipitata aetas, quem non aduentus TVI fama in publicum proliceret. Nullius tam adfecta valetudo, cui non tantum virium ſufficeret laetitia publica, vt lectulo crepere, & vel per feneſtram TE ſpectando fructum oculis capere vellet. Vidimus omnis ordinis, ſexus, aetatis homines non incondito clamore, ſed calidiſſimis votis, TE, quacumque pergebas, proſequentes. Vidimus ipſis tectis ac columnis inſidentia iuuenum puerorumque examina: parentes, paruulis ſuis, quos inhaerentes ceruicibus circumferebant, blandiſſimas voces praeeuntes, oſtentanteſque communem patriae parentem, vix proprium ſatis noſcentibus: omnes denique ciues TVOS in preces & vota ſolutos: quin & peregrinos, quos fortuna eo tempore ad nos aduexerat, communi ciuium TVORVM laetitiae prae laetitia liberaliter illacrymantes. Haec ergo ſola ſi in hoc auſpicatiſſimo aduentu TVO, DOMINE LONGE CLEMENTISSIME, cogitaremus: ea

profecto ita magna nobis viderentur, vt dignum illum diem, qui in faſtis noſtris notaretur, merito iudicaremus, imitatique Romanos, auro argentoque, tamquam futurae felicitatis augurium ſignandum arbitraremur ADVENTVM PRINCIPIS. At ſunt profecto his longe maiora, ad quae vulgi caligant oculi, & quae in principum ſuorum profectionibus atque itineribus illi ſoli mirantur, qui aliquo rerum ciuilium vſu praecellunt, quamque cum vtilitate totius reip. illa coniuncta ſint, paullo accuratius, adhibita in conſilium ratione, rimantur. Quae ſi breui oratione pandere conabor, publicae huius laetitiae interpres a Senatu collegioque noſtro deſignatus: me id bona cum ſplendidiſſimi huius auditorii venia, facturum, non tantum ſpero, ſed & certiſſime, ſi non fallax eſt mentis praeſagium, confido.

EZ. SPANHEM. *de vſu & praeſt. numiſm.*

Quos olim apud Chaldaeos, Babylonios, Medos, Perſas, alioſque barbaros ad regii nominis faſtigium vel fortuna, vel ciuium fauor prouexerat: ii in eo permagnum ad ſui venerationem poſitum eſſe momentum exiſtimabant, ſi numquam regia, rarius palatio excederent, & a nemine vmquam niſi a primae admiſſionis adminiſtris & exploratae fidei cubiculariis conſpicerentur. Tanto enim ſe maiori venerationi omnibus futuros, exiſtimabant, quanto minus ſui conſpiciendorum copiam vlli mortalium, niſi a ſe vocato, facerent, Deorum immortalium inſtar, quos ſolo animo ac intellectu homines venerarentur. Nam ſicuti humili ac tuta conſuetudine euileſcere etiam quod in excelſo faſtigio poſitum eſt, ipſumque adſpectum minus verendos ipſa ſatietate facere animaduertimus: ita reges illi veluti e medio ſecedentes, vitato adſiduitatis ſtudio, auctoritatem abſentia tuebantur. Hinc ſi quid cum regibus iſtis agendum eſſet: id per internuncios fieri oportebat: & ſi cui adeundi daretur copia iis per mille ſpadonum agmen, ſubmiſſo in terram vultu ad regium cubiculum, tamquam ad adytum aut delubrum erat prorependum, & proſtratis in terram corporibus adoranda maieſtas, quam vel vidiſſe propius, piaculum videbatur. Hoc vero more nihil fingi potuiſſe abſurdius, omnibus ſemper viris cordatioribus, rerumque ciuilium peritioribus, viſum eſt. Neque enim adſpectus quidquam venerationi boni principis detrahit, neque ei quidquam accedit per ſolitudinem. Vti enim ideo non venerabilior fuit Tiberius, quod integra aetate ac valetudine Capreis, tamquam in quadam lupanari deliteſceret: Nec Domitiano ideo, quod certis horis ſecretum caperet, & muſcas ſtilo configeret, ipſa raritas admirationem conciliauit. Metus plerumque eſt, qui malos principes palatio ſuo, tamquam carceribus clauſos tenet. Timent enim illi a quibus timentur: &

HERODOT. *Lib. I. Cap. 99.* IVSTIN. *Lib. I. Hiſt. Cap. 9*

SVET. in *Tiber.*

SVETON. in *Domit.*

& metus, quem omnibus incutiunt, ita in auctores redit, vt non putent ſe vſquam niſi in palatio ſuo quidem ſecuri tuta omnia vereantur. Hanc vero cauſſam procul habet bonus princeps, qui in oculis ciuium, & in ipſa acie non magis periclitatur, quam intra palatii ſui vmbram, ſed tuto in cuiuſuis ciuium ſuorum gremio requieſcit. Ecquis enim illum non oculis ipſum haberet cariorem? Ecquis tam eſſet officii ſui immemor, vt non eum laterum ſuorum obiectu protegat, cuius ſalute communem omnium ſalutem contineri, non ignorant? Recte itaque illi ac ſapienter, qui iam pridem ſolidiſſimis demonſtrarunt argumentis, tanto rectius ſe habere imperium, quanto frequentius omnes eius partes a bono principe obeantur luſtrenturque. At tria potiſſimum ſunt, in quibus ſe eximia prodit illius luſtrationis prouinciarum vtilitas. Primo enim ipſa principis praeſentia excitat omnes, quibus quaedam reip. partes creditae ſunt, vt tanto ſanctius fungantur officio, quanto turpius eſſe iudicant, peccare ſub principis oculis, eumque non modo vindicem, ſed & ſpectatorem ac teſtem malorum facinorum habere. Vetus hoc rei ruſticae praeceptum eſt, in propinquo agrum mercandum, quo & frequenter dominus veniat, & frequentius ſe venturum, quam ſit venturus, denunciet, ſub hoc enim metu, cum familia villicum in officio eſſe futurum: quum contra peſſime mulctetur ager, cuius dominus, quid in eo faciundum ſit, non doceat, ſed audiat ex villico. Quid vero aliud reſpublica eſt, quam villa quaedam maxima? quid aliud principum adminiſtri, praefecti & magiſtratus, qui vbique illam adminiſtrant, quam villici & actores, qui principis ſui, tamquam patrisfamilias rem ſuo quiſque loco curant? Quid vero his maiores ſubiiciat igniculos ad res praeclare gerendas, quam praeſentia principis, cui cari, cui probati eſſe cupiunt, cuius adſpectus vel praua cogitantes rubore ſuffundit? Iam ſi ex hac ſcholae vmbra in lucem & militiam caſtrenſem conuertere licet oculos, quos exempla nobis ſufficiunt annales, integras acies non modo ſuſtinuiſſe, ſed & ſaepenumero reſtituiſſe praeſentes principes? Macedones olim bello ab Illyriis paene proſtrati, demum rege ſuo Aeropo prolato, & in cunis pone aciem poſito, tam acriter certamen repetiuerunt, & magna caede funderent Illyrios, oſtenderentque priore bello regem Macedonibus, non virtutem defuiſſe? Quoties quaeſo Alexander M. hoſtibus in ſe tamquam vbique profligatum ferociter incurrentibus, labaſcentem aciem ſolus alacri illo vultu ſuo reſtituit? Quoties milites territos caſtigando, adhortandoque praelium, quod elanguerat, accendit? Nimirum ſuum quiſque principem teſtem ac ſpectatorem virtutis ſuae habere deſiderat: eo

IVSTIN. *Lib. VII. Cap. 2.*

CVRT. *Lib. IIII. Cap. 15.*

 prae-

praeſente ignauum eſſe, piaculum; eo ſpectante occumbere egregium ducitur, neque temere quemquam ſegnem eſſe patitur principis, iuſtiſſimi meritorum aeſtimatoris ac brabeutae praeſentia. Nihil eſſe ſolet aliena fide fallacius: ac proinde ii demum feliciſſimis imperant auſpiciis, qui alienis potius ingeniis manibuſque, quam oculis atque auribus, in adminiſtrando imperio vtuntur: vti autem ſuis oculis auribuſque ii demum poſſunt, qui aliquando, ac veluti per vices temporum relicta regia, veniunt in rem praeſentem, & tam coram omnia contemplari, quam videri a ciuibus geſtiunt. Equidem ſi eamus in annales, veteremque omnis aeui memoriam repetamus, non ſemper laetum ac ſalutarem fuiſſe ciuibus principum aduentum, comperimus. Funeſtiſſimum fuit L. Veri Imperatoris iter per Romanas prouincias, cuius id fatum fuiſſe ait IVLIVS CAPITOLINVS, vt in eas prouincias omnes per quas redibat Romam vſque peſtilentem luem deferre videretur. Nec magis laetum illud Maximiani Imp. iter per Italiam fuiſſe accepimus, de quo grauiſſimus eorum temporum ſcriptor: Vaſtata, inquit, ea pars Italiae eſt, quo peſtiferum illud agmen inceſſit, expilata omnia, mulieres corruptae, violatae virgines, extorti parentes & mariti, vt filias & coniuges proderent: abactae, tamquam de barbaris, praedae pecorum ac iumentorum. Hoc modo ſe ad ſedes ſuas recepit Maximianus, quum Romanus quondam Imperator, nunc populator Italiae, hoſtiliter omnia vexaſſet. At aliud eſt bonorum principum, luſtrantium prouincias ſuas conſilium. Neque enim id ea intentione faciunt, vt locum mutent animi cauſſa, voluptatibusque indulgeant, aut eluuionem inferant ciuium bonis, ſed vt vbique ſollicitudinis ac prouidentiae ſuae monimenta perpetua relinquant. Bono patrifamilias, cui aliquando ruſticari libet, nihil maiorem affert voluptatem, quam ſi quid, quod ad agelli ſui vtilitatem pertinet, reperiat, vel aliud, quod noxium illi videatur, prudenter poſſit emendare. Iam ergo excurrit in agrum, & ſicubi forte aquarum vis ſulcos fecerit, eas extergendas, & complendas, foſſasque, per quas eluuio defluat, ducendas curat, iam in hortico negotioſus, in locum demortuarum arbuſcularum alias plantari, in alias iam adultas ſurculos inſeri, in aliis ſilveſcentem ramorum luxuriam coerceri, alias nuper plantatas, & ventorum vi incurvatas pedamentis ſtabiliri, purgari porro areolas, atque infelix lolium vbique euelli iubet. Iam, ſi quid vitii praetorium fecerit, vel tegulae ex horreis ac ſtabulis defluxerint, vel in inſtrumento fundi aliquid vetuſtate ac vſu detritum ac corruptum ſit, omnia vt quam primum in integrum reſtituantur, dat operam. Denique omnia, quae reliquorum oculos emiſſi-

IVL. CAPITOL. in eius vita Cap. 8.

LACTANT. de mort. perſequut. Cap. 27.

miſſitios fugerant, ipſe ſolus videt, quem veterum non nemo centum oculos habere ait, paterfamilias. Idem agit, dum prouincias luſtrat, bonus princeps: ubique quod vel emendationem deſideret, vel quod ad maiorem perfectionem prouehi poſſit, animaduertit, neque vmquam, quam dum ocium hoc ſibi indulget, ocioſus eſſe ſolet. Reperit alibi, quae de iure religioſus dicendo ſaluberrime conſtituat: alibi de re nautica, quod e republica videtur, praecipit: eſt vbi laxior diſciplina militaris principis prouidentiam exigit. Vbique vero eum diſtringit cura religionis, reipublicae litterariae, commerciorum, artium atque opiſiciorum, quae vt florentiora ſint poſt diſceſſum ſuum, quam antea fuerant, nihil omnino reliqui ſibi in ſeceſſu illo itinerario facit. Proditum memoriae eſt, in Auguſtum forte Puteolanum ſinum praeteruehentem vectores ac nautas de naui Alexandrina coronatos, ac tura libantes fauſtiſſima haec omina ac laudes eximias congeſſiſſe: PER TE VIVIMVS, PER TE NAVIGAMVS, PER TE LIBERTATE AC FORTVNIS FRVIMVR. Eaſdem laudes vbique audit bonus princeps, ſi qua vrbe, quam aduentu ſuo exhilauerat, excedit. Sexcentis, aut innumerabilibus potius fauſtis adclamationibus eum proſequuntur, non modo nautae, & vectores, ſed omnium ordinum ac profeſſionum homines, qui ſe per illum viuere, per illum militare, per illum vacare litterario ocio, per illum nauigare, negotiari, artem facere, quin libertate, ac fortunis frui, laeti laetitiis omnibus, profitentur. Tanto cum bonorum cumulo coniunctus eſt aduentus boni principis, quem iter facientem vbique virtutem ac prouidentiam comitari, diſcedentem felicitatem temporum ſubſequi iure meritoque dixeris. Nemo itaque mirabitur, Hadriani imperium nihil aliud paene, quam perpetuam peregrinationem, inſpectionem prouinciarum fuiſſe. Neque magis cuiquam mirum videbitur, veteres illos heroas, quibus plurimum debet orbis Chriſtianus, Carolum Magnum, aliosque ſaeculis omnibus memorandos principes non in palatio ſuo conſenuiſſe, ſed omnes prouincias ordine obeuntes modo huic, modo alii genti praeſentiam ſuam indulſiſſe, iamque alibi ius diligentiſſime dixiſſe, iam alibi in caſtris excubaſſe pro ſecuritate imperii, iam cum optimatibus conſultaſſe de republica, vt quemadmodum coeleſtia ſidera numquam vno loco ſtare, ſed infatigabili motu circa orbem noſtrum rapta modo hanc modo illam terrarum partem influxu ſuo feliciſſimo beare videmus, ita maximi illi principes nulli ſe imperii ſui parti ſubduxiſſe, ſed vbique diſpenſaſſe felicitatem publicam videantur. Enimuero ſi nullam aliam vtilitatem ex illa prouinciarum luſtratione caperent principes, quam quod ciuium in ſe ſtudia, merita, ingenia,

PHAEDR. *Lib. II. fab. 9. v. 18.*

SVETON. *in Aug. Cap. 98.*

SPART. *in vita Hadr. Cap. 10. ſequ.*

ADLZREITER. *Annal. Boi. Lib. VII. §. 85.*

ſuſceptosque pro publica ſalute labores in iſta peregrinatione propius inſpiciant ac penitus pernoſcant, vel illa tanta eſſet, vt maior vix exoptanda videatur. Principis eſt virtus maxima, noſſe ſuos, veterum quidam recte ac prudenter dixit. Qui enim fieri poteſt, vt inter tot ciuium myriadas iis quemque reipublicae partibus, ad quas idoneus, ac veluti a natura factus ſit, adhibeat, niſi de omnium virtute, doctrina, meritis, rebuſque vel praeclare vel perperam geſtis, ſatis conſtet. Et qui conſtare poſſet, ſi princeps numquam egrediatur cubiculo ſuo, nec quemquam hominum ciuiumque ſuorum, niſi purpuratorum ſuorum, tamquam nomenclatorum, indicio noſſet. Memorabilis ac merito admiranda fuit illa regum Perſarum ſollertia,

Eph. VI. IOSEPH. *Lib. XI. Cap.* 2. 3. BRISSON. *de regno Perſ. Lib. I.* §. 229. *ſequ.*

quod, quaecumque a quouis etiam priuato geſta, non modo illuſtria ac laude digniſſima, verum etiam foeda inceptu, foeda exitu, in commentaria publica & annales referri, eaque ſibi vel ocioſis, vel ſomnum noctu non capientibus praelegi vellent, non vt voluptate ſola inde permulcerentur, nec vt his, tamquam fabellis audientibus ſomnus eo facilius obreperet; ſed vt virorum bene vel male de ſe meritorum res geſtas in memoriam ſibi reuocarent, bonos praemiis ornarent, malis dignas eorum facinoribus poenas irrogarent, illis ad alias res praeclare gerendas vterentur, hos a republica adminiſtranda ſubmouerent, adeoque in omni honorum, dignitatum, munerumque genere, non niſi viros probos, & quorum ſibi perſpecta eſſet fides atque induſtria, reperirent. Quantumuis vero ſingulari quadam ac praecipua laude dignum videatur hoc Perſarum inſtitutum: non tamen illi maximorum principum notitiae, quam ſibi, inſtitutis per prouincias itineribus ipſaque vſu & experientia pepererunt, vlla ex parte eſt comparandum. Ipſi qui olim ad hiſtoriam ſcribendam adpellebant

PLAVT. *Menaechm. Act. II. ſcen. I. v.* 23. GER. IO. VOSS. *in Arte hiſt. Cap.* 9. *p.* 15. *Tom. II. Oper.*

animum, vix operae pretium ſibi facturi videbantur, ſi ea, quae vel ex aliis audiuiſſent, vel in commentaria legiſſent relata, verbis ornatiſſimis referrent, niſi ipſi per maria ac terras peruagati, eas prouincias, vrbes, montes, flumina, vbi res, quas ſcripturi eſſent, geſtae dicerentur, ipſi adiiſſent, omniaque ſuis oculis luſtraſſent. Ad quas moleſtiſſimas profectiones ſuſcipiendas quid eos impulit aliud, quam quod magis fidos eſſe oculos, quam aures hiſtoricorum exiſtimarent? Et ita ſane res comparata eſt. Facile in annales referuntur cuiusuis actiones, rerumque euentus, at difficilis eſt ingeniorum humanorum, conſiliorum, ſtudiorumque notitia, & quam non temere alius, niſi qui homines viderit & coram perſpexerit, ſibi comparabit. Quamobrem

SEN. *Quaeſt. nat. Lib. II. init.*

quantum intereſt inter annalium ſcriptorem, qui multa mentibus ad arbitrium ſuum, vtram rem non vult ſpondere, ſed adiicit, penes auctores ſit fides, & illum, qui rebus, quarum texit hiſtoriam, vel

ipſe

ipſe interfuit, vel ſaltim coram omnia oculis vſurpauit, idem diſcrimen deprehendunt viri rerum ciuilium periti, notitiae hominum, per aliorum ſermones & per vſum ac conſuetudinem quaeſitae, ac proinde merito vniuerſo orbi admirationi eſt princeps, qui luſtratis ſubinde prouinciis, id conſequutus eſt, quod de Hadriano Caeſare memoriae proditum eſt, vt nomina pluribus ſine nomenclatore reddat, & omnes, quorum in ſe aliqua merita exſtarent, noſſet, & ſine vllius admonitione nominibus ſuis compellat: vel quod de Troiae domitore, Vlyſſe praedicat Homerus, qui SPART. in ei. vit. Cap. 20.

multorum prouidus orbes
Et mores hominum inſpexit.

HOMER. *Odyſ. A. v.* 2. HORAT. *Lib. I. Epiſt.* 2.

At vereor profecto, ne cui iuſto videar loquacior, qui ex interioris prudentiae ciuilis praeceptis de fructu ex itineribus aduentuque principis capiendo tam fuſa ac taedioſa forſan oratione diſſeram. Vbi enim res ipſa loquitur, quid opus eſt verbis? Quum nobis ob oculos verſetur incomparabile POTENTISSIMI REGIS noſtri, domini longe clementiſſimi exemplum, in quod, tamquam in abſolutiſſimam boni principis imaginem vnuſquiſque poteſt coniicere oculos: quid praeceptis opus fuerit? Ex quo imperio potitus eſt CHRISTIANVS noſter CHRISTIANISSIMVS, non modo curam ac ſollicitudinem ſuam omnibus, quibus praeeſt, regnis ac prouinciis, tamquam verus patriae pater impendit, verum etiam illas coram inſpicere, earumque non modo ſtatum, vires, opes, ac praeſidia, ſed & ciues, eorumque ingenia, ſtudia, commercia, artes, cognoſcere, primum atque antiquiſſimum habuit. Vidit REGEM ſuum praeſentem non modo Dania ac Cimbrica haec cherſoneſus: ſed & Noruegia diſſitiſſimum iſtud regnum non ſine publica laetitia celebrat eximium iſtum periplum, quo ſingularis exempli REX noſter nulla habita moleſtiarum periculorumque ratione mare impetuoſiſſimum traiecit, vt praeſentiam ſuam commodaret ſingularis fidei populo, atque ſi quo opus eſſet, coram & per ſe conſuleret. Quam incredibili tum plauſu communem parentem exceperint omnium ordinum homines, quam grato ac memore animo & hodie illi celebrent innumera, quae vbique reliquerit, perennatura pietatis, iuſtitiae, munificentiae, prudentiaeque monimenta, tam notum peruulgatumque eſt, vt ſi tacerent homines, id vel rupes & littora aduenis narrare viderentur. Non minore enim cum tripudio aduentantem regem ſuum, quam gentes maxime Arctoae redeuntem

deuntem e longiſſimo diuerticulo ſolem exceperunt, ex eoque tempore nouam regno ſuo lucem exortam eſſe gloriati ſunt, & hodie etiam gloriantur. Qua felicitate dum & nos hoc tempore iterum perfruimur, quid eſt tam praeclarum ac ſalutare non modo huic vrbi, verum etiam vniuerſae reipublicae, quod non ab exoptatiſſimo hoc POTENTISSIMI REGIS noſtri aduentu nobis iure polliceamur. Equidem ſi ſe ſibi tantum natum putaret princeps incomparabilis: abſtinuiſſet moleſto itinere, nec traieciſſet mare, ſed domi potius atque in palatiis ſuis obleċtaſſet genium, & quidquid aut ad ſplendorem, aut ad voluptates, & reliqua maximae fortunae blandimenta pertinere videtur, ſectaretur. At alia mens ſedes REGI potentiſſimo, qui ſe DEI vices in diſpenſanda felicitate publica in regnis ac prouinciis ſuis gerere haud ignarus ad omnes ciues excurrit ſubinde, ne vlli mortalium, qui ſub eius viuit imperio, occaſio eius ſumma prouidentia munificentiaque perfruendi deeſſet. O felicem igitur ac terque quaterque felicem Maium menſem! o menſem non tam amoenioris anni vicibus, quam aduentu TVO iucundiſſimum! o felicem Altenauiam noſtram, quae auctorem felicitatis ſuae ſtatoremque, ſub tectis ſuis iam deuota mente veneratur! Patere itaque, REX POTENTISSIME, vt haec ciuitas TVA, aduoluta genibus TVIS, TE hac oratione iubeat ſaluere, &, me interprete ita adloquatur. Salue, REX longe clementiſſime, pater patriae, Chriſtianae Europae delicium, ciuium TVORVM columen ac praeſidium, noſtrum decus & ſpes veriſſima: ſalue ac iterum, iterumque ſalue. Eſt haec vrbs, quae cladis ſuae funeſtiſſimae memor, ſub ſempiternae memoriae patris TVI TVoque imperio ex cineribus ſuis, feliciſſimis renata auſpiciis, TE veluti auctorem ac conditorem ſuum veneratur. Eſt haec vrbs, quae TE Rege commerciis, ciuiumque frequentia excelſiſſime, & ad inuidiam vſque effloruit: quam denique, ne quid felicitati eius deeſſet, gymnaſio hoc, in quo haec verba facio, optime conſtituto exornaſti: Per TE ergo, REX POTENTISSIME, hic viuimus; per TE, nauigamus; negotiamur, boniſque litteris vacamus, per TE ſtudioſam iuuentutem futurae poſteritati praeparamus, ſerimusque arbores, alteri etiam ſaeculo fortaſſis profuturas: denique per TE libertate, immunitatibus ac fortunis fruimur. Confugit iam in ſinum TVVM cum vniuerſa maieſtati TVAE deuota ciuitas, tum TVIS auſpiciis conditum Lyceum, ſuamque ſalutem TIBI, REX POTENTISSIME, vehementer etiam atque etiam commendat. Impone, quaeſumus, colophonem huic pulcherrimo operi, & incomparabili clementiae TVAE, ſi quid accedere poterit, id patere accedere, vt per TE marmorea ſit haec ciuitas, quae lateritia fuit, florentiſ-

rentiſſimum gymnaſium, quod adhuc veluti in cunis vagit. Non eſt virium noſtrarum, multa polliceri: id pollicemur, quod praeſtituros nos, non modo ſperamus, ſed & confidimus. Sacra ac ſempiterna nobis erit munificentiae TVAE memoria: flagrantiſſima ſemper vota concipiemus pro ſalute TVA, & incomparabilis REGINAE, principisque iuuentutis TE tanto patre digniſſimi: ipſos nos noſtraque omnia TIBI TVAEque maieſtati ac imperio vnice conſecrabimus, denique, ſi qua mens praeſaga futuri eſt, id ominamur, quod pertinet ad ſequutura ſaecula:

SEMPER HONOS, NOMENQEE TVVM,
LAVDESQVE MANEBVNT.

DIXI.

INDEX I.

CAPITVM.

Prooemium pag. 1
PARS I. de generalioribus terſae Latinitatis fundamentis 5
Cap. I. de fundamentis ſtili grammaticis 5
Cap. II. de fundamentis ſtili rhetoricis 27
Cap. III. de fundamentis ſtili philoſophicis 97
PARS II. *ſpecialis* de variis ſcriptionibus in ſoluta oratione vſitatis 106
Cap. I. de epiſtolis 106
Cap. II. de orationibus conſcribendis 115
Cap. III. de panegyricis 127
Cap. IIII. de dialogis 134
Cap. V. de inſcriptionibus 139
PARS III. de variis cultioris ſtili facultatem adſequendi ſubſidiis 147
Cap. I. de auctorum lectione 147
Cap. II. de imitatione 170
Cap. III. de variis ſtili exercitiis 182
SYLLOGE EXEMPLORVM praecepta ſuperiora illuſtrantium 189
Praefatio 190
I. Epiſtola qua praxis *cap. I.* oſtenditur 191
II. Praxis doctrinae de *periodis* 194
III. Praxis doctrinae de *ornata oratione* 195
IIII. Exemplum *ſtili Attici* 200
V. - - *Aſiatici* 200
VI. - - *Rhodii* 201
VII. - - *tenuis* 202
VIII. - - *mediocris* 202
VIIII. - - *ſublimis* 204
X. *Locus communis* 206
XI. *Syllogiſmus oratorius* 207
XII. *Epiſtola familiaris* 208
XIII. - - *elaboratior* 209
XIIII. *Oratio* vel *declamatio* de iure antiquo Germanico diligentius excolendo 210
XV. *Panegyricus* memoriae viri incomp. SAM. STRYKII conſecratus 215
XVI. *Dialogus* de vſu iuris Romani hodierno 230
XVII. *Inſcriptio* ſtilo lapidari confecta 239
XVIII. *Inſcriptio* ſtilo recentiore elab orata 239
XVIIII. *Declamatio* 241

INDEX

INDEX II.
AVCTORVM.

A.

AEliani variae hiſtoriae Pag. 63
Aelii Spartiani Peſcennius Niger 128
Aeſchines ſcholam rhetoricam Rhodii inſtituit 65. humili ſtilo vtitur 85. dialogos ſcripſit 134
Alberti de Albertis theſaurus eloquentiae ſacrae & profanae 94
Albini introductio in Platonis dialogos 135
Allatius (*Leo*) de erroribus magnorum virorum in dicendo 154
Ammianus Marcellinus *vid.* Marcellinus.
Andreae (*Io. Val.*) quo loco ſales eius habendi 82
Anglerii (*Petr. Mart.*) epiſtolae 108
Aphthonii progymnaſmata 101
Appianus de bello ciuili 65
Apuleius, eius Latinitas 161. ineptit in epithetorum vſu 72. *καλλωπισμὸν* infelicius adfectauit 77. proprietatem tamen orationis Latinae ſeruat 161. de eo Melanchthonis iudicium 161
Aquinas (*Thomas*) vid. Thomas Aquinas.
Ariſtophanis Nubes 119. eius ſtilus Atticus 63
Ariſtotelis libri rhetoricorum 40. de arte rhetorica 105
Arningii (*Henr.*) medulla variarum, earumque in orationibus vſitatiſſimarum, connexionum 107
Arriani diſſertationes Epicteticae 82
Artemonius Ariſtotelis epiſtolas exſcripſit 92
Aſchami (*Rogerii*) epiſtolae 109
Aſconius Pedianus ad Ciceronis diuinationem 12
Athenaei deipnoſophiſtae 83. 134
Auguſtini (*Aurel.*) epiſtolae 107. de ciuitate Dei 157
Aurelius Victor de viris illuſtribus 65
Auſonii Griphus 66. epiſtolae 114

B.

Balbini quaeſita Orator. 57
Baldus obſcure ſcripſit Pag. 81
Baldi (*Bernardin.*) epiſtolae 107
Barclaii (*Io.*) ſtilus qualis 77
Barlaeus (*Caſp.*) in eius orationibus quid deſiderandum 126
Barthii (*Caſp.*) aduerſaria 169
Bartolus obſcure ſcripſit 81
Baudius (*Dom.*) eius ſtilus 60. epiſtolae 109 in eius orationibus quid deſiderandum 126
Becmanni (*Io. Chriſtoph.*) praecognita mor. 83
Bembus (*Petr.*) formulas iurandi profanas adhibuit 56. eius epiſtolae 109
Bergerus (*Io. Guil.*) eius de naturali pulcritudine orationis liber commentarius 77 panegyrico dicendi genere celebris eſt 129
Berneggerus (*Matth.*) eius & Io. Kepleri epiſtolae mutuae 107. eius & Guil. Schickardi epiſtolae 107
Boecleri (*Io. Henr.*) orationes panegyricae 129. muſeum 140. de characteribus politicis Velleianis 157
Boehmerus (*Iuſt. Chriſtoph.*) panegyrico dicendi genere laudem ſibi peperit 129
Bonamicus (*Lazar.*) Philelphi orationem elegantem reddidit 19
Bouillii (*Conr.*) epiſtolae 107
Boxhornius (*M. Zuer.*) in eius orationibus quid deſiderandum 126
Brerewood (*Eduard.*) ſcrutinium linguarum 147
Briſſonius (*Barnab.*) de formulis & ſollemnibus populi Romani verbis 57. terſa ac pura oratione iuris prudentiam tractauit 81. eius liber parergon 168
Britanni (*Robert.*) ratio conſcribendarum epiſtolarum 106
Bruyere (*de la*) caractéres 186
Buchnerus (*Auguſt.*) de commutata ratione dicendi 24. eius epiſtolae 109. eius orationes commendantur 126. eius panegyrici lau-

laudati 129
Bünemanni index Latinitatis ſelectae, vulgo neglectae, merito ac falſo ſuſpectae ex Caſtellionis interpretatione cet. 36
de Buri (*Rich.*) epiſtolae 107
Burmannus (*Petr.*) pigritiam laudauit 119. eius panegyrici laudem merentur 129. eius ſylloge variarum epiſtolarum doctorum virorum 107
Busbequii (*Aug. Gisl.*) epiſtolae 108
van Bynkershoek (*Cornel.*) obſeruationes 37

C.

Caelii Rhodigini lectiones antiquae 127
Caeſar (*C. Iul.*) ſtilo Rhodio vſus 65. an tenui 67. perſpicuus eſt 84. eius lectio commendatur 153
Caius ICtus 34
Calcagnini (*Cael.*) epiſtolae 107
Calixtus (*Ge.*) terſe ac pure de rebus theologicis ſcripſit 81
Caluinus (*Io.*) terſe ac pure de rebus theologicis ſcripſit 81. eius epiſtolae 107
Camerarii (*Ioach.*) epiſtolae 109. elementa rhetorica 100
Canzii (*Iſr. Theoph.*) oratoria ſcientiar. familiae toti cognata 2
Capella (*Martian.*) eius Latinitas 161
Capitolinus (*Iul.*) hiſtoriae Auguſtae ſcriptor 159
Carteſius ſ. des Cartes (*Renat.*) dilucide ſcripſit 81. eius epiſtolae 107
Caſa (*Io.*) eius orationes commendantur 126
Caſauboni (*Iſaac.*) epiſtolae 107
Caſelii (*Io.*) epiſtolae 107. eius orationes commendantur 126
Caſſiodorus ſtilum ſublimem frigide adfectauit 70
Caſtellio (*Seb.*) myſteria chriſtiana vocibus profanis expoſuit 37. iudicium de eius verſione bibliorum ſacrorum 37
Catonis de re ruſtica liber qualis 157
Catulli carminum libri 33
Cauſſinus (*Nicol.*) de eloquentia ſacra & profana 47
Cellarius (*Chriſtoph.*) Grammatica laudata 5. eius orthographia Latina commendata 6. 8. 10. 11. &c. antibarbarus 13. curae poſteriores 14. diſſ. de origine linguae Italicae 31. 147. praefatio ad panegyricos veteres 128. auctores duodecim panegyricorum edidit 128. panegyrico dicendi genere laudem ſibi adquiſiuit 129
Celſus (*Cornel.*) de arte medica 81. in ea ἐπιστημονικὸν dicendi genus elucet 81. eius ſtilus 81. 160
Celtes (*Conrad.*) de conſcribendis epiſtolis 36. 106
Cenſorinus de die natali 62. 161
Chryſoſtomus (*Dio*) eius ſtilus 60. orationes 62. exſilium laudauit 119
Cicero (*Marcus Tullius*) eius ſtilus in quantum Aſiaticus 64. potius Rhodius 63. vtitur nonnumquam in epiſtolis ad diuerſos ſtilo tenui 67. dialogi eius an imitandi 85. ſunt hiſtorici 135. & comici *ibid.* quo ſtilo conſcripti 90. eius epiſtola ad Quintum fratrem I. omnium aliarum regina 92. in dialogis ſcribendis excelluit 134. an ſolus legendus 148. eius epiſtolae quaenam elegantiſſimae 151. eius Cato Maior & Laelius commendantur 152. eius libri philoſophici quo ordine legendi 152. in illis elucet dicendi genus ἐπιστημονικὸν 81. perſpicua ſunt eius ſcripta 81. eius epiſtolae commendantur 108. eius orationes ſelectae 154
Claudianus (*Claud.*) eius ſtilus 164
Clerici (*Ioan.*) ars critica 43
Coerberus (*Caſp.*) panegyrico dicendi genere laudem meruit 129
Columella, eius Latinitas & ſtilus 81. 156
Cominaeus, eius ſtilus grauis 84
Conringii (*Herm.*) cenſura diplomatis Lindauienſis 9. 12. epiſtolae 108
Coraſii (*Io.*) epiſtolae 107
Cornel. Nepos ſtilo Rhodio vſus 65. diffuſior aliquando eſt 84. perſpicuus *ib.* cur legendus 157
Cornutus ſcholiaſtes aenigma quoddam Perſii ſoluit 73
Cortius Salluſtium edidit 12
Cragius (*Nic.*) de republ. Lacedaemoniorum 62
Craſſus 4
Cuiacius terſa ac pura oratione iuris prudentiam tractauit 81
Cunaei (*Petr.*) ſatira Menippea Sardi venales 61. eius epiſtolae 108. eius orationes commendantur

dantur 126
Curtius (*Q. Rufus*) an nouus auctor 155. venuſtus eſſe videtur 84 eius Latinitas *ibid.* & 155. vtitur hyperbolis 85. poeticis loquutionibus *ibid.* acuto ſtilo 94. eius deſcriptiones quales 186

D.

Dannhaueri (*Io. Conr.*) ſtilus 60. in eius orationibus quid deſiderandum 126
Dausqueii (*Claud.*) orthographia commendata 5. 12.
Dedekenni (*Io.*) obſeruationes poeticae 93
Demetrius Phalereus de eloquutione 49. laudatur 67
Demoſthenis orationes 116
Deſpauterii (*Io.*) ars epiſtolica 106
Diogenes Cynicus cur Socrates furens dictus 82
Dionyſius Halicarnaſſeus 91
Dionyſii *Longini* liber de ſublimi obſcurior 61
Dodwellus (*Henr.*) eius praelectiones Cambdenianae 159
Donati ſcholia in Terentium 16. 19. 151
Douſa (*Ian.*) in Petronium 39
Druſii (*Ian.*) epiſtolae 107
Dukeri (*Car. Andr.*) opuſcula de Latinitate veterum ICtorum 7

E.

Eginhardus in vita Caroli M. Suetonium exſcripſit 173
Ennodius notatur ob allegorias nimias 54
Epicharmus iocoſo dicendi genere vſus 89. ob ſententiarum grauitatem commendatur 100
Epicurus nulla tranſlatione vſus eſt 73 81
Eraſmus (*Deſiderius Roterodam.*) multa pro adagiis habuit quae hoc nomen non merentur, quod tamen excuſatur 59. eius ſtilus 86 90. eius colloquia laudantur 86. praecipue de peregrinationibus religioſis & de ἰχθυοφαγίᾳ 138. epiſtolae 107. 109. moriam vel ſtultitiam laudauit 119. eius panegyricus 129
Eremita (*Dan.*) eius panegyrici laudati 129
Erneſti (*Io. Aug.*) initia doctrinae ſolidioris 39
Erythraei (*Ian. Nic.*) vero nomine *Io. Vict.* Roſcii epiſtolae 109. Pinacotheca 126. eius dialogi venuſti 134
Eumenii panegyricus qualis 128
Euripidis ſententiae e media philoſophia depromtae 100
Eutropii Latinitas 150
Eutyches 12

F.

Fabri theſaurus eruditionis ſcholaſticae 13
Fabri (*Honorati*) epiſtolae 107
Fabri (*Tanaqu.*) epiſtolae 107. methodus legendi auctores, qua in filio inſtituendo vſus eſt 149
Fabii inſtitutiones oratoriae 74
Fabretus (*Raph.*) inſcriptiones collegit 139
Fabricii Bibliotheca Graeca 135
Facciolatus dialecticorum retia & laqueos explicauit praefationibus quibusdam 119
Farneſius (*Henr.*) de imitatione Ciceronis, ſeu de ſcribendarum epiſtolarum ratione 106
Ferrarius (*Octau.*) eius panegyrici 129. inſcriptionibus delectatus eſt 140
Ferretius (*Io. Bapt.*) inſcriptionum collector 139
Feſtus 6
Ficini (*Marſil.*) epiſtolae 107
Flaminii (*M. Ant.*) epiſtolae 108
Florus, eius Latinitas 158. ſaepe vtitur hyperbolis 53. 70. 85. nec non ſtilo poetico 80. exclamationibus 85. & poeticis loquutionibus *ibid.*
Fontanini vindiciae diplomatum 7
Freinshemii (*Io.*) orationes 108
du Freſne (*Car.*) Gloſſarium mediae & infimae Latinitatis 31. diſſertatio huic praemiſſa 31. 147.
Friſchlinus (*Nicod.*) paraphraſtes poetarum feliciſſimus 184
Frontini (*Sext. Iul.*) ſcripta 160
Funccius (*Io. Nic.*) de origine & pueritia Linguae Latinae 40

G.

Galilaeus a Galilaeis librum de ſyſtemate mundi cur dialogiſtica methodo conſcripſerit 134
Gallicanus (*Vulcatius*) hiſtoriae Auguſtae ſcriptor 159
Gaſſendus (*Petr.*) de vita & moribus Epicuri 73
Gellius (*A.*) a quibusdam Agellius vocatur 160. eius noctes Atticae *ibid.* non eſt inter

elegantiſſimos ſcriptores 26
Geſnerus (*Io. Matth.*) Fabri theſaurum eruditionis Scholaſticae edidit 13. mox daturus eſt nouum Latinae linguae theſaurum ad modum & filum Stephaniani 15. eius primae lineae artis oratoriae 45. eius praefatio ad Vorſtii librum de Latinitate ſelecta vulgo neglecta 82. de vſu & praeſtantia epiſtolarum Ciceronianarum progr. 151. 152. praefatio ad Liuium 165
Giſanii (*Obert.*) praefatio in Lucretium 12. obſeruationes ſingulares in linguam Latinam 30
Goldaſti (*Melch.*) epiſtolae 108
Golzii (*Hubert.*) index litterarum ſingularium, quae integras voces deſignant, ex numis 10
Gorgias (*Leontinus*) ob ſimilitudinem periodorum reprehenſus eſt 50. eius oratio ſophiſtica 77
Gorii (*Franc.*) opera tria inſcriptionum 139
Graeuius (*Io. Georg.*) ejus epiſtolae 109. panegyricis ſcribendis laudem ſibi adquiſiuit 129. eius theſaurus antiquitatum Romanarum 145
Gregorii Nazianzeni epiſtola ſingularis de epiſtolis conſcribendis cum Ad. Theod. Siberi commentario 106
Gronouius (*Io. Frid.*) acutiſſimus fuit in genuina vocum ſignificatione eruenda &c. 13. ad Liuium 14. in Senecam 38. in Ouidium 94
Grotii (*Hugonis*) epiſtolae 108
Gruteri (*Ian.*) theſaurus inſcriptionum 10. 139. epiſtolae 107. fax critica 169
Gudius (*Marquard.*) eius noua collectio inſcriptionum 139. multas inſcriptiones in exemplari ſuo Gruteriano ex ipſis marmoribus emendauit 145
Gundlingius (*Nic. Hier.*) bene de opuſculis Io. Caſae meritus 126. eius panegyrici quales 129
Guntheri (*Cyr.*) Latinitas reſtituta 13. 30
Gutherius (*Iac.*) de iure manium 142

H.

Hadrianus, Cardinalis, de ſermone Latino 30
Hallbauerus (*Frid. And.*) eius cura Aon. Palearii opuſcula, epiſtolae & poemata prodierunt 109
Hechtii (*Godefr.*) diſſ. de voce in praeſentiarum 14
Heineccii (*Io. Gottl.*) ſyntagma antiquitatum Romanarum, iuris prudentiam illuſtrantium 57
Heinſii (*Dan.*) oratio de laudibus Guſtaui Adolphi 129
Helmontius obſcure ſcripſit 81
Heraclitus ſcriptor obſcurus 82
Hermogenes περὶ ἰδεῶν, ſiue de ideis 73. cur ξυστὴς ſcalptor adpellatus *ibid.* num intelligi poſſit *ibid.*
Heumanni iudicium de Lipſii ſtilo 40
Heuſingeri (*Io. Mich.*) acceſſione ad Vechneri Hellenolexian 32
Hieronymus aduerſus Iouinianum 30. eius epiſtolae 107
Horatius (*Q. Flaccus*) notatus 53. eius ſtilus qualis 163
Horſtii (*Iac.*) epiſtolae 107
Hotomanus terſa ac pura oratione iuris prudentiam tractauit 81
Hubneri (*Io.*) hiſtoriae ſacrae 150
Hyginii (*Iul.*) fabulae 33

I.

Iamblichus de myſteriis Aegyptiorum 82
Ienſii (*Ioh.*) collectanea purae & impurae Latinitatis 13. 29
Iſaeus rhetor ſtilum Atticum corrupit 63
Iſocrates rhetor ob ſimilitudinem periodorum reprehenſus eſt 50. eius λόγος πανηγυρικὸς 127
Iunii (*Melch.*) methodus eloquentiae 4. ſcholae rhetoricae de contexendarum epiſtolarum ratione 106
Iuſtinianus 34
Iuſtinus, Trogi epitomator, eius Latinitas 158. 159
Iuuenalis ſatirae 53

K.

Kappius (*Io. Erhard.*) Ienſii collectanea purae & impurae Latinitatis edidit 13. 29. 30. item Vauaſſoris lib. de vi & vſu verborum, & de dictione ludicra 13
Keplerus (*Io.*) eius & Matth. Berneggeri epiſtolae mutuae 107
Ker (*Io.*) obſeruationes linguae Latinae 29
Krebſii (*Io. Aug.*) diſſertatio de ſtilo Lactantii Firmiani 156

Kriegkii (*Ge. Nic.*) diſſertatio de ſophiſtarum veterum eloquentia 2
Krigelius (*Abrah.*) hiſtorias ſacras Hubnerianas Latinitate donauit 150

L.

Labbe (*Petr.*) elogia a Chriſt. Weiſſio edita 95
Lactantii inſtitutiones diuinae 26. eius ſtilus 81.156. eius liber de mortibus perſequutorum 156
Laertius 73
Lampridius (*Ael.*) hiſtoriae Auguſtae ſcriptor 159
Langueti (*Huberti*) epiſtolae 108
Latinii (*Latini*) epiſtolae *ibid.*
Lannoii (*Io.*) epiſtolae 107
Laurentius (*Caſp.*) Hermogenem περὶ ἰδεῶν, ſiue de ideis, Graece & Latine edidit 72.73
Liceti (*Fortunii*) epiſtolae 107
Lipſius (*Iuſtus*) eius ſtilus qualis 40. 60. 172. an rhetoricetur, vel comicum agat 80. eius orationes elegantiſſimae 126. orationes octo Ienae recuſae 40. inſtitutio epiſtolica 106. epiſtolae 107. 109. eius dialogi venuſti 134. qui vere de ipſo ſenſerint, quique inuidiam illi fecerint 40
Liuius (*Tit.*) eius ſtilus 154
Lombardus obſcure ſcripſit 81
Longinus (*Dionyſ.*) eius liber περὶ ὕψους ſiue de ſublimitate dicitur obſcurior 61. ſed intellectus minime eſt obſcurus *ibid.* laudatur 67
Lubinus (*Eilhard.*) paraphraſtes poetarum 184
Lucanus (*Annaeus*) eius ſtilus 162. 163
Luciani dialogi 78. elegantiſſimi 90. 134 laudantur 85. muſcam & podagram laudauit 119. eius apologia ὑπὲρ τῶν εἰκόνων 128. προλαλιαὶ ſeu praefationes 123
Lucretius (*T. Carus*) eius ſtilus 162. 163. ei limam admouit Cicero *ibid.* eum imitatus eſt Virgilius 173
Lullius obſcure ſcripſit 81
Lutheri (*Mart.*) epiſtolae 107
Lyſias ſtilum Atticum corrupit 63

M.

Mabillonius de re diplomatica 8.12. eius ſupplementum libri de re diplomatica 8
Macrobius (*Aurel. Theodoſ.*) Athenaei imitator in dialogis ſcribendis 134. eius lectio cur commendanda 161. Saturnalia 95.134
Maffei (*Scip.*) praefatio Hilarii operibus praemiſſa 10. Galliae antiquitates quaedam ſelectae atque in plures epiſtolas diſtributae 108. in quibus inſcriptiones collegit 139
Magno de notis 10
Maianſii (*Greg.*) epiſtolarum libri VI. 108. in quibus inſcriptiones occurrunt 139
Maioragius (*M. Ant.*) lutum laudauit 119. eius orationes commendantur 126. eius dialogi venuſti 134. contra quos diſputet in orat. XII? 1 ſq.
Malagonellus (*Ant.*) eius panegyrici quales 129
Malebranche de inquiſitione veritatis 83
Maluaſia [*Car. Caeſ.*] inſcriptiones collegit 139
Manutii [*Aldi*] quaeſita per epiſtolas 107. orthographia 5. 12. quo ſtilo eius epiſtolae ſcriptae 92. notatur ob adhibitas iurandi formulas profanas 56
Manutii [*Paull.*] epiſtolae 108. de eis iudicium Scioppii *ibid.* noſtrum *ibid.*
Marcellinus [*Ammian.*] notatur ob nimias tranſlationes 54. eius Latinitas 159
Marcianus vid. Capella
Mareſii [*Roland.*] epiſtolae 40. 107
Maſenii [*Iac.*] argutiae familiares 86. palaeſtra 93. ars argutiarum 95
Mela [*Pompon.*] vid. Pomponius Mela.
Melanchthon [*Philippus*] purius ſcribere docuit philoſophos 81. eius epiſtolae 108. in orationibus dictione tenui vtitur 126
Menagii [*Aegid.*] amoenitates iuris ciuilis 7
Menagiana 83
Menander 101
Menckenii [*Io. Burchard.*] Charlataneria eruditorum laudata 119
Meurſii (*Ioan.*) miſcellanea Laconica 62. de Rhodo 65. Areopagus 116
Micraelius de copia verborum 24
Minucius Felix dialogum egregium pro chriſtiana religione conſcripſit 134. eius Latinitas 153. eius dialogus in mythologia nos inſtruit *ibid.*
Molierius iocorum *burlesque* dictorum artifex 90
Montaltii (*Lud.*) epiſtolae 108

Morho-

Morhoſius (*Ge. Dan.*) de pura dictione, cum not. *Io. Laur.* Moshemii 29. de Patauinitate Liuii 154. differt. de ἐνθουσιασμῷ vel furore poetico 39. collegium epiſtolicum 106. polyhiſtor 92. idea lexici poetici inſerta polyhiſtori 93. diciplina argutiarum 95. Dedekenni obſeruationes poeticas cum praefatione iterum edidit 93
Morus (*Henr.*) obſcure ſcripſit 81
Moſaei (*Hannardi Gamerii*) auctoritates Ciceronis 107
Mureti (*M. Ant.*) orationes 47. laudatae 126. variae Lectiones 53. epiſtolae laudatae 108. Aſiatico vtitur ſtilo 64

N.

Natalis Comes, eius mythologia 153
Naudeus (*Gabr.*) 109
Nazarii panegyricus qualis 128
Nazianzenus vid. Gregorius Nazianzenus.
Neandri (*Mich.*) epiſtolarum familiarium formulae 107
Nepos vid. Cornelius Nepos.
Nicolai (*Io.*) commentatio de ſiglis veterum 145
Nizolius (*Marius*) epitheta Ciceroniana collegit 168
Nonius de proprietate ſermonis 95
Noriſii (*Henr.*) cenotaphium Piſanum 8. 140

O.

Obſequens (*Iul.*) eius ſtilus 161
Ottonis (*Everard.*) Papinianus 37
Ouidius (*P. Naſo*) eius ſtilus 162. 163

P.

Pacati (*Latini*) panegyricus qualis 128
Palatius (*Io.*) inſcriptionibus delectatus eſt 140
Palearius (*Aon.*) eius epiſtolae laudantur 108. 109. orationes commendantur 126
Pallauicini (*Sforc.*) epiſtolae 108
Panuinius (*Onuphr.*) inſcriptiones collegit 139
Paraei (*Phil.*) Lexicon Plautinum 156
Parrhaſii (*Ian.*) quaeſita per epiſtolas 107
Parthenius de vocabulis hiſtoricorum 83
Paſcalis (*Claud.*) characteres 186
Paſchii (*Georg.*) diatriba de vſitata veterum exemplo ratione tradendi per dialogos 135
Paſſeratii liber de ridiculis 86. 87
Paterculus vid. Velleius.
Patricius (*Fr.*) 91
Pericles orator laudatiſſimus in Graecia 125
Perizonius (*Iac.*) ad Sanctii Mineruam 14. eius animaduerſiones hiſtoricae 141. Q. Curtius Rufus reſtitutus in integrum & vindicatus 155
Perpinianus (*Petr. Io.*) eius orationes commendantur 126
Perſius, eius obſcuritas 73
Petauius (*Dionyſ.*) eius orationes commendantur 126. nec non rationarium temporum 164
Petronius (*Arbiter*) mirus in epithetis artifex 71. eius Latinitas 3. 160. totum ſatiricon an exſtet *ib.* fragmentum Tragurianum *ib.* an totum illius opus ſit genuinum *ib.*
Pfeifferi antiquitates Graeciae 116
Phaedri fabulae 149. vtitur ſtilo tenui 67. 149. an ſtilus eius Thraciſmum ſapiat *ib.*
Phalereus vid. Demetrius.
Philelphus, vid. Bonamicus.
Philoxeni gloſſae 11
Pighii (*Steph. Vin.*) annales Romani 164
Pignorius (*Laur.*) inſcriptionibus delectatus eſt 140
Placcius (*Vinc.*) de Pſeudonymis 126. de excerpendi arte 167
Planeri epiſtolae enthymematicae 112
Plato, eius dialogi an imitandi 85. quomodo diuidantur 136. eius ſtilus an dialogicus 90
Plautus rationem perſonarum in ſtilo habuit 85. iocoſo dicendi genere vſus 89. eius Latinitas 155. quibus cautionibus legendus *ibid.* vſus eſt dictione ludicra 89
Plexiaci Lexicon Philoſophicum 38
Plinius (*Secundus* ſiue *Maior*) eius hiſtoria naturalis 158
Plinii (*C. Caecilii* ſiue *Minoris*) epiſtolæ 16 108. panegyricus 69. eius Latinitas 154 ſq. eius ſtilus argutus 94. ob ſententiarum grauitatem commendatur 100
Plutarchus de decem oratoribus 65
Politiani (*Angel.*) epiſtolae 109
Pollio (*Trebellius*) hiſtoriae Auguſtae ſcriptor 159
Pollucis (*Iul.*) onomaſticon 116
Polybii grauis ſtilus 84
Pomponius Mela qualis auctor 149. 150. cur legen-

legendus *ibid.*
Pontani (*Iac.*) centuria epiſtolicarum formularum 107
Pontedera de antiquata orthographia meritus eſt 6
Prateoli (*Gabr.*) flores & ſententiae ſcribendique formulae illuſtriores ex Cicerone 107
Probus (*Valer.*) de notis 10
Prudentius 38. 53
Puteanus (*Erycius*) in eius orationibus quid deſiderandum 126
Q.
Quinctilianus (*M. Fab.*) eius ſcripta 159. ſunt perſpicua 81. eius declamationes an genuinae 159
R.
Reineſii (*Thom.*) inſcriptiones 10. 139. epiſtolae ad Hoffmannum, Rupertum, Daumium, Boſium 107. varia 169
Reinhardi injuria ac maledicentia in auctorem huius libri retunditur 61
Relandi faſti conſulares 8
Reyheri (*Andr.*) florilegium epiſtolicum 107
Riccoboni (*Anton.*) commentarius ad Ariſtotelis libros de arte rhetorica 104
Robortellus (*Fr.*) de artificio dicendi 93
Roloffius (*Frid. Guil.*) 11
S.
Sagittarius de lectione & imitatione Ciceronis 37. 182
Salianus (*Iac.*) inſcriptionibus delectatus eſt 140
Salluſtius (*C. Criſp.*) eius obſcuritas 84. Thucydidis imitator *ibid.* 154. eius Latinitas 154. aſperitatis magiſter optimus 76
Salmaſius (*Claud.*) eius epiſtolae 107. quo ordine legerit auctores 308. eius exercitationes Plinianae. 158
Sanctii Minerua 14
Saneuremontius, eius Saneuremontiana 83
Sarbieuii liber de acuto 95
Serrauii (*Claud.*) epiſtolae 107
Scaliger (*Ioſ.*) eius excerpta Puteanorum 126. de cauſſis linguae Latinae 12. de arte poetica 127. indices Gruteri inſcriptionibus addidit 145
Scaligerorum (*Iul. Caeſ.* & *Ioſephi*) epiſtolae 107
Schefferus (*Io.*) de ſtilo 83. eius gymnaſium ſtili 182
Schickardus (*Guil.*) eius & Matthiae Berneggeri epiſtolae 107
Schori (*Ant.*) phraſes linguae Latinae 30
Schraderus (*Chriſt.*) de rhetoricae Ariſtotelis ſenſu & vſu 51
Schultens (*Albert.*) oratio pro ſtudiis humanitatis 2
Schuppii (*Balth.*) ſales quo loco habendi 82
Schurzfleiſchii (*Conr. Sam.*) epiſt. 108. 109. eius orthographia commendata 5. panegyrico dicendi genere floruit 129
Schwarzii (*Chriſt. Gottl.*) diſſ. de oratione concinna 40. miſcellanea politioris humanitatis 79. panegyrico dicendi genere excellit 129
Schwarzii (*Io. Conr.*) editio Turſellini 15
Scioppii (*Gaſp.*) iudicium de ſtilo hiſtorico 14. 83. laudatur 83. obſeruationes linguae Latinae 30. de exercitationis rhetoricae generibus 154. de Thraciſmo Phaedri iudicium 149. infamia Famiani 83
Seneca (*L. Annaeus*) eius ſtilus & Latinitas qualis 81. 83. 94. 156. eius epiſtolae quales 92. 107. 156. ob ſententiarum grauitatem commendatur 100
Seneca (*M. Annaeus*) eius ſtilus qualis 159
Seruius ad Virgilium 11
Siberi (*Ad. Theod.*) commentarius in epiſt. ſing. Gregorii Nazianzeni de conſcribendis epiſtolis 106
Sidonius (*Sollius Apollinaris*) notatur ob nimis frequentes translationes 54. ſtilum ſublimem & frigidum adfectauit 70. 164
Sigonius (*Car.*) de nominibus propriis Romanorum 10. de republica Athenienſium 116. eius tractatus de dialogis. 135
Silius Italicus 93
Spanhemius (*Ezech.*) de vſu & praeſtantia numiſmatum 7. eius panegyrici 129
Spanhemius (*Frid.*) eius ſtilus 60
Spartianus (*Aelius*) hiſtoriae Auguſtae ſcriptor 159
Sponius, eius miſcellanea prud. antiquit. 12. inſcriptiones collegit 139. multos in iis errores correxit 145
Starkii (*Io.*) theſaurus epiſtolaris locorum & formularum epiſtolicarum 107
Statius (*Papinius*) eius ſtilus tumidus 163 ſq.

Stephanus (*Hen*.) de abuſu Graecae linguae 11. 12. eius differt. de habendo delectu ſententiarum, quae γνῶμαι a Graecis dicuntur, 100. differt. de vario epiſt. Ciceron. genere 108
Strabo 7
Strebaeus (*Iac. Lodoic.*) de electione & collocatione verborum 18
Sturmius (*Io.*) in libris IV. de vniverſa ratione eloquutionis rhetoricae Hermogenem περὶ ἰδεῶν illuſtrauit 73
Suetonius (*C. Tranquill.*) eius ſtilus 154. ſtilum tenuem ſectatur 68
Suidae Lexicon 116
Syluius (*Aeneas*) in hiſtoria Europae Curtium exſcripſit 173
Symmachus ſtilum ſublimem adfectauit 70
Syneſius caluitium laudauit 119
Syrus (*Publ.*) eius ſententiae laudatae 53 acutae 96

T.

Tacitus (*Corn.*) eius Latinitas 155. ſtilo graui vtitur 75. 84. preſſus eſſe ſtudet, diffuſior tamen aliquando eſt 84. eius obſcuritas *ibid.* Thucydidis imitator. *ibid.* acutus 94. eius dialogus de cauſſis corruptae eloquentiae 134
Terentius, eius ſtilus 90. 151
Tertullianus, eius liber de pallio 70. in eo parenthyrſus obſeruatur 79. qui tamen excuſatur 80. frigido vtitur ſtilo 70. quomodo is excuſandus *ibid.* item obſcuro 75. perſpicuitatem negligit 80
Themiſtii orationes edit. Hard. 90
Theon ethopoeias ſcripſit 187
Theophraſti characteres morum 186
Theſaurus (*Eman.*) eius idea argutae dictionis 95. inſcriptionibus delectatus eſt 140. eius inſcriptio elogium lobi continens 146 ſq.
Thilonis (*Valent.*) rudimenta rhetoricae 77
Thomas Aquinas obſcure ſcripſit 81
Thomaſii (*Iac.*) diff. de ſtili ethniciſmo 56. erotemata rhetorica 167
Thuanus, eius ſtilus grauis 84
Thucydides, eius ſtilus Atticus 63. obſcurus eſt 84
Tomaſinus (*Iac. Phil.*) inſcriptiones collegit 159
Turnebi aduerſaria 53
Turre (*Phil. a*) inſcriptiones collegit 159
Turſellinus (*Horat.*) de particulis Latinae linguae, auctus a Iac. Thomaſio & Io. Conr. Schwarzio 15. 21

V.

Valerii (*Maximi*) Latinitas 158. eius excerpta tantum ad nos peruenerunt *ib.*
Valla (*Laurent.*) 6
Varro (*M. Terentius*) eius ſtilus 157. eius libri de re ruſtica qua forma ſcripti 134
Vauaſſor (*Franc.*) de vi & vſu quorumdam verborum, cum ſimplicium, tum coniunctorum, & de ludicra dictione 13. 15. eius orationes commendantur 126
Vechneri (*Dan.*) Hellenolexia 17. 32
Vegetii (*Flau.*) ſcripta 161
Velleius Paterculus, eius Latinitas 84. 157 in laudando eſt nimius 186
Velſerus (*Marc.*) inſcriptiones collegit 139
Verburg (*Iſaac.*) novae Ciceronis editioni ex *Nizolii* theſauro praefecit indicem loquutionum philoſophicarum a Cicerone elegantius expreſſarum 39
Victor. vid. Aurelius Victor.
Vignolius (*Io.*) inſcriptiones collegit 139
Vinetus (*El.*) ad Auſonium 114
Virgilius (*P. Maro*) eius ſtilus elegans 162 eſt in deſcriptionibus feliciſſimus 186. imitatus eſt Lucretium 173. 174
Viruli (*Carol.*) formulae epiſtolarum 107
Vitruuii Latinitas 3. 157
Viues (*Io Ludou.*) de conſcribendis epiſtolis 106
Vlpianus 6
Vopiſcus (*Fl.*) hiſtoriae Auguſtae ſcriptor 159
Vorſtius (*Io.*) de Latinitate falſo meritoque ſuſpecta 29
Voſſius (*Ger. Io.*) de vitiis ſermonis 29. de arte hiſtorica 83. de arte poetica 94. de hiſtoricis Latinis 155. de natura & conſtitutione rhetoricae 115
Voſſius (*Iſaac.*) ad Catullum 11
Vrſatus (*Sertor.*) eius index litterarum ſingularium, quae integras voces deſignant, ex lapidibus 10. 145. inſcriptiones collegit 139

W.

Wehrenfels (*Sam.*) diatribe de meteoris orationis & de logomachiis eruditorum 70
Winſemii (*Pierii*) panegyrici 129
Wolle (*Chriſtoph.*) diſſert. crit. de eo quod pulcrum eſt in verſione Caſtellionis 37
Woltereckius 10
Wowerii (*Io.*) epiſtolae 107

X.

Xenophon, eius ſtilus Atticus quam maxime 63. humili ſtilo vtitur 85. eius dialogi nitidiſſimi 90. 134. in eius oeconomicis ἐπιστημονικὸν dicendi genus 80. nec non perſpicuum 81.

Z.

Zaluskii (*Andr. Chryſoſt.*) epiſtolae 108

INDEX III.

VERBORUM.

A.

Abante, praepoſitio in ſolis inſcriptionibus obuia pag. 144
Abdicare patrem acute dictum 95
Abominabilis, vox barbara. 34
Abominatio, vox eccleſiaſtica 35
Abſoluere, vox eccleſiaſtica, potius verbum iudiciale 35
Abſque illo eſſet, formula comica 39
Abyſſus, vox Graeca in Latinitate non adhibenda 32
Accerſo, falſo dicitur, pro *arceſſo* 11
Acinaces, vox Perſica 32
Ad cumulum aedificare conſtructio in marmoribus obuia non imitanda 145
Adhuc, & *hactenus*, quomodo differant? 15
Acquieſcere cui, conſtructio in marmoribus obuia non imitanda. 145
Advocare pro *cauſſas agere*, vox iuridica 38
Aed pol, an hac formula iurandi vti liceat 55
Aemilius, non *Aemylius* ſcribendum 10
Aequanimiter, vox barbara. 31
Aequipollere, vox philoſophica & barbara 38
Aeternalis, vox barbara 34
in ſolis inſcriptionibus obuia 144. 145
Aeternaliter, vox barbara 34
Affectuoſus, vox barbara 31
Affirmatiuus, vox philoſ. & barbara 38
Agon, vox Graeca in Latinitate non adhibenda 32
Ahenobarbus non *Aenobarbus* ſcribendum 10
Albedo, vox barbara 34
Aliqualiter, vox barbara 34
Aluci, aues nocturnae 11
Alucinari non *hallucinari* ſcribendum 11
Amabo additur interrogationibus 23
Amat pro *ſolet*, poeticum 39
Ambo, accuſatiuus maſc. 14
Ambubaia, vocabulum Syriacum 32
Amicabilis, Plauti auctoritate vult defendi 34
Amicabiliter, vox barbara 31. 34
An in dubitatiua ſententia non repetendum 17
Ancora non *Anchora* ſcribendum 11
Anticato quale vocabulum? 30
Apanagiatus, vocabulum iuridicum 38
Apoſtata, vox eccleſiaſtica 35
Appropriare, vox barbara 31
Approximare, vox barbara 31
Aqua luſtralis an dicendus ſit baptiſmus? 37
Aquai pro *aquae*, archaiſmus 40
Arceſſo non *accerſo* ſcribendum 11
Archidapifer non eſt Latinum 30
Archidux, licet vox hibrida, tutius retinetur 31
Archimarſchallus, licet vox hibrida, tutius retinetur 31
Archipincerna non eſt Latinum 30
Aſſiſtentia, vox barbara 31
Auctor non *author* ſcribendum 11
Auricomus, epitheton poeticum 39
Αὐτόχειρ quid ſignificet? 32
Autochiria, vocabulum nouum & falſa ſignificatio-

ficatione inſignitum pag. 32

B.

Ballatio]
Ballematio] pro *ſaltatione*, voces in ſolis inſcriptionibus obuiae 145
Baptiſmus, vox eccleſiaſtica 35
Bene de ſe merenti, formula lapidaris 143
Benna, vehiculi genus, vox Celtica 32
Beſtialis, vox barbara 34
Beſtialitas, vox barbara 31
Biclinium, vox hibrida ſed ferenda 30
Bigamus, vox hibrida 30
Blaſphemare, vox eccleſiaſtica 35
Blaſphemia, vox Graeca in Latinitate non adhibenda 32
Bracca, vox Celtica 32
Brundiſium non *Brunduſium* ſcribendum 10
Bulga, vox Celtica 32
Burgus, vox barbara 32

C.

Cacata charta, tranſlatio qualis 53
Caelebs non *coelebs* ſcribendum 11
Caeli pro *caelo* poeticum 39
Caeli fornices, qualis tranſlatio 53
Caerimonia, non *ceremonia* ſcribendum 11
Calculo pro *calculator* vox Ciceroniana rarior 167
Camara, non *camera* ſcribendum 11
Cambium, vox iureconſultorum recentior 38
Canonizare, vox eccleſiaſtica barbara 35
Capitaneus, vox barbara 31
Capitularis pro *ſeruo arcario*, in ſolis inſcriptionibus adhibetur 145
Carthaginienſis non *Carthaginenſis* ſcribendum 10
Caſtrata reſpublica 53
Caſualiter, vox barbara 34
Caſus pro *ſpecies* vocabulum iuridicum 38
Cauſſari vel *produci*, vox philoſophica 38
Ceterum fides eius rei penes auctores erit, formula hiſtoricis familiaris 83
Clueo vel *cluo* poeticum 39
Coaequalis, vox proba 34
Collateralis, vox barbara 34
Comiſſari non *commeſſari* ſcribendum 11
Comitari cum aliquo, loquutio in marmoribus occurrens, non imitanda 145
Commenſalis, vox barbara 34
Communicare cum quo, non *alicui* 17
Communiter non idem ac vulgo pag. 15
Comparatum eſt, quomodò conſtruendum 17
Complacentia, vox barbara 31
Complices, vox iuridica 38
Conciliare alicui, non cum quo 15
Condeſcendere, vox barbara 31
Conditionaliter, vox barbara, & cadentis Latinitatis 34
Condolentia, vox barbara 31
Confortare, vox barbara 31
Conlega pro *collega* non ſcribendum 6
Conruit pro *corruit* non ſcribendum 6
Conſcientia bona, *mala*, non ſatis Latina 35
Conſecrare de mortuis dictum paganorum mores redolet 35. quidnam Romanis ſignarit *ibid.*
Conſtituere ſenſu iuridico vocabulum probum 38
Contra ea, non *e contra* dicendum 13. 31
Contradictorius, vocabulum philoſophicum 38
Contritio, vocabulum eccleſiaſticum 35
Conuicium cur ſcribendum, non conuitium 6
Correſpondere, vox barbara 31
Cottidie, pro *quotidie* non ſcribendum 61
Couinus, vocabulum Britannicum 32
Creatura, vox eccleſiaſtica 35
Cruci affigere,]
- *ſuffigere*,] recte dicitur 35
In crucem agere, *tollere*, recte dicitur 35
Crucifigere, vox eccleſiaſtica 35
Cruſtulum ſanctificum an ſacra euchariſtia dicenda 37
Crux pro *calamitate*, vox eccleſiaſtica 35
Cryptoporticus, qualis vox 30
Cum ferarum Libycarum, conſtructio in marmoribus obuia non imitanda 145
Curabilis, vox barbara 34
Curare partui, an recte dicatur 16

D.

Damnare, *damnatio*, *damnati*, voces eccleſiaſticae 35
Deante, vocabulum in ſolis lapidibus obuium 144
Dentes lippiunt, phraſis Plautina 53
Deteriorare, vocabulum iureconſultorum barbarum 38
Deuotus numini maieſtatique eius, de hac formula quid ſentiendum 141
Dextella pro *dextra* ioci cauſſa a Cicerone dicitur

citur pag. 166
Dico ſequente non mutatur in *nego* 27
Dis manibus ſacrum, de hac formula lapidari quid ſentiendum 141. 142
Diſcurrere, *diſcurſus*, quid ſignificent 39
Diſpenſare pro *legibus ſoluere*, iuridicum 38
Diſtrictus pro *regione*, vocabulum barbarum 31
Diui, an beati recte dicantur 165
Duo, accuſat. maſc. 14
Duplicarius pro *eo qui utrique parti fauet*, in ſolis inſcriptionibus occurrit 145

E.

E contra vox barbara 13. 31
E contraria parte / *E contrario*] recte dicitur 13. 31
Ego vero quando dicatur 22
Elagabalus non *Heliogabalus* ſcribendum 10
Eleemoſyna, vox eccleſiaſtica 35
Eo aduerbium quomodo eleganter mutetur 26
Epirrhedion qualis vox 30
Epitogium qualis vox 30
Eremus, vox Graeca, in Latina oratione non adhibenda 32
Eſſedum, vox antiqua Gallica, ciuitate Romana donata 32
Eſſe videatur, clauſula periodorum Ciceroni familiariſſima 51
Eſt pro *licet* poeticum 39
Ethnicus, vox eccleſiaſtica, non refugienda 35
Euadere quomodo conſtruatur 16
Ex paruo creuit, loquutio in marmoribus occurrens, non imitanda 145
Exaudire preces, phraſis eccleſiaſtica 35
Excommunicare, vocabulum eccleſiaſticum 35
Exinde, cuius formae 31
Exotericus, vocabulum Graecum, in Latina oratione non adhibendum 32
Exſilium cur ſcribendum, non *exilium* 10
Extemporalis, vox proba 34
Extemporaneus, vox non ſatis Latina 34
Extrinſece, vox barbara 13
Extrinſecus adiect. vox barbara 13. 31
Extrinſecus, aduerbium probum ibid.

F.

Fauorabiliter, vox proba 34
pro felice aliquem adſpicere, non eſt Germaniſmus pag. 168
Femina non *foemina* ſcribendum 11
Feſtus dies, proba loquutio 35. 36
Feſtum, ſubſt. vocabulum eccleſiaſticum & poeticum ibid. 39
Feudum, vox origine Germ. 32
Filialis, vox barbara 34
Finalis, vox barbara ibid.
Finaliter, vox barbara ibid.
Flammiger, epitheton poeticum 39
Flauedo, vox barbara 34
Fore additur verbis ſpem vel opinionem denotantibus 22
Fornicari pro *ſcortari*, vocabulum eccleſiaſt. 36
Fornices caeli, qualis translatio 53
Fortalitium, vox barbara 31
Forte fortuna quomodo varietur 27
Foſſa ponti, translatio Prudentii 53
Framea, vox Germanica 32
Frunitus pro *fruitus*, in ſolis inſcriptionibus adhibetur 145
Futurum eſſe additur verbis ſpem vel opinionem denotantibus 22

G.

Gaza, vocabulum Perſicum 32
Genitor pro *patre*, poeticum 39
Genitrix pro *matre*, poeticum 39
Genius pro *angelo* num poſſit dici 37
Gentilis, vocabulum eccleſiaſticum, non refugiendum 35
Geſa, vox Celtica 32
Gnatus pro *filio*, comicum vocabulum 39
Grates agere, poeticum 39
Greges vlmorum, translatio Plautina 53

H.

Hactenus & *adhuc* quomodo differant 15
Hadrianus non *Adrianus* ſcribendum 10
Hallucinari falſo ſcribitur pro *alucinari* 11
Hannibal, non *Annibal* ſcribendum 10
Heic pro *hic* non ſcribendum 6
Heres magis placet eruditis, quam *haeres* 6. 7
unde deſcendat ibid.
Heros an vocari poſſit Chriſtus θεάνθρωπος 37
Hibridae quid ſint? 30
Hilarem ſe facere non eſt Germaniſmus 168
Hoc moninentum heredes ſequitur, formula lapidaris 143
Humane loqui opponitur τῷ poetice loqui 39

Humilis, *humilitas* pro *modeſto* & *modeſtia*, vocabula eccleſ. *pag.* 36
Hypocriſis vox Graeca in Latina oratione non adhibenda 33
Hypocrita, quid ſignificet 33

I.

Id quod pro *quod* 23
Ieiunare, vox eccleſiaſtica 36
Ilicet actum eſt, formula in funeribus adhibita 57
Implere legem, phraſis eccleſiaſtica 36
Impoenitens, vocabulum eccleſiaſticum 36
Importantia, vocabulum barbarum 31
Impoſſibile, vox barbara 39
In dies, non *indies* 12
In praeſentiarum, quid de hac voce ſentiendum 14. 31
In primis non *imprimis* 12
In poſterum non *impoſterum* 12
Inanilogus, vox hibrida Plauti 30
Incerta viae, conſtructio hiſtoricis familiaris 83
Inceſſabilis / *Inceſſabiliter*] vocabula barbara 34
Increbeſcere, non *increbreſcere* ſcribendum 11. 12
Incumbere, quomodo conſtruatur 17
Incurabilis, vox barbara 34
Incuruiceruicum pecus, loquutio poetica 39
Infernalis, vocabulum barbarum 34
Inferre pro *colligere*, vox barbara 39
Inquit quo loco ponendum 21
Inſanire pro *immodicos ſumtus facere* 168
Inſulſus, quid notet 58
Interiecto tempore, formula hiſtoricis ſollemnis 83
Intrinſece, vox barbara 13
Intrinſecus, adiect. barbarum 13. 31
Intrinſecus, aduerbium probum 13. 31
Inuiolabiliter, vocabulum barbarum 34
Irrationabilis / *Irrationalis*] vocabula proba 34
Irreconciliabilis, vocabulum barbarum 31. 34
Irregularis, vocabulum barbarum 31
Isque, emphaſeos cauſſa addi ſolet 23
quando adhibendum *ibid.*
Iubeo, quomodo conſtruatur 17
Iuramentum, vocabulum non ſatis Latinum 38
Iuxta, quid ſignificet 15

L.

Lacrima & *lacruma* ſcribunt veteres, raro *lacryma* *pag.* 12
Lacrimas exſpuere, phraſis Plautina 53
Lancea, vocabulum Hiſpanicum 32
Lapicidina non *lapidicina* ſcribendum 12
Legaliter, vox barbara 34
Legem implere, phraſis eccleſiaſtica 36
Leno pro *legato* apud Iuſtinum 167
Letum, poeticum 39
Liga pro *foedere*, vox barbara 31
Lippiunt dentes, phraſis Plauti 53
Littera non *litera*, ſcribendum 12
Litus non *littus* ſcribendum 12
Locus frequenter omittitur 24
Longanimitas, vox eccleſiaſtica 36
Lubens lugensque, formula lapidaris 143
Lubricitas, vox barbara 31

M.

Maecenas non *Moecenas* vel *Mecaenas* ſcribendum 10
Maeniana, non *moeniana* ſcribendum 12
Magnum ſe facere non eſt Germaniſmus 168
Malum interiectio iram denotat 23
Mappa, vocabulum Punicum 32
Matricula, vocabulum iuridicum 38
Mauricius non *Mauritius* ſcribendum 10
Maxima pro *regula* vocabulum barbarum 31
Mecaſtor, an ea formula iurandi vti liceat 55
Mehercle, an ea formula iurandi vti liceat *ibid.*
Meliorare, vox iuridica 38
Meridionalis, vox barbara 34
Miniſterium, vox eccleſiaſtica 36
Miraculoſus, vox barbara 31
Modernus, vox barbara *ibid.*
Moecha, *moechus* & *moechari*, vocabula Graeca in Latinitate non adhibenda 33
in quantum Latinitate donata ſint *ibid.*
Mol ſtari alicui, loquutio in marmoribus obuia, non imitanda 145
Momentaliter, vox barbara 34
Monere taurobolium, loquutio in marmoribus occurrens, non imitanda 145
Mundalis, vocabulum eccleſiaſticum 36
Monoculus, vox hibrida 30
Multiſſimus, an vocabulum Ciceronianum 167. ſq.
cur eo Bembus Ciceronianus vſus ſit *ibid.*
Mundus pro *colluuie impiorum* vel *rebus humanis*,

nis, notio eccleſiaſtica pag. 36

N.

Natus pro *filio*, poeticum 40
Ne omittitur 24
Nego, id eſt, dico non 27
Neotericus, vox Graeca in Latinitate non adhibenda 33
Neutralis, vocabulum barbarum 31. 34
Nicator non *Nicanor* ſcribendum 10
Nigredo, vox barbara 34
Nihil vt eleganter ponitur 21
eleganter repetitur 25
Niſi eleganter poſtponitur 21
Non modo, ſed etiam quomodo variari poſſit 26
Notorium, *notorie*, vocabula juridica 38
Nubere uxori acute dictum 95

O.

Obliuia pro *obliuione* poeticum 40
Obſcenus non *obſcoenus* ſcribendum 12
Obſecro additur interrogationibus 23
Occaſio frequenter omittitur 24
Oculariter, vocabulum barbarum 34
Olli pro *illi* archaiſmus 40
Opera bona, loquutio eccleſiaſtica 36
Operam abutitur ſuam, archaiſmus 40
Oportet, quomodo poſſit variari 27
Opponere abſolute poſitum, barbarum 39
Orphanus, vocabulum Graec., in Latinitate non adhibendum 33

P.

Paene non *pene* ſcribendum 12
Paganus, vox aeui Theodoſiani 35
Paradiſus, vox Perſica 32
Paraſanga, vocabulum Perſicum 32
Partialis, vox barbara 31. 34
Patricius, non *patritius* ſcribendum 12
Paullus, non *Paulus* ſcribendum 11
Peccata remittere, phraſis eccleſiaſtica 36
Petoritum, vox Celtica 32
Perpendiculariter, vox barbara 34
Phalanx vndarum, qualis translatio 53
Pientiſſimus, an hic ſuperlatiuus probus ſit 14
Pietaticultrix, vox poetica 39
Ploſtrum pro *plauſtrum* non ſcribendum 6
Poenitentia pro μετάνοια notio eccleſiaſtica 36
Pompoſus, vox barbara 31
Ponti foſſa, apud Prudentium qualis translatio 53
Por pro *puer*
Pora pro *puella*] voces in ſolis inſcriptionibus obuiae pag. 145
Poſtſcenia, qualis vox 30
Poſtulare pro *cauſſam agere*, vocabulum probum 38
Poſtumus non *poſthumus* ſcribendum 12
Potis vel *pote eſt* poeticum 39
Praeſupponere, vox barbara ibid.
Praxis, vox Graeca in Latinitate puriore non adhibenda 33
Primordialis, vocabulum barbarum 34
Prioritas, vocabulum barbarum 31
Profunda maris, phraſis hiſtorica 83
Prophetare, vocabulum eccleſiaſticum 36
Proportionalis, vocabulum barbarum 34
Protectio, vocabulum barbarum 31
Proximus, notio eccleſiaſtica 36
Ptolemaeus non *Ptolomaeus* ſcribendum 11

Q.

Quaeſo additur interrogationibus 23
Quamuis quid ſignificet 15
Quandoque idem ac *quandocumque* ibid.
Quanto quomodo eleganter mutetur 26
Quid eſt, quod pro *quid* vel *cur* 22
Quidam nominibus propriis additum quid ſignificet ibid.
exprimitur per *neſcio quis* 27
Quidem, quando modeſtiae cauſſa addatur 22
vim reſtringendi habet ibid.
Quis poſt *ſi* vel *ne* requirit declinationem τοῦ aliquis 14
Quisque ſuperlatiuis adiicitur 22
Quisquis eris, noſter eris, verba imperatorum 57
Quo quomodo eleganter mutetur 26
Quo factum eſt, formula hiſtoricis familiaris 83
Quod & *vt* quomodo differant 15. 16
quando poſſit vſurpari loco accuſat. cum infinitiuo ibid.
Quod niſi pro *niſi* 23
Quod ſi pro *ſi* ibid.
non eſt pleonaſticum *quod*, ſed retinet vim relatiuam ibid.

R.

Ratificare, vocabulum barbarum 31
Recommendare, vocabulum barbarum ibid.
Recompenſare, vocabulum barbarum ibid.
Redundare ad fructum, phraſis Ciceroniana 54

Repli-

Replicare, vocabulum iuridicum pag. 38
Reſipiſcentia plane non Latinum eſt, a Lactantio tamen vſurpatum 36
Reſiſtentia, vocabulum barbarum 31
Reuerti praeteritum *a reuertor* 14
Reuiſio, vocabulum barbarum 31
Revolutio, vocabulum barbarum 31
Rheda, vox Celtica 32
Rigoroſus, vocabulum barbarum 31
S.
Saecularis, notio eccleſiaſtica 36
Saeculum non *ſeculum* ſcribendum 12
Saluifico, vocabulum eccleſiaſticum 36
Saluus conductus, vocabulum iuridicum 38
Salutari pro *vocari*, poeticum 39
Sapo, vox Celtica ſiue Germanica 32
Satrapa, vox Perſica *ibid.*
Scabinus, vox Germanica *ibid.*
Scaevola non *Schaevola* ſcribendum 11
Scandalizare, vocabulum eccleſiaſticum 36
Scandalum, vocabulum eccleſiaſticum *ibid.*
Schola ollarum pro *receptaculo vrnarum*, in ſolis marmoribus occurrit 145
Scopulus patrimonii 53
Scrupulus conſcientiae non reperitur apud veteres 35
Scultetus, vocabulum Germanicum 32
Seine pro *ſine* non ſcribendum 6
Senatus populusque de municipiis non vſurpandum 144
Seorſum non *ſeorſim* ſcribendum 12
Serioſus, vox barbara 31
Si eleganter poſtponitur 21
Situatio, *Situari*] voces barbarae 31
Sollemnis non *ſolemnis* aut *ſolennis* ſcribendum 12
Sollers non *ſolers* ſcribendum *ibid.*
Sollicitus non *ſolicitus* *ibid.*
Strategema non *ſtratagema* ſcribendum *ibid.*
Subalternus, vocabulum barbarum 31
Succurſus, vocabulum barbarum *ibid.*
Superioritas, vocabulum barbarum *ibid.*
Supplicium pro *ſupplicatione*, notio Salluſtii 168
Supponere, vox barbara 39
T.
Tantum abeſt, hujus formulae vſus 26
Tata, vox non niſi in marmoribus obuia 145
Tempus frequenter omittitur 24
Tortura, vocabulum iuridicum 38
Torus non *thorus* ſcribendum pag. 12
Totaliter, vox barbara 34
Totus quomodo varietur 27
Traditio breui & longa manu, phraſis iuridica proba 38
Tribunicius, non *Tribunitius* ſcribendum 12
Triceſimus non *trigeſimus* ſcribendum 12
V.
Vacantia, vox barbara 31
Vacuefacere, verbum rarius apud Cornelium Nepotem 167
Vacuus, quid ſignificet 55
Vallatio, pro *ſaltatione*, vox in ſolis inſcriptionibus obuia 145
Vaſallus, vox origine Germanica 32
Velocibus pedibus, phraſis oratoria 83
Velox pedes, phraſis poetica *ibid.*
pedibus, phraſis hiſtorica *ibid.*
Venire pro *eſſe*, poeticum 39
Vernalis pro *vernus*, barbarum 34
Verſari quomodo conſtruatur 17
idem aliquando eſt ac *circumagi*, *vexari*, *agi* *ibid.*
Veſtis bene ſedet, non eſt Germaniſmus 168
Viator, cur haec vox in epitaphiis tam frequens 142 ſq
Viceſimus non *vigeſimus* ſcribendum 12
Virginia coniux, *Virginius compar*, *Virginius vir* } voces non niſi in inſcriptionibus comparentes 145
Virtuoſus, vocabulum barbarum 31
Vimorum greges, tranſlatio Plauti 53
Vndarum phalanx, tranſlatio qualis *ibid.*
Vomere verba, qualis tranſlatio *ibid.*
Vorago bonorum *ibid.*
Vſurpatio pro *interrupta vſucapione*, vocabulum iuridicum probum 38
Vt & *quod* quomodo differant 15. 16
Vt eleganter poſtponitur 21
omittitur 24
Vt ne pro *ne* 23
Vt quisque, ita pro *quo*, *eo* 26
Vterque alter pro *fratre* in ſolis inſcriptionibus occurrit 145
Vxoratus, vocabulum barbarum 14. 31
Z.
Zelus, vox Graeca in elegantiore Latinitate non adhibenda 33
Zythus, vocabulum Aegyptiacum 32

INDEX

INDEX IIII.

RERVM.

A.

Abbreuiationes vocum caute & raro adhibendae pag. 10
Abiectio vocum de ea regulae 23 ſeq.
Abſtracta eleganter ponuntur pro concretis 25
Accentus male e lingua Graeca eliminantur & in Latinam inducuntur 6
Acumina frigida 71
eorum fontes 95
non negligunt philoſophi 82
ſunt ſophiſmata 97
ad rariora auctorum reſpiciendum 166
Acutus ſtilus 94
an laude dignus ibid.
de eo qui ſcripſerint 95
Adagia quid 58
quando adhibenda ibid.
quae non ſint ibid.
multa ab Eraſmo collecta hoc nomen non merentur 59
vnde originem traxerint 58
Additio vocum, de ea regulae 22. ſq.
Adiectiua cum infinitiuis non temere ſunt iungenda 17
cur poëtae hoc affectent 17
ſubſtantiuis & praeponuntur & poſtponuntur 20
inter illa & ſubſtantiua interponunt aliquid Latini ibid.
in ſubſtantiua mutantur 24
pro aduerbiis a poëtis ponuntur 34
in *oſus* pleraque ſunt barbara 31
in *alis* vel *abilis* pleraque ſuſpecta 34
Adiuncta rerum philoſophia docet 99
eorum vſus in periodis conſtruendis 99 ſq.
Adloquutiones epitaphiis additae 142
Adluſiones ad fabulas & hiſtorias ignotas obſcuram reddunt orationem 73
Adoleſcentior cum filiis deceat 66
Aduerbia in *aliter* vel *abiliter* pleraque ſuſpecta pag. 34
Aduerſariorum liber quomodo conficiendus 169
Adulator inter eum & laudatorem diſcrimen 128
Aedificiorum pulcritudo in tribus conſiſtit 3
Aeſtimandi verba genitiuum adſciſcunt 16
Aliquis, *aliquando*, *alicubi* quando ſyllabam *ali* amittant 23
Aliquis poſt *qui* totum omittitur 23
Allegoria quid 53
eius nimium ſtudium taxatur ibid.
Ambiguitas, fons ioci 87. it. acutae dictionis 95
Ambitus in periodis quid 41
Amplificatio, exercitatio ſtili vtiliſſima 185
eius fontes 76. 185
Analogia in ſcribendis vocabulis non fingenda 6
Analyſis fundamentum imitationis 179
quomodo inſtituenda ibid.
Anaphora figura rhetorica 56
Antanaclaſis figura rhetorica 56
illi ineſt acumen 95
Ἀντιμετάθεσις figura rhetorica 57
Antiquae formulae ornant orationem ibid.
Antiquitates, ad eas adluſio ornat orationem ib.
Antiſpaſtus 51
Ἀντίθετον figura rhetorica 57
Apte dicere quid 61
vnde iudicari illud poſſit 29
At pro *Ad* ponebant quandoque veteres 11
Archaiſmi in oratione cauendi 39. 40
Areopagiticum iudicium 116
Argumenta e philoſophia petenda 101
in declamationibus quomodo inuenienda, diſponenda & elaboranda 120 ſq.
in panegyricis vnde deſumenda 130
quomodo elaboranda 131 ſq.

Argumenta, eorum diſpoſitio adcuratior perſpicuam reddit orationem pag. 75
Argutus ſtilus vid. *Acutus* ſtilus.
Aſiaticus ſtilus quis 64
eius hiſtoria ibid.
Aſper ſtilus quis 76
Atticus ſtilus quis 63
a Lyſia & Iſaeo corruptus ibid.
eius virtutes ibid.
Auctores claſſici, ex iis lingua Latina addiſcenda 148
quo ordine legendi 149
quatuor curſibus euolui poſſunt 149 ſq.
in eorum lectione quid notandum 164
Graeci cum Latinis, & hi inter ſe comparandi 175
Ἀξίωμα, qualis ſtili idea 77 ſq.

B.

Barbarorum irruptio in prouincias Romanorum, quantum nocuerit Latinae linguae 31
Breuitas periodorum & membrorum modo perſpicuitatis, modo obſcuritatis cauſſa 74 ſq.
Burleſque qualis dictio haec ludicra 86. 90
Plauto etiam fuit familiaris 90

C.

Caluitium a quo laudatum 119
Captatio beneuolentiae an neceſſaria 124 ſq.
Carminis ſolutio exercitatio ſtili vtiliſſima 184
Caſus obliqui nominatiuo praemittuntur 19
Cauſſas rerum philoſophia docet 99
quomodo ex iis periodi naſcantur ibid.
Cenotaphium, quid 140
Druſi Moguntinum ibid.
Piſanum ab Henr. Noriſio illuſtratum ibid.
Character, exercitatio ſtili vtilis 186
ſtili, de eo rhetores obſcurius differunt 61
Χιασμός, figura 47
Chriae Aphthonianae partes 77
Chriſtianorum monimenta vitioſiſſima quoad orthographiam 7
Chriſtus an recte vocetur *heros* 37
Ciceroniani, quid de iis ſentiendum 148 ſq.
Circumductio periodica 50
Circumſtantiarum ſubſidio quomodo themata inuenienda 119 ſq. an & argumenta illarum ope poſſint inueniri 112. 120
Ciuilis ſtilus 91
Ciuitas Latina an hodie exſtrui poſſit p. 148
Clauis, periodi ſpecies 52
Coarctatio exercitatio ſtili vtilis 184
Codices manu ſcripti veteres optimi 7
Colloquium quomodo elaborandum 138
Colon periodi quid 42
Colorum nomina in *edo* pleraque barbara 34
quaedam tamen auctoritate nituntur ibid.
Comici in ſtilo multum ſibi indulſerunt 39
eorum ſtilus proſaicus potius, quam poëticus 162
Comparatiui in fine periodorum eleganter ponuntur 20
iis adduntur ablatiui *iuſto*, *ſolito*, *dicto*, *ſpe*, *opinione* 22
Concinnitas orationis in quo conſiſtat 40
comparanda cum linea & perpendiculo 28
Concionatorius ſtilus 82
Concitatus ſtilus qualis & vbi eius vſus 78. 79
Concluſiones declamationum quales eſſe debeant 125
panegyricorum 133
epiſtolarum 114
Conditiones rerum e philoſophia petendae 100
earum vſus in periodis ibid.
Congruens dictio cum quo comparanda 28
vnde iudicari poſſit 28. 29
Coniugatio periphraſtica vbi adhibenda 17
Connectendi particulae in periodis compoſitis 45
Conſecratio epitaphiis praemitti ſolita 141
Conſtructiones Graecae Latinis ſubſtitutae 33
ſingulares in marmoribus occurrunt 141
Contraria e philoſophia petenda 100
eorum vſus in periodis ibid.
Conuentus Graecorum celebriores 116
in iis habitae orationes ibid.

D.

Declamatio quid 117. 118
an ad tria cauſſarum genera referri poſſit 117
quomodo elaboranda 117. 118
earum pleraeque ſunt generis didaſcalici 118
qua in re diſtet ab oratione ibid.
Definitio fundamentum ſtili philoſophicum 97
eius quis vſus in periodo 98
quotuplex ſit apud rhetores ibid.

Αειόσης

Δεινότης qualis dicendi idea pag. 80
Deſcriptio exercitatio ſtili vtilis 186
Dialogus quid ſit 135
quotuplex *ibid.*
hiſtoricus 136
comicus 135.136.138
perſonae in eo eligendae 135.138
partes eius 135. παρασκευὴ 136. prologus 137
narratio *ibid.* ἀγὼν *ibid.* epilogus 138
ſtilus eius qualis 85.139
tales qui ſcripſerint 134
an hodie eiusmodi ſcriptio ſit vtilis 134
an in dialogis liceat fingere 135
de quibus rebus ſcribantur 135
Diatypoſis, qualis figura 100
Dicendi vis, qualis orationis idea 80
Dichoreus 51
Dictiones hiſtoricis propriae 83
Didaſcalicum dicendi genus cur inuentum 117
qui de eo commentati ſint *ibid.*
Differentia ſtili exemplo demonſtrata 65
Dignitas, qualis orationis idea 77. ſq.
Dimenſa oratio quid 40
Diſpoſitio perturbata obſcuram reddit orationem 73
Diſſerere in vtramque partem an liceat 118
Diuiſio vocum quomodo fiat 10
fundamentum ſtili philoſophicum 99
eius in periodorum conſtructione vſus *ibid.*
Docentes qualis ſtilus deceat 81
Δριμύτης genus dicendi 94
Druſi monimentum vel cenotaphium Moguntinum 140

E.

Eccleſiaſtica vocabula an & in quantum adhibenda 35.36
quomodo Latinius reddenda 35
Editiones auctorum claſſicorum optimae ſingulorum auctorum deſcriptioni ſubiectae ſunt 149
Effectus rerum philoſophia docet 99
eorum in periodis conſtruendis vſus 99
Eichelſtein monimentum Druſi Moguntinum 140
Εἰρομένη oratio quae 40
Ἐκκλησίαι Athenienſium quid 116
in iis habitae orationes *ibid.*
Elegantiora verba non negligunt philoſophi pag. 82
Ellipſes parcius adhibendae 73
frequentes tamen auctoribus *ibid.*
Elogia in epitaphiis qua ratione componenda 142
Eloquentes iidem fuere olim qui *ſapientes* 4
Eloquentia a ſapientia ſciſſa *ibid.*
Elocutio rhetorica ad quot capita referatur? 27.28
Enallage hiſtoricis frequens 84
Ἐναντιοφανὴς iocorum fons 89
Enthymema oratorium quid 105
Epanalepſis ſchema poeticum 94
Epanodos figura rhetorica 56
Ἐπανόρθωσις figura rhetorica 57
Epiſodia cauenda 189
Ἐπιστημονικὸς ſtilus qualis 80
Epiſtolae quotuplices 107.109
elaboratiores 111
quae in iis vitanda 115
familiares & miſcellaneae 109
quomodo elaborandae & connectendae *ib.*
in iis non diſputamus 92
an in iis locum habeant illuſtrationes 112
de iis conſcribendis quinam commentati ſint 106
quomodo inſcribendae 114
illarum genera varia 107
reſponſoriae quomodo conficiendae 110
Epiſtolae clarorum virorum in cauſſa remonſtrantium 107 ſq.
Epiſtolicus ſtilus qualis 91.92
Epiſtolicas inſtitutiones qui ſcripſerint 106
an eae vtiles *ibid.*
formulas qui collegerint 106.107
an eae utiles 107
Ἐπισύναψις periodi quid 43
Epitaphia, quid ſint 140
quomodo componenda 140.141
Epitaphium Hugonis Grotii 143
Epitheta frigida quaenam 70. ſq.
poetica 39.71.72.92.162
eorum vſus quis ſit 71 ſq.
a Nizolio collecta 168
Ethniciſmus ſtili 55
Ethopoeia exercitatio ſtili 187
tales ſcripſit Theon *ibid.*

Ἦθος, qualis dicendi idea p. 78
ἤθη quotuplices ibid.
Etymologiae habenda eſt ratio 6
Euphonia non eſt negligenda in ſcribendo 6
quantum illi in mutatione litterarum tribuendum 9
Excerpta an ſint neceſſaria 166 ſq.
eorum methodus expeditiſſima 167
lexicographica ibid.
rerum quomodo fieri debeant 169
Exclamationes in ſtilo hiſtorico frigidae 84
iis ſaepe vtitur Florus ibid.
Exercitationes ſtili neceſſariae 3. 4. 182
earum variae ſpecies, veluti
verſio 183
variatio ibid.
carminis ſolutio 184
coarctatio ibid.
amplificatio 185
character 186
deſcriptio ibid.
ethopoeia 187
Exordia epiſtolarum 113
inexſpectata in epiſtolis optima ibid.
declamationum generalia & ſpecialia 123
panegyricorum 133
quomodo diſponenda 123
Exſilium a quonam laudatum 119
Extrema in ſtilo cauenda 1
in orthographia cauenda 5 ſq.
in numero oratorio cauenda 51
in imitatione cauenda 170 ſq.

F.

Figurae ſelectiores, quae orationem ornant 56
hiſtoricis propriae 83
quae & in quantum hiſtoricum dedeceant 84
poëtis propriae 94
orationi ſublimi conuenientes 70
Floridus ſtilus qualis 78
Formulae, quae eleganter orationi quaſi per parentheſin inſeruntur 20
euentum vel conſequentiam indicantes 22
ad antiquas adluſiones elegantiam conciliant orationi 57
ſalutandi, bene precandi, petendi cet. veterum 86
in inſcriptionibus notandae 145
Frigidus ſtilus p. 70
Fundamenta ſtili quotuplicia 4
grammatica 5
vnde illorum neglectus pendeat 5 ſq.
rhetorica 27
philoſophica 97
quae argumentis inſeruiunt 101
Fuſa oratio qualis 40
Futurum exactum 17

G.

Genera cauſſarum tria 116
eorum origo ibid.
an hodie vſum habeant 117
Geneſis fundamentum imitationis 180
Genus dicendi *Aſiaticum* cur inuentum 117
Germaniſmi adparentes 168
Gerundia mutantur in participium in *dus* 26
τὸ γλαφυρὸν cuius orationis idea 78
Gloſſatores nitorem orationis cultum eierarunt 5
ii quomodo ſcripſerint? ibid.
multa excogitarunt vocabula 13
Gnome & Noëma quomodo differant 59
Γοργότης qualis orationis idea 78
Graeca vocabula Latina ciuitate donata 32
quae non adhibenda ibid.
in diſciplinis & libris didacticis poſſunt adhiberi 33
parum emphatica ridicule vſurpantur ib.
adagia & ſententiae inter eruditos gratiam aliquam habent ibid.
Graeci cur tanto ſtudio ſeſe eloquentiae dederint 115
Graeciſmi in puriore Latinitate cauendi 33
illos amant poetae 93
Grammatica iuſtam verborum compoſitionem docet 4
Grammaticorum quorundam faſtus notatus 2
Grauis ſtilus qualis 75
decet hiſtoricos pragmaticos 83. 84

H.

Hemiſtichia an proſae immiſcenda 59. 60
Hybridae voces cauendae 30
quando iis vtendum ibid.
Hiſtoria in panegyricis quomodo tractanda 131
Hiſtoriae an recte inſerantur orationes fictae 91
ejusmodi orationum character ibid.

Hiſto-

Hiſtoriae Auguſtae ſcriptores, eorumque ſtilus pag. 159
Hiſtoricus ſtilus, qualis 72. 83
poëſi proximus eſt 83 ſq.
propria habet vocabula propriasque phraſes *ibid.*
Hyperbolae ineptae frigidam reddunt orationem 53. 70
non ferendae in hiſtoria 85
Hypotypoſis, qualis figura 100

I.

Ignauus ſtilus qualis 79
Imago, figura rhetorica 56
Imitatio quid ſit 170
cuius auctoris tentanda 171
extrema in ea euitanda *ibid.*
an plane omittenda *ibid.*
ſeruilis *ibid.*
puerilis 173. 174
maſcula 173. 175. ea imitatur inuentionem 175
diſpoſitionem 176. adfectus 175. mores 176
eloquutionem 178
eius fundamenta analyſis & geneſis 179
Imitatores abſurdi taxantur 68
Inciſim dicere quid 41. 50. vbi ita dicendum 51
Infinitiuus pro gerundiis, participiis, coniunctiuis poſitus, Graeciſmus eſt parum laudabilis 33
pro imperfecto ab hiſtoricis poni ſolet 84
Ingenium requiritur ad ſtilum 3
Inſcriptio vetus, in qua litterae minores maiuſculis mixtae 8
muris Veronenſibus addita 141
Inſcriptiones, in iis qualis orthographia 7
earum collectores 139
ſtilo lapidari quomodo elaborentur 140
nouae qua occaſione inuentae 139
quid de iis ſentiendum 139
quomodo hae elaborandae 141. 145 ſq.
tales qui ediderint 139. 145 ſq.
priuatorum ſtatuis ſubiectae vnde 141
Interpunctiones neceſſariae 43
Interpungendi regulae *ibid.* gradus 43. 44
Inuentio thematum in declamationibus vnde petenda 119
Ioci quinam illiberales 89 ſq.
eorum fontes & modi 87 ſq.
Ioci, iis an etiam in docendo vti liceat p. 82
in dialogis qua ratione adhibendi 86
Ἰσόπλευρος, ἰσοσκελὴς vocabula geometrica 48
Itali cur Latine rarius loquantur 148
inuentores inſcriptionum nouarum 139
Iudicium de rebus & factis in quantum hiſtoricos deceat 84
Iureconſultorum Latinitas qualis 37
illius aetates *ibid.*
vocabula cauenda 38

K.

τὸ Κάλλος 77
Καλλωπισμὸς orationis idea *ibid.*
vnde naſcatur *ibid.*
ponitur in vitio *ibid.* ſq.
Κατεστραμμένη oratio quae 40

L.

Lacedaemonii ἄμουσοι 62. 63
Laconicus ſtilus qualis 62
Λαμπρότης quaenam orationis idea 76
Lapidaris ſtilus qualis 144
Latina lingua eſt lingua demortua 147
an ciuitas Latina exſtrui poſſit, in qua vſu addiſcatur haec lingua 148
ex auctoribus addiſcenda *ibid.*
cur raro loquantur Itali *ibid.*
an ſolo vſu addiſci poſſit *ibid.*
an ſola ſcriptione addiſcatur *ibid.*
an illius facultas ſit eruditio 2
de illa addiſcenda conſilia 148
Latine dicere quid 28
ponit etiam ſcribendum eſſe plane *ibid.*
Laudare quando ſe ipſum liceat 76
an liceat res vituperandas 119
Laudator, inter eum & adulatorem diſcrimen 128
Lentus ſtilus quis & qualis 79
Lexici boni lectio commendatur 15. 29
Litterae origine Graecae quando locum inuenians 9
minuſculae ſaeculo iam quarto adparent 8
de iis regulae orthographicae 9
maiuſculae ſolae olim Romanis notae 7
de maiuſculis & minuſculis regulae orthographicae 7. 8
Locus communis quid 101
moralis *ibid.* politicus *ibid.* 131
in panegyricis neceſſarius *ibid.*

Locus communis oratorius a progymnaſmatico diuerſus *pag.* 101
quomodo elaborandus *ibid.*
eſt tractatio chriae *ibid.*
Luxum quis laudauerit 119

M.

Magnitudo qualis orationis idea 75
Manu ſcripti codices veteres recentioribus ſunt praeſtantiores 7
quantum fidei habendum ſit formulae *conſuli &c.* *ibid.*
Marmora vitioſam ſcribendi rationem ſaepe exhibent *ibid.*
nec non vocabula & phraſes reliquis auctoribus ignotas 144 ſq.
τὸ Μέγεθος qualis orationis idea 75
Membratim dicere quid 41
vbi ita dicendum 51
Membrum periodi quid 42
ea non ſint nimis inaequalia 48
Μετάληψις poetis vſitata 93
Metaphora vid. Translatio.
Meteora orationis quid 70
Methodus paraenetica 82
Metonymia an ornet orationem 54 ſq.
Monimenta veterum diuerſa ſunt diſtinguenda 7
publica quomodo diſponenda 144
an principum conſueti tituli in iis adhibendi *ibid.*
Moratus ſtilus qualis 78
Moria Eraſmi cur ſcripta 119
Muſca a quo laudata *ibid.*
Myſteria Chriſtianae religionis an formulis profanis explicanda 36

N.

Negligentia in orthographia non eſt laudanda 6
Nemo, huius caſus obliqui periodum eleganter claudunt 20
Noema quomodo differat a Gnome 59
Nomen mutatur in verbum 25
Nomina propria perperam ſcribi ſolita 10
vnde corruptio illa prouenerit *ibid.*
Nota verba perſpicuam reddunt orationem 73
Noua vocabula obſcura ſunt *ibid.*
Numerus oratorius, de eo quid ſentiendum 51 ſq.
Numi Romani, qualis in iis orthographia 7
Numi Romani praeferendi ſunt lapidibus *pag.* 7

O.

Obliqui caſus periodum inchoant 19
Obſcuritas ſcriptionis eſt quandoque a lectore, non ab auctore 82
Obſcurus ſtilus qualis 73. 81. 82
vnde naſcatur 73 ſq.
ſuſpectus 82
Obſoleta vocabula cauenda 39
obſcuram reddunt orationem 73
Ὁμοιοτέλευτα cauenda 21
iis delectatus eſt Auguſtinus *ibid.*
Ὡραϊσμὸς qualis orationis idea 73
Oratio breuis decet imperantes 67
concinna 40
dimenſa *ibid.* fuſa *ibid.* κατεστραμμένη *ibid.*
εἰρομένη *ibid.* verſa & fuſa miſcenda 50
ſublimis qua ratione fiat 69
Orationes Graecorum, quibus occaſionibus habitae 115 ſq.
hodiernae quotuplices 117
hiſtoricis inſertae, quid de iis ſentiendum 91
Oratoria, an eius finis ſit perſuadere 116
Oratorius ſtilus 90
Ordo verborum perturbatus obſcuram reddit orationem 74
an apud Latinos obſeruandus 18. 19
Ornatus linguae Latinae, de eo regulae 19 ſq.
orationis, de eo regulae 52
Orthographia, in ea quid cauendum 5 ſq.
de ea qui ſcripſerint 5
adfectata quaenam 6. regulae de ea 7. 8
illius fontes interni & externi 6
in ea multa immutata 7
veterum monimentorum qualis 6 ſq.
eius negligentia non eſt laudanda 6
an in inſcriptionibus obuia imitanda 141
Ὀξύμωρον, figura rhetorica. 57

P.

Paderbonenſia monimenta Ferdinandi epiſcopi laudantur 140
Paeon tertius 51
Panegyres Athenienſium quid 127
Πανηγυρικὸν idem quod magnificum *ibid.*
Panegyricus quid 118. 127
quotuplex 130
an panegyricos ſcribere liceat 127
quinam ſibi ſcribi vetuerint 128

Panegyricos qui e veteribus ſcripſerint p. 128
qui e recentioribus 129
collectiones panegyricorum *ibid.*
eorum ſtilus 133
vnde in iis argumenta petenda 131
Paradiaſtole, figura rhetorica 57
Paraenetica methodus 82
Parentheſes prolixae obſcuram reddunt orationem 74
Parenthyrſus quid 79
Paronomaſia figura rhetorica 56. 95
Partes periodorum compoſitarum differunt a colis 42
Participiorum vſus, de eo regulae 25 ſq.
Participium verbo iungitur, tamquam conſequenti antecedens 23
in DVS eſt ἀόριστον ſ. indefinitum 26
Particularum vſus 15
Patres eccleſiaſtici quo ſtili vitio laborarint 81. 83
Peregrina verba obſcuram reddunt orationem 73
Περιβεβλημένον, Περιπεπονημένον] quae dicendi ideae 76
Periodus quid 40
quotuplex 41
ſimplex vel μονόκωλος 41 ſq.
compoſita quid & quotuplex 42
bimembris vel δίκωλος 44
trimembris vel τρίκωλος 45
quadrimembris vel τετράκωλος 46
vbi illa vtendum 50
cauſſalis, conditionalis, contraria, comparatiua, conceſſiua, disiunctiua, copulatiua 44. 45
χιαζομένη 47. rotunda aliaeque 52
an tota oratio periodis conſtrui debeat 50
eius protaſis & apodoſis 42
eius cola *ibid.*
non debent eſſe nimis inaequalia 48. 49
eius leges 41. aequales & inaequales 48
ἰσόπλευροι, ἰσοσκελεῖς, μείουροι, μακρόκωλοι *ibid.*
vbi ſingula periodorum genera adhibenda 50
non debent pluribus quam quatuor membris conſtare 49
breues in quantum deceant hiſtoricos 84
Periodica circumductio p. 50
quae pulcherrima *ibid.*
Περιοδικὸν quid 49
Periphraſis, figura rhetorica 57
Perſica vocabula ciuitate Latina donata 32
Perſpicuus ſtilus quis 73
vnde naſcatur *ibid.*
a quibus diſcendus 75
decet hiſtoricos 84
Philoſophia ſuppeditat orationi ſententias neceſſarias 4
ex ea res & ſententiae depromendae 97
Philoſophica ſtili fundamenta qualia *ibid.*
vocabula 38
Philoſophicus ſtilus qualis eſſe debeat 80 ſq.
Phraſes diuerſae vnde petendae 157
elegantiores ex auctoribus claſſicis addiſcendae 164
Pigritia a quo laudata 119
Pluraliter de ſe loquebantur Latini modeſtiae cauſſa 55
Pneuma quid 49
quando illo vtendum 51
Podagram quis laudarit 119
Poetae humano ſermone non vti dicebantur 39
a propriis eorum loquutionibus abſtinendum *ibid.*
vnde illae cognoſcendae *ibid.*
etiam oratores imitati 184
eos an in proſa imitari liceat 162
eorum lectio cur vtilis *ibid.*
cur adhibuerint Graeciſmos 33
Poeticus ſtilus 92
Poetica epitheta *ibid.* phraſis 93
conſtructio *ibid.*
connexio 94
figura *ibid.*
vocabula cauenda 39. 92
Politicus ſtilus 91
Polonorum orationes cothurno ſemper inceduut 126
Praepoſitiones rite ſunt adhibendae ad exemplum veterum 17
Principis orationi qui ſtilus conueniat 72
Principum tituli ſtilo lapidari expreſſi 142. 144
Pronomina complura eleganter coniunguntur 20
poſſeſſiua quomodo ponantur *ibid.*

Pronunciandi ratio antiqua paene hodie interiit pag. 7
Propoſitiones incidentes vbi ponendae 19
comparatiuae eleganter comparatiuo praeponuntur ibid.
conditionales orationi veluti per παρένθεσιν inſeruntur 20
Proprietas vocabulorum perſpicuam orationem reddit 73
eam ſectatus Apuleius. vid. *Apuleius.*
eum amauit Epicurus. vid. *Epicurus.*
Prouerbia vid. *Adagia.*
Pulcritudo ſtili quotuplex 77
qualis deceat hiſtoricos 84
& eloquentiae candidatos 97
Puritas orationis 29 ſq.
de ea regulae 30 ſq.
decet ſtilum hiſtoricum 83

Q.

Quaeſtiones quid, cur, quomodo augeantur? 22

R.

R & D in quibus vocibus alternent 11
Rara in auctoribus an imitanda 168
Rationes veritatum e philoſophia depromendae 100
Rei ruſticae ſcriptores 157
Res in auctorum lectione praecipue attendendae 166
a verbis non ſunt ſeparandae 72
Rhetores Graeci artem data opera difficiliorem reddebant 73
veterum praecepta an hodie habeant vſum 117
Rhetorica de quibus praecipiat 27
diſponit & exornat orationem 4
vetus an hodie vſum habeat 115. 117
eius origo 115
Rhetorica ſtili fundamenta 27 ſq.
Rhodius ſtilus quis 65
qui eo vſi ſint ibid.
Ritus antiqui, ad illos adluſiones elegantem reddunt orationem 57

S.

Sales etiam in ſtilo philoſophico laudantur 82
abeſſe debent a rebus grauibus ibid.
Σαφήνεια, qualis orationis idea 73
Sapientes & *eloquentes* iidem fuere olim p. 4
Sapientia ab *eloquentia* ſciſſa ibid.
Schemata vid. *Figurae.*
Schoenotenes quid 50
Schola rhetorica Rhodi qui illam frequentauerint 65
Scholaſtici veteres omnem orationis cultum eiecarunt 1
id qua ratione fecerint. ibid.
multa finxerunt vocabula 15
Scholiaſtae veteres diligenter legendi 169
Scriptionum genera varia 4
S[illegible]gatio, ſchema poeticum 94
Σεμνότης qualis orationis idea 75
Sententiae, quando iis vtendum 59
earum virtutes ibid.
iis frequentiſſime vtitur vulgus ibid.
auctorum aliis verbis exprimendae 174
quae deceant ſtilum ſublimem 69
e philoſophia depromendae 100
Sententioſus ſtilus, quid de eo ſentiendum 59 ſq.
Siglae in inſcriptionibus obuiae 145
de iis qui ſcripſerint ibid.
Signa diſtinctionum quomodo in periodis aptanda 42 ſq.
Significationes vocum falſae vitandae 13
Similitudines quae conueniant ſtilo ſublimi 70
Socratici ſales 82
Sophiſmata in acuminibus latent 96
Sophiſtarum veterum eloquentia calamiſtrata 1
Sophiſticus ſtilus qualis 2. 77
quis & vnde iudicare de eo queat 2
de eo diſſertatio *Kriegkii* laudata 2. 77
Σφοδρότης quaenam orationis idea 76
Spiritus, periodi ſpecies 52
Stilus eſt eruditionis ornamentum, non ipſa eruditio 2
vere elegans quis ſit 3 ſq.
eius barbaries reprehendenda 2
an poſſit doceri 3
ad eum qui apti 3. 4
eius fundamenta qu[illegible]plicia 4
eius characteres obſcurius vulgo deſcribuntur 61. 66
eius differentia explicata 62

Stilus

Stilus rebus debet eſſe proportionatus p. 72 ſq.
quis cuique excolendus 65. 66
eius diuiſio diuerſa quoad qualitatem 66
Acutus & *Argutus* 94. *Aſiaticus* 64
magis decet iuuenes, quam viros 66
Aſper 76. *Atticus* 63 ſq.
corruptus a *Lyſia* & *Iſaeo* ibid.
Ciuilis 91. *Circumductus* 76. *Concionatorius* 82. *Concitatus* 78
quando eo vtendum 78
Declamationum qualis 126
Dialogicus 85. 139
Epiſtolicus 91. 114. *Exaggeratus* 76
Floridus 77 ſq. *Frigidus* 70. *Grauis* 75
Hiſtoricus 83. *Ignauus* 79. *Inaequalis* 68
Inconſtans ibid. *Laconicus* 62
an laude dignus ibid.
Lapidaris 144. *Lentus* 79. *Magnificus* 68 ſq.
Mediocris 68. *Moratus* 78. *Obſcurus* 73. 81 ſq.
Oratorius 90. *Panegyricorum* qualis 133
Perſpicuus 73. *Philoſophicus* 80. *Poëticus* 92
Politicus 91. *Pulcher* 77. *Rhodius* 65
Sententioſus 59. *Siccus* 67
Sophiſticus 2. 77. *Splendidus* 76. *Sublimis* 69
Tenuis 67. *Vehemens* 76
Statuarum inſcriptiones vnde 144
Stultitia a quo laudata 119
Sublimem quid reddat orationem 69
Subſcriptio epitaphiorum 143
Subſtantiua in *udo*, circa eorum vſum magna cautio adhibenda 34
Subſtantiuum in *adiectiuum* mutatur 24
Superlatiui in fine orationis eleganter ponuntur 20
mutantur in comparatiuos 25
iis additur *quam*, *longe*, *multo*, it. *quiſque* 22
quomodo circumſcribi poſſint 25. 26
Syllogiſmus oratorius quid 103
eius vſus ibid.
quomodo elaboretur 104
quid antiquis rhetoribus ſignet ibid
Synecdoche an elegantiam conciliet orationi 54
Syntaxis ornata 18
vitioſa cauenda 16

T.

Taſis quid pag. 49. 50
Technica vocabula, ab iis abſtinendum 38
Tempora coniugationum ex participiis & verbo ſubſtantiuo compoſita eleganter diuelluntur 20
Themata declamationum quomodo inuenienda 118
Tituli ſtilo lapidari expreſſi 142
quales in epiſtolis vſurpandi 114
Τραχύτης qualis orationis idea 76
Translatio ornat orationem 52
quid ſit ibid.
qualis eſſe debeat 53
non nimis frequentanda 54
audacior, circa illam cautelae ibid.
Transpoſitio ſyntactica, regulae de ea 19 ſq.
Tropi plerique ad pallianda auctorum vitia inuenti 54
de iis adhibendis regulae 55

V.

V & *u*, quomodo differant 9
Variatio, exercitatio ſtili vtilis 183
quotuplex 24
grammatica, de ea regulae ibid.
per caſus 24. 183
per phraſes 24.
adiectiui per ſubſtantiuum 24
nominis per verbum 25
ſuperlatiui ibid.
per participia ibid.
ſpecialis, de ea regulae 26
particularum ibid.
per figuras 183 ſq.
Vehemens ſtilus 76
Verba aliena quomodo in oratione recenſeantur 21
duo, quorum alterum ab altero regitur, eleganter ſeiunguntur 20
qualia ſtilo ſublimi conueniant 69
ſine ſententiis loquentiam potius arguunt quam eloquentiam 4
illorum quae ſit vis ibid.
a rebus non ſunt ſeparanda 72
ſpem vel opinionem denotantia quomodo conſtruantur 22
Verſio qualis vtiliſſima 183
Verſus in proſa oratione caſu nati 21

INDEX IIII. RERVM.

Verſus an proſae immiſcendi . pag. 60
poſſunt ſtilo ſoluto exprimi 60. 184
quando ſint retinendi 60
iis vtendum rarius ibid.
Viros qui ſtilus deceat 66
Vis dicendi qualis orationis idea 80
Vituperare res laudandas an liceat 119
Vocabula barbarae originis vitanda 31
vnde notitia illorum capienda ibid.
vnde in Latinam linguam irrepſerint ibid.
Graeca in quantum adhibenda 32
e ſacris profanis petita religionis Chriſtianae ritibus non adplicanda 36
eccleſiaſtica 35
flectenda rite 14
hiſtoricis propria 83
Vocabula iuridica pag. 37
obſoleta 39. 40
perperam ſcribi ſolita 16 ſq.
philoſophica 38
poetica 39
analogiae repugnantia 13
pura a, ſuſpectis quomodo diſcernenda 29 ſq.
Vocatiui, vbi ponendi 19
ad adfectum exprimendum primum locum occupant, & bis terue repetuntur ibid.
Voces analogiae repugnantes vel barbarae, vel ſuſpectae ſunt 31
Vulgatus interpres, eius Latinitas inquinata 149

FINIS INDICIS VERBORUM.

JOH. GOTTL.

HEINECCII,

JURISCONSULTI CELEBERRIMI,
Potentiſſimi REGIS PRUSSIÆ *quondam à ſanctioribus Conſiliis, & Anteceſſoris* HALENSIS,

ELEMENTA PHILOSOPHIAE RATIONALIS & MORALIS,

Ex Principiis admodum evidentibus juſto ordine adornata.

PRAEMISSA EST

HISTORIA PHILOSOPHICA.

EDITIO QUINTA ACCURATISSIMA.

GENEVÆ,
Sumpt. Hær. CRAMER & Fratr. PHILIBERT.

MDCCXLIV.

LECTORI CANDIDO

S. P. D.

JO. GOTTL. HEINECCIUS, JC.

QUamvis & ab adoleſcentia diſciplinis illis, quae partem hominis praeſtantiſſimam perficiunt, veramque rerum divinarum ac humanarum notitiam ex ipſa recta ratione derivant, magnopere me delectari meminerim, & poſtea ita Deo viſum fuerit, ut publicum earum tradendarum munus in illuſtri Fridericiana mihi longe clementiſſime demandaretur: non tamen praeſagivit umquam animus, fore, ut poſt tot eximios philoſophos aliquid hujus generis in lucem emitterem, aut compendiorum, quorum ipſà fere copia inopes reddimur, numerum à me amplificandum exiſtimarem. Cum aliae enim rationes, tum vel maxime ea de re cogitare me vetuit partim juris docendi dicundique perpetuus labor, qui extremis annis, dum Halae vixi, me ſibi totum vindicavit, partim munus Anteceſſoris, in illuſtri Franequerana ab illuſtriſſimis Friſiae Ordinibus mihi praeter omnem ſpem

atque exſpectationem conditionibus ſatis ſplendidis liberaliter decretum, in quo de priſcis illis amoribus meis, id eſt, de philoſophia, paullo minus, quam antehac, ſollicitus, tempus fere omne, quod a publicis privatiſque lectionibus vacuum habui illuſtrandae juris prudentiae, variiſque libellis juridicis ſcribendis conſecravi. Quin ut fatear, quod res eſt, numquam fortaſſis me ad priſtina illa philoſophiae ſtudia ita totum retuliſſem, ut aliis viam, qua ad ſapientiam itur, docendo ſcribendoque monſtrare conſtituerem, ſi meo res actae eſſent arbitrio. Noveram ſane, quam periculoſum hoc ſaeculo ſit, vacare philoſophiae, & quid rectae rationi conveniat repugnetve, libero a praejudicatis opinionibus animo inveſtigare. Non ignorabam, quantis plerumque odiis, quot conviciis, quin & ſtructis inſidiis non numquam, res geratur, ubi quis ab alterius opinione ſuam ſejungit ſententiam. Denique ipſa me docuerat experientia, ſi in ullo diſciplinarum genere, in philoſophiae ſane ſtudio, ubi minime oportebat, quam maxime regnare auctoritatis humanae praejudicium, & ſtudioſam juventutem magis plerumque, qua itur, quam, qua eundum eſt, ire. Habent fere ſaecula ſingula certam philoſophandi methodum, quae aliquamdiu ſola publici ſaporis eſſe ſolet, adoleſcentibuſque tantiſper ad palatum eſt, dum alius quidam philoſophus non ſine ſtrepitu in ſcenam prodeat. Fuit, quando homines furfure ſcholaſtico paſcebantur, ſibique videbantur in coelo verſari, ſi de haecceitatibus, quidditatibus, futuritionibus, individuationibus, & mille nugis metaphyſicis, multa, nec ſibi nec aliis intellecta, proferre, ſyllogiſmos in qualibet figura & modo tornare, eoſdem ad primam reducere, regulas ex locorum dialecticorum armario depromptas, tamquam tela, vibrare, ſophiſmatibus puerilibus etiam in re ſeria ludere, ludenteſque his crepundiis formaliter in ruborem dare didiciſſent. Fuit, quando evileſcere haec ſacra, & ſapientiae ſtudioſi rebus aliis, puta, illis primi, ſecundi, tertii elementi particulis, illis coeli vorticibus, impreſſa illa mentibus mortalium entis perfectiſſimi idea, ſolibus denique in planetas degenerantibus, & mechanicis rerum omnium cauſſis unice delectari, & haec ſimiliaque

adeo

adeo pro Sibyllae foliis habere coeperunt, ut non philoſophus, ſed rerum omnium ignarus, videretur, qui mentem in glandula pineali deliteſcere, Carteſiumque ſolum ſapere, negare auſus eſſet. Mirabatur tum orbis litterarius, ſe ex Ariſtotelico tam citò factum eſſe Carteſianum: ſed multo magis paullo poſt mirabatur, quum alibi philoſophiam corpuſcularem & atomiſticam, alibi novum genus philoſophandi ex Kabbalae, ſcholae Pythagoricae & Platoniſmi principiis conflatum, invaleſcere animadverteret. Quo obſcurior, magiſque a ſenſu communi remota erat haec philoſophia, quo plura, eaque horribilia myſteria promittere videbatur: eo magis aliquamdiu placebat ingeniis novaturientibus, donec alii occuparent cathedras, qui vel in nullius verba magiſtri jurantes genus philoſophandi ἐκλεκτικὸν commendarent, vel juvenes a pulvere & radio excitatos ad profundiorem metaphyſicam & philoſophiam mathematicam revocarent, & non niſi ſublimiores iſtas ſpeculationes, quas LEIBNITIO, NEWTONO, aliiſque magnis ingeniis debemus, philoſophematum nomine dignas arbitrarentur. Ita ſemper evenit philoſophiae, ſcientiarum pulcherrimae, quod ſolet formae veſtimentorum, quae ſingulis non dicam ſaeculis, ſed luſtris immutatur. Quemadmodum enim jam longiores tunicae placent, jam breviores: modo anguſtiores manicae, mox prolixiores oculis blandiuntur, nihil ut nobis magis ridiculum videatur effigie, hominem pro ſuperioris ſaeculi genio quam ſplendidiſſime veſtitum oculis noſtris ſubjiciente: ita & philoſophia alio tempore alia ad palatum eſt, ut viro, philoſophorum recentiſſimorum imbuto principiis, non minus ridiculae videantur veterum meditationes, quam nobis majorum noſtrorum habitus videtur. Et erit tamen, niſi fallimur, tempus, quando & horum luminibus officient alii, non multo poſt μετὰ πολλῆς φαντασίας in hoc theatrum prodituri. Rerum enim omnium, heus, quaedam viciſſitudo eſt, nec ita profecto ſe habent ſtudia mortalium, ut una eademque res diu admodum placere poſſit. Quod adoleſcens ex praeceptore me audire memini, veteranis philoſophis idem plerumque fatum incumbere, quod ſartoribus, noviſſimae veſtimentorum formae ignaris:

id verum eſſe plerique cum taedio ac dolore experti ſunt. Haec itaque omnia quo ſaepius mecum, adhibita in conſilium ratione, agitavi, Lector candide, eo beatiores ſemper illos credidi, qui, alio honeſto vitae genere delecto, Deo reique publicae ſerviunt, & naufragia iſta ex littore ſpectantes, ſibi, non aliis, philoſophantur. Ac proinde ex eo tempore, quo docere juris prudentiam, & negotioſum iſtud de jure reſpondendi munus pro virili ſtudui ornare, eam mihi ipſe legem dixeram, ut mihi philoſopharer, nec tam aliorum, quam meis uſibus, meditationes meas deſtinarem, tantoque magis hoc inſtituto meo delectatum fateor, quanto jucundius erat, extra horrida iſta, nulloſque triumphos habitura, philoſophorum bella, ac veluti extra teli jactum poſitum, ſolida tamen, quae ex ſapientiae ſtudio, percipitur, voluptate quotidie perfrui.

Enimvero philoſophantem ita, & ſecum habitantem in cathedram philoſophicam me iterum retraxit rerum omnium arbiter, Deus, voluitque, ut, quemadmodum olim Halae; ita jam in hac illuſtri Viadrina, haſce diſciplinas una cum juris prudentia traderem, & eas quidem potiſſimum, quae intellectum ad inveſtigandam dijudicandamque veritatem; voluntatem ad virtutem atque honeſtatem inſtituunt, & quas omnium primas ac praecipuas olim judicabat Socrates, dum & diſſerendo homines ad comprehendendam veritatem perducere conabatur, & philoſophiam ipſam, a monſtris & ocioſis ſpeculationibus perpurgatam, devocabat e coelo, collocabat in urbibus, & in domos etiam introducebat, jubebatque de bonis & malis, juſtis injuſtiſque, quaerere. Quamvis autem huc evocatus neſcio qua futuri praeſenſione ominarer, non aeque omnibus gratam fore hanc muneris utriuſque conjunctionem, idque augurium me non per omnia feſelliſſe videatur: divinae tamen voluntati parere nihilo minus decrevi, nec animum, invidiam veritus, deſpondi, ſed novam mihi hanc palaeſtram fore ſtatui, in qua, quantum in philoſophia profecerim, quantum invidia & bile flaveſcentium hominum voculas contemnere, ferociſſimum quemque humanitate, modeſtia, officiis, emollire, amicos

cos veros fide atque obſequio retinere, moreſque pro virili omnibus probare bona fide didicerim, periculum fieri oporteat. Hinc divino fretus auxilio, quod mihi a tot annis numquam defuit, praelectiones meas, non juridicas tantum, ſed & philoſophicas, non ſine quadam fiducia auſpicatus, luculenter intellexi, me ſpe mea non eſſe deceptum. Vidi enim, quod praefiſcini dixerim, erectioris indolis juvenes, qui antea philoſophiam tamquam infructuoſum & inamoenum ſtudium adſpernabantur, catervatim ad has acroaſes confluere, & jam perſentiſcere paullatim, quam praeclarum ſit, rectam rationem perficere, & in inveſtiganda dijudicandaque veritate exercere ingenium. Ne autem ſtudioſae juventutis utilitati ulla in re deeſſe viderer, eſſentque, quae in praelectionibus meis ob oculos haberent: ELEMENTA haec PHILOSOPHIAE RATIONALIS & MORALIS typis exſcribi paſſus ſum, in quibus, quid praeſtiterim, paucis, ſi operam dederis, monebo.

In PHILOSOPHIA RATIONALI, ſeu logica, id egi, ut praecepta omnia ad finem, quem in invenienda, dijudicanda, communicandaque cum aliis veritate conſiſtere, omnes omnino fatentur, unice referrem. Itaque non ſolam artem ſyllogiſticam, non ſolam diſſerendi diſputandique facultatem, ad quam plerique libelli logicorum comparati ſunt, mihi tradendam credidi, ſed praecipue, quo ordine, quaque methodo progrediendum ſit omnibus, qui veritatem reperire, eamque a falſo diſcernere cupiunt, perſpicue monſtravi. Hinc, explicatis intellectus operationibus, perutilem de ideis doctrinam accurate expoſui, oſtendique, quomodo quilibet, comparatis ſibi claris, diſtinctis, atque adaequatis ideis, definitiones ac diviſiones rite formare, ex earum comparatione varias propoſitiones, axiomata, *poſtulata*, *theoremata*, problemata, corollaria elicere, ratiocinationes ſine erroris periculo nectere, experiendo denique, meditando, legendo, diſputando, docendoque veritatem tum reperire, tum cum aliis communicare quam facillime poſſit. Non diſplicebunt, uti opinor, quae de his omnibus, nec non de veritatis certae ac probabilis diſcrimine, de variis veriſimilitudinis gradibus, de ordine in meditatione, lectione librorum, &

diſpu-

diſputationibus obſervando, de interpretatione porro, aliiſque capitibus ſcitu neceſſariis, non minus, quam jucundis, paſſim diſſerui. Quos aliquando duces ſequutus ſim, (neque enim me puduit, ab aliis bene animadverſa in ſyſtema meum recipere,) ingenue faſſus ſum in ſcholiis, quae paragraphis pleriſque ſubjunxi. In iiſdem praecepta ipſa non paucis, iiſque perſpicuis, & petitis ex univerſa philoſophia exemplis illuſtravi. Quid enim abſurdius aut taedioſius eſt, quam perpetuo ingeminare illa vulgaria: *Petrus currit*, *homo eſt animal*, & ſimilia, ſine quibus haec ſacra ſibi non conſtare, exiſtimarunt veteres?

In PHILOSOPHIA MORALI mentis humanae naturam, hominum mores ac vitia, horumque ſigna & characteres, naturam item boni, tum generatim, tum in ſpecie ſummi illius ac praeſtantiſſimi, cujus in poſſeſſione vera poſita eſt felicitas, itemque ejus effecta, in quibus virtus & tranquillitas animi eminent, denique cognitionem ſui ipſius, & reliqua, quae recta ratio commonſtrat, media ad veram beatitudinem adſpirandi, ita explicavimus, ut, quod quidem hanc diſciplinam pulcherrimam imbibituro neceſſarium ſit, nihil omnino praetermiſiſſe nobis videamur. Fatemur, nobis doctrinas plures communes eſſe cum aliis, inprimis etiam cum theologo venerabili, JO. FRANC. BUDDEO, cujus olim philoſophica praecepta Halae vice plus ſimplici interpretati ſumus. Neque tamen ullius ſcrinia expilavimus, & pleraque ejus generis praecepta vel ex principiis noſtris ſua ſponte fluunt, vel plane aliis ſuperſtruuntur fundamentis. *Hujusmodi voces non eſt, quod hujus vel illius eſſe judices: publicae ſunt. Quod fieri in ſenatu ſolet, faciundum ego in philoſophia quoque exiſtimo, quum cenſuit aliquis, quod ex parte mihi placeat, jubeo illum dividere ſententiam, & ſequor*, inquit SENECA *Epiſt.* XXI. Ex quibus principiis ſingulas concluſiones hauſerim, ſtatim iis incurret in oculos, quos citatas in parentheſibus paragraphos evolvere haud piguerit. Operam enim in utraque diſciplina dedimus, ut doctrinas, quoad ejus fieri poſſet, accurate inter ſe connecteremus. In ſcholiis ſaepe demonſtrationem propoſitionum uberiorem; aliquando explicationem earum perſpicuam;

non

non raro etiam veterum ac recentiorum teſtimonia reperies. Nolim vero exiſtimes, ideo me haec ex adverſariis huc tranſtuliſſe, quaſi illa aliquid probare credam, (obſervabis enim, niſi me animus fallit, me alia plane demonſtrandi ratione uſum,) ſed adjeci haec, ut doctrinas noſtras ne veteribus quidem, rectam rationem ſequutis, ignotas fuiſſe, intelligeres. Veritas tantum una eſt, eaque hominem, qui rectam rationem in conſilium adhibet, non magis poteſt fugere, quam ſolis ſplendor oculum bene adfectum. Quemadmodum itaque animalia quaedam oculis conniventibus, alia apertis, incomparabile illud orbis lumen intuentur, & omnia tamen, modo caecitate non laborent, aut intra terrae viſcera delitеſcant, ſolem vident: ita qui illam mentis aciem, quam rationem adpellamus, umquam intenderunt, ii ſane veritatem perſpexiſſe videntur, quamvis alii eam veluti per nebulam, alii multo accuratius viderint. Quam jucundum vero eſt videre illum conſenſum in doctrinis pleriſque, & iis quidem quam maxime ſublimibus? Quam ad excitandum virtutis ſtudium utile, audire philoſophos, quantumlibet verae Dei cognitionis ignaros, tam multa pie ac ſapienter de virtute aliiſque rebus moralibus diſſerentes? Quam praeclarum denique, horum dictorum elegantiam atque acumen expendere? Accedit, quod hac mundi ſeneſcentis ac paene deſipientis aetate plerique eo philoſophandi genere delectantur, quod aliquid profani, vel ſaltim παράδοξόν τι ſapit, & quale vel Spinozam & Tolandum, vel Hobbeſium, Baelium, ac illos praecipue, quos novorum vocabulorum architecti *eſprits forts* ſalutant, excoluiſſe conſtat. Si quis ergo hodie ſeſe ab his ſejungit, ſi philoſophiam ſobriam, & cum Dei, entis perfectiſſimi, cognitione conjunctam, ſectatur: non deſunt omnino, qui vel nimis, uti aiunt, theologica, vel vulgaria, vel plus juſto ad pietatem, quae tam pravis ingeniis pro ſuperſtitione eſt, compoſita illius praecepta clament. At opinione ſua illos falli, non melius conſtabit, quam ſi talia ab ipſis paganis, duce recta ratione, agnita eſſe oſtenderimus. Id igitur

igitur voluimus praeſtare, ubicumque ejuſmodi doctrinas proponi animadvertimus, quae profanis ingeniis theologica magis, quam philoſophica, ſolent videri. Quemadmodum vero jucundum pariter ac utile putavimus, harmoniam doctrinarum noſtrarum cum aliorum philoſophorum placitis oſtendiſſe: ita non minus nos delectatos fatemur, quoties ex principiis noſtris ejuſmodi doctrinas fluere vidimus, quae concordiam rationis & revelationis, quam Eusebius in *Praeparatione evangelica*, Clemens Alexandrinus in *Stromatibus*, Daniel Huetius in *Quaeſtionibus Alnetanis*, aliique viri docti juſtis voluminibus oſtendere anniſi ſunt, evidenter demonſtrarent. Quid enim religioni noſtrae honorificentius, quid ad agnoſcendam ſcripturarum divinitatem magis idoneum eſt, quam quod in tanta myſteriorum & doctrinarum ſublimitate nullam doctrinam moralem, rectae rationi adverſam, inculcet, nihilque praecipiat, quod non & ipſa ratio ſanctum, honeſtum, Deoque agnoſcat digniſſimum? Et hinc eſt, quod in iiſdem ſcholiis & ſcripturae ſacrae teſtimonia, quae doctrinis meis ſuffragantur, addidi, cum tamen adhibens modum, ut non temere notarem, quae jam tum ſatis nota, ſeque ſua ſponte omnibus quam facillime oblatura videbantur.

Tametſi autem id praecipue conſilium cepiſſem, ut *philoſophiae rationalis* ac *moralis* prima elementa adornarem: praemittendam tamen putavi epitomen historiae philosophicae breviſſimam, quia illius plane ignaros eſſe non debere cenſeo, qui philoſophiae ſe dare conſtituerint. Et qui fieri quaeſo poſſet, ut quis methodo philoſophandi eclectica recte utatur, qui, quid a philoſophis inventum praeceptumque ſit, prorſus ignorat? Et quo pacto is doctrinas philoſophorum cum rectae rationis principiis contendet, qui, quid illi ſtatuerint, & cur eas ſententias adoptarint, ſcit juxta cum ignariſſimis? Ut jam non dicam, quam admirabilis utilitas ex hujus hiſtoriae intelligentia cum ad alias diſciplinas, tum ad juris prudentiam, quae ex Stoicorum principiis paene tota conflata eſt, redundet? Quantumvis autem in adornanda hac hiſtoria

ria brevitati ſtuduerim: non tamen reliqui quidquam putavi faciendum, ut, quae in ea tradidi, omnia ex genuinis fontibus probarem, ipſoſque auctorum libros, eorumque capita diligenter adſcriberem. Ceterum INDEX, quem opuſculo ſubjunctum vides, doctrinas, quas tradidimus, omnes, earumque ſedem facile tibi indicabit. Ejus conficiendi curam in ſe ſuſcepit amicus quidam conſultiſſimus, quem omnem adhibuiſſe diligentiam, eo minus dubito, quo magis mihi comperta eſt illius induſtria.

Unum addo, me, quamvis doctrinas, in hoc opuſculo explicatas, non niſi matura praevia cogitatione animo conceperim, non tamen iis elaborandis tantum vel temporis, vel diligentiae, impendere potuiſſe, quantum vel optabam ego, vel res ipſa a me flagitabat. Quum enim haec elementa praelectionibus meis ſervire vellem, contigit ſaepe numero, ut vix quaedam in ſchedulas conjecerim, quum ea ſibi ſtatim ſubmittenda eſſe urgerent operae, ceu fieri ſolet in vita hac negotioſa, quam in academiis vivimus. Elegantiora itaque atque uberiora omnia haberes, ſi limam adhibere, & ſingula ſemel iterumque expolire licuiſſet. Sed id quidem mihi jam non licuit per temporis anguſtiam, molemque occupationum, quae haec ſcribenti quotidie incubuit. Si quid igitur accuratius dicendum fuiſſe judicaveris: facile me tibi adſentientem habebis, at ages tamen, quod aequitate tua erit digniſſimum, ſi in opuſculo paene extemporario non omnia ad vivum reſecaris. Non haec ſcripſi, ut ulli mortalium inferrem injuriam. Neminem, quod quidem ſciam, momordi, nemini bellum indixi, cum nullo omnino viro docto contendi immodeſtius, etiam ubi me diſſentire ipſa veritas coëgit. Quare nullam virtutis atque aequitatis rationem habuiſſe videretur, quiſquis mecum in arenam deſcendere, & de doctrinis meis mecum digladiari vellet. Si cui tantum ocii fuerit, ut calamum ſtringat: at mihi non erit, ut reſpondeam iis, qui in muſtaceo laureolam quaerunt, aliorumque famam arrodendo ſibi famam comparare ſtudent. Non horum hominum judicio ſtat caditque exiſtimatio boni viri, nec multum gloriae ſibi

 para-

parare ſolent, qui maledicendo docent, ſe nec ſentire bene, nec dicere didiciſſe. Tu vale, lector candide, &, ſi tibi hoc ſtudium meum non plane diſplicuerit, alteram quoque horum philoſophematum partem, quae JUS NATURALE & PRUDENTIAM CIVILEM complectetur, a me exſpecta. *Francofurti juxta Viadrum, ipſis Idib. Mart.* CIϽ IϽCC XXVIII.

JO. GOTTL. HEINECCII, J.C.

HISTORIA PHILOSOPHICA.

CAPUT I.

DE PHILOSOPHIA GENERATIM.

§. I.

PHILOSOPHIA, cujus praecipuas partes veluti in nucleo exhibere conſtituimus, eſt *cognitio* (*) *veri & boni, ex recta ratione derivata, & ad veram hominis felicitatem comparata.* Quid philoſophia?

(*) Quum vero *ſcire* vel *cognoſcere*, quod recte animadvertit ARISTOT. *Poſter. analyt. l.* 2, 1. ſit *cauſſam, propter quam res eſt, eamdem eſſe rei cauſſam, nec poſſe eam aliter ſe habere, cognoſcere*; facile patet, non hic intelligi ſcientiam *vulgarem*, ſed ἀκροαματικὴν & *ſolidam.*

§. II.

Recta ratio nobis eſt *facultas ratiocinandi*, id eſt, *veritates alias ex aliis per neceſſariam concludendi rationem* (*) *eliciendi.* Quid recta ratio?

(*) Quamvis autem ſemper bene ratiocinetur recta ratio, niſi praejudicatae opiniones ipſi veluti tenebras offundant: non tamen ſemper ratiocinatur

cinatur ex principiis certis atque evidentibus, ſed ſaepius hypotheſin adſumere cogitur. Quia itaque *principium* certae atque apodicticae; *hypotheſis* probabilis cognitionis fundamentum eſt: utriuſque cognitionis ſpecies in philoſophia occurrere omnino oportet.)

§. III.

Philoſophia eſt dogmatica, non ſceptica.

Ex quo facile patet, philoſophiam SCEPTICAM, quia nihil cognoſci poſſe profitetur, philoſophiae nomen haud mereri, (§. I.) ſed DOGMATICAM.

§. IV.

Nec traditionaria, ſcripturaria, ſectaria.

Nec obſcurum eſt, id vocabulum attribuendum non eſſe ſcientiae veri & boni, quam vel à majoribus per manus traditam accepimus, vel ex ſcriptura ſacra hauſimus, vel ex docti cujuſdam praeceptis repetimus. Unde exſulat philoſophia TRADITIONARIA, SCRIPTURARIA, SECTARIA, quum nulla harum ex recta ratione derivetur. (§. II.) (*)

(*) Omnium enim harum principium cognoſcendi eſt *auctoritas* vel *majorum*, qua praecipue barbari nitebantur, vel *ſcripturae ſacrae*, ex qua JO. AMOS COMENIUS aliique recentioris aevi ſcriptores philoſophari coeperunt, vel *unius hominis*, quae ſectariis pro oraculo eſt.

§. V.

Falſae philoſophiae diviſiones.

Hinc diviſiones philoſophiae, quas vulgo adferunt, pleraeque abſonae ſunt ac minus accuratae. Quamvis enim aliam dicant VERAM, aliam FALSAM; aliam SCEPTICAM, aliam DOGMATICAM; aliam denique ECLECTICAM, aliam SECTARIAM: falſam tamen nec non ſcepticam & ſectariam non magis accurate dixeris philoſophiam, quam ſtatuam hominem (§. III. IV.)

§. VI.

Finis philoſophiae.

Quum porro ad veram hominis felicitatem comparata ſit philoſophia, (§. I.) taliſque ſit finis, qualia ſunt media: conſequens eſt, (1) ut ultra peram philoſophentur, qui de ſempiterna felicitate conſequenda praecepta, ex recta ratione deprompta, pollicentur. (2) Ut ſubtiliores ſpeculationes tanto minus ad ſapientiae ſtudium pertineant, quanto minus conjunctae ſunt cum vera hominis felicitate. (*)

(*) Hinc merito cordatioribus vapulant ſcholaſtici doctores ob ſpeculationes de rebus, quae vel humana ratione indagari nequeunt, vel ſaltim nihil faciunt ad generis humani felicitatem. Vid. AD. TRIBBECHOV. *de Doctor. ſcholaſt. Cap. IV. p. 65. ſequ.*

§. VII.

Diviſio in inſtrumentalem, theo-

Quia denique philoſophia in veri & boni cognitione conſiſtit: (§. I.) ea philoſophiae pars, quae mentem *ad veri cognitionem praeparat*, INSTRUMENTALIS; quae eamdem *cognitione illa imbuit*,

THE-

THEORETICA, quæ denique illam *ad verum bonum perducit*, PRACTICA ſolet adpellari. (*)

reticam; & practicam.

(*) Primam veteres λογικὴν, alteram φυσικὴν, tertiam ἠθικὴν vel πολιτικὴν adpellabant, vocibus his in latiore ſignificatione acceptis.

§. VIII.

THEORETICA, quum mentem cognitione veri imbuat, (§. VII.) aut in veritates *de Deo*, *ſpiritibus*, *&* *ente* inquirit, aut, quid circa *rerum naturalium cauſſas* verum ſit, indagat. Priore caſu METAPHYSICES, poſteriore PHYSICES nomine venit.

Theoreticae partes.

§. IX.

Denique quum PRACTICA viam ad bonum oſtendat: ea, vel quid generatim *bonum*, vel in ſpecie, quid *juſtum*, *honeſtum*, *decorum*, vel *utile* ſit, docet. De *bono* in genere ETHICA; de *juſto*, *honeſto*, *&* *decoro* JUS NATURALE; de *utili* POLITICA & OECONOMICA agunt.

Nec non practicae.

§. X.

Quemadmodum igitur tam praeclara eſt illa cognitio, ut homines eam fere ab ipſis orbis terrarum incunabulis incredili ſtudio excoluerint: ita operae pretium fuerit, reliquis philoſophiae partibus præmittere HISTORIAM PHILOSOPHICAM, ſed veluti in nucleum, quoad ejus fieri poteſt, compactam.

Cur hiſtoria philoſophica præmittenda?

CAPUT II.

DE PHILOSOPHIA TRADITIONARIA.

§. XI.

PHiloſophia antiqua vulgo in BARBARICAM & GRÆCANICAM diſpeſcitur. Nam antequam Graeci alicujus nominis eſſe cœperant, barbaros ſibi jam pridem laudem ſapientiæ incredibilem peperiſſe legimus. (*)

Philoſophia barbarica antiquiſſima.

(*) Negat hoc DIOGENES LAERT. *I*, 1, ſed argumentis ſubleſtis, & paene puerilibus, ut facile adpareat, eum patriae amore nimio inſaniviſſe.

§. XII.

Vocabant veteres *barbaros*, quicumque Graecæ non erant originis, adeoque & Hebraei eo nomine notabantur. Nobis autem tota philoſophia barbarica TRADITIONARIA dici poſſe videtur, quum barbari omnes, reliquias ſapientiæ, a majoribus acceptas, ſancte cuſtodierint, eaſque rurſus commendarint poſteris.

Ejus indoles.

§. XIII.

An barbari eruditi?

Quod quum naturae philoſophiae manifeſto adverſetur: facile patet, ſimplicem tantum & vulgarem fuiſſe barbarorum ſapientiam, nec parum decipi, qui ſibi inter illos viros ſubtilitatum ſtudioſos & veluti polyhiſtores fingunt.

§. XIV.

Sapientia Hebraeorum.

Sapientiæ ſtudioſiſſima fuit gens HEBRAEA, inque ea Adamus, Noachus, Moſes, Davides, Salomon, alii. Sed eorum tamen ſapientia magis in vera Dei notitia & ſcientia morum, quam in ſpeculationibus phyſicis conſtitiſſe videtur (*).

(*) Id quod obſervandum contra KIRCHERUM, JOANNEM DE PINEDA, & alios, qui patriarchis eximiam in omni genere eruditionem tribuunt. Multoque magis cavendi, qui ſuas ſententias Moſi aliiſque Hebraeis adfingunt, quod fecere EDM. DICKINSONIUS in *Phyſica vetere & vera*, *Lond.* CIƆIƆCCII. 4. *Auctor Moſis Copernizantis*, & alii.

§. XV.

An ab iis profecerint Pythagoras & Plato?

Quumque Judæi ab aliis gentibus alto fere ſupercilio deſpicerentur: parum ſane veroſimilis eſt eorum ſententia, qui Pythagoram & Platonem Judæorum ſcrinia expilaſſe, quin cum TERTULLIANO *Apol. cap. XXVII.* nullum fuiſſe philoſophum exiſtimant, quin de prophetarum fonte potarit (*).

(*) Conferendi hic JO. CLERIC. *Epiſt. crit. VII.* JO. ALB. FABRIC. *Bibl. Graecae Libr. II. Cap. XII.* §. *II. p.* 450. *Libr. III. Cap. I. p.* 40. NIC. HIER. GUNDLING. *Hiſt. philoſ. mor. Cap. VII. I.* §. *p.* 74. *ſeqq.* qui ad oculum oſtenderunt, haec omnia nullo idoneo fundamento niti.

§. XVI.

Sectae Pharisaeorum, Sadducaeorum & Eſſenorum.

Manſit ea gentis ſimplicitas, quoad templum prius ſtetit. Reverſi autem ab exſilio Babylonico graeciſſare coeperunt Hebraei, & philoſophiæ Græcanicæ principia cum antiqua patrum ſapientia miſcere. Inde natæ PHARISÆORUM, SADDUCÆORUM, & ESSENORUM ſectæ (*), quas ipſe JOSEPH *Bell. Jud. Libr. II. Cap. VIII.* ad philoſophiam referre videtur.

(*) Et Phariſaeorum quidem ſectam παραπλήσιον τῇ παρ' Ἕλλησι Στωϊκῇ λεγομένῃ, *ſimillimam eſſe ſectae Stoicorum Graecanicae*, obſervat JOSEPH *de vita ſua*, *Tom. II. Opp. p.* 2. Sadducaeos Epicuri; Eſſenos Pythagorae principia adoptaſſe, res ipſa evincit. Et ſane, quum Eſſeni demum poſt exſilium Babylonicum innotuerint: omnino mirandum eſt, GOODWINUM *de Rit. Hebr. Libr. I. Cap. XII.* & GROTIUM *Part. I. Epiſt. DLII.* non obſervaſſe, facilius Eſſenos a Pythagoraeis, quam Pythagoram ab Eſſenis proficere potuiſſe.

§. XVII.

Unde Cabbala.

Quae mixtura philoſophiae Pythagoricae cum Hebraica adhuc in CABBALA ſupereſt; de qua quamvis magnifice permulta præ-

prædicent Hebraei: ipſum tamen ſyſtema Cabbaliſtarum plane non Hebraicum, ſed vere Pythagorico-Platonicum eſſe, omnes intelligunt, quos non Hebraeum nomen & rerum obſcuriſſimarum admiratio in tranſverſum rapit.

§. XVIII.

Hodierni Judaei aut ſolis vacant ſtudiis Talmudicis, aut, ſi philoſophantur, vel Ariſtotelis (*), vel Kabbaliſtarum placita ſequuntur. Hodierna Judaicae philoſophiae facies.

(*) Neque enim ulla eſt temere pars Ariſtotelicae philoſophiæ, quam non Arabum exemplo Hebraea veſte induerint Judaeorum magiſtri. Specimen ejus rei pereruditum dedit JUL. STRUV. in *Diatr. de logica Hebraeorum.*

§. XIX.

Hebraeis ſubjungimus AEGYPTIOS, quos tamquam illorum magiſtros perperam nobis ſiſtunt JO. MARSHAMUS & JO. SPENCERUS. Eos quidem ſapientiae jam ante Moſis tempora operam dediſſe, ex *Act. VII.* 22. patet: ſed ab hac Aegyptiorum ſapientia quam diverſa fuerit illa Hebraeorum, facile animadvertet, quicumque Moſis & Prophetarum fontes cum HERMETIS (*), HERAPOLLINIS, & JAMBLICHI lacunis contenderit. Sapientia Aegyptiorum.

(*) Sunt hæc præcipua Aegyptiacae doctrinae monimenta. Quamvis enim HERMES TRISMEGISTUS procul dubio nullus unquam extiterit, & Hermetica, quæ tanto numero exſtant, manifeſto multa ſubleſta, quin & Chriſtiana quaedam complectantur: in his tamen & Ἑρμαϊκὰς λέξεις, ſeu Aegyptiacae philoſophiae reliquias ſupereſſe, recte obſervant viri docti, BORRICH. *de Herm. Aegypt. ſap. p.* 83.

§. XX.

Id conſtat, eos operam dediſſe *geometriae*, aliiſque matheſeos, tum purae, tum adplicatae, partibus, id quod vel tot obeliſci, pyramides, aliaeque moles ſtupendae, ſatis evincunt. *Theologiam* eorum ac *philoſophiam moralem* Pythagoricæ fuiſſe ſimillimam, ex JAMBLICHO diſcimus. Habuere & multas *de rebus naturalibus* traditiones, quas maximo ſtudio occultabant, quarumque reliquias quaſdam ſervat HERAPOLLO in *Hieroglyphicis* a DAVIDE HOESCHELIO editis *Aug. Vind.* CIↃIↃLXXXXV. 4. Quas illi diſciplinas excoluerint?

§. XXI.

CHALDAEOS per omnem vitam philoſophari, ait DIOD. SIC. *Libr. III. Cap. XXIX.* Originem ſapientiae ſuæ referebant ad ZOROASTREM, de quo incerta omnia. Oracula ejus, quae exſtant a GEMISTO PLETHONE, MICH. PSELLO & FRANC. PATRICIO collecta, non quidem genuina eſſe, at plura tamen philoſophiæ Chaldaicae λείψανα complecti, non abs re cenſet JO. ALB. FABRIC. *Bibl. Graec. Libr. I. Cap. XXVI. §. X.* Sapientia Chaldaeorum.

§. XXII.

Eorum ſententia de rerum origine.

Ex iis oraculis patet, Chaldaeos diverſas rerum emanationes, Deorumque & intelligentiarum ordines ſtatuiſſe, inter quos & ἄγγελοι occurrunt. A Deo aeterno ex eorum ſententia emanavit ignis, ſeu lumen ſupramundanum infinitum, inde alii ordines rerum ac ſubſtantiarum triades variae, quales & Platonici poſtea ſomniarunt. (*)

(*) Quare nihil admirandum aut Chriſtianum continet oraculum ZOROASTRIS. V. 5.
Παντὶ γὰρ ἐν κόσμῳ λάμπει τριάς, ἧς μονὰς ἀρχει.
In toto mundo lucet trinitas, cujus unitas initium eſt.
Nec non rerum emanationibus adverſatur, quod ſcribit DIOD. SIC. *Libr. II.* Chaldaeos mundi naturam aeternam, ac initii expertem ſtatuiſſe, itemque illud PHILONIS in libro, *Quis rerum caeleſtium heres*, *p.* 386. Chaldaeos docuiſſe, mundum non Dei opus, ſed Deum eſſe.

§. XXIII.

Artes divinatrices.

Parum quoque ſapientiae minantur ſomnia eorum aſtrologica, artes divinatrices, magicae, theurgicae, de quibus fuſe STANLEIUS *in Hiſt. philoſ. Orient. Sect. II. Cap. XVII. ſeqq.* & initiatus his myſteriis MARCUS, monachus Meſopotamenus, cujus *de daemonibus enarrationes* a MICH. PSELLO editas novimus.

§. XXIV.

Perſicae philoſophiae auctor.

PERSARUM *Zoroaſter* Chaldaico illo ætate inferior, & Dario Hyſtaſpis σύγχρονος, gentem, non ignaram veritatum praeſtantiorum, multis praeſtigiis ad amplectendam novam & a ſe inventam philoſophiam pellexit, ſi vera ſunt, quae ſcripſit THOM. HYDE *de Rel. vet. Perſar.*

§. XXV.

Magi qui?

Philoſophiae ſtudio æque ac ſacris apud eos praeerant MAGI, de quorum compoſitis moribus, ſcientia aſtrologica, potentia aulica, multa exſtant veterum teſtimonia, quae collegit BARN. BRISS. *de Regno Perſ. Libr. II. §. LII. ſeqq.*

§. XXVI.

Eorum ſententia de Deo.

De Deo male ſentiebant Perſae, duo ſtatuentes principia contraria, *Horomazen* & *Arimanem*, & inter hos veluti medium & neutrarum partium, *Mithran*. Quae principia etiam in pluribus aliis ſyſtematibus pellucent, (*) & ſaeculo Chriſtiano tertio *Manichaeiſmum* pepererunt. (**)

(*) Solide hoc demonſtravit V. S. R. JO. CHRISTOPH. WOLFIUS, *in Manichaiſmo ante Manichaeos*, BAELIUS in *Dict. Hiſt. Crit.* voce *Manichéens*.

(**) Vide THEODORET. *Haeret. fab. Libr. I. Cap. XIX.* EPIPHAN. *Haer. LXVI.*

§. XXVII.

§. XXVII.

Magorum reliquiae.

Quin hodienum in Perſia ſuperſunt, qui veterem illam magorum philoſophiam ſequuntur, & a Mahumedanis *Gewrorum* nomine traducuntur.

§. XXVIII.

Arabum magi.

Fuere & ARABIBUS, & in primis SABBAEIS, ſui *Magi*, quorum meminit PLIN. *Hiſt. nat. Libr. XXX. Cap. I.* Quumque Arabia ab Hebraeis ſubinde vocetur *Oriens*: *Gen. X*, 30. *XXV*, 6. 18. *Job. I*, 3. *Judic. VI.* 3. veroſimile admodum eſt, Arabes fuiſſe τὲς μάγες ἀπ' ἀνατολῶν, *Matth. II*, 1.

§. XXIX.

Eorum philoſophiae indoles,

Quamvis ergo vix videatur dubitandum, quin veteres Arabes verae ſapientiae non fuerint expertes, idque cum exemplum JOBI, (*) tum locus *I. Reg. X*, 1. ſatis oſtendat: poſtea tamen in meram ſuperſtitionem abiit illa Sabbaeorum philoſophia.

(*) Addatur FRIDER. SPANH. *Hiſtoria Jobi, edita Lugd. Bat.* CIↃIↃCLXXII, 8.

§. XXX.

Et deteſtanda ſuperſtitio.

Praeterquam quod de quaeſtione: *cur bonis mala eveniant, quum ſit providentia?* male philoſophentur Jobi amici, *Job. IV.* 11-15. *XXIII*, 15. *ſeqq.* quos viri docti Sabbaeorum ſectae addictos non abs re ſuſpicantur, non fuit gens corporum caeleſtium cultui, & ſi Arabes & MAIMONIDEM audimus, ritibus divinae legi magis adverſis dedita, quam illa Sabbaeorum. (*).

(*) Sed quum haec ſola Arabum & Rabbinorum auctoritate nitantur, ut recte obſervavit JO. CLERIC. *in Indice philol. ad* STANLEII *Hiſtor. philoſ. Orient.* voce *Sabbaei*: facile patet, quam audax ſit hypotheſis SPENCERI *Libr. II. de Leg. ritual.* & STANLEII *Hiſt. phil. Or. Libr. III. Cap. V.* rationes legum ritualium divinarum a ritibus Sabbaeorum repetentium.

§. XXXI.

Indorum philoſophi.

Vicini Perſis ex altera parte erant INDI, apud quos *Brachmanes* & *Germanes* philoſophos celebrat STRABO *Libr. XVI. p.* 351. Et Brachmanes ſub vocabulo *Braminen* etiamnum in India occurrunt, de quibus praeter PALLADIUM, AMBROSIUM, & ANONYMUM (*) legendi JO. ALB. FABRICIUS in *Diſſert. de Brachmanibus, Hamb.* ↃIↃIↃCCIII, BAELIUS *Dict. hiſt. & crit.* voce *Brachmanes*, & M. V. LA CROZE *in der Abbildung des Indianiſchen Chriſten-ſtaats, p.* 576.

(*) Coniunctim hos ſcriptores de Brachmanibus edidit EDUARD. BISSAEUS CIↃIↃCLXV, 4.

§. XXXII.

Eorum Deum

Ex Deo hi omnia emanaſſe, mundumque nihil aliud, quam

Deum

philoſophia. Deum extenſum eſſe cenſent, quo in Deum retracto, extremum diem adfuturum exiſtimant. Nihil ergo vere & actu exſiſtere, ſapientemque ab omnibus adfectibus vacuum nihil cogitare, nihil ſentire debere, profitentur (*).

(*) Egregie hoc ſyſtema expoſuerunt CAROLUS LE GOBIEN *dans la preface de l'hiſtoire de l'Edit de l'Empereur de la Chine*, & FRANÇ. BERNIER *dans la ſuite de ſes Mémoires ſur l'Empire du Grand Mogol*, p. 202.

§. XXXIII.

Et ἀσκήσεις. Ex quo ſimul facile colligas, cur tot dolores intolerabiles virtutis cauſſa ferant ſine gemitu, etiam olim mortem nihili feciſſe dicantur CLEMENTI ALEXANDRINO *Strom. Libr. III.* Nec ignotum exemplum Calani, Indi, ſe ipſum ritu ſollemni comburentis apud ARRIAN. *Expedit. Alex. Libr. VII. p.* 276. *ſequ. edit. Gronov.*

§. XXXIV.

Sinenſium philoſophia. Simile fere jam ab antiquiſſimis temporibus fuit SINENSIUM ſyſtema. Quamvis enim ea gens ſe ſolam ſapere, reliquas volitare velut umbras exiſtimet, neque negandum ſit, illam componendis moribus multum operae impendere; (vid. LEIBN. *Noviſſ. Sin. in praef.*) vere tamen Spinoziſmum redolet arcanior Sinenſium philoſophia, nec ab illa ἀπαθείᾳ Indorum alieni ſunt ſtolidi Confucii ſectatores (*).

(*) Notum eſt COUPLETIUM *Confutium Sinarum philoſophum*, ſive *ſcientiam Sinenſem* Latine edidiſſe *Pariſ.* CIƆIƆCLXXXVII, *fol.* In eo an tam horribilia ſapientiae myſteria latitent, nuper adhuc inter viros doctos diſputatum.

§. XXXV.

Nec non aliorum barbarorum. Celebrantur etiam PHOENICUM Sanchuniathon & Moſchus: (*) laudantur GALLORUM, GERMANORUMQUE Druides & Bardi, THRACUM Orpheus. Sed ut illorum obſcura eſt philoſophandi ratio: ita hujus praeterea, quae ad teleſtica ſacra pertinent, tantum phyſica quaedam doctrinae, ſed pauciſſimae, ſuperſunt, de ſyſtemate plurium mundorum habitabilium, de generatione rerum omnium ex ovo, & ſimiles, de quibus PLUTARCH. *Plac. philoſ. Libr. II. Cap. XIII.* & ESCHENBACH. *in Epigene*, p. 95. *ſequ.* & p. 111. *ſequ.*

(*) SANCHUNIATHON ſive Berytius, ſive Tyrius ſcripſit Φοινικικά, in quibus multa ad κοσμογονίαν pertinentia, ceu patet ex fragmento apud EUSEB. *Libr.* I. *Praep. Evang.* p. 31. Ea ſe accepiſſe ait Sanchuniathon a *Hierombal*, *ſacerdote Dei Ievo*, quem Gedeonem eſſe, praeter HUETIUM credit BOCHARTUS *in Chanaan Libr. II. Cap. XVII.* qui & totum apud EUSEBIUM fragmentum erudite, uti ſolet, explicat. At quae de Sanchuniathone circumferuntur, omnia pro impoſturis venditant JO. HENR. URSIN. *de Zoroaſtre*, *Hermete & Sanchuniathone*,

niathone; & HENRIC. DODWELLUS *in Meth. ſtud. theol.* Vide *Act. erud. Lipſ. Suppl. Tom. II. p.* 512. De Moſcho quoque omnia incertiſſima, ut nihil agant, qui cum Huetio Moſen cum Moſcho confundunt.

CAPUT III.

DE PHILOSOPHIA GRAECANICA.

§. XXXVI.

Philoſophiae Graecanicae indoles.

MAjorem philoſophiae ſtudio ſtrepitum dederunt Graeci, qui, quamvis quaedam a barbaris acceperint, hanc tamen laudem ſibi habent propriam, quod accuratiore philoſophandi ratione uſi, ſolam rectam rationem ducem vel ſequuti ſint, vel ſequi ſaltim voluerint.

§. XXXVII.

Ejus diverſae familiae.

Ceterum Graecorum philoſophorum quaedam veluti familiae ſunt. Alia enim eſt philoſophia POETICA, alia ITALICA, alia IONICA, alia ELEATICA. Sed ab his *dogmaticis* merito ſegregandi SCEPTICI vel APORETICI, quemadmodum a *ſectariis* ECLECTICI, de quibus GOTTFR. OLEAR. *Diſſ.-ſing. de philoſ. eclect.* ſubjuncta STANLEII *Hiſt. philoſ. p.* 1205. *ſeqq.*

§. XXXVIII.

Philoſophia poetica.

POETAS, antiquiſſimum ſapientum genus, primos omnium philoſophatos eſſe, conſtans opinio eſt, CIC. *Tuſc. l. quaeſt. Libr. I. Cap. I.* Enim vero, quemadmodum plerique traditiones de rerum ortu Θεογονίαις ſuis; praecepta moralia fabulis includebant: ita obſcura hodie eſt hujus philoſophiae interpretatio, de qua ne inter ipſos quidem veteres ſatis conſtitiſſe arbitror. (*) Vid. PLUTARCII. *de aud. poet. Tom. II. Opp. p.* 14. *ſequ.*

(*) Hinc variae fabulas interpretandi methodi. Alii mera hic deprehendunt myſteria phyſica, chemica, metaphyſica; alii meras hiſtorias ſive ſacras, ſive Phoenicias: alii hiſtoriolas nullius momenti, mirabilibus circumſtantiis veſtitas, alii mere moralia ſibi videre videntur. Primi generis interpretationes dabant Platonici, ſecundi ſpecimen non unum exhibuere BOCHARTUS, HUETIUS, & JO. CLERICUS, tertium præcipue placuit PALAEPHATO, aliiſque ſcriptoribus περὶ ἀπίστων, de quibus FABRIC. *Biblioth. Graec. Libr. I. Cap. XXI. ſequ.*

§. XXXIX.

Philoſ. Italicae auctor.

ITALICI philoſophi originem debent Pythagorae, Samio, quem inter Olymp. XLIII, 4. & LII, 4. natum, erudite docuerunt GUIL. LLOYDIUS, RICH. BENTLEIUS, & HENR. DODWEL-

LUS. Hic magnus naturae verique auctor, collecta ſibi in variis mundi partibus magna doctrinae copia demum circa Olymp. LXVII. I. in Italiam ſeceſſit, & Crotone ſcholam vel κοινόβιον aperuit, ex quo maxima diſcipulorum cohors prodiit, quorum elenchum alphabeticum FABRIC. *ibid. Libr. II. Cap. XIII.* pertexuit (*).

(*) Inter hos tamen non omnes Πυθαγορικοὶ, id eſt, Pythagorae diſcipuli, ſed plures etiam Πυθαγορεῖοι, ſeu Pythagorae ſectatores. De qua diſtinctione quid ſentiendum, diſquirit DODWELL. *de aet. Pythag. p.* 193. Praecipui ex Pythagoraeis ſunt *Archytas Tarentinus, Ocellus Lucanus, Epicharmus, Hipparchus, Philolaus, Timaeus Locrus*, alii.

§. XL.

Libri praecipui ad hanc philoſophiam pertinentes.

Vita Pythagorae ex *PORPHYRIO*, *IAMBLICHO* & *Anonymo* apud PHOTIUM, quos LUDOLPHUS KUSTERUS eleganter recuſos dedit (*); hiſtoria philoſophiae ex *JO. SCHEFFERI* libello egregio de *Philoſophia Italica*; ipſa dogmata Pythagorica ex *Fragmentis Pythagoraeorum*, à *THOMA GALE* editis, nec non ex ſymbolis Pythagoricis, & *Aureis PYTHAGORAE carminibus* (**), eorumque interprete, *HIEROCLE*, petenda eſt.

(*) Sed permulta in his vitis ficta videntur, ut ſint viri doctiſſimi, qui vitas philoſophorum a Porphyrio, Iamblicho, Eunapio, Philoſtrato, non alio fine ſcriptas exiſtiment, quam ut heroas ſuos Servatori noſtro opponerent, FABRIC. *Bibl. Graec. Libr. IV. Cap. XXIV. p.* 45.

(**) Nec tamen a PYTHAGORA ſcripta eſſe haec carmina, inter omnes conſtat, ſed ut STANLEIO *in Pythag. cap. XXI, p.* 699. viſum, ab EPICHARMO, vel, uti laudatus FABRICIUS erudite ſuſpicatus eſt, ab EMPEDOCLE. Vid. *Bibl. Graec. Libr. II. Cap. XII.* §. *VI.*

§. XLI.

Pythagorae diſciplina & inventa.

Quamvis autem Pythagoras, imitatus Aegyptios, in occulto haberet ſapientiam ſuam, IAMBL. *ſegm. CCXLV.* & ne ipſos quidem diſcipulos ad acroaſes promiſcue admitteret: (*) ſatis tamen conſtat, eum primum geometriam, arithmeticam, muſicam, praecipuo ſtudio excoluiſſe, eaſque ſcientias non uno invento locupletaſſe, inter quae praeter monochordum eſt nobile illud & dignum hecatombe theorema de poteſtate hypothenuſae in angulo orthogonio, LAERT. *VIII*, 12. VITRUV. *Archit. IX.*, 2.

(*) Alii erant *eſoterici*, alii *exoterici*: alii *mathematici*, alii *acuſmatici*, de quibus IAMBL. *Vit. Pyth. ſegm.* 81. & PORPHYR. *p.* 196.

§. XLII.

Ejus doctrinae de philoſophia in

Philoſophiam, cujus ipſe primum nomen invenerat; IAMBL. *Vit. Pythag. Cap. XXIX.* definiebat, quod ſit *ſcientia entium quatenus exſiſtunt*, quam definitionem eruditiſſime explicat JAC. THO-

THOMAS. *Orig. philoſoph.* Dividebat illam in THEORETICAM & PRACTICAM, ejuſque finem eſſe dicebat, nihil admirari, PLUTARCH. *de audiendo*, *T. II.* p. 44. hujus mentem ex vinculis corporis eruere, atque in libertatem vindicare, PORPHYR. *Vit. Pyth. p.* 201. Illius partes erant INTELLIGIBILIA, de Deo & Diis, & NATURALIA, de rebus corporeis. Animum per univerſas mundi partes omnemque naturam diffuſum vocabat Deum, eumque unicum inſenſibilem & intelligibilem, luci & veritati ſimillimum, quin ſolum ſapientem, ſtatuebat, LACTANT. *I.* 5. PORPHYR. *Vit. Pyth. p.* 198. Et ſubjiciebat Deos, daemonas & heroas, *Aur. Carm. v.* 1. *ſequ.* de quorum natura, operationibus, cultu ſubtiliter philoſophabatur. Vid. HIEROCL. *in Comment. ad Aur. Carm. v.* 1. *ſeqq.* Quae ſupra lunam ſunt, providentia; res ſublunares partim fato, partim fortuna, partim providentia, partim conſilio regi ſtatuebat. Quod exemplo illuſtrat *Anonym.* apud PHOT. *Cod.* 259.

genere; itemque de Leo.

§. XLIII.

Nec non de mundo.

Mundum, quem non tempore, ſed cogitatione ortum, nec interiturum, dicebat, (STOB. *Ecl. Phyſ. Libr. I. cap.* 25. PLUT. *de plac. philoſ. II.* 4. & 14. ipſe primus κόσμον vocabat, STOB. *ibid.* Ejus ſyſtema Copernicano plerique ſimile fuiſſe exiſtimant, (*) STANL. *de doctr. Pythag. Cap. I. p.* 745. *ſeq.* Quae autem de harmonia orbium caeleſtium, & ſuavi iſtorum concentu ſomniavit, legi poſſunt apud CIC. *in Scip.* & CENSORIN. *de Die nat. Cap. XIII.*

(*) Terram ſane immotam non eſſe, ſtatuit PLUT. *in Numa p.* 67. *Ion. I.* ARIST. *de caelo Libr. II. Cap. XIII.* medium autem in mundo locum igni tribuit, quem & Veſtam vocabat. Sed rem tamen argumentis haud poenitendis in dubium vocat Ez. SPANHEMIUS *de Veſta & Pritanib. Graec. apud* GRAEV. *Theſaur. Ant. Rom. Tom. V. p.* 688. Sane mundum mediam terram continere adſeverabant Pythagoraei. Vid. LAERT. *Libr. XIII. ſegm.* 27. eorumque ſyſtema Ptolemaico haud abſimile tradit *Anon.* apud PHOT. *Cod. CCLIX.* Quin quum primus omnium Philolaus motum telluris inculcaſſe dicatur DIOG. LAERTIO *Libr. VIII. ſegm.* 85. non video, quomodo id tribui poſſit Pythagorae. De antichthone Pythagorica quid ſentiendum ſit, jam a JAC. THOMASIO oſtenſum eſt.

§. XLIV.

Itemque de anima & rebus moralibus.

Immaterialia ſola vere entia ſtatuebat, adeoque & hominis eſſentiam in ſola mente exiſtimabat poſitam, quae quum divinae eſſentiae particula videretur Pythagorae, veram felicitatem in eo ponebat, ut mens ex impedimentis vinculiſque ſuis eximatur, & in libertatem vindicetur (*), PORPHYR. *Vit. Pythag. p.* 201. quo ad illam ὁμοίωσιν τῦ θεῦ, in qua vera conſiſtat felicitas, ad-

 ſpiret.

ſpiret. Unde gradus illi purgationis, adſcenſus mentis, quin deificationis, quibus prope ſimiles myſticos poſtea reperiſſe, novimus. Quum autem haec omnia ſine corporis oppreſſione fieri non poſſe crederet: varios commendavit ἐκστάσεις, varios modos in corpus animadvertendi, de quibus peraccurate JO. FR. BUDD. in *Diſſ. de ἀσκήσει philoſ.* §. *VII. X. XVIII.*

(*) Corpus enim, in quod mentem illabi putabat per vices, non pro parte hominis eſſentiali, ſed pro carcere mentis habebat. Unde illa μετεμψύχωσις Pythagorica, de qua LAERT. *Libr. VIII. ſegm.* 14.

§. XLV.

Pythagorae fanaticiſmus.

Enimvero multa ſunt in vita Pythagorae, ex quibus, eum a fanaticiſmo haud alienum fuiſſe, patet. Eo enim merito referas femur aureum, LAERT. *VIII,* II. PORPHYR. p. 193. IAMBL. *Vit. Pyth. cap. XXVIII.* reminiſcentiam animae Pythagoricae, IAMBLICH. *ibid. cap. XIV.* confabulationes cum brutis, IAMBLICH. *ibid. cap. XIII.* quin cum fluviis, PORPHYR. *p.* 192. divinationes denique, quas jactavit, ſuperſtitioſiſſimas, per thus, auguria, ſomnia, numeros, aſtra, aquam; de quibus fuſe STANL. *Part. III. Sect. III. Cap. IV. p.* 764.

§. XLVI.

Scholae Ionicae auctor Thales Mileſius.

In eamdem fere aetatem incidit philoſophiae IONICAE origo. THALES enim MILESIUS, a quo eam repetere ſolent, eumdem Pherecydem Syrium audiviſſe dicitur, a quo profecerat Pythagoras (*). Hic quoque Thales, poſtquam ſapientiae cauſſa magnam vitae partem peregrinando exegerat, Mileti in patria privatus & caelebs conſenuit, LAERT. *I.* 25. & tum civium, tum Biantis, Pittaci, Solonis, Cleobuli, Myſonis & Chilonis ſuffragiis primum veluti locum inter Graeciae ſapientes obtinuit, LAERT. *I.* 28. VAL. MAX. *IV,* I.

(*) Alium Pherecydem a Pythagora, alium a Thalete auditum, veteres quidam tradiderunt, LAERT. *I.* 119. Sed temporum ratio, unum eumdemque ab utroque auditum, ſatis evincit.

§. XLVII.

Succeſſio philoſophorum uſque ad Socratem.

Succeſſiſſe Thaleti in ſchola Ionica dicitur ANAXIMANDER Mileſius, horoſcopiorum, ſphaerae, gnomonis, ſciotheris, tabulae geographicae, obliquitatis Zodiaci, & aequinoctiorum inventor obſervatorque. DIOG. LAERT. *II,* I. STRABO *Geogr. Libr. I. p.* 7. PLIN. *Hiſt. nat. II.,* 6. huic ANAXIMENES, de quo LAERT. II., 3. huic porro ANAXAGORAS Clazomenius, qui, ubi ſapientiae ſtudio *Mens* vocari meruerat, Athenis exſulare juſſus, Lampſaci deceſſit, LAERT. *II,* 14. Anaxagoram denique AR-

ARCHELAUS, ſolo Socrate diſcipulo, nobilis excepit. LAERT. *II*, 16. a quo SOCRATE nova ordienda eſt ſcholae Ionicae periodus.

§. XLVIII.

Nimirum praeter apophthegmata quaedam & ſententias acutiores, quas ſeptem Graeciae ſapientibus tribuunt (*), nihil exſtat admodum, ex quo hos philoſophos philoſophiae practicae adpuliſſe animum, colligere poſſis. An philoſophiae practicae ſtuduerint?

(*) Commendandae de his dictis JO. FRANC. BUDDEI plenae bonae frugis *Commentationes*, quae junctim *Halae* prodiere.

§. XLIX.

Contra phyſicae tanto ſe ſtudio tradebant, ut hinc κατ' ἐξοχὴν nomen *phyſicorum* apud veteres tulerint. Circa principium rerum omnium (*) haec ſchola quam maxime variabat, Thalete omnia derivante ex aqua, PLUT. *Plac. philoſ. I*, 3. Anaximandro ab infinitate naturae, CIC. *Acad. quaeſt. IV*, 37. Anaximene & Archelao ex aëre; PLUTARCH. *ibid.* STOB. *Ecl. phyſ. Cap. I. p.* 2. Anaxagora autem principium rerum omnium ſtatuente homoeomerian, id eſt unum & multiplex, partes infinitas, ſimilares, contrarias, tactu continuas, ſe mutuo ſuſtinentes, neque alio contentas, LUCRET. *Libr. I. v.* 830. *ſeqq.* Eorum ſtudium phyſicum.

(*) Neque tamen ideo pro Atheis habendi. Materiae enim huic eos νοῦν, mundi effectorem, junxiſſe, id eſt Deum, ex CIC. *de Nat. Deor. I*, 11. & 20. LACTANT. *Inſt. div.* I. 5. diſcimus. Ergo Deus & his erat anima mundi, LAERT. *I*, 27.

§. L.

In primis notari meretur, quod hi philoſophi daemonibus omnia repleverint, STOB. *Ecl. phyſ. I. p.* 2. quod mentis immortalitatem agnoverint, LAERT. I, 24. CIC. *Tuſc. quaeſt. I.* 16. quod theoremata ac problemata quaedam geometrica repererint, accurate recenſita a STANLEIO *Hiſt. phil. Part. I. Cap. VII. p.* 15. quod de phaenomenis aſtrorum, meteoris, aliiſque, quae in rerum natura contingunt, quaedam ſollerti ingenio inveſtigarint, quaedam parum callide conjecerint (*). Unde & *aſtrologi* nomen Thaleti tribuit POMP. MELA *Libr. I. Cap. XVII.* Quaedam eorum doctrinae & inventa.

(*) Ejus generis ſunt hae doctrinae Thaletis: Nili exundationem oriri a ventis eteſiis, LAERT. I. 37. Anaximandri: ſtellas fixas inferiores eſſe lunae, STOB. *Libr. I. Cap. XXV. p.* 53. deficere ſolem & lunam ea parte ſolis & lunae, qua ignis effulget, obturata. PLUTARCH. *de plac. phil. II*, 24. & ſimiles ipſius Anaxagorae, qui quum reliquis doctior fuiſſe dicatur, multa ſtatuit, quae hodie tiro philoſophorum rideret. Vid. LAERT. *II*. 9.

§. LI.

Sed maximum haec philoſophia incrementum debet SOCRATI, Socratis vita.

TI, qui natus Athenis Olymp. LVII, 4. patre Sophroniſco lapidario, matre Phaenareta, obſtetrice, primum patris artificium addiſcere, poſtea philoſophari inſtituit, auditoque Archelao, non quidem ſcholam aperuit, ſed cum amicis domi foriſque colloquutus, eos variis interrogationibus convincere, melioreſque reddere conatus eſt, nihil ſe ſcire aut ſimulans, aut exiſtimans ſerio. Vid. STANLEII *Hiſtor. philoſ. in Socrate Cap. IV. p.* 113. *ſeq.* Demum ab Anyto & Melitone accuſatus atheiſmi & corruptae juventutis, cicutam bibit, non ſine magno Athenienſium dedecore. Vid. LAERT. II. 40. PLATONIS & LIBANII *Apologiam Socrat.* XENOPHONT. *Memorab. Socrat.* CARPENTARII *Vit. Socrat.* & libellos ſimiles.

§. LII.

Quid in philoſophia emendarit?

Philoſophiam profeſſus, primum ſophiſtis, magna promittentibus, & corvos deludentibus hiantes bellum indixit, LIBAN. *Apol. Tom. I. p.* 642. Deinde philoſophiam a larvis, fabulis & ſuperſtitioſis Deorum cultibus, quibus eam contaminarant Pythagoras & Empedocles, purgare ſtuduit (*), PLUTARCH. *de Gen. Socr. p.* 580. Denique, quum phyſicae illae ſpeculationes, quibus Ionici unice vacaverant, & incertae, & parum utiles illi viderentur, ſtolidoſque eos crederet, qui illa remota adfectantes, humana negligant: XENOPH. *Memorab. Socr. Libr. I. Cap. I.* primus philoſophiam a rebus occultis avocavit, & ad vitam communem traduxit, CIC. *Acad. queſt. I.* 5.

(*) Alienus ergo Socrates a fanaticiſmo Pythagorae: (§. XLV.) quamvis, quae de genio ſuo jactare ſolebat, impoſturam ſapere videantur, quidquid in contrarium diſputarit GOTTFRID. OLEAR. in *Diſſ. de Genio Socr. Lipſ.* CIↃIↃCCII. 4. Neſcio, an ubique ſui ſimilis fuerit Socrates. Sane quoties de hoc genio paullo accuratius cogito, non mirari admodum ſoleo illa Timonis apud LAERT. *II*, 19.

Fluxit ab his legumque loquax, lapidumque politor,
Graecorum vates, impoſturaeque magiſter,
Deriſor, rhetorque ſubatticus, & ſimulator.

§. LIII.

Ejus doctrinae metaphyſicae.

Praeclare Socrates philoſophabatur de Deo, rerum omnium auctore, XENOPH. *Libr. Memorab. Socrat. p.* 725. de providentia divina, *id.* p. 711. & *Libr. IV. p.* 800. & de mentis immortalitate, PLAT. *in Phaedr. p.* 245. At dum apud eumdem PLATONEM *in Phaedone. p.* 72. *ſequ.* mentem praeexiſtere, & in corpus, tamquam carcerem, illabi credidit, eum in Pythagorae caſtra ſeceſſiſſe, facile patet.

§. LIV.

§. LIV.

In primis philoſophiam moralem excolebat Socrates, de virtutibuſque & vitiis diſputabat praeclàre, quamvis has doceri poſſe, negaret AESCHIN. *Dialog.* I. Quin & oeconomicam ac civilem prudentiam eum inſuper non habuiſſe, ex XENOPHONTIS *Oeconomico*, & ejuſdem *Memorabilibus Socratis* ſatis adparet. Philoſophia ejus moralis.

§. LV.

Nihil ſcripſiſſe Socratem, conſtans eſt veterum opinio. (*) Quidquid ergo de ejus philoſophia novimus, illud omne Xenophonti & Aeſchini, genuinis ejus diſcipulis, acceptum ferimus. Plato enim Socrati in dialogis ſuis quam plurima tribuit, quae illi fortaſſis in mentem numquam venerant. Id ipſe Socrates de Platone conqueritur apud LAERT. III, 35. Unde illa petenda?

(*) Conferenda hic praeceptoris optime de me meriti, GOTTFRIDI OLEARII *Schediaſma de ſcriptis Socr. contr. Leon. Allat.* quod habetur in STANLEII *Hiſt. philoſ. Part. III. Cap. XVIII.* p. 198.

§. LVI.

Praecipui tamen ex ejus diſcipulis, qui ipſi novas veluti familias condiderant, ſunt *Ariſtippus*, ſectae CYRENAICAE; *Phaedo*, ELIACAE; *Euclides*, MEGARICAE; *Plato*, ACADEMICAE; *Antiſthenes* denique CYNICAE auctores atque antesignani. Sectae novae ex ſchola Socratis ortae.

§. LVII.

CYRENAICAM ſectam condidit ARISTIPPUS Cyrenaeus, Socratis diſcipulus, ſed magiſtro minus probatus, LAERT. *II.* 65. 80. XENOPH. *Memorab. Socr. Libr. II. init.* Ad voluptatem enim omnia referens, hoc principium & doctrina & vita expreſſit. Manſit tamen ſchola *Cyrenaica*, vel *Hedonica*, in qua ei ſucceſſit ARETE filia, huic ARISTIPPUS, Aretes filius, qui & μητροδίδακτος dictus, LAERT. *II.* 85. & ANTIPATER. Illum THEODORUS atheus, hunc EPITEMIDES ſequutus. Quemadmodum vero ille multa innovans, originem dedit ſectae THEODORIAE, in qua ei BION ſucceſſit: LAERT. *IV*, 46. *ſequ.* ita & EPITEMIDES quidem Ariſtippi dogmata ad PARAEBATAM tranſmiſit: hujus autem diſcipuli, HEGESIAS, πεισιθάνατος dictus, & ANNICERIS, itidem ſectas HEGESIACAM & ANNICERIAM condiderunt, LAERT. *II*, 86. Cyrenaicae origo & hiſtoria.

§. LVIII.

Ceterum nihil hac philoſophia deteſtabilius. Senſus ſtatuebant fallaces, &, quidquam certo percipi, negabant, niſi ſenſu interiore, puta voluptate & dolore, LAERT. *II*, 92. 95. CIC. *Quaeſt. acad.* Ejus doctrinae.

acad. IV. 7. eoque ſenſu rejiciebant indolentiam Epicuri, LAERT. *Libr. II. ſegm.* 89. Hinc philoſophiam naturalem plane rejiciebant, LAERT. *II*, 92. In morali ſummam hominis felicitatem in voluptate corporis, & praeſenti ea quidem, non praeterita aut futura, poſitam eſſe, docebant, LAERT. *II*, 87. ATHEN. *Libr. XII. p.* 544. corporis facultates facultatibus animi praeferebant, LAERT. *II*, 90. virtutemque non alio nomine, quam quod voluptatem adferat, laudandam, in ſe autem & ſua natura nec juſtum honeſtumve quidquam eſſe, nec injuſtum & turpe, credebant, CIC. *de Offic. III.* 33. LAERT. *II.* 93. 99.

§. LIX.

Ejus diſcipulorum ſtultitia.

Huic moroſophiae novas lacinias adſuerunt ſucceſſores. THEODORIANI enim atheïſmum liberrime profeſſi ſunt, LAERT. *II*, 101, 102., 104. HEGESIAS ſcripto libro ἀποκαρτερῶν voluntariam mortem tanta eloquentia commendavit, ut multi ſe ſponte in mare praecipites dederint, CIC. *Tuſc. quaeſt. I*, 34. VALER. MAX. *VIII*, 9.

§. LX.

Sectae Eliacae origo.

ELIACAE ſectae nomen dedit PHAEDO Elienſis, qui nobili ortus familia, quum in piratarum manus incidiſſet, & ab his lenoni venditus eſſet ab Alcibiade & Platone, ſuaſu Socratis, redemtus eſt, LAERT. *II*, 105. Socrati ergo ac Platoni unice carus, illo mortuo, novam ſectam inſtituit, in qua Pliſtanum, Menedemum (*), Aſclepiadem ſucceſſores habuit.

(*) Ab hoc ſchola ERETRIACA dici coepit, LAERT. *II.* 125.

§. LXI.

Eliacorum philoſophia.

Quamvis vero nullum ingenii monimentum exſtet, quod ab his philoſophis profectum ſit: videntur tamen Socratem preſſius imitati. Sane ejus exemplo ubivis diſſerebant de rebus philoſophicis, LAERT. *II*, 130. & unum eſſe bonum putabant, virtutem, eamque unicam, LAERT. *II*, 129.

§. LXII.

Ut a patria Phaedonis Eliaca, ita a Megara MEGARICA ſchola nomen tulit. Inde enim oriundus erat EUCLIDES, cui haec ſecta natales debet. Socratem audivit tam cupide, ut edicto prohibitus, ſtolam muliebrem ſumeret, quo perſonato Athenas ſibi commeare liceret, GELL. *Noct. Attic. VI*, 10. Magiſtro privatus, ſcholam ipſe inſtituit, in eaque ſucceſſores habuit *Eubulidem*, *Alexinum*, *Euphantum*, *Apollonium Cronum*, *Diodorum Cronum*, *Stilponem*, & alios, de quibus LAERT. *II*, 108. *ſequ.*

§. LXIII.

§. LXIII.

Megaricorum philoſophia.

Operam praecipue dabant logicae, & hinc philoſophorum omnium pugnaciſſimi videbantur, qui & nova argumentorum genera repererant, LAERT. *II*, 108. inter quae & *Sorites*, & ψευδόμενος, quorum mentio fit in *L.* 177. *D. de verb. ſign.* & *L.* 88. *pr. D. ad L. Falcid.* Quamobrem & DIALECTICI, ERISTICI, ELENXINI dicti. Quid? quod Diogenes ſcholam Megaricam non σχολὴν *ſcholam*, ſed χολὴν, *merum fel* eſſe, dicebat, LAERT. *II*, 24. In reliquis diſciplinis quid ſtatuerint, fere ignoramus. (*)

(*) Id tamen patet, a ſcepticiſmo & atheiſmo non fuiſſe immunes. Hinc curioſitatis Diis exoſae eſſe dicebant, quaerere, an Deus exſiſtat? ANTON. & MAXIM. *Serm. XXXVII.* malum aliquod in rerum natura exſiſtere, negabant, LAERT. *II*, 106. quin & motum omnem tollebant, adeoque & ortum rerum & earum interitum, SEXT. EMPIR. *Pyrr. Hyp. III*, 8. Fuere etiam inter eos, qui adfectus exſtirpandos penitus exiſtimabant; in eaque ἀπαθείᾳ ſummum bonum poſitum eſſe, exiſtimabant, ſi credimus SENECAE *Epiſt.* IX.

§. LXIV.

Scholae Platonicae origo.

At reliquorum luminibus facile offecit PLATO, ſectae PLATONICAE vel ACADEMICAE auctor, qui Athenis genere nobili ortus, & facundia inſignis, philoſophiae demum animum adplicuit, auditoque Socrate, & itinere ad Aegyptios ſuſcepto, quin & Heracliti ac Pythagorae deguſtatis dogmatibus, in *Academiae* primum gymnaſio, (cujus liminibus inſcripſerat: *nemo geometriae ignarus ingreditor*,) ſcholam novam aperuit, ac deinde in hortum *Coloneum* migravit, LAERT. *III*, 5. Relictis operibus quam plurimis, quorum editionem optimam *Pariſ.* CIↃIↃLXXVIII. *Tomis III.* excuſam, JO. SERRANO debemus, ſenex deceſſit, Olymp. *CVIII*, 1.

§. LXV.

Platonis doctrina de criteriis veritatis.

Genus philoſophandi eclecticum (*) ſequutus, philoſophiam ſolutionem animae a corpore & converſionem quamdam ad ea, quae revera ſunt, & intellectu videntur, definivit. (**) In ea primarium eſſe contemplationem; actionem autem ex ea conſequi, artem denique diſſerendi utrique neceſſariam credidit. Diſcere item putavit ac reminiſci, idque pro criterio veritatis habuit, ſi memoria cum recente ſenſu congruat, quod quum raro certum ſit, a Socratica σκέψει non admodum fuit alienus, CIC. *Libr. I. Acad. quaeſt. Cap. VIII.*

(*) Hinc LAERT. *III*, 8. Platonem in his, quae ad intelligentiam pertinent, Pythagoram; in iis, quae ſenſibus obnoxia, Heraclitum; in moralibus Socratem ſequutum ait.

(**) Haec & ſequentia ex ALCINOI libello *de doctrina Platonica* excerpſimus.

§. LXVI.

Ejuſdem metaphyſica.

Praeexiſtere ſtatuit materiam primam, cujus proprium ſit rerum omnium ortus ſuſcipere, & forma omni carere. Huic materiae praefecit Deum, primam rerum cauſſam, quippe qui ſecundum ideas, id eſt, eorum, quæ ſecundum naturam fiunt, aeterna exemplaria omnia condiderit. Eum dicit ens aeternum, bonum, verum, ineffabile, incorporeum, quod materiam ab aeterno confuſam, in ordinem redegerit, numeriſque decentibus, figuris & menſura ita exornarit, ut ignis ſupremum, terra infimum, aer & aqua intermedium locum occuparent. Mundo addidit animam, a Deo non factam; ſed aeternam, quae omnia moderetur ſecundum Dei providentiam.

§. LXVII.

Speciatim de Diis & mente.

Præter Deum, illum mundi opificem, & daemones & Deos juniores ex eo emanantes finxit, quibus commiſſa ſit hominis formatio. Corpus humanum animae, id eſt, partis coeleſtis, receptaculum credidit, hancque ab aeterno praeexſtitiſſe, & immortalem eſſe eatenus, ut per varia corpora circumacta, & ita veluti purgata, ad Deum redeat (*).

(*) Habes hic purgatorium Platonicum, ex quo Patres, qui plerumque Platoni adhaerebant, in primis Auguſtinum, purgatorium ſuum hauſiſſe, a pontificiis demum variis fabellis auctum, jam pridem a CHEMNITIO *in Examine Concilii Tridentini* obſervatum eſt.

§. LXVIII.

Ejus philoſophia moralis.

Beatitudo ſumma ipſi itidem erat ὁμοίωσις τῷ θεῷ, (§. XLIV.) ad quam fugiendum quam citiſſime putabat. Quod ut fieret, virtutes commendabat, *prudentiam*, *juſtitiam*, *fortitudinem*, *temperantiam*, quas Platonici in *phyſicas*, *ethicas*, *politicas*, *purgatorias*, *purgati animi*; *theoreticas*, *theurgicas*, *divinas* dividebant (*). De quibus praeclare JO. ALB. FABRIC. *in Prolegom. ad Marini vitam Procli*, editam *Hamb.* CIↃIↃCC, 4.

(*) Ad virtutes *phyſicas* & *prudentiam* quidem, referebant bonum habitum ſenſuum, ad *fortitudinem* corporis robur, ad *temperantiam* pulcritudinem, ad *juſtitiam* ſanitatem. Simulacra virtutis, quæ etiam ab animo nondum emendato proficiſci ſolent, virtutes *ethicas*, & ſi ad reip. bonum comparatae eſſent, *politicas* adpellabant. Porro ſi has virtutes mens corporis affectiones effugiens exerceat, eas *purgatorias*, & ſi jam ſcopum ſuum adſequuta ſit, *purgati animi* dicebant. Supremi gradus erant *theoreticae*, *theurgicae* & *divinae virtutes*, quarum hae ad deificationem, illae ad θαυματουργίαν, ſeu portentorum editionem, illae ad enthuſiaſmum pertinebant. Vid. SIMPLIC. *ad* EPICTET. *Enchirid. p.* 4.

§. LXIX.

Succeſſio Platonicorum tripertita eſt (*). PRIMA academia a

Platone

Platone ad *Cratetem*; ALTERA ab *Arceſilao* ad *Egeſinum*; TERTIA a *Carneade* ad *Clitomachum* porrigitur. In vetere floruere *Speuſippus*, Platonis ex ſorore nepos, *Xenocrates*, *Polemo*, *Crates*, & *Crantor*. In media *Arceſilaus*, *Lacydes* Cyrenaeus, *Evander*, *Egeſinus*. In nova *Carneades* & *Clitomachus*, *ſeu Haſdrubal*, Carthaginienſis. Academiae.

(*) SEXT. EMP. *Pyrrh. Hyp.* I, 33. etiam *quartam* & *quintam* addit academias, quarum illam *Philo* Lariſſaeus, hanc *Antiochus* Aſcalonita auſpicatus ſit. Sed id nec ipſi hi philoſophi agnovere, teſte CICER. *Acad. qu.* I, 4.

§. LXX.

Divortium inter has academias maximum conſtituit doctrina de cognitionis humanae certitudine. *Plato*, quum rerum alias ſenſu, alias intellectu percipi ſciret, hunc ſcientiam gignere ſtatuit, illos, quippe hebetes & tardos, ſolius opinionis cauſſam eſſe, CIC. *Acad. qu.* I, 8. IV, 32. *Arceſilaus* plane nihil ſcire poſſe, docuit, quia ipſa rerum natura ſcientiam non admittat, *Id. ibid.* I, 1. Denique *Carneades* in rebus ipſis veritatem agnovit, at eam ab homine cognoſci poſſe, negavit, *Idem ibid.* IV, EUSEB. *Praep. ev.* XIV, 8. In qua re diſcrepa-rint?

§. LXXI.

Academiarum iſtarum digladiationes a Chriſto nato veluti conticuerant. Multi tamen ex eo tempore ſequuti ſunt Platonem, ex Judaeis *Philo*; ex Chriſtianis patres complures (*), in primis *Juſtinus Martyr*, *Clemens Alex.* *Ammonius Saccay*, *Origenes*; ex gentilibus Graecis *Plotinus*, *Amelius*, *Porphyrius*, *Syrianus*, *Proclus*, *Marinus*, *Iſidorus*, (quamvis hos potius eclecticos fuiſſe, arbitremur,) & ex Latinis *Apuleius* & *Chalcidius*. Platonici recentiores.

(*) Patres a Platoniſmi ſuſpicione abſolvere conatur P. BALTUS *dans la Déf. des SS. Péres accuſés de Platoniſme*, Par. CIƆIƆCCXI, 4. & *dans le Jugement des S. Péres ſur la Morale de la Philoſophie payenne*, Arg. CIƆIƆCCXIX. 4. Sed Aethiopem illum lavaſſe, res ipſa docet. Nec aliunde, quam ex hac mixtura, eſt theologia myſtica.

§. LXXII.

Inter Platonis diſcipulos & ARISTOTELES Stagyrita fuit vir ſubtiliſſimus, & Alexandri M. magiſter, qui, quum jam vivo cum Platone ſimultates habuiſſet, ac Lyceum occupaſſet, AEL. *Var. hiſt.* III, 19. LAERT. V, 2. eo mortuo, ibi ſcholam aperuit, quae, quod ibi deambulando doceret, PERIPATETICA dici coepit, in qua ei THEOPHRASTUS Ereſius, STRATO Lampſacenus, LYCON Troadenſis, ARISTO Ceus, CRITOLAUS, DIODORUS ſucceſſere. Quin ubique multis ſaeculis in Chriſ- Scholae peripateticae origo.

tianorum academiis regnaſſe Ariſtotelem, in vulgus notum eſt. Vide JO. LAUNOII *librum de varia Ariſt. fortuna*, *Pariſ.* CIƆIƆCLIII. 8. & ELSWICHII ſimilis argumenti *diatribas de varia Ariſt. fortuna in ſcholis proteſtantium.*

§. LXXIII.

Philoſophia peripatetica qualis?

Ariſtotelis doctrinas & ſyſtema hic tradere nihil opus eſt, quum non modo ejus opera in omnium fere manibus ſint, ſed & tot Ariſtotelicae philoſophiae compendia ubique occurrant. Id moneo, mirifice vapulare hodie Ariſtotelem, at ab iis quam maxime, qui illum non intelligunt. Ridicula eſt ejus phyſica, mediocris ethica: logica, quidquid aliis videatur, accurata, politica autem & libellus de arte poetica, rhetorica item, & fragmenta de hiſtoria philoſophorum & de rebus publicis numquam ſua laude defraudanda ſunt.

§. LXXIV.

Peripatetici recentiores.

Multum Ariſtoteli nocuit ſtudium, quod medio aevo ei impenderunt Arabes, & ſcholaſtici, a renatis litteris *Andreas Caeſalpinus*, *Piccolomineus*, *Berigardus*, *Caeſar Cremoninus*, *Pomponatius*, alii. Sicuti enim illi multis ſubtilitatibus inquinarunt doctrinam Ariſtotelis: ita hi ad atheiſmum aliaſque doctrinas profanas fuere procliviores.

§. LXXV.

Cynicorum origo.

Sequuntur CYNICI, quorum ſectam inſtituit ANTISTHENES Athenienſis, qui, quamvis & ipſe Socrati operam dediſſet, ob adfectationem vitae durioris non ſemel eſſet objurgatus, AELIAN. *Var. hiſt.* IX. 36. ſectam tamen inſtituit, occupatoque *Cynoſarge* gymnaſio, perpetuum ſuis Cynicorum cognomen reliquit, eo facilius admiſſum, quo propius ad caninam impudentiam quidam ejus ſectatorum accederent, (*) LAER. VI. 13. SUID. *in voce* κυνοσαργ.

(*) Unde facile conciliaveris diverſas veterum ſententias de origine nominis *Cynicorum*. Antiſthenes ſane ἁπλοκύων, dictus ob mores parum decoros. LAERT. *VI.* 13.

§. LXXVI.

Philoſophi Cynici praecipui.

Quamvis vero publici ſaporis non eſſet haec Cynicorum philoſophia, neque elegantioribus ingeniis placere poſſent pallium duplicatum, nuditas, pera, lupini, baculus, & reliqua Cynicorum ſupellex: ſectatores tamen reperit celeberrimos, DIOGENEM Sinopenſem furentem illum Socratem, MONIMUM, ONESICRITUM, CRATETEM, ejuſque uxorem HIPPARCHIAM, METROCLEM, MENIPPUM, MENEDEMUM,

& alios,

& alios, quorum elenchum copioſum dedit JO. ALB. FABRIC. *Biblioth. Graec.* II. 13. *p.* 360.

(*) Ab Antonini Philoſophi temporibus non magni amplius fiebant Cynici: nec tamen ideo defecit ſecta, ſed diutiſſime in Africa manſit, AUGUSTIN. *contra Academ. III.* 18. *&* *de Civit. Dei Libr. XIV. Cap. XX.*

§. LXXVII.

Eorum principia. Ceterum Cynici, rejecta philoſophia rationali & theoretica, ſolam excolebant moralem. Finem ſibi ſtatuebant independentiam, vel, ut ipſi loquebantur, *libertatem*, LAERT. *VI.* 71. Quum vero libertati illi intrinſecus obſtare viderentur vitia, extrinſecus leges civiles, ſtatuum diſcrimen, & juſſa tyrannorum: vitia capitalia debellanda putabant coenis Cynicis, nuditate, paupertate voluntaria, & patientia injuriarum; leges civiles ſtatu extraſociali; (*) ſtatuum diſcrimen ſublato decoró; juſſa tyrannorum pertinacia, & ſi res ad reſtim rediret, morte voluntaria eludenda putabant.

(*) Hinc illa argumentatio DIOGENIS: *Sine legibus haud ordinatur reſpublica. Sine rep. non ullus eſt uſus rei civilis. Res civilis eſt civitas. Sine civitate uſus nullus eſt legis. Lex igitur eſt res civitatis*, LAERT. *VI.* 72.

§. LXXVIII.

Ex Cynica ſecta nata eſt Stoica. At quamvis haec procul dubio ſublimia quibuſdam viderentur, & Cynici ſe Herculis ſectatores, & Jovis ſpeculatores eſſe crederent: diſplicuit tamen Cynicorum illa impudentia ZENONI Cittiaeo, Cratetis primum Cynici, poſteaque Stilponis Megarici, hinc Xenocratis & Diodori Croni, poſtremo Polemonis auditori, qui emendata philoſophia Cynica in *porticu varia* (ποικίλη ϛοά) philoſophiam docuit, originemque dedit ſectae STOICORUM, LAERT. *VII.* 2. 3. 4. 6. 35.

§. LXXIX.

Ejus incrementa. Ei ſectae dici non poteſt quantum pretii ſtatuerint veteres, non Graeci tantum, ſed & Romanorum praeſtantiſſimi, ac in primis juriſconſulti, quorum pleroſque Stoicos ſectari ſolitos demonſtrarunt EM. MERILL. *Obſerv. Libr. I. Cap. VIII. ſeqq.* & EVERARD. OTTO in *Orat. de philoſophia Stoica veterum JCtorum.* In ſchola ZENONI ſucceſſit CLEANTES, huic CHRYSIPPUS, huic ZENO Tarſenſis, nec ignoti DIOGENES, ANTIPATER, PANAETIUS, POSIDONIUS, aliique quorum elenchum copioſum contexuit JO. ALB. FABRIC. *in Bibl. Graec. III.* 15. *p.* 386.

§. LXXX.

Stoica... Philoſophiam Stoicam illuſtrare coeperunt JUST. LIPSIUS & CASP.

rum logica.

CASP. SCIOPPIUS (*). Eam in *rationalem*, *naturalem* & *moralem* dividebant, LAERT. *VII*, 39. PLUTARCH. *de placit. phil. I*, 1. Et *logicam* quidem ad ſuperſtitionem uſque colebant, ejuſque praecepta Zenoniana, ſi cui illa cognoſcere volupe eſt, reperiuntur apud STANLEIUM *Part. VII. in Zenone p.* 556. *ſeqq.*

(*) LIPSII *Manuductio ad philoſ. Stoicam*, & *Phyſiologia Stoica* inter ejus *Opera* habentur. SCIOPPII *Elementa philoſophiae Stoicae*, *Mog.* CIↃIↃCVIII. 8. prodierunt, & ſaepe fallunt doctos, ignaros, eſſe hanc particulam majoris operis ubivis obvii. Vid. MORHOFII *Polyhiſt. Part. II. Libr. I. Cap. IV.* §. 2.

§. LXXXI.

Eorumdem phyſica.

In *phyſica* primum de *corporibus*, deinde de *principiis*, hinc de *elementis*, tum *de Diis*, ac demum de *loco* & *vacuo* agebant, LAERT. *VII.* 132. Omnia, quae exſiſtunt, iis corpora videbantur, adeo ut & animam, diem, noctem, vocem, virtutes haberent pro corporibus, PLUT. *contra Stoic. p.* 1884. LAERT. *VII.* 55. Corpus autem definiebant, *quod vel facit aliquid*, *vel patitur*. Corporibus originem dederunt principale, agens alterum, *Deus*, alterum patiens, *materia*, LAERT. *VII*, 134. Haec principia vero uno vocabulo vocant *naturam*, quae ipſis eſt *Deus* mundo permixtus (*), LACTANT. *Div. Inſt. VII*, 3. extra quem *vacuum infinitum*, quale in mundo non detur, concipiebant, LAERT. *VII.* 140. JO. STOB. *Ecl. phyſ. p.* 38. *Elementa* quatuor ipſis erant, *ignis*, e quo ſidera quoque profecta, CIC. *Acad. qu. II*, 15. *aër*, de cujus regionibus, affectionibus, meteoris parum accurate philoſophabantur, LAERT. *VII*, 151. *ſeqq. terra* & *aqua*, ex quarum mixtura mundum genitum dicebant.

(*) Hinc alii Stoicis Spinoziſmum, alii Manichaeiſmum tribuunt. Vid. BUDDEI *Diſſ. de Spinoziſmo ante Spinozam*, & JO. CHRISTOPH. WOLFII *Manichaeiſmum ante Manichaeos*.

§. LXXXII.

Et theologia.

Deum primum eſſe docebant, CIC. *de Nat. Deor. II*, 6. 16. 17. deinde eum eſſe animal immortale, ratione praeditum, perfectum credebant, LAERT. *VII*, 147. & quidem naturae igneae, & omnes ſeminales formas in ſe continentis, PLUT. *de plac. phil. I*, 7. Et hinc de Dei providentia pulchre diſſerebant. At dum mundum & Deum aperte confundunt, CIC. *de Nat. Deor. II*, 8. 14. & utrumque ſubjiciunt fato fatuo: quis non videt eos σπιναζίζειν?

§. LXXXIII.

Nec non philoſophia moralis.

Finem philoſophiae *moralis* putabant naturae convenienter vivere, LAERT. *VII*, 80. id eſt vivere ſecundum adpetitiones naturales; CLEM. ALEX. *Strom. Lib. II. p.* 416. Appetitum naturalem

ferri

ferri aiebant primum in ſui conſervationem, LAERT. *VII*, 85. deinde in bonum. *Bonum* vero eſſe ſolam virtutem, *malum* ſolum vitium, ceteras res *indifferentes*, quamvis *eligibiles* aliae, aliae *rejectaneae*, aliae *perfecte indifferentes* videantur, LAERT. *VII*, 102. Hinc quum virtus ſola expetenda, & materia tamen mali origo videretur: perturbationes omnes ſupprimendas, corpus parce & duriter habendum, quin aliquando, carcerem animae perfringendum, cenſebant. Ceterum virtutem conſequutos ſolos liberos, ſapientes, reges principes eſſe, id eſt omnia ex officio facere, (*) arbitrabantur, LAERT. *VII*, 117. *ſeqq.* CIC. *paradox. Stoic.* LIPS. *Manud. III*, 13.

(*) Hinc Stoicorum doctrina de officiis, quam ex eorum mente optime expoſuit CICERO *in libris de Officiis.*

§. LXXXIV.

Hactenus de philoſophia *Ionica*: ſequitur ELEATICA, quae ab *Elea* vel *Velia*, magnae Graeciae vel Italiae urbe nomen repetit. Inde enim prodiere ZENO Eleates, praeceptorum logicorum inventor, PARMENIDES, LEUCIPPUS, quamvis hi omnes a XENOPHANE Colophonio profecerint. At celeberrimi in hac ſchola DEMOCRITUS & HERACLITUS (*), ille Abderita, hic Epheſius, qui, quamvis ingenio diverſiſſimo fuiſſe dicantur, omnes tamen corpuſcularem ſequuti ſunt philoſophiam, quam poſtremo ad ἀκμὴν perduxit EPICURUS. De Democriti vita & philoſophia conſulendi praeter BAELIUM, NIC. HILL. *in Philoſophia Epicurea, Democritea & Theophraſtica* & JOAN. CHRYSOST. MAGNENUS *in Democrito reviviſcente.* Scholae Eleaticae origo.

(*) Heracliticam ſectam diverſam a Ionica, Pythagorica, Eleatica quidam ſtatuunt. Sed corpuſculari philoſophiae eum dediſſe operam, erudite oſtendit GOTTFRID. OLEAR. *Diſſ. II. §. I. ſeqq. de principio rer. natural. ex mente Heracliti.*

§. LXXXV.

Et EPICURUS quidem, domo Athenienſis, e pago Gargetio, qui magis ex Democriti libris, quam a praeceptoribus videtur profeciſſe, ſcholam in horto peramoeno, quem coëmerat, inſtituit, ibique cum amicis communem vitam egit, ſuaviter vivens, at frugaliter tamen, ſuoſque voce non minus, quam ſcriptis libris, quorum quamplurimos reliquerat, inſtituit, deceſſitque ſenex, ac tam carus ſectatoribus, ut natalem ejus feſtum quotannis haberent, LAERT. *X*, 19. PLIN. *Hiſt. nat. XXXV*, 2. Vitam ejus praeter PETR. GASSENDUM accurate contexuere BAELIUS *in Dictionar. hiſtoric. & crit. T. II.* & JACOB. RONDELLUS *de vita &* Ejus reformatio per Epicurum.

moribus Epicuri, *Amſtel.* CIƆIƆCLXXXXIV. 12.

§. LXXXVI.

Epicuri ſucceſſores.

Scholam Epicuri in eodem hortulo, quem diſcipulis in hunc uſum cum bibliotheca legaverat, rexere poſt illum HERMACHUS, POLYSTRATUS, DIONYSIUS, BASILIDES. Reliquorum Epicureorum elenchum copioſum ſatis habes apud FABRIC. *Bibl. Gr. III*, 33. *p.* 808.

§. LXXXVII.

Ejus logica.

Quantumvis autem pleriſque vapulet.. Epicurus, mores tamen probavit ſuo tempore omnibus. Philoſophiam ejus GASSENDUS reſtituere conatus eſt. (*) Et in *rationali* quidem, quam Epicurus *Canonicam* vocabat, tria ſtatuebat veritatis criteria, *ſenſionem*, *anticipationem*, *&* *paſſionem*. De *ſenſione* docebat, eam numquam fallere, omneſque phantaſiae perceptiones eſſe veras, opinionem autem, quae inde naſcitur, vel veram, vel falſam eſſe, prout illi vel ſuffragetur vel refragetur ſenſus evidentia. *Anticipatio* ipſa eſt rei notio ſeu definitio, ex eaque, ſi evidens eſt, inevidentis rei demonſtrationem ſumendam putabat. Denique *de paſſione* proponebat canones: *voluptatem, quae nullam habeat annexam moleſtiam, amplectendam; moleſtiam, quae ſine voluptate ſit, fugiendam, minorem tamen voluptatem propter majorem negligendam, minorem moleſtiam ad avertendam majorem amplectendam eſſe*, LAERT. *X.* 32. *ſeqq.*

(*) Ex veteribus DIOG. LAERTIUS in deſcribenda Epicuri philoſophia tam eſt copioſus, ut ipſe huic ſectae deditus fuiſſe videatur. Cum eo conjungendi T. LUCRETII CARI *libri de rerum natura*, quos luculento commentario illuſtravit CRECHIUS, fato ſuo Lucretio ſimilis.

§. LXXXVIII.

Phyſica.

Univerſum ipſi erat ſyſtema ex corpore & vacuo compoſitum. *Corpus* definiebat, quod tangi poſſit & tangere; *vacuum*, quod natura tangi nequeat, LAERT. *X*, 39. *ſeqq.* cujus exiſtentiam inde probabat, quod, ſi vacuum non daretur, corpora neque haberent ubi eſſent, neque ubi moverentur, LUCRET. *Libr. I. v.* 336. 427. *ſeqq.* *Univerſum* ſibi concipiebat, tamquam infinitum, & immobile, quia extra illud nullus locus ſit, in quo moveatur, ac immutabile, quippe quod ab aeterno tale fuerit, LAERT. *X*, 14. *ſeqq.* Deos exſiſtere, ex anticipatione (§. LXXXVII.) demonſtrabat, CIC. *de Nat. Deor. I*, 17. & eos quidem beatos, immortales, ſempiternos, at otioſos, ſpecie humana praeditos, corporeos, eſſe ſibi perſuadebat, tertii generis naturaeque rem, præter *corpus* *&* *inane* mente concipi poſſe negans, LAERT. *X*, 39.

59. *ſeqq.* LUCRET. *Libr. I, v.* 420. CIC. *ibid. I,* 18. *ſeqq.*

§. LXXXIX.

Quum vero in rerum natura multa quotidie generentur, & ex nihilo nihil fiat: omnem materiam primam ſibi concipiebat, tamquam atomos, LAERT. *X.* 38. 56. *ſequ.* quas *magnitudine*, *figura*, *& pondere*, non *colore*, *calore*, *frigore*, aliiſque proprietatibus differre, PLUT. *de plac. phil. I.* 4. LUCRET. *II. v.* 729. *ſequ.* & duplici motu, nempe *gravitatis* & *reflexionis* ferri, & ex quarum concretione omnia generari, ex earumdem diſſolutione omnia corrumpi, denique ex earum proprietatibus omnia rerum naturalium phaenomena derivari, tradidit, LUCRET. *I. v.* 1020. *ſequ.* Ejus principia de rerum ortu & attributis.

§. XC.

In philoſophia morali *finem* omnis vitae tacito hominum conſenſu eſſe docebat *felicitatem*, SEN. *de Vit. beat. Cap. I.* non *ſummam* illam quidem, & cui nihil deſit, ſed *ſubalternam*, LAERT. *X.* 128. *ſeqq.* Eam conſiſtere in *voluptate*, LAERT. *X.* 128. *ſequ.* hanc in *indolentia & tranquillitate animi*, LAERT. *X.* 136. ac temperantia aliiſque virtutibus parari tradebat, CIC. *de Fin. I.* 14. Enimvero dum mentis immortalitatem, Dei providentiam, ipſumque numinis metum e philoſophia ſua proſcripſit, eum maxima ad virtutem incitamenta ſimul ſuſtuliſſe, facile patet (*). Ejus philoſophia moralis.

(*) Et hinc non mirum, quod Epicurei non omnes ſobrietatem & temperantiam magiſtri expreſſerint, ſed plerique vitam ſatis diſſolutam vixerint.

§. XCI.

Hi ſunt, qui certae cuidam *ſectae* nomen dederant, philoſophi. Fuere etiam, qui in nullius verba magiſtri jurare auſi, ECLECTICUM philoſophandi genus praeferendum exiſtimarent, quamvis hi ſectariis philoſophorum nomine vix digni judicarentur. (*) Vid. IS. CASAUBONI *Diatrib. I. in Dion. Chryſoſt.* Philoſophi eclectici.

(*) VOSS. *de Sect. philoſ. Cap. ult.* & MENAG. *ad Diog. Laërt. Prooem. ſegm.* 1. exiſtimant, eclecticos philoſophos a ſectariis *Miſcellionum* vocabulo traductos eſſe. Enimvero locus FESTI *in voce Miſcelliones*, cui haec conjectura ſuperſtruitur, de philoſophis plane non agit, ceu obſervavit GOTTFR. OLEARIUS *de Eclect. philoſ. Cap. II.*

§. XCII.

Quamvis vero omnes fere ſectarum auctores, veluti *Pythagoras*, *Socrates*, *Zeno*, *Democritus*, *Epicurus*, *Plato*, quin & ipſe *Ariſtoteles* eclectici fuerint (*), & ideo plerique tot itinera ſuſceperint, ut quod verum ac ſcitu dignum occurreret, undique conquirerent: praecipuus tamen eclecticae philoſophiae auctor fuiſſe traditur POTAMON. Vid. FABRIC. *Bibl. Gr. Libr. III. Cap. XXXIII.* §. *VIII. p.* 824. Eclectici antiquiſſimi.

(*) Non ergo ipſi ſectas inſtituerunt, (ſi paucos exceperis,) ſed diſcipuli, qui nefas credebant doctorum ſuorum opiniones deſerere. ARISTOTELIS ipſius ea de re ſententiam habemus *Libr. I. Ethic. Cap. IV.*

§. XCIII.

Potamon quis?

Fuit iſte POTAMON gente Aegyptius, domo Alexandrinus, & paullo ante Diogenis Laërtii aetatem, LAERT. *in proem. ſegm.* 21. immo ante Auguſtum, & poſt eumdem, ſi SUIDAE *in voce* Ποταμῶν credimus (*), floruit, & praeter ϛοιχείωσιν, ſeu *prima philoſophiae elementa*, etiam *Commentarium in Platonis opus de Republica* reliquiſſe fertur. Vid. LAERT. *ibid.*

(*) Diogenis tamen Laërtii ſententiam alteri Suidae praeferendam eſſe, jam obſervavit GOTTFR. OLEAR. *de Philoſ. eclect. Cap. I.*

§. XCIV.

Qui ejus methodum ſequuti?

Potamonis illius ſectatores quaerere abſonum foret, (ita enim non eſſent *eclectici*) at id certum, quum ille eclecticorum anteſignanus Alexandrinus fuerit, ejus methodum ſe praecipue Alexandrinis philoſophis, eorumque diſcipulis, Chriſtianis aeque ac paganis, probaſſe, OLEAR. *ibid. Cap. I, p.* 1205.

§. XCV.

Ex paganis.

Hinc praecipui, qui eam philoſophiam coluere ſunt Ammonius Saccas, Chriſtianus, ejuſque diſcipuli pagani Plotinus, Herennius, Origenes, Porphyrius, (*rabidus ille adverſus Chriſtum canis*, HIERONYM. *in prooem. Catal. ſcript. eccleſ.*) Jamblichus, Sopater Syrus, Aedeſius, Chryſanthius, & reliqui, qui vulgo *recentiorum Platonicorum* nomine veniunt, veluti Syrianus, Olympiodorus, Proclus, Marinus, Hegias, Iſidorus, Damaſcius, aliique plures, de quibus OLEAR. *ibid. Cap. III. p.* 1209. *ſequ.*

§. XCVI.

Ex Chriſtianis.

Inter eos, qui Chriſto nomen dederunt, eclecticae illi philoſophiae ſtuduerunt poſt Ammonium Saccam (§. XCV.) Clemens Alexandrinus, Origenes Adamantius, Gregorius Thaumaturgus, quos ideo ſingulare quid prae aliis patribus eccleſiae habere, jam pridem obſervarunt theologi. Vid. THOM. ITTIG. *Bibl. patr. apoſt. Tom. II. in prolegom.*

§. XCVII.

An hi omnes veri eclectici?

Enimvero, ſi dicendum quod res eſt, prudens quidem his omnibus placuit ἐκλογὴ, at ita tamen placuit, ut inter reliquos omnes philoſophos Platonem potiſſimum admirarentur (*). Unde & plerique, quos hactenus eclecticis adnumeravimus, inter Platonicos quoque locum ſibi vindicant. (§. LXXI.)

(*) Hoc de ipſo *Potamone* verum eſt, quem ideo Platonis *libros de Republica* commentario illuſtraſſe (§. XCIII.) arbitror. Vid. OLEAR. *ibid. Cap. II. p.* 1207.

§. XCVII.

§. XCVII.

Ne fabula morionibus careat, *dogmaticis* hiſce philoſophis ſubjungimus SCEPTICOS, qui & APORETICI a perpetua dubitatione, &, quia nihil omnino concipi poſſe exiſtimabant, ACATALEPTICI vocabantur (*). Natales hujus philoſophiae a PYRRHONE Eleaeo repetunt, Ariſtoteli aequali, qui quum, lectis Democriti libris & variis auditis philoſophis, in primis Anaxarcho, nihil certi ſibi reperire videretur, etiam nihil quidquam comprehendi poſſe, ſtatuit, aut ſaltim id ſe ſtatuere, prae ſe tulit. Philoſophiae ſcepticae origo.

(*) Immo & *Pyrrhonici* a Pyrrhone, *ephectici* ἀπὸ τῆς ἐποχῆς, & quia ſemper ſuſpendebant judicium, & *Zetetici* ἀπὸ τοῦ ζητεῖν, quia veritatem ſemper quaerebant, nunquam inveniebant, LAERT. IX. 70.

§. XCVIII.

Quamvis ergo nihil ſit hac philoſophia abſurdius, quippe cujus non alia erat doctrina, quam quod nihil ſciri poſſit: quamvis etiam *ſceptici* toto vitae genere turpiter ſe darent, riſumque vulgi provocarent: LAERT. IX, 62. *ſeqq.* eam tamen ſequuti ſunt non pauci, veluti *Timon*, *Hecataeus* Abderites, *Eurylochus*, *Nauſiphanes*, & ſcepticorum acerrimus doctiſſimuſque *Sextus Empiricus*, cujus ſcripta ipſa, quibus nihil ſcire poſſe contendit, oſtendunt, eum permultum ſciviſſe. Vid. FABRIC. *Bibl. Gr. Libr.* III. *Cap. XXXIII.* §. V. *p.* 817. *ſeqq.* Ejus ſectatores.

CAPUT IV.

DE PHILOSOPHIA MEDII AEVI ET NOVA.

§. XCIX.

ITa philoſophia in ſectas quam plurimas diſtracta eſt in *Graecia*. MEDIO AEVO cathedras academicas omnes occupaverat philoſophia Ariſtotelica. Sed quum primum *Arabes* eam in ſcholas ſuas recepiſſent, & Ariſtotelis opera in ſuam linguam translata, & *commentariis* AVERRHOIS & AVICENNAE illuſtrata jam pridem praelegiſſent in *ſcholis* Aegyptiacis, Africanis, Hiſpanicis: ſequuti hos Chriſtiani ex illo *ſyſtemate Ariſtotelico* & *Arabico* formarunt novum chaos philoſophiae SCHOLASTICAE. (*) Philoſophiae ſcholaſticae origo.

(*) Ex Arabicis illis lacunis derivandas eſſe illas ſcholaſticorum ſordes, jampridem obſervarunt JOS. SCALIG. *Epiſt.* CCCLXII. SELDEN. *in Not. ad* EUTYCH. *Orig. p.* 155.

§. C.

Hujus ſectae anteſignani, PETR. ABAELARDUS, PETR. Praecipui

ſcholaſtici.

LOMBARDUS, ALEXANDER AB HALES, ALBERTUS MAGNUS, THOMAS AQUINAS, JO. DUNS Scotus, DURANDUS à S. PORCIANO, GUIL. OCCAM & GABR. BIEL non modo faſtu ſcholaſtico, (*) & maleſana curioſitate, (§. VI.) ſed & abſona dicendi docendique ratione cordatioribus hodie riſum excitant merito.

(*) Hinc cognomina ridicula, dum HALESIUS magiſter *irrefragabilis*, RICHARDUS DE MEDIA VILLA *auctoratus*, SCOTUS *ſubtilis*, BONAVENTURA *ſeraphicus*, THOMAS AQUINAS, *cherubicus*, alii aliter vocati. Vid. TRIBBECH. *de doct. ſcholaſt. Cap. VI. p.* 152.

§. CI.

Eorum doctrinae

Et tamen hi doctores *angelici*, *cherubici*, *ſeraphici*, non modo univerſam philoſophiam ac theologiam erroribus quamplurimis inquinarunt: verum etiam in philoſophiam moralem invexere ſacerrima iſta principia *probabiliſmi*, *methodi dirigendi intentionem*, *reſervationis mentalis*, *peccati philoſophici*, (*) quibus Jeſuitae etiamnum mirifice delectantur.

(*) Conferri hic oportet LUD. MONTALTII *Epiſtolas ad quemdam ex provincia*, cum iis quae inter ſe diſputarunt WENDROCKIUS & STUBROCKIUS, ANT. ARNALDI *Denunciationes haereſeos de peccato philoſophico*, THYRSI GONZALEZ *tractatum theologicum de recto uſu opinionum probabilium*, *Antv.* CIƆIƆCLXXXXIV. 4. & JO. FRANC. BUDD. *Hiſt. jur. nat.* §. *XIII. ſeqq.*

§. CII.

Ariſtotelis doctrina etiam in ſcholis proteſtantium radices egit.

Et quamvis LUTHERUS, ut illis ſcholaſticorum ſordibus eccleſia purgaretur, nihil fecerit reliqui: SECKEND. *Hiſt. Luth. Libr. I. Sect. VIII. n.* 10. *& Addit. VII. Sect. XIII. n.* 2. 4. *Sect. XXVI. n.* 2. *Sect. LXX. n.* 3. *Sect. LXXII. n.* 3. tantum tamen abeſt, ut ex voto ei res ſucceſſerit, ut nihilominus etiam in academiis proteſtantium radices egerit Ariſtotelica philoſophia, alibi mere ſcholaſtica, alibi vel a MELANCHTONE, vel ab aliis perpurgata, (*) ibique diutiſſime floruerit.

(*) Et MELANCHTONI quidem praecipue debetur *conſervatio philoſophiae Ariſtotelicae in Academiis proteſtantium*, BAELIUS *dans le Dictionaire hiſtorique & critique, ſub voce* Melanchthon. *litt. X. p.* 1965. *Tomo III.* Scripſit is compendia pleraumque diſciplinarum philoſophiae Ariſtotelicae, quae in academiis diu regnarunt. Helmſtadii tamen & Altorffi ipſum Ariſtotelem interpretabantur, & interpretes ejus Graecos praeferebant Latinis.

§. CIII.

Philoſophi novi qui Ariſtotelem impugnarunt.

Non defuere quidem varii conatus, Ariſtotelem e throno deturbandi. Hinc eum in ipſa Italia impugnarunt *Laur Valla*, *Marius Nizolius*, *Hadrianus Cardinalis*, *Franc. Patricius*; in Gallia *Petr. Ramus*, & majore impetu PETRUS GASSENDUS; in Germania *Dan.*

Dan. Hoffmannus: (*) ſed ad rei ſummam parum profecerunt.

(*) LAUR. VALLA fere ubique ex inſtituto exagitat Ariſtotelem, BAELIUS Dictionaire *hiſt. & Crit. voce* Valla *litt. H. p.* 2792. *Tom. IV.* MAR. NIZOLIUS potiſſimum in *Antibarbaro*, quem cum docta praefatione recuſum dedit illuſtr. LEIBNITIUS. HADRIANI CARDINALIS *de vera philoſophia* liber editus eſt *Colon.* CIϽIϽXXXXVIII. FRANCISCI vero PATRICII *Diſcuſſiones peripateticae*, *Venet.* CIϽIϽLXXI. 4. De PETRI RAMI *Theſibus inauguralibus*, quibus, *nihil omnino, quod Ariſtoteles ſcripſerit, verum eſſe*, contendit, legendus FREIG. *in Vita Rami, p. 9. ſequ.* de ejuſdem *Animadverſion. Ariſtotelicis* BAELIUS *in Diction. Hiſt. Crit. voce* Ramus *litt. D. p.* 2425. *Tom. III.* PETRI GASSENDI *Exercitationes paradoxae adverſus Ariſtotelicos*, *Tomo III.* ejus operum occurrunt. Denique de controverſia DAN. HOFFMANNI cum philoſophis Helmſtadienſibus conſulendi ſunt BAELIUS in *Dictionario voce Dan.* Hoffmann. *Tom. II. p.* 1486. & ARNOLD. in *Hiſt. Eccl. & haereſ.*

§. CIV.

Nec magis philoſophiae conſuluerunt, qui aliquam ex ſectis veteribus ſuſcitare voluerunt. Nam quamvis FRANC. GEORGIUS, & ante eum JO. PICUS MIRANDULA *Pythagoream*; BESSARION Cardinalis & MARSILIUS FICINUS *Platonicam*; JUSTUS LIPSIUS & CASP. SCIOPPIUS *Stoicam*; PETR. GASSENDUS *Epicuream*; BERNARDINUS TELESIUS *Parmenidis* Eleatae philoſophiam inſtaurare conati ſint: (*) tamen & horum labor paene irritus fuit; omneſque plauſum non adeo magnum retulerunt. Qui aliquam ex ſectis veteribus revocarunt?

(*) Pertinent huc JO. PICI MIRANDULANI *Theſes* ſeu *concluſiones XC.* Romae non ſine invidia propoſitae, in quibus tamen philoſophiam Pythagoricam cum Cabbaliſtica conjunxit, quod & fecerunt REUCHLINUS & HENR. MORUS. Vid. BUDD. *Hiſt. philoſ. Hebr. p.* 116. De FRANCISCI GEORGII VENETI *philoſophia* fuſe actum in *Obſerv. Halenſibus.* BESSARION gente Graecus, & MARSIL. FICINUS adeo pro Platone contendebant, ut paene Chriſtianiſmum dediſcerent. Hujus *Opera* prodierunt *Baſil.* CIϽIϽLXI. *fol. Tomis II.* Et forte in ſchola pro Ariſtotelica recepta fuiſſet *philoſophia Platonica*, niſi Clementem Papam VIII. monuiſſet Rob. Bellarminus, tanto magis cavendam eſſe philoſophiam Platonicam, quanto propius ad Theologiae Chriſtianae placita accedere videretur, LAUNOI. *de Var. Ariſt. fort. Cap. XVII.* De JUSTI LIPSII, SCIOPPII, GASSENDI conatibus omnia nota. De BERN. TELESII philoſophia, quam *Libris IX. de Rerum natura Neap.* CIϽIϽLXXXVI. & *Lugd.* CIϽIϽLXXXXVIII. *fol.* expoſuit, & ex PLUTARCHI libello *περὶ τοῦ πρώτου ψυχροῦ Tomo II. p.* 945. maximam partem deſumſit, videndus FRANC. BACO DE VERULAM. *de philoſophia Parmenidis, Teleſii & Democriti.*

§. CV.

Majorem ſtrepitum dederunt nova philoſophorum ſyſtemata quae non modo medio aevo, ſed & a reſtitutarum litterarum ſaeculo excogitarunt RAIM. LULLUS, FRANC. PATRICIUS, (*) PETRUS RAMUS (**), HIERON. CARDANUS (***), THO- Qui nova ſyſtemata, ſed minus celebria,

excogitarunt. THOMAS CAMPANELLA, (****) quamvis & hi omnes pauciores ſectatores repererint.

(*) FR. PATRICII *Nova de univerſis philoſophia* prodiit *Ven.* CIƆIƆLXXXXIII. *fol.* Sed quamvis eam dedicaſſet Gregorio Papae XIV. Inquiſitorum tamen cenſuram incurrit auctor, THUAN. *Libr. XCIX. p.* 817. adeoque & philoſophia ejus parum ſe probavit.

(**) PETRUS RAMUS fere *dialecticam* tantum excoluit. De ejus vita legendus FREIGIUS. De ejuſdem fatis & controverſiis LAUNOI. *de var. Ariſt. fort. Cap. XIII.* BAELIUS *in Dict. hiſt. & Crit.* voce Ramus *p.* 2424. *ſequ.* Logica *Ramiſtica* in Anglia, Scotia, Germania diu floruit, & JCtis præcipue placuit, KECKERM. *in Praecogn. log. Tract. II. Cap. IV.* & etiamnum aliquo in pretio eſt Helvetiis, BAELIUS, *ibid. p.* 2430.

(***) Vitam ſuam ipſe deſcribit CARDANUS. Ejus *Opera*, in quibus fanaticiſſimum pleraque redolent, quae de daemonibus, ſomniis, divinationibus diſſerit, prodierunt *Lugd.* CIƆIƆCLXIII. *fol. Tomis X.*

(****) THOMAE CAMPANELLAE vitam dedit JAN. NIC. ERYTHRAEUS. Ejus philoſophiam ex Cardani & Teleſii principiis conflatam deſcripſit ERN. SAL. CYPRIANUS *in programmate de philoſophia Tho. Campanellae.*

§. CVI.

Qui experimentis operam dederunt. Plurimum contra philoſophia debet viris doctiſſimis, qui experimentis inſtitutis, eam novis ſubinde inventis atque obſervationibus locupletarunt. Sic *circulationem ſanguinis* GUIL. HARVAEUS (*), *Venas lacteas* CASP. ASELLIUS, *microſcopiorum* uſum CORN. DREBBELIUS, ANT. LEEUWENHOEKIUS, ROB. HOOCKIUS, PETR. BORELLUS, *tubos opticos & circumjoviales* GALIL. A GALILAEIS, *Satellites Saturni* CASSINUS & HUYGENIUS, *maculas ſolares* CHRISTOPHORUS SCHEINERUS, *ſpecula cauſtica* TSCHIRNHAUSIUS, *barometra* TORRICELLUS, *thermometra* CORN. DREBBELIUS, *antliam pneumaticam* OTTO DE GUERICKE, Conſul Magdeburgenſis, ROB. BOYLE, & alii, *chemiam* THEOPHRASTUS PARACELSUS, DANIEL SENNERTUS, ROB. BOYLE, *anatomiam plantarum* JO. RAIUS & MARCELLUS MALPIGHIUS, alia hujus generis alii invenerunt, aut inventa ab aliis perfecerunt.

(*) Sed his omnibus fere alii palmam dubiam reddunt. *Circulationem* enim *ſanguinis* perſpectam habuiſſe dicuntur PAULUS SARPIUS & ANDR. CAESALPINUS, *microſcopia* LUDOVICUS SEPTALIUS, *circumjoviales* SIMON MARIUS, *maculas ſolares* LEO ALLATIUS, *barometra* VALERIUS MAGNUS, Capucinus, *thermometra* ROB. FLUDD, *chemiam* veteres Aegyptii & ex Graecis DEMOCRITUS, ZOSIMUS, & alii, *ſpecula cauſtica* ARCHIMEDES & PROCLUS, *tubos opticos* JO. BAPT. PORTA, JO. LIPPERSHEIMIUS, JO. METIUS, ZACH. JOHNSON ſciviſſe dicuntur. Et fieri ſane poteſt, ut plures eandem rem inveniant, quamvis ſibi invicem parum noti.

§. CVII.

Laus Franc. Nec parum ad incrementa philoſophiae contuliſſe FRANC. BACONEM *de* VERULAMIO, fatendum eſt, cujus exemplum cum

cum alii, tum ſocii celeberrimarum ſocietatum ſcientiarum, *Anglicanae*, *Pariſienſis*, *Naturae curioſorum*, & *Berolinenſis* ſunt ſequuti. Baconis de Verulamio.

§. CVIII.

At celeberrima recentioribus ſunt ſyſtemata CARTESIANUM, MYSTICO-CHYMICUM, & quod LEIBNITIUS, NEWTONUS & alii excolere coeperunt, METAPHYSICO-MATHEMATICUM. Et CARTESIANI quidem auctor RENATUS CARTESIUS (*des Cartes*,) domo Haga-Tunenſis, gente Gallus, qui audita apud Jeſuitas philoſophia, vitaque vaga aliquamdiu acta, demum ad philoſophiam animum adplicuit, & in variis Belgii urbibus & ſurburbiis latitans, demum ſcripta ſua non ſine magno eruditorum plauſu edidit, obiitque Holmiae Suecorum anno CIƆIƆCL. Id. Febr. Vid. HADR. BAILLET *Vit. Carteſii.* Carteſii hiſtoria.

§. CIX.

Sectatores habuit quamplurimos, quorum praecipui *Henricus de Roy*, *Dan. Lipſtorpius*, *Hadr. Heereboord*, *Jo. Claubergius*, *Ant. le Grand*, *Lud. de la Forge*, quorum ſtudio eo res rediit, ut quamvis huic ſectae initio acriter ſe opponerent Theologi & philoſophi Belgae; in academiis tamen eorum hodie vix alia, quam Carteſiana, principia inculcentur (*). Enimvero totum hoc ſectae ſtudium ipſius magiſtri principiis repugnare, jam ab aliis obſervatum eſt. Vid. FABRIC. *Bibl. Gr. Libr. III. Cap. VI, p.* 183. Ejus ſectatores.

(*) Incrementum ibi haec philoſophia praecipue debet magni Cocceii diſcipulis, maxime CHRISTOPH. WITTICHIO. Vid BAELIUS *Tom. IV. p.* 1879. quibus prudentia quaedam ſuaſit, ut ſe Carteſianis adſociarent. Sed quum quidam Carteſianiſmum paullatim ad ſua principia detorſerint, nata eſt inter ipſos Carteſianos quaeſtio de *genuinis & pſeudocarteſianis*, unoquoque eorum prius illud nomen adfectante.

§. CX.

Ceterum Carteſius, quod ad *logicam* attinet, de omnibus exiſtimabat dubitandum. Ne autem in ſcepticiſmum degeneraret illa dubitatio, unum admittebat principium: *ego cogito*, *ergo ſum*. Quumque de eo ideo dubitare non liceat, quia id clare & evidenter percipiamus, claram illam & evidentem perceptionem pro unico veritatis criterio habuit. Qua vero via ad claram illam ac evidentem perceptionem pervenire liceat, diſcipuli ejus, & in primis ANT. LE GRAND & CLAUBERGIUS ſcriptis libellis logicis oſtendere conati ſunt. Ejus principia logica.

§. CXI.

Exſiſtentiam Dei Carteſiani probant ex idea entis perfectiſſimi, quae concipi non poſſit ſine exſiſtentia aeterna. Quod argumentum Metaphyſica.

tum tanti nonnulli faciunt, ut eam demonſtrationem a priore vocare non dubitent, RUARD. ANDALA *Theol. nat. Part. I. Cap.* II. Spiritus illis eſt ſubſtantia cogitans, quemadmodum corpus ſubſtantia extenſa. At, dum ipſam ſpirituum eſſentiam quidam in cogitatione conſiſtere ſerio autumarunt, non potuit non occaſio ſubnaſci ſyſtematis occaſionalis, & ipſius Bekkerianiſmi (*).

(*) Dicendum hic de ſyſtemate occaſionali & MALEBRANCHIO, nec non de BALT. BEKKERI *Mundo faſcinato*, ejuſque libri fatis. Argumentum Carteſii pro exſiſtentia Dei jam ab ANSELMO, archiepiſcopo Cantuarienſi, qui anno CIƆCIX. deceſſit, inventum eſſe, obſervarunt HUET. *in Cenſura philoſ. Carteſ. p.* 204. BAILLET *in Vit. Carteſ. Tom. II. p.* 536. *ſeq.*

§. CXII.

Phyſica. In *phyſicis* trium generum elementa ponit, quae in infinitum extenſa diverſos vortices conſtituant, & ex parte in ſoles & planetas innumeros coaluerint, qui omnes vorticibus ſuis innatent. Syſtema mundi ipſi placet Copernicanum: ceterarum rerum naturalium adfectiones, motus, cauſſas ex rationibus mechanicis explicat, idque aliquando tanta ſollertia, ut omnino laudem mereatur. Nec tamen omnibus probavit ſententiam, quod animalia omnia praeter hominem, ſenſu careant meraeque ſint machinae, directore interno deſtitutae.

§. CXIII.

Moralia. *Moralem philoſophiam* vix attigit Carteſius, quamvis in libello *de paſſionibus animi* quaedam ſuppeditaverit principia, quibus deinde diſcipuli (*) etiam ſyſtema morale ſuperſtruxerunt. Sed dum adfectus intellectum adficere exiſtimant, dum ſummam felicitatem in recto tantum facultatum mentis uſu ponunt, dum virtutem parum commode deſcribunt: procul abeſſe videntur ab illa cognitione ſui ipſius, a quo omnem ſapientiam proficiſci oportet.

(*) Maxime a quibuſdam laudantur ARNOLDI GEULINX & PHILARETI *Ethicae*. Sed priorem non adeo procul abeſſe a Spinoziſmo, jam obſervavit THOMAS. in *Cautel. circa praecogn. jur. Cap. XIV.* §. *XXXIII. litt. y. p.* 225. *ſequ.*

§. CXIV.

Laus Carteſii. Itaque laude praecipua dignus eſt Carteſius, qui quamvis non ubique rem acu tetigerit, jugum tamen ſervitutis philoſophicae excuſſit, multaſque egregias obſervationes reliquit poſteris. Sed quemadmodum ipſe a ſectae ſtudio alieniſſimus fuit: ita, quod diſcipuli in ejus verba jurant, ei non magis imputandum eſt; (§. CIX.) quam quod quidam his principiis abuſi in varia opinionum portenta vel ſaltim in ſpeculationes oppido inanes inciderunt.

§. CXV.

An Spi- Nec calumnia caret, quod BENEDICTUM SPINOZAM ex Carte-

ſii

ſui ſchola prodiiſſe exiſtimant. Quamvis enim ille Carteſii principia methodo mathematicâ demonſtrata dederit: pantheiſmum tamen ille non ex Carteſio didicit, ſed domi habuit, quos ſequeretur. (*) nozif-mus ex philoſo-phia Car-teſiana or-tus ſit?

(*) Oſtendit hoc WACHT. libello: *Spinoziſmus in Judaiſmo*, quamvis poſtea a ſe ipſo quodammodo diſſenſerit in *Elucid. Cabb. Cap. ult.*

§. CXVI.

MYSTICO-CHEMICI philoſophi in plures quidem familias abeunt. Nam THEOPHRASTUS PARACELSUS, *Fratres roſeae crucis*, *Rob. Fludd*, *Helmontii*, *Poiretus*, *Jac. Boehmius*, *Quir. Kuhlmannus* & alii, qui inter *theoſophos* nomina profitentur, quod ad concluſiones attinet, inter ſe parum conſentiunt. Vid. GODFR. ARNOLDI *Hiſt. theol. myſt.* Philoſophi myſtico-chemici.

§. CXVII.

Quandoquidem vero id commune habent plerique, quod ex Deo omnia emanaſſe, & in Deum reditura credunt, quod mentem divinae eſſentiae particulam crepant, quod denique ad adflatus extraordinarios ſunt procliviores, & inſinuata myſteria, quin & ipſam χρυσοποΐαν & medicinam univerſalem, jactant: non eſſe hanc philoſophiam publici ſaporis, nemo facile mirabitur. (*) Eorum principia.

(*) Accedit, quod plerique, huic philoſophandi methodo adſueti, demum principia quaedam ſocietati humanae parum utilia adoptare ſolent, & univerſalem ſtatuum omnium emendationem non ſine bile adfectant.

§. CXVIII.

Fuere etiam ex philoſophis novis, qui de ſcientiis *practicis* perpoliendis cum cura cogitarunt. Et JURI quidem NATURAE permultum operae impendiſſe triumviros, HUGONEM GROTIUM, THOM. HOBBESIUM & SAM. PUFENDORFFIUM, (*) nemo ignorat. Eos & alii, at non eodem omnes ſucceſſu, imitati ſunt, veluti *Jo. Seldenus*, *Lamb. Velthuyſius*, *Chriſt. Thomaſius*, aliique plurimi. Emendatores juris naturae.

(*) GROTIUS, HOBBESIUS & PUFENDORFFIUS jus naturale derivant ex principio ſocialitatis. In eo autem diſcrepant, quod quiſque horum ſuo utitur medio termino. Primus enim ſocialiter vivendum putat, quia id congruat ſanctitati divinae, HOBBESIUS, ne oriatur bellum omnium in omnes, PUFENDORFFIUS, quia id exigat voluntas divina.

§. CXIX.

Sic & POLITICAM alii excoluere, praecipue HERM. CONRINGIUS, JO. HENR. BOECLERUS, & reliqui, in primis Itali, ad excolendam hanc ſcientiam veluti a natura facti. Sed quum alii monarchiae nimium deferrent, alii eamdem odio plus Nec non politices.

quam Vatiniano proſequerentur, nata inde ſunt monſtra peſtilentiſſima, MACHIAVELLISMUS & MONARCHOMACHISMUS.

§. CXX.

Praecipui machiavelliſtae & monarchomachi.

Et illi quidem praeter NIC. MACHIAVELLUM Florentinum favent THOM. HOBBESIUS & ex Anglis quidam, qui ibi *Highfliers* vocantur, & obedientiam paſſivam, quam vocant, urgent; huic FRANC. HOTOMANUS, STEPH. JUN. BRUTUS, JO. MILTON, JO. ALTHUSIUS, RATBODUS, SCHELIUS, & ex Anglis tantumnon omnes, qui ibi *Républicains* adpellantur.

§. CXXI.

Utriuſque ſectae principia.

Quemadmodum autem *Machiavelliſtae* principi omnia indulgent, eique vix ullam obligationem erga cives imponunt: ita *monarchomachi* realem majeſtatem vindicant populo, principem autem, tanquam populi adminiſtrum, civium judicio, quin & poenis & ſuppliciis, temerario auſu ſubjiciunt.

§. CXXII.

Concluſio hiſtoriae philoſophicae.

Tam numeroſa eſt philoſophorum familia, tamque varia inter eos ſunt ſententiarum divortia. Quumque multi homines, paene ſtolidi & veritatis parum amantes, quin & variis cooperti flagitiis, ſapientiam profeſſi ſint, ſeque ipſos circumtulerint inutilis diſciplinae exempla, non mirum profecto eſt, jam olim dixiſſe non neminem: *vix aegrotum ſomniare quidquam tam nefandum, quod non aliquis dixerit philoſophus.*

ELE-

ELEMENTA PHILOSOPHIÆ RATIONALIS Seu LOGICAE.

CAPUT I.

DE LOGICAE NATURA ET CONSTITUTIONE.

§. I.

Quid logica.

QUum philoſophia ſit cognitio veri: (H. §. I.) & ad illam cognitionem intellectum praeparet LOGICA: (H. §. VII.) definiri ea poteſt quam optime, quod ſit *ſcientia de invenienda proponendaque veritate* (*).

[*] Veritatem autem reperimus vel *meditando*, vel aliorum ſcripta *legendo*. Ita inventam veritatem eo modo *proponere* docendo ſcribendoque, ut auditor lectorque de ea convincatur, non adeo proclive eſt. Verum id quoque docet logica.

§. II.

Eſt vel naturalis, vel artificialis.

Quamvis enim omnes homines, niſi morbo impediantur, *recta ratione*, id eſt, facultate ratiocinandi, vel veritates alias ex aliis per neceſſariam concludendi rationem eliciendi, polleant, (H. §. II. (*) & hinc negari non poſſit, dari logicam NATURALEM: inde tamen non ſequitur, ut ARTIFICIALIS ſit negligenda: quia ars naturam perficit, & intellectus non ſolum *facultate*, ſed & *promptitudine* ratiocinandi, quin & *methodo* veras falſasque ratiocinationes *diſcernendi* inſtructus eſſe debet.

[*] Nam & facultate *numerandi* natura gaudet homo, & potentia *ſaltandi*, *canendi*, *loquendi*, *perſuadendi*: nec quiſquam tamen dubitat, quin *arithmetica*, *ars* commode *ſaltandi*, *muſica*, *grammatica*, *rhetorica*, ſint neceſſariae.

§. III.

Ejus finis inventio veritatis demonſtrativae & probabilis.

Quum itaque verum invenire ac proponere doceat logica, (§. I.) veritas autem vel *certa* ſit, vel probabilis: (H. §. II.) de utraque ſollicitum eſſe oportet logicum (*).

(*) Nec tamen ideo opus eſt, ut cum Ariſtotelicis duas diſtinctas diſciplinas, puta *dialecticam* & *analyticam*, fingamus. Vid. SCHERBII *Diſſ. de different. analyt. & dialect.*

§. IV.

Logicae utilitas.

Utilitas ergo hujus diſciplinae in omni genere eruditionis plane admiranda eſt. Quem enim alium ſtudiorum omnium finem nobis proponimus, quam ut veritatem inveniamus ac inventam communicemus cum aliis? (*)

[*] Reprehendendi itaque, & procul dubio a poſteritate infamia notandi, qui, ut juventutem, olim logicae Ariſtotelicae tricis juſto diutius inhaerentem, ad utiliora revocarent, logicam prorſus inutilem eſſe clamarunt, eique hoc inſtrumentum neceſſarium plane excuſſerunt e manibus. Sic

Stulti, dum fugiunt vitia, in contraria currunt.

Eam ſtoliditatem ex inſtituto refellit JAC. MARTINI *in dem Vernunfft-ſpiegel.*

§. V.

Ejus inventores.

Hinc illam magna cura olim excoluerunt *Zeno Eleates*, ad quem originem hujus ſcientiae vulgo referunt, (H. §. LXXXIV. (*) DIOG. LAERT. *in prooem. Segm.* XVIII. & XIX. 25. *Megarici*, (H. §. LXIII.) *Ariſtoteles*, (H. §. LXXIII.) *Stoici*, (H. §. LXXX.) *Epicurei* (H. §. LXXXVII.) Sed dum plerique horum non tam inveniendae veritatis, quam diſſerendi diſputandique methodum oſtenderunt: poſt tantam meſſem magnum recentioribus ſpicilegium ſuperfuit (*).

[*] Hinc logicae novae, quas tamen parum commendant principia *de dubitatione*, [H. §. CX.] de fallacibus ſenſibus & ſimilia. Add. THOMAS. *Cautel. circa praecogn. jur. Cap. X.* §. *VII. ſequ.* Dicendum quoque *de Arte cogitandi*, *Medicina mentis*, *Specimine ratiocinandi Kufſteriano*, *Logica* CLERICI, & libellis ſimilibus.

§. VI.

Conſilium noſtrum.

Nos id operam dabimus, ut optima quaevis praecepta, quae vel experiundo didicimus, vel ab aliis tradita accepimus, eo ordine proponamus, qui naturae hujus diſciplinae nobis videtur quam convenientiſſimus (*).

[*] Quam commodiſſimum autem videtur, primo conſiderare *naturam* INTELLECTUS humani, deinde *naturam* VERITATIS, ac demum, *quomodo* ea INVENIENDA PROPONENDAque ſit, diſquirere.

CAPUT II.

DE NATURA INTELLECTUS HUMANI.

* * *

SECT. I.

DE INTELLECTUS OPERATIONIBUS.

§. VII.

Cur hic de intellectu agendum ſit?

CIrca veritatem INTELLECTUS, circa bonum *voluntas* magis occupata eſt. Quum ergo logica tradat rationem inveniendi proponendique veritatem; (§. I.) facile patet, eam doceri non poſſe, niſi vires intellectûs humani ejuſque operationes probe perſpectas habeamus.

§. VIII.

An dentur ideae innatae?

Experientia docet, nos cognitionis omnis expertes in hoc mundi theatrum prodire, (*) & poſtea nobis adquirere ſenſim rerum variarum materialium *ideas*, a quibus deinde & conceptus rerum immaterialium *abſtrahimus*.

[*] Quid enim de Platonicorum, Carteſianorum aliorumque *ideis innatis* ſentiendum ſit, infra in philoſophia morali (§. XXIV.) exponemus. Qui eas ideas innatas in ſe tam clare & evidenter ſentiunt, exponant mihi velim, cur earum ſibi conſcii non ſint, qui inter feras educati, vel ſurdi ac muti natura, poſtea cum hominibus loqui, ſuaſque priſtinas cogitationes, ſi quas habuerint, cum aliis communicare didicerunt. Exempla hujuſmodi ex BERN. CONNOR *Evangelio medici* & *Hiſtoria academiae ſcientiarum anni* cIↃ IↃcc *III.* deprompta habes in *Act. Erudit. Lipſ.* cIↃIↃCCVII. *p.* 507.

§. IX.

Idearum comparatio.

Eadem experientia nos convincit, infantes, ubi paullatim adoleſcunt, binas harum idearum, ſibi ſenſione vel abſtractione adquiſitarum, inter ſe comparare, ac paullatim eo pervenire, ut & inter tres ideas inſtituta comparatione, novas veritates reperiant. (*).

(*) Sic intellectus ſe habet, tamquam Arithmeticus. Quemadmodum enim hac diſciplina imbuendus primum numeros ſimplices comprehendere & eloqui diſcit per *numerationem*, deinde quo modo bini numeri inter ſe comparandi ſint, per *additionem*, *ſubtractionem* ac *diviſionem*, docetur, ac demum eo pervenit, ut per *regulam de tribus* tres numeros inter ſe comparare, & ex quantitate nota aliam ignotam elicere ſciat: ita intellectus primum ideas ſimplices percipit, e. g. ideam *lunae*, ideam *lucis*, ideam *ſolis*, ideam *corporum viſibilium*, cet.

deinde binas inter ſe comparat, e. g. *lux corpora reddit viſibilia*, *ſol lucet*, cet. denique & tribus inter ſe comparatis ideis diſcit, *lucem corpora reddere viſibilia*, adeoque *ſolem vel lunam*, quae idem faciant, *lucem eſſe*. Id vidit THOM. HOBB. *in libell. de corpore*, *Part. I. ab init.*

§. X.

Tres intellectûs operationes.

Quando *ideas ſimplices* adquirit intellectus, PERCIPERE; quoties *binas* inter ſe comparat, JUDICARE; denique, dum *tres* inter ſe confert, συλλογίζεσθαι ſeu RATIOCINARI dicitur. Unde *tres*, nec plures, ſunt *intellectûs operationes* (*), a quibus recte definitur, quod ſit *facultas mentis*, *quae percipit*, *judicat*, *ratiocinatur*.

[*] Nec otioſa haec eſt quæſtio, ſed utiliſſima, immo totius logices fundamentum.

§. XI.

Earum definitio.

PERCEPTIO itaque eſt adquiſitio idearum ſimplicium: JUDICIUM idearum binarum; RATIOCINATIO trium comparatio.

§. XII.

Quid imaginatio?

Neque tamen omnes ideae ad intellectum referuntur, ſed quoties mens ideam objecti materialis abſentis contemplatur, id per IMAGINATIONEM fieri dicitur.

§. XIII.

Quid judicium, ingenium, memoria?

Ea imaginatione ideas varias componimus, diſcernimus, revocamus, retinemus. Unde modo INGENII, modo JUDICII, modo REMINISCENTIAE vel MEMORIAE nomine venit (*).

[*] Quæ facultates quatenus diverſo gradu in homine mixtae ſunt, non unam dant hominum INDOLEM, quae praedominante judicio *erudita*; ingenio, *aulica* & *militaris*; memoria, *vulgaris* non incommode a nonnullis vocari ſolet.

§. XIV.

An omnia quae concipimus, exſiſtant?

Et ea quidem, quae componit *ingenium*, non ſemper re ipſa exſiſtunt. Poſſem enim facile in mente conjungere ideas *auri* & *montis*, & mihi formare imaginem *montis aurei*, qui tamen extra cogitationem non exſiſtit. Ejuſmodi ideae vocantur CHIMAERICAE vel ENTIA RATIONIS.

§. XV.

Quae ſint non entia.

Ex quo tamen patet, haec *entia rationis* non confundenda eſſe cum NON ENTIBUS, quae plane non ſunt objecta mentis, de quibus quippe nihil cogitari poteſt. Sic *circulus quadratus* eſt non ens, quia de eo ne cogitari quidem quidquam poteſt.

§. XVI.

Quae optima indoles.

Quum itaque, quae componit ingenium, non ſemper vere exſiſtant: (§. XIV.) *judicio* opus eſt, quod rem ab umbra, chimaeram

maeram ab ipſa re, & attributum ab attributo accurate ſecernat. Hinc quo rectius eſt hominis judicium, eo magis ad veritatem inveniendam aeque proponendam idoneus erit (*). ſit philoſophi?

[*] Hinc patet, cur *indoles erudita* dicatur, ſicubi praedominatur judicium [§. XIII. *] Et cur non temere fallant axiomata: *magna ingenia habent aliquid admixtum ſtultitiae.* Item: *memoria nimis capax raro eſt cum judicio accurato conjuncta.* Sunt tamen, qui omnibus facultatibus pollent in gradu eminentiore, quibus veteres *ingenia heroica* tribuebant.

§. XVII.

Quamvis itaque intellectus permultis, iiſque egregiis polleat facultatibus ac operationibus, id eſt, ratione: (H. §. II.) negari tamen nequit, eum non ſemper reperire veritatem, cujus rei cauſſa ſane non in intellectu, ſed in voluntate quaerenda eſt. Cur intellectus non ſemper veritatem adſequatur.

§. XVIII.

Quum enim raro velit homo res, de quibus cogitat, accuratius contemplari: ſed vel aliorum auctoritate totus nitatur, vel vaga & ſuperficiaria meditatione contentus ſit: aciem intellectus praeſtringunt *praejudicia* AUCTORITATIS & PRAECIPITANTIAE, quae rectae rationi veluti tenebras offundunt. (H. §. II). Praejudicia cauſſa errorum.

§. XIX.

Praejudicium AUCTORITATIS eſt falſa opinio, qua unius ſententiam, quamvis numquam expenſam, ob perſonae qualitates recipimus, alterius rejicimus (*). Præjudicium PRAECIPITANTIAE eſt falſa opinio, qua ſententiam nec accurate, nec ordine a nobis expenſam, tamquam veram adſumimus rejicimusve (**). Quid ſint?

[*] Praecipue huc pertinet praejudicium *religionis*, *antiquitatis*, *novitatis*, *honoris*, *famae*, *probitatis*, quibus plerumque a puero imbuimur.

** Huc referas etiam præjudicium *receptae hypotheſeos*, *veritatis quaſi poſſeſſae*, quo maxime pontificii turgent, *ſpiritus contradictionis*, cet.

§. XX.

Haec autem praejudicia non temere quiſquam evellet animo, niſi ordine inſtituat meditationem, idque agat praecipue, ut claras, diſtinctas, adaequatas rerum ideas ſibi formet. Quod quo pacto fiat, paullo accuratius erit conſiderandum. Quomodo animis evellenda?

SECT. II.

DE PERCEPTIONE, VEL IDEIS.

§. XXI.

Ideae quid? IDEA eſt objecti cujuſvis genuina imago, quam mens immediate contemplatur, vel, eſt quaelibet de re quavis cogitatio.

§. XXII.

Quotuplices? Quum autem res ſint vel *materiales* vel *immateriales*: illarum ideas SENSIONE; has ABSTRACTIONE, & CONSCIENTIA adquirimus (*).

[*] Sic e. g. ſi quis viſo tactoque adamante, qui in Magni Hetruriae Ducis tiara fulget, imaginem iſtius adamantis mente circumfert, ideam iſtam adquiſivit *ſenſione*, ſi deinde ex illo cogitationem format de adamantum figura, magnitudine, ſplendore, duritie, vel de adamante generatim, jam ideam hanc formaſſe ſibi dicetur per *abſtractionem*. Contra ubi quis aliquando ſentit triſtitiam, ex eaque ſenſione interna ſibi ideam iſtius adfectus format, hanc *conſcientia* adquiſiviſſe dicetur.

§. XXIII.

Quid experientia? Incipit ergo cognitio omnis a ſenſione, qua rerum modos, attributaque addiſcimus, ac diſcernimus accurate. Ea ubi ſaepe & ſub diverſis circumſtantiis eſt repetita, EXPERIENTIA vocatur, quae nihil aliud eſt, quam *ſenſionum ſemper ſibi ſimilium memoria* (*).

[*] Itaque experientia non demonſtratur, ſed ſenſione conſtat, at ſi quis ex hac experientia aliquid concludit, probare tenebitur, ſe recte eſſe ratiocinatum. Ita e. g. *ſolem aliquando maculis obduci*, probare non teneor, ſed caſum tantum narrare, quo hoc obſervatum ſit. At ſi quis inde colligeret, *ſolem eſſe metallum aliquod liquidum, cujus ſcoriae aliquando emergentes has maculas in ſuperficie efficiant*, demonſtratio illi incumberet, ſe recte eſſe ratiocinatum.

§. XXIV.

An ſenſus ſint fallaces? Ne ergo fallat experientia, ea adhibenda eſt cautio; ut ſenſoria organa ſana ſint, ut quod medium eſt inter organum & objectum, recte ſe habeat, ut attenta ſit mens, & rem in juſta diſtantia vel adhibitis idoneis inſtrumentis exploret. Quibus obſervatis, tenenda regula: *ſenſus, poſitis omnibus ad ſentiendum requiſitis, non fallunt* (*).

[*] Sua itaque opinione falluntur qui ita inferunt: *Senſus aliquando fallunt, ergo ſemper fallunt.* Prona enim ad ſcepticiſmum via eſt perſuaſio, quod ſenſibus decipiamur.

§. XXV.

Quotu- Ex hac itaque experientia formamus nobis ideas; quae vel

CLA-

CLARAE vel OBSCURAE ſunt. *Clarae*, quando ita rem concepi, ut quoties ea mihi iterum occurrit, eam ſtatim agnoſcam, & ab aliis diſcernam faciliime. *Obſcurae*, quoties ideae meae non ita comparatae ſunt, ut res iterum occurrentes ſtatim agnoſcere & diſtinguere ab aliis poſſim (*). plices ideae? Quaenam clarae & obſcurae?

[*] Ita lunae *claram ideam* unusquiſque etiam ex plebe habet, non item *Jovis*, *Veneris*, *Martis*, *Saturni*, quas ſtellas plebeius facile cum ſtellis fixis confundet. Ergo hanc ideam obſcuram admodum eſſe, facile patet.

§. XXVI.

Clarae ideae iterum vel DISTINCTAE ſunt, vel CONFUSAE. *Diſtinctae*, quoties res ita concepi, ut certa indicia vel certas notas, quibus illas occurrentes diſtinguere ab aliis poſſim, in numerato habeam. *Confuſae*, ſi res occurrentes diſtinguere; at indicia, vel notas, quibus diſtinguam, oſtendere ac enumerare non poſſum (*). Quae diſtinctae, quae confuſae?

[*] E. g. quum ſciam, triangulum ab aliis figuris numero linearum, quibus incluſum eſt, diſtingui poſſe: ejus non modo *claram*, ſed & *diſtinctam* habere ideam dicor. At colorem flavum a nigro ſatis quidem poſſum diſtinguere, non autem oſtendere indicium, per quod diſtinguam. Itaque haec idea *clara* quidem, ſed *confuſa* eſt.

§. XXVII.

Denique *diſtinctae* ideae ADAEQUATAE dicuntur, quoties non modo rem ejuſque notas in numerato habeo, ſed & harum ipſarum notarum, quae illam diſtinctam notionem ingrediuntur, ideam diſtinctam habeo. Quod ubi ſecus ſe habet, idea *diſtincta* quidem, ſed INADAEQUATA eſt (*). Quae adaequatae, quae inadaequatae?

[*]. Sic e. g. notae, quibus ignem ab aliis materiis diſcerno, ſunt lux, calor, potentia incendendi, ſolvendi, cet. Harum rerum omnium ſi quis habet ideam diſtinctam, notionem ignis *adaequatam* habebit: ſin minus, *inadaequatam*. Debemus hanc doctrinam LEIBNITIO, qui eam propoſuit in *Actis erud. Lipſ. ann. MDCLXXXIV. p. 537. ſeqq.* eamque deinde ſequutus eſt illuſtr. WOLFIUS *Logic. Cap. I. §. IX. ſeqq.*

§. XXVIII.

Deinde ideae vel SIMPLICES ſunt, in quibus nihil mente dividere poſſumus, quales fere omnes perceptiones colorum, ſonorum, odorum, cet. vel COMPOSITAE, in quibus varia ſeparare & dividere licet per abſtractionem mentis, (§. XXII.) e. g. in idea adamantis ſeparatim conſiderare poſſum figuram, duritiem, magnitudinem, ſplendorem, quantitatem, cet. Quae ſimplices? quae compoſitae?

§. XXIX.

Quum itaque in ideis ſimplicibus mente dividere nihil poſſimus; (§. XXVIII.) conſequens eſt, 1. ut nec notas, quibus agno- Earum natura.

agnoſci, & ab aliis rebus diſtingui poſſint, enumerare liceat, adeoque 2. illae ideae clarae quidem, ſed non diſtinctae ſint. (§. XXVI.) 3. Ut haec omnia ſecus ſe habeant in ideis compoſitis.

§. XXX.

Quid ideae ſubſtantiarum, modorum, relationum?

Praeterea ideae vel ſunt SUBSTANTIARUM, vel MODORUM, vel RELATIONUM. *Subſtantiae* ſunt, quae per ſe & ſeorſum ſubſiſtunt (*): *modi*, adfectiones & attributa, quae in ſubſtantia occurrunt, & ex iis mente abſtrahuntur. *Relationes*, ideae, quarum una ad alteram ſe refert, ut altera ſine altera intelligi nequeat, vel, ut unius conſideratio conſiderationem alterius involvat.

[*] Peſſime ergo BENED. SPINOZA ſubſtantiam definit *a ſe ſubſiſtentem.* Unde totum pantheiſmi ſyſtema, uni huic falſae definitioni inaedificatum, ſua mole ruit.

§. XXXI.

Earum ſubdiviſiones.

Subſtantiae cogitantes dicuntur SPIRITUS: *non cogitantes* CORPORA. Deinde *modi*, ſi in ipſa ſubſtantia occurrunt, INTERNI, ſin in hominis mente ſunt, & ſubſtantiae tamen tribuuntur, EXTERNI vocantur (*). *Relationum* denique tot ſunt ſpecies, ut vel earum numerum inire ſit difficiliimum (**).

[*] Sic quando linea vocatur recta, rectitudo ineſt lineae, tamquam modus *internus*. At ubi virtus magni aeſtimata dicitur: ea aeſtimatio non ineſt virtuti ſed menti ejus, qui tantum virtuti pretium ſtatuit.

[**] Ex inſtituto ea de re agit JO. CLERIC. *in Logica Part. I. Cap. IV. §. II. ſeqq.* & *in Art. crit. Part. II. Sect. II. Cap. IV.* Praecipue relationes elucent in quantitatibus. Unde vanae plerumque diſputationes de *magnitudine*, *multitudine*, *diuturnitate*, *gravitate*, *pulcritudine*, cet. niſi de fundamento relationis, id eſt, de menſura, ad quam iſtae ideae exiguntur, ſatis conſtet.

§. XXXII.

Et natura.

Ex his inferimus, 1. nos ſubſtantias ipſas non cognoſcere. 2. Quo plures in ſubſtantia modos novimus, eo magis nos rei naturam intelligere. 3. Haud parum errare, qui de idea relativa aliquid abſolute adfirmant vel negant, nec fundamentum relationis rite expendunt (§. XXXI.) (*).

[*] Quae obſervatio quantae utilitatis ſit ad evitandas λογομαχίας, quin & adfectus triſtiores ſedandos, dici non poteſt. Sic multi ſe pauperes eſſe dolent, quum nulla re neceſſaria indigeant. Et cur vero, niſi quod fundamentum relationis ponunt homines admodum divites, quibuſcum comparati, ſibi pauperrimi videntur? Eleganter SENECA *in Troad. v. 1016.*

Ferre, quam ſortem patiuntur omnes,
Nemo recuſat,
Nemo ſe credit miſerum, licet ſit.
Tolle felices, removeto multo
Divites auro, removeto, centum
Rura qui ſcindunt opulenta bubus:
Pauperi ſurgent animi jacentes.
Eſt miſer nemo, niſi COMPARATUS.

§. XXXIII.

§. XXXIII.

Porro ideae aliae nobis rem ipſam ſiſtunt, in *individuo*, e. g. *Alexandrum*: aliae, quod res cum aliis *quibuſdam commune* habet, e. g. *regiam ejus dignitatem*: aliae, quod res cum *omnibus* ejuſdem naturae *commune* habet, e. g. *humanitatem*. Primi generis ideae SINGULARES; ſecundi, PARTICULARES; tertii UNIVERSALES adpellantur. Quid ideae ſingulares, particulares, univerſales?

§. XXXIV.

Univerſalis idea, quae varias ſub ſe particulares complectitur, vocatur GENUS: particulares, quae ſub univerſali comprehenduntur, & innumera ſub ſe habent individua, SPECIES; idea univerſalis, quae primario ad eſſentiam rei pertinet, & qua res a re diſtinguitur, DIFFERENTIA (*); quae ſecundario, PROPRIUM; quae rei quidem ineſt, ſed ita ut ad ejus eſſentiam nihil faciat, eaque ſalva vel adeſſe vel abeſſe poſſit, ACCIDENS dici ſolet. Quae univerſalia ſeu praedicabilia?

[*] Quae differentia genus a genere diſcernit, GENERICA; quae ſpeciem a ſpecie, SPECIFICA; quae individuum ab individuo NUMERICA audit.

Sect. III.

DE DEFINITIONIBUS ET DIVISIONIBUS.

§. XXXV.

QUi ſibi ideas rerum, diſtinctas & adaequatas adquiſivit, ei jam facile erit, res non modo *deſcribere*, ſed & *definire*, & *dividere*. Quibus ſane inſtrumentis carere non poteſt, qui veritatis inveſtigandae ſtudio tenetur. (†) Et DEFINITIO quidem eſt *propoſitio rem ita determinans, ut ab aliis omnibus ſemper diſtingui poſſit*. Quid definitio?

[*] Si enim *diſtinctam* habemus ideam, rem DEFINIRE poſſumus, [§. XXVI] Si *adaequatam*, nihil facilius erit, quam eam DIVIDERE [§. XXVII.]

§. XXXVI.

DESCRIPTIO a definitione ita differt, quod licet utraque vera ſit, illa tamen rei non niſi *certis ſub circumſtantiis*; haec *ſemper* competat. (†) Quid deſcriptio?

[*] E. g. ſi dico, *horologium* eſſe machinam argenteam, quae jam ex catenula in pariete muſei mei ſub ſpeculo pendeat: illud tantum *deſcribo*. Sin dico, eſſe machinam ad horas vel ſono vel ſtilo indicandas comparatam, illud *definio*.

definio. Quod enim ex catenula pendet horologium in pariete, *aliquando*; quod ad horas indicandas comparatum eſt, *ſemper* ei competit, quamdiu manet horologium.

§. XXXVII.

Definitionis partes. Quum ergo DEFINITIO ſemper competere debeat rei: (§. XXXVI.) conſequens eſt, ut primo id, quo cum aliis ejus naturae rebus convenit, ac deinde ideam, quae ad eſſentiam rei primario pertinet, & quâ a reliquis omnibus diſtinguitur, comprehendere debeat, adeoque conſtare ex GENERE & DIFFERENTIA SPECIFICA (§. XXXIV.) e. g. *triangulum eſt figura tribus lineis circumſcripta.*

§. XXXVIII.

Quid definitio nominalis? Quod ſi itaque differentiam illam ſpecificam deſumo a nota aliqua, qua rem mihi obviam ab aliis omnibus ſemper diſcernere poſſim, definitio illa dicetur NOMINALIS, e. g. *circulus eſt figura, cujus peripheria a centro ubique aequaliter diſtat.*

§. XXXIX.

Quid realis? Sin differentiam in eo pono, ut oſtendam modum, quomodo illa res oriatur, vel quomodo poſſibilis ſit, definitio REALIS emerget, e. g. *circulus eſt figura, quae radio circa punctum circumacto deſcribitur.*

§. XL.

Definitionis bonae virtutes. Ex quibus facile patet, 1. definitionem non debere eſſe negativam, quia ita res a re non diſtinguitur per ideam, quae ad eſſentiam pertinet. (§. XXXVII.) 2. Eamdem nec latiorem, nec anguſtiorem eſſe oportere ſuo definito, ſed cum illo reciprocari debere, (*) quia alias rem non determinaret. (§. XXXV.) 3. Eamdem conſtare debere verbis propriis, perſpicuis, aut certe jam antea definitis.

(*) Hinc ſi quis circulum definiret *figuram lineae curvae incluſam*, procul dubio vitio inſigni laboraret haec definitio, quia reciprocando dici nequit, figuram lineae curvae incluſam eſſe circulum, ſiquidem & ovalem figuram aliaſque complectitur.

§. XLI.

Quomodo definitiones reperiantur? Ceterum definitiones aut *experiendo* reperimus, ſi in re quavis juſta attentione conſideremus, quid cum aliis commune, quidve proprium habeat, vel per *abſtractionem*, circumſtantias quaſdam *omittendo*, vel eaſdem *mutando*, vel novas quaſdam *addendo*. (*)

(*) E. g. dum video, duos homines emtionem venditionem inire, ſatis experior, hunc contractum id commune habere cum aliis, quod contrahentes convenire vel conſentire debeant, id vero proprium, quod conſentiant in rem, quae in commercio eſt, pro certo pretio in pecunia numerata conſiſtente trans-

transferendam. EXPERIUNDO ergo inveni definitionem: emtionem venditionem *eſſe conventionem de re, quae in commercio eſt, pro certa pecunia transferenda*. Jam ſi OMITTAM circumſtantiam pecuniae, habebo definitionem *contractus* in genere, quod ſit *conventio de re, quae eſt in commercio, transferenda*. Si MUTO circumſtantiam pecuniae & fingo rem gratis transferri, habeo definitionem *donationis*, cet. Si denique circumſtantias aliquas ADDO, veluti quod res transferatur ea lege, ut elapſo certo tempore refuſoque pretio reſtituatur, emerget definitio *retrovenditionis*.

§. XLII.

Quando definitio *experiundo* reperitur, vel ab ejuſmodi definitione hoc modo reperta *abſtrahitur*: rem definitam exſiſtere, negari nequit: at quotieſcumque definitio *mutando addendove* circumſtantias inventa eſt, demonſtrandum eſt, rem exſiſtere, quia & entia rationis hoc modo poſſunt definiri (*). An ſemper, quod definimus, exſtet.

(*) Hinc e. g. quia experiundo didici, *montem eſſe partem terrae exſtantiorem particulis heterogeneis compoſitam*: certiſſimus eſſe poſſum de montium exſiſtentia. At ſi *mutem* circumſtantiam, & mihi concipiam *partem terrae exſtantiorem ex meris particulis aureis compoſitam*, habeo quidem definitionem montis aurei, qui tamen fortaſſis non exſtat in rerum natura.

§. XLIII.

Ex quo inferimus 1. definitiones prioris generis vere eſſe fundamentum demonſtrationis veritatiſque reperiendae: 2. definitiones poſterioris generis tale fundamentum non praebere, niſi prius definiti exſiſtentia demonſtrata ſit [*]. Quando definitiones ſint fundamentum demonſtrationis.

(*) Recte hoc vidit illuſtr. WOLFIUS in *Commentatione de method. mathem.* §. *XXI. ſeqq.* Et ex eo patet, quid ſentiendum ſit de demonſtratione exſiſtentiae Dei ex idea entis perfectiſſimi.

§. XLIV.

Quum vero ad inveſtigandam veritatem praecipue utile ſit, ideas habere *adaequatas*, [§. XX.] eas autem adquirere nequeam, niſi & notarum omnium, quae illas ingrediuntur, diſtinctas ideas habeam: [§. XXVII.] ad eas viam expeditiſſimam munit DIVISIO, quae eſt *ideae univerſalis in plures particulares ſolutio*. Quid diviſio?

§. XLV.

1. TOTUM ergo dividitur in *partes*; 2. GENUS in *ſpecies* ſubordinatas; 3. SUBJECTUM in ſua *accidentia* ſeu *modos*; 4. ACCIDENS per ſua *ſubjecta*; 5. EFFECTUS per ſuas *cauſſas*, 6. CAUSSA per ſuos *effectus*, 7. QUALITAS per ſua *objecta* [*]. Quomodo dividendum ſit?

(*) PRIMAE exemplum eſto: templum Hieroſolymitanum dividitur in *atrium*, *ſanctum*, & *ſanctum ſanctorum*. SECUNDAE: animal eſt vel *homo*, vel *brutum*. TERTIAE; homines vel *docti*, vel *indocti*. QUARTAE; bonum eſt vel *animi*, vel *corporis*. QUINTAE: ſcriptura ſacra vel *prophetica* eſt, vel *apoſtolica*,

ſtolica, SEXTAE: verbum Dei aliud peccata arguit, ut *lex*, aliud peccatores erigit, ut *evangelium*. Denique SEPTIMAE: amor eſt vel *Dei*, vel *ſui ipſius*, vel *proximi*.

§. XLVI.

Membra diviſa iterum definienda.

Non ſolum autem res dividendae, ſed & membrorum diſcrimen per *novas definitiones*, eaſque oppoſitas oſtendendum eſt [*]. Unde hic etiam negativae definitiones ferendae, quae alias in vitio ponuntur. (*§.* XL. 1.)

(*) E. g. JCti res dividunt in *corporales* & *incorporales*. Recte. Illas definiunt, *quae tangi poſſunt*; has, *quae tangi non poſſunt*. Id quoque recte. Nam ſic oppoſitae definitiones differentiam ſtatim oſtendunt. At ſi res *corporales* deſcriberem, *quae tangi poſſunt*: *incorporales* autem, *quae in jure conſiſtunt*, vera quidem eſſet definitio, ſed non oppoſita definitioni rerum corporalium, adeoque nec perſpicuam redderet diviſionem.

§. XLVII.

Regulae bonae diviſionis.

Ex qua diviſionis natura ac indole ſequitur, 1. ut membra diviſionis debeant exhaurire totum diviſum: 2. Ut membra eſſe oporteat disjuncta, nec unum in altero contineri: 3. Ut in tot membra dirimenda ſit idea, quot ipſa natura ſuppeditat: (*) 4. Ut ante diviſionem idea dividenda ab ambiguitate liberanda ſit: 5. Ut non *diviſio*, ſed *diſtinctio* dicenda ſit, quae non rem in ſuas partes dividit, ſed tantum vocabuli diverſas ſignificationes diſcernit.

[*] Hinc facile patet, quam vana ſit Ramiſtarum regula de *Dichotomiis*. Quaſi enim anatomici male dividant corpus humanum in tres ventres, *ſummum*, *medium* & *infimum*, & rectius duos fingant, quum ipſa natura tres conſtituerit.

§. XLVIII.

Quid de ſubdiviſionibus ſentiendum?

Quae de diviſione monuimus, eadem & de *ſubdiviſionibus* intelligenda, quamvis danda ſit opera, ne ſubdiviſiones praeter neceſſitatem multiplicemus. Quo magis enim magnum ſaxum in pulverem ſecatur, eo minus ejus magnitudinem animo comprehendimus (*).

[*] Recte SENECA *Epiſt. LXXXIX. Dividi illam, non concidi, utile eſt. Nam comprehendere quemadmodum maxima, ita minima, difficile eſt. Deſcribitur in tribus populus, in centurias exercitus. Quidquid in majus crevit, facilius agnoſcitur, ſi diſceſſit in partes: quas, ut dixi, innumerabiles eſſe & parvas non oportet. Idem enim vitii habet nimia, quod nulla diviſio. Simile confuſo eſt, quidquid uſque in pulverem ſectum eſt.*

Sect. IV.

DE JUDICIIS ET PROPOSITIONIBUS.

§. XLIX.

Quando mens binas ideas, accurate perceptas, inter ſe comparat, eaſque vel componit, vel divellit :- naſcitur inde JUDICIUM (§. XI.). Judicium autem verbis expreſſum PROPOSITIO vel ENUNCIATIO adpellatur. Quid judicium? quid propoſitio?

§. L.

Quum itaque judicium binas ideas inter ſe comparet: (§. XLIX.) conſequens eſt, ut omnis propoſitio conſtet SUBJECTO & PRAEDICATO, quos terminos inter ſe jungit COPULA, *eſt*, quamvis haec aeque, ac ſubjectum, ſaepe in praedicato latitet, adeoque tota propoſitio uno vel binis vocabulis conſtet, e. g. *terra movetur*, *perii*, *ningit*, *pluit*. Propoſitionis partes ſeu termini.

§. LI.

SUBJECTUM eſt, de quo aliquid enunciatur, PRAEDICATUM, quod de illo enunciatur, COPULA, quae relationem inter ſubjectum & praedicatum, ſeu, quomodo ſe invicem habeant, indicat. Quid ſubjectum? praedicatum? copula?

§. LII.

Qui ideas duas inter ſe comparat, eas aut *conjungi* poſſe judicat, aut eaſdem *ſeparandas* exiſtimat. (§. XLIX.) Priore caſu propoſitio dicitur ADFIRMATIVA; poſteriore ſenſu NEGATIVA, cujus ſignum eſt negatio NON, ad copulam referenda (*). Propoſitio vel affirmativa vel negativa.

(*) Si enim negatio NON ad ſubjectum vel praedicatum referenda, propoſitio non eſt *negativa*, ſed *infinita*, quae vere adfirmativa eſt. e. g. *non attente res conſiderans decipitur. Judaei ſunt Loammi, i. e. non populus meus.*

§. LIII.

Quemadmodum porro judicantes facile animadvertunt, praedicatum aut ſemper huic ſubjecto convenire, vel diſconvenire, aut aliquando tantum & ſub certis circumſtantiis: ita priore caſu propoſitiones UNIVERSALES; poſteriore PARTICULARES emergunt. SINGULARES enim, quae aliquid de individuo enunciant, loco univerſalium ſunt, quoties de forma quaeritur (*). Item vel univerſalis, vel particularis, vel ſingularis.

(*) Aliquando enim ratione materiae imitari ſolent propoſitiones *particulares*, quoties nimirum praedicatum non toti individuo, ſed ejus parti convenit. Sic univerſali ſimilis eſt propoſitio: *Socrates vixit*; particulari, *Socrates fuit ſapiens*, *Socrates cicutam bibit*.

§. LIV.

§. LIV.

Propoſitiones modales.

Aliquando non modo judicamus, praedicatum ſubjecto convenire, vel non convenire: ſed & modum, quo vel conveniat, vel non conveniat, definimus. Et tunc propoſitiones dicuntur MODALES, quales modi ſunt quatuor: *neceſſe eſt*, *contingit*, *poſſibile eſt*, *impoſſibile eſt*. (*).

(*) E. g. *neceſſe eſt, oculum, poſitis ad videndum requiſitis, videre. Contingit, ut oculus bene affectus non videat. Poſſibile eſt, circulum quadrari. Impoſſibile eſt, ut duo ſint entia infinita.* De his tenendae regulae: 1. Propoſitiones neceſſariae fundamentum ſunt demonſtrationis firmiſſimae & directae. 2. Impoſſibiles dant demonſtrationem indirectam, quam & mathematici aliquando non negligunt. 3. Reliquae propoſitiones, ſi de demonſtratione in quaeritur, raro aliam, quam probabilem veritatem ſuppeditant, quia non ſtatim, quod contingit, aut poſſibile eſt, etiam actu eſt.

§. LV.

Item exponibiles.

Addunt etiam propoſitiones EXPONIBILES, quarum alias EXCLUSIVAS vocant, veluti: *ſola fides juſtificat*: alias EXCEPTIVAS, e. g. *omnis poſſeſſio, praeter virtutem, eſt incerta*: alias RESTRICTIVAS e. g. *Epiſcopus, qua princeps, gaudet jure gladii*: alias denique COMPARATIVAS, e. g. *mens eſt corpore praeſtantior.*

§. LVI.

Cur ita vocentur?

Exponibiles vocantur ideo, 1. quod ſenſus earum non intelligatur, niſi in duas reſolvantur propoſitiones; 2. quod ſaepe ſint virtualiter negativae, quamvis adfirmativae videantur.

§. LVII.

Quae propoſitiones univerſaliter verae ſint?

Univerſalem, an *particularem* eſſe oporteat propoſitionem, facile intelligitur, ſi attendas ad *hypotheſin* & *theſin*, quae vere omni propoſitioni inſunt. THESIS eſt ipſa enunciatio, HYPOTHESIS conditio, ſub qua haec enunciatio vera eſt. Jam obſerva regulam: *quoties hypotheſis ſeu conditio, ſub qua propoſitio vera eſt, latet in ipſa ſubjecti natura, toties propoſitio univerſalis eſt. Si ea extra ſubjecti naturam quaerenda; non poteſt non particularis eſſe* (*).

(*) Hinc recte dico: *omnis aer gravis eſt.* Conditio enim hic non alia ſupponenda, quam aëris ipſius natura, ex qua gravitas manifeſto fluit. At dicere non poſſum: *omnis aer eſt rarefactus.* Si enim rareſieri debet, conditio ponenda eſt alia extra aëris naturam, e. g. calor. Ergo dicendum: *quidam aer eſt rarefactus.*

§. LVIII.

Quid axiomata & poſtulata?

Mathematici, & qui hos imitantur, philoſophi, ſingulis propoſitionibus ſingula vocabula tribuunt. Quae enim immediate ex definitione fluunt, propoſitiones, ſi theoreticae ſunt, AXIOMATA; ſin practicae, POSTULATA vocantur (*). (*) E. g.

(*) E. g. eſto definitio: *circulus eſt figura, cujus peripheria a centro ubique diſtat aequaliter*. Si inde colligam: *omnes radii a centro circuli ad peripheriam ſunt aequales*, habeo axioma. Sin inferam: *poteſt deſcribi circulus, ſi filum vel linea circa punctum moveatur*: habeo poſtulatum.

§. LIX.

An axiomata & poſtulata probatione indigeant?

Et hinc facile patet, quo ſenſu axiomata & poſtulata probatione non indigeant. Si enim ipſa definitio vera eſt, non poteſt non & propoſitio, quae immediate inde fluit, vera eſſe. Quando autem certa ſit definitio, quando ipſa demonſtratione indigeat, ſupra dictum. (§. XLII.)

§. LX.

Quid theoremata & problemata?

Propoſitiones, quae ex plurium definitionum comparatione naſcuntur, ſi theoreticae ſunt, THEOREMATA; ſin practicae, PROBLEMATA vocantur (*).

(*) E. g. ex definitionibus polorum, aequatoris & horizontis inter ſe comparatis manifeſto fluit propoſitio: *ſub polis arctico & antarctico dies aeque ac nox ſunt ſex menſium. En theorema.* Sic & comparatis inter ſe definitionibus lineae meridionalis & plagarum mundi, *problema* reperio: *linea meridionali per lineam perpendicularem diviſa, reperiri poſſunt quatuor plagae mundi cardinales.*

§. LXI.

Ea ſemper demonſtranda.

Theorematum & problematum veritas non ita incurrit in oculos, ac axiomatum & poſtulatorum [*]. Hinc utraque ſunt demonſtranda.

(*) Naſcuntur enim ex comparatione diverſarum definitionum. Quas autem ego habeam definitiones, quas inter ſe compararim, quomodo ratiocinatus ſim, non unuſquiſque intelligit. Ergo id oſtendere, i. e. demonſtrationem ſubnectere teneor.

§. LXII.

Quid corollarium?

Si quid novi ex *axiomate*, *poſtulato*, *theoremate* vel *problemate* colligimus, ea propoſitio vocatur COROLLARIUM vel CONSECTARIUM. E. g. ex theoremate illo (§. LX. *) recte infero: *ſub polis diem & noctem ſemper eſſe aequales*: ex problemate: *angulis ſingulis aequaliter diviſis, reperiri poſſe quatuor plagas ſecundarias*. En CONSECTARIA.

§. LXIII.

Quid ſcholion?

Quoties propoſitio aliqua illuſtratur, e. g. per exemplum, vel ex hiſtoria, vel aliud quid notatu dignum adjicitur, toties id vocatur SCHOLION.

§. LXIV.

Uſus hujus diviſionis propoſitionum.

Quamvis autem rarius philoſophi vocabula haec addant ſingulis propoſitionibus, (quod accurate plerumque faciunt mathematici:) utile tamen eſt, ſcire, quales ſint propoſitiones ſingulae. Ita enim & ſtatim intelligimus, an & quali demonſtratione indigeant.

§. LXV.

Quotuplici modo propoſitio una ex altera fluat?

Quum ergo, ceu hactenus oſtenſum, (§. LVIII. *ſequ.*) ex una propoſitione aliae fluant: ſciendum, id fieri vel per CONVERSIONEM, vel per OPPOSITIONEM, vel per SYLLOGISMUM (*).

(*) E. g. ſi ſcio: *omnem filiumfamilias eſſe alieno juri ſubjectum*: per regulas de converſione ſcio etiam, *quoſdam, at non omnes, alieno juri ſubjectos, eſſe filiosfamilias*, & per regulas, de oppoſitione, falſam eſſe propoſitionem: *quemdam filiumfamilias alieno juri ſubjectum non eſſe*. De ſyllogiſmo infra ſuo loco dicemus.

§. LXVI.

Quid converſio.

CONVERSIO eſt tranſpoſitio ſubjecti in locum praedicati, & hujus in locum ſubjecti, ita inſtituta, ut utraque propoſitio vera maneat (*).

(*) E. g. ſi propoſitionem hanc: *omnis filiusfamilias eſt alieno juri ſubjectus*, ita invertam: *omnis alieno juri ſubjectus eſt filiusfamilias*, tranſpoſiti quidem ſunt termini, ſed altera tamen propoſitio eſt falſa. Non rite ergo facta eſt converſio. (§. LXVI.)

§. LXVII.

Regulae de illa.

Quum itaque ſic convertenda ſit propoſitio, ut utraque vera ſit, (§. LXVI.) nec ſemper tamen vera ſit, quae tranſpoſitis terminis emergit; (§. LXVI. *) conſequens eſt, ut certae obſervandae ſint regulae, quae ita ſe habent: I. Propoſitiones *univerſalis negans* & *particularis adfirmans* recte convertuntur ſimpliciter. II. *Univerſaliter adfirmans* ita convertenda, ut altera propoſitio fiat particularis. III. *Particulariter negans* ſimpliciter convertitur, quamvis negativa non amplius ad copulam, ſed ad ſubjectum pertineat, & ſic fiat adfirmativa (*). (§. LII.)

[*] Primam converſionem vocant *ſimplicem*, alteram *per accidens*, tertiam *per contrapoſitionem*, & doctrinam utilem obſcuriſſimis involvunt vocabulis, regulis, verſiculis. Nobis non vacat in re ſeria nugas agere. En exempla: ſi verum eſt *nullum corpus eſſe infinitum*, vel *quoddam corpus eſſe penetrabile*, veriſſimum quoque erit, *nullum infinitum eſſe corpus*, & *quoddam penetrabile eſſe corpus* [per reg. 1. §. LXVII.] Si verum eſt, *omnes probos eſſe mortales*, verum etiam eſt, *quoſdam mortales eſſe probos*. [per reg. 2. §. LXVII.] Denique ſi verum eſt, *quoſdam homines non morituros*, verum erit profecto, *quoſdam non morituros eſſe homines*, [per reg. 3. §. LXVII].

§. LXVIII.

An non & univerſaliter affirmantes ali-

Itaque univerſaliter adfirmantes propoſitiones omnes converti poſſunt, ſi altera fiat particularis. (§. LXVII, 2.) At non omnes converti poſſunt ſimpliciter, ſed illae tantum, ubi vel 1. praedicatum continet ſubjecti definitionem (§. XL, 2.) vel 2. alter termi-

nus

mus alterius cauſſam proximam comprehendit, vel 3. differentiam, vel 4. proprium tale, quod omni ſoli & ſemper competere cenſetur (*).

quando converti poſſint ſimpliciter?

[*] Sic recte ſimpliciter converto propoſitiones: *omnis ſpiritus eſt ſubſtantia cogitans*, [ob. *rat.* 1. §. LXVIII.] *Omnes qui credunt ſalvantur*, [ob *rat.* 2. *ibid.*] *Omnis linea recta procedit via breviſſima*, [ob *rat.* 3. *ibid.*]. *Omne grave tendit deorſum*, [ob *rat.* 4. *ibid.*]

§. LXIX.

Deinde & novas propoſitiones ex aliis elicimus, earumque falſitatem cognoſcimus per regulas de OPPOSITIONE, quae eſt duarum inter ſe vel vere vel in ſpeciem pugnantium propoſitionum comparatio.

Quid oppoſitio?

§. LXX.

Quando ergo comparantur inter ſe propoſitiones *univerſaliter affirmantes & particulariter negantes*, vel *univerſaliter negantes & particulariter adfirmantes*: oppoſitio haec vocatur CONTRADICTORIA, ſin *univerſaliter affirmans* comparatur cum *univerſaliter negante*, CONTRARIA: ſi denique *particularis* opponitur *particulari*, SUBCONTRARIA (*).

Quotuplex?

[*] Contradictoriae exemplum eſto: *omne bonum eſt jucundum. Quoddam bonum non eſt jucundum.* Contrariae: *omne bonum eſt ſempiternum: nullum bonum ſempiternum eſt.* Subcontrariae denique: *Quoddam bonum ad mentem pertinet: quoddam bonum ad mentem non pertinet:*

§. LXXI.

De CONTRADICTORIIS tenenda regula: *contradictoriarum propoſitionum altera ſemper vera, altera falſa eſt.* De CONTRARIIS: *contrariarum utraque falſa eſſe poteſt, at nunquam utraque vera.* De SUBCONTRARIIS denique: *ſubcontrariae propoſitiones ambae verae, at non ambae falſae, eſſe poſſunt.*

De ſingulis regulae.

§. LXXII.

Quae regulae in inveſtiganda veritate, in inſtituendis diſputationibus, in dijudicandis controverſiis, ac detegendis λογομαχίας incredibilem adferunt utilitatem (*).

Earum uſus.

[*] Quum enim ad inveſtigationem veritatis pertineat etiam ſcire, quid falſum ſit: cognita veritate, vi oppoſitionis contradictoriae certiſſime cognoſco, quid falſum ſit. Deinde quia in controverſiis & diſputationibus propoſitiones contradictoriae defendi debent: ſane, ſi id non fit, tota controverſia vel diſputatio aut in λογομαχίαν deſinat, aut neuter diſputantium rem acu tetigerit, oportet.

SECT. V.

DE RATIOCINATIONE VEL SYLLOGISMO.

§. LXXIII.

Connexio. VIdimus, quomodo duas inter ſe ideas comparet intellectus. Si tres inter ſe confert, συλλογίζεσθαι ſeu *ratiocinari* dicitur, (§. X.) adeoque jam proximum eſt, ut de RATIOCINATIONE vel SYLLOGISMO dicamus.

§. LXXIV.

Quomodo mens in ratiocinando procedat? Quum vero in adornandis ſyllogiſmis intellectus ſe habeat, tamquam arithmeticus, qui *regula de tribus* utitur, (§. IX. *) idque ipſum etiam vocabulum innuat: conſequens eſt, ut quemadmodum arithmeticus ex datis duabus quantitatibus cognitis tertiam incognitam elicit: ita intellectus, quoties ratiocinatur, ex comparatione duarum idearum cum tertia colligat, componendae illae ſint, an ſejungendae (*).

[*] Ita ex comparatione *mentis* cum *corpore* & *cogitatione*, ſatis intelligo, mentem & corpus jungi non poſſe. Ex comparatione *mentis* cum *ſpiritu* & *cogitatione*, ſtatim diſco, mentem & ſpiritum jungi poſſe, adeoque mentem eſſe non corpoream, ſed ſpiritualem ſubſtantiam.

§. LXXV.

Quid ratiocinatio vel ſyllogiſmus? Itaque RATIOCINATIO vel SYLLOGISMUS eſt operatio intellectûs, qua ille inſtitutâ duarum idearum comparatione cum tertia, jungendaene iſtae ſint, an ſeparandae, cognoſcit.

§. LXXVI.

Ejus non poſſunt eſſe quatuor termini. Quum itaque tres ſint ideae hic inter ſe comparandae: (§. LXXV.) conſequens eſt, ut ſimul ac quatuor ideas in unum ſyllogiſmum compingimus, vitioſa emergat ratiocinatio (*).

[*] Quod plerumque fit, ubi vocabulum aliquod aequivocatione laborat. Hinc male quis ratiocinaretur: *ſpiritus eſt ſubſtantia cogitans. Ergo & ſpiritus vini eſt talis ſubſtantia.* Vocabulum enim *ſpiritus* diverſimode hic accipitur, adeoque quatuor ideae in unum ſyllogiſmum compinguntur.

§. LXXVII.

Quis terminus major, minor, medius? Tres iſtae ideae, ſi verbis exprimuntur, TERMINI vocantur. Et is quidem, de quo aliquid quaeritur, MINOR, quod de eo quaeritur, MAJOR; & is, quocum hi duo termini comparantur, MEDIUS adpellari ſolet (*).

[*] Si e. g. ſcire velim, an *aer* ſit *gravis*, & hinc has ideas comparem cum *preſſione corporum*: *aer* erit terminus MINOR, quia de eo aliquid quaeritur, *gravis* terminus MAJOR, quia hoc ipſum eſt, quod de aëre quaeritur, *preſſio corporum* erit terminus MEDIUS, quia cum hac idea duae reliquae comparantur.

§. LXXVIII.

§. LXXVIII.

Quot ſyllogiſmi propoſitiones.

Quumque tres ideae vel tres termini aliter comparari non poſſint, quam ut ſingulae cum ſingulis contendantur: omnem quoque ſyllogiſmum perfectum conſtare oportet tribus PROPOSITIONIBUS, quarum illa, quae ex majori & medio termino componitur, MAJOR; quae ex minore & medio, MINOR; quae ex minore & majore, CONCLUSIO adpellatur (*).

[*] Sic ſi ſyllogiſmum conſtruam ex terminis paullo ante propoſitis: [§. LXXVII *].

Quod premit corpora inferiora, eſt grave,
Aer premit corpora inferiora,
Eſt ergo aer gravis.

prima propoſitio erit *major*, altera *minor*, poſtrema *concluſio.*

§. LXXIX.

Quae ratiocinandi fundamenta.

Ceterum, quum actus ratiocinandi ſimilis ſit arithmeticae operationi: (§. LXXIV.) eadem quoque fundamenta oportet eſſe ſyllogiſmi, quae arithmetices. Ea autem ſunt axiomata ſequentia: I. *Quae conveniunt in uno tertio, ea conveniunt inter ſe. II. Quae diſcrepant in uno tertio, ea inter ſe diſcrepant* (*). *III. Quae adfirmantur vel negantur de ſubjecto univerſaliter, eadem adfirmantur vel negantur de ſingulis, quae ſub illo continentur.*

[*] Sic recte ratiocinor:

B *non eſt* = C 4 † 3 *non eſt* = $\frac{12}{1}$
A *eſt* = C 6 *eſt* = $\frac{12}{2}$
A *non eſt* = B 6 *non eſt* = 4 † 3

Jam vocabula ſubſtitue, & conſtrue ſyllogiſmum,

Materia non cogitat.
Mens cogitat,
Ergo mens non eſt materia.

Perinde erit, ac ſi diceres: *mens* & *materia* diſcrepant in illo tertio, quod *illa cogitet*, haec *non cogitet*, ergo diſcrepant inter ſe, id eſt, *mens non eſt materia.*

§. LXXX.

Quot inde figurae naſcantur?

Si ergo termini ita diſponuntur, ut *medius* ſit ſubjectum *majoris* & praedicatum *minoris* propoſitionis, ſyllogiſmus PRIMAE; ſi medius terminus bis loco praedicati eſt, SECUNDAE, ſi bis loco ſubjecti; TERTIAE FIGURAE eſſe dicitur (*).

[*] Sic ſyllogiſmus *primae* figurae eſt:

Quod cogitat, eſt ſpiritus,
Mens cogitat,
Mens ergo eſt ſpiritus.

Secundae contra:

Corpus non cogitat,
Mens cogitat,
Mens ergo non eſt corpus.

Tertiae denique:

Quidquid cogitat, eſt ſpiritus,
Aliquid, quod cogitat, in homine eſt,
Spiritus ergo aliquis in homine eſt.

§. LXXXI.

Earum differentia

Prima ſemper ab eo, quod univerſaliter rei competit, ad id, quod ſub iſta re continetur (*). (§. LXXX, 3. *ſecunda* a contrario (**) (§. LXXX, 2.) *tertia* a convenientia rei cum altera in uno tertio concludit. (***) (§. LXXX, 1.)

[*] Vocant id logici *dictum de omni* & *nullo*, quod in hac regula conſiſtit: *quidquid adſirmatur vel negatur de ſubjecto univerſaliter, id & adſirmari negarive poteſt de ſingulis, quae ſub illo ſubjecto continentur.*

Hinc recte colligo:

Figura omnis incluſa eſt ſuis lineis,
Quadratum eſt figura,
Quadratum ergo incluſum eſt ſuis lineis.

Quod enim in univerſum de omni figura adfirmatur, non poteſt non & de quadrato adfirmari, quia hoc ſub genere figurae continetur.

[**] Ita quia *mens cogitat*, *materia* autem *non cogitat*, colligo ſecundum figuram ſecundam, *mentem non eſſe materiam. Contrariorum* enim *contraria praedicata ſunt.* [§. LXXIX. 2.]

[***] Sic quia, *quod cogitat*, *ſpiritus eſt*, & *aliquid cogitans in homine eſt*, adeoque id, quod in homine eſt, cum ſpiritu eatenus convenit, quod cogitet, recte colligo, *ſpiritum aliquem eſſe in homine.* [§. LXXIX. 1.]

§. LXXXII.

Regulae de his figuris.

Ex quo facile patet, 1. in prima figura majorem propoſitionem ſemper univerſalem, minorem adſirmativam eſſe debere. 2. In ſecunda quoque majorem univerſalem, & alterutram ex praemiſſis aeque, ac concluſionem, negativam eſſe debere. 3. In tertia figura minorem adfirmativam, concluſionem autem particularem eſſe debere (*).

[*] Et hae ſunt regulae ſpeciales, quas licet hodie vilipendere ſoleant qui a ſolidiore doctrina abhorrent, utiliſſimas tamen quotidie experiuntur quicumque veritatis inveſtigandae ſtudio tenentur. Quomodo enim veritatem quis inveſtigabit, niſi ratiocinando? Et quis ſe recte ratiocinatum, perſuaſus eſſe poteſt, niſi regulas bonae ratiocinationis perſpectas habeat? Solida ergo haec ſunt, uti pleraque, quae hodie vulgo diſplicent.

§. LXXXIII.

Regulae de ſyllogiſmis generales.

Nec minus jam patet ratio, 1. cur in ſyllogiſmo non eſſe poſſint, niſi tres termini (§. LXXVI.) 2. Cur nec ex puris particularibus, nec 3. ex meris negativis propoſitionibus quidquam ſequatur, (*) & cur denique 4. concluſio imitetur partem debiliorem.

[*] In ſyllogiſmo ex mere particularibus propoſitionibus compoſito ita colligo: *quae diſcrepant in uno tertio, ea conveniunt inter ſe.* In ſyllogiſmo ex meris negativis conflato ratiocinor: *quae diſcrepant a tertio ad rem non pertinente, illa diſcrepant inter ſe.* Utraque regula abſurda eſt: [§. LXXIX.] ergo ſyllogiſmi ex mere particularibus & negativis conflati abſurdi ſunt, e. gr.

Quidam homines ſunt pulcri,
Quidam homines ſunt deformes,
Deformes ergo quidam ſunt pulcri.

Nulla materia cogitat:
Nullus ſpiritus materia eſt,
Nullus ergo ſpiritus cogitat.

§. LXXXIV.

Quid de ſillogiſ-

Quae de ſyllogiſmorum modis, reductione, expoſitione tradunt logici, non abſurda quidem ſunt, ceu vulgus ſibi perſuadet:

det: nec tamen, ſi quae hactenus diximus, recte intelligas, admodum neceſſaria.

morum modis, expoſitione, reductione ſentiendum? Enthymema.

§. LXXXV.

Id potius hic obſervandum, ſaepe contingere, ut alterutra praemiſſarum, quippe menti ſatis obvia, omittatur. Quo caſu ex ſyllogiſmo fit ENTHYMEMA (*).

[*] E. g. Si dicam: *mens cogitat, ergo mens eſt ſpiritus*, vel: *quidquid cogitat, eſt ſpiritus, ergo mens eſt ſpiritus*: enthymemata habebis, quorum propoſitiones omiſſas mens ſua ſponte facile ſupplebit.

§. LXXXVI.

Sorites.

Si plurium ſyllogiſmorum propoſitiones una ſerie ita connectuntur, ut prioris praedicatum ſemper ſit poſterioris ſubjectum: (*) naſcitur SORITES. Qui ratiocinandi modus ſicuti eſt ad demonſtrandum quam maxime idoneus: ita facile in ſophiſma aut paralogiſmum degenerabit, ſi vel una immiſcetur propoſitio, quae non neceſſario vera eſt (**), vel ſi merae negativae ſint propoſitiones in ſoritem compactae.

[*] Vere ergo hic ſyllogiſmus eſt coarcervatio plurium ſyllogiſmorum, & hinc, ſi in enthymemata reſolvatur, multo clarior eſſe ſolet. E. g. ſorites eſto ſequens:

Mens eſt ſubſtantia cogitans,
Subſtantia cogitans eſt ſpiritus,
Spiritus non eſt extenſum,
Quod non extenſum eſt, non habet partes extra partes,
Quod non habet partes extra partes, eſt indiſſolubile,
Quod eſt indiſſolubile, eſt immortale,
Mens ergo eſt immortalis.

Sane clarior ille erit, ſi ita reſolvatur in ſua enthymemata. *Mens eſt ſubſtantia cogitans Subſtantia cogitans eſt ſpiritus, ergo mens eſt ſpiritus. Spiritus non eſt extenſum quid, ergo mens non eſt extenſa. Quod non eſt extenſum, non habet partes extra partes, ergo mens non habet partes extra partes. Quod non habet partes extra partes, non poteſt diſſolvi, ergo mens non poteſt diſſolvi. Quod diſſolvi non poteſt, eſt immortale, mens ergo eſt immortalis.*

(**) Hinc facile patet, ubi lateat vitium ſoritis ſequentis: *mens eſt in corpore, ergo eſt in loco. Quod eſt in loco eſt coextenſum loco, ergo mens eſt coextenſa. Quod coextenſum eſt, eſt extenſum, mens ergo eſt extenſa. Quod eſt extenſum, eſt corporeum, mens ergo corporea eſt.* Nec enim vera eſt propoſitio: *quidquid eſt in loco, id coextenſum loco eſt.*

§. LXXXVII.

Syllogiſmus compoſitus.

Aliquando propoſitio major in ſyllogiſmo eſt compoſita, & quidem vel CONDITIONALIS, e. g. *ſi aer corpora ſubjecta premit, gravis eſt*; vel DISJUNCTIVA, e. g. *aut bene loquutus ſum, aut male*; vel COPULATIVA, e. g. *nemo poteſt ſimul & Deo ſervire, & Mammoni.* Et tunc ſyllogiſmi hi COMPOSITI vocantur.

§. LXXXVIII.

Conditionalis.

Et CONDITIONALES quidem recte ſe habent, 1. ſi conſequen-

ſequentia majoris vera eſt: 2. ſi a poſitione antecedentis ad poſitionem conſequentis, vel 3. a remotione conſequentis ad remotionem antecedentis concluditur (*).

(*) Hinc rectae ſunt ratiocinationes: 1. *Si aer corpora ſubjecta premit, gravis eſt. At prius verum eſt: ergo & poſterius.* Item: 2. *Si mens non eſt ſpiritus, eam extenſam eſſe oportet. At poſterius non eſt verum: ergo nec prius.* Contra male procedunt argumentationes: 1. *Si Petrus Romae fuit, fuit ibi epiſcopus. Prius verum eſt: ergo & poſterius.* 2. *Si Judaei Mahumedani eſſent, eſſent infideles. At prius non eſt: ergo nec poſterius.* 3. *Si Judaei Mahumedani ſunt, ſunt infideles. At poſterius verum ſt: ergo & prius.* Primus enim ſyllogiſmus contra primam, ſecundus contra ſecundam, tertius contra ultimam regulam peccat.

§. LXXXIX.

Disjunctivus. DISJUNCTIVUS quoque ſyllogiſmus concludit recte 1. ſi membra majoris propoſitionis vere disjuncta ſint: 2. ſi ea propoſitio omnia membra oppoſita comprehendat, & 3. a remotione reliquorum procedatur ad poſitionem unius, vel contra (*).

(*) Hinc recte ſe habet ratiocinatio: *aut mens eſt corporea, aut ſpiritualis. At corporea non eſt: ergo eſt ſpiritualis*: vel: *at eſt ſpiritualis: non ergo corporea.* Male contra procedunt ſyllogiſmi: 1. *Mahumedani aut blaſphemiis proſcindunt Chriſtum, aut in eum credunt. At prius non faciunt: ergo in Chriſtum credunt.* 2. *Si inter tutorem & pupillum infantem quaſi contractus intercedit, conſenſit aut tacite pupillus, aut expreſſe. At expreſſe non conſenſit: ergo tacite.* 3. *Aut mens eſt ſpiritus, aut corpus. At corpus non eſt: ergo nec ſpiritus.* Primus enim ſyllogiſmus primae; alter ſecundae, tertius poſtremae regulae adverſatur.

§. XC.

Copula. Denique & COPULATIVUS ſyllogiſmus rite conſtructus firmiter concludere videtur, 1. ſi major ſit negativa, & 2. a poſitione unius ad remotionem alterius membri procedamus, vel contra (*).

[*] Bene ergo concludit Servator: *nemo poteſt & Deo ſervire & Mammoni. Avari Mammoni ſerviunt. Non ergo ſervire poſſunt. Deo.* At male ſe habet ſyllogiſmus: *poteſt homo Chriſtum profiteri, & improbe vivere. At Judaei quidam improbe vivunt; ergo Chriſtum profitentur.* Eum enim in utramque regulam impingere, facile unuſquiſque intelligit.

§. XCI.

Dilemma. Si ex ſingulis membris propoſitionis disjunctivae, vel ex conditionali & disjunctiva mixtae, nova eliciantur conſectaria: ſyllogiſmus naſcetur elegans, qui DILEMMA adpellatur. Quod quemadmodum maxime idoneum eſt ad oſtendendam theſeos abſurditatem: ita facile in ſophiſma degenerabit, ſi vel 1. membra non ſint oppoſita, vel 2. quædam omiſſa, aut 3. conſectaria

ria ex ſingulis membris non fluant neceſſario, (*) aut 4. non ſint ejuſdem ponderis.

[*] Bene ergo ratiocinatur Servator: *aut bene ſum loquutus, aut male. Si male, cur non probas? ſi bene, quid me verberas?* At regulas dilemmatis paene omnes violatas eſſe deprehendes in illo Biontis dilemmate: *ſi duxeris uxorem, aut formoſam duces, aut deformem. Si formoſam, habebis κοινὴν, ſin deformem, habebis ποινὴν. Ergo, ſi ſapis, plane non duces uxorem.* Nec non in altero: *ſi juſtitiam adminiſtras, aut bene, aut male adminiſtras. Si bene; offendes homines; ſin male, offendes Deum. Ergo plane non adminiſtrabis.*

§. XCII.

De ſyllogiſmis MODALIBUS & EXPONIBILIBUS non eſt, quod multa dicamus, quum qui naturam *propoſitionum modalium* atque *exponibilium* ſupra explicatam (§. LIII. *ſeqq.*) recte intelligit, non poſſit non & naturam horum ſyllogiſmorum perſpectam habere. Modales & exponibiles.

CAPUT III.

DE VERITATE, EIQUE OPPOSITO FALSO.

SECT. I.

DE VERITATE GENERATIM.

§. XCIII.

SI quis hiſce intellectus operationibus recte utitur: bene ſane utitur ratione. Quumque recta ratio ſit facultas, veritates alias ex aliis per neceſſariam concludendi rationem eliciendi (H. §. II.) conſequens eſt, ut hoc modo procedens inveniat VERITATEM, de qua jam agendum paullo accuratius. Ratio connexionis.

§. XCIV.

VERITAS eſt vel METAPHYSICA, vel MORALIS, vel LOGICA. *Metaphyſicis* verum dicitur, quidquid habet eſſentiam ſibi convenientem. Hoc ſenſu v. g. Chriſtus dicitur *verus Deus, & verus homo. Ethicis* veritas eſt convenientia verborum ſignorumque externorum cum cogitationibus mentis. Hinc qui, quod ſentit, eloquitur, *verum*; qui aliud ſentit, aliud loquitur, *falſum* dicere perhibetur. At nos jam hic de veritate *logica* loquimur. Veritas quotuplex.

§. XCV.

Ea eſt *convenientia idearum noſtrarum cum objectis* (*): Hinc Quid logicis ve-

ritas & falſum? ſi mihi e. g. concipio turrim, vel aliquid rotundum, & ea vere talia ſunt, veritatem dicor adſequutus. Conveniunt enim ideae cum objecto. Contra FALSUM eſt *diſconvenientia idearum cum objecto.*

[*] Veritas ergo eſt in *re*, tamquam in fundamento, in *intellectu*, tamquam in ſubjecto, & *in verbis*, quibus ſenſa animi eloquimur, tamquam in ſigno, JO. ANDR. SCHMIEDT. *Metaph. P. III.* §. *IV. p.* 50.

§. XCVI.

Veritas ideae, judicii, ratiocinationis. Itaque veritas aeque ac falſitas aut eſt in IDEA ſimplici, ſi ita rem concipio, uti eſt, vel non: (*) eſt aut in JUDICIO, quando jungenda jungo, disjungenda disjungo, vel contra: aut denique in RATIOCINATIONE, quoties in forma & materia recte ratiocinor, vel contra.

[*] Quamvis enim ſint, qui veritatem in una idea conſiſtere poſſe negent: quia tamen falſa idea dicitur, quae ab objecto diſcrepat, quidni *veram* dicamus, quae cum eo convenit? Quidni ergo & ideae verum falſumve ineſſe fateamur.

§. XCVII.

Quando verum dicatur judicium? Veritas JUDICII requirit, (1) ut ideae jungendae jungantur, disjungendae disjungantur, e. g. *ignis eſt calidus*, *ignis non eſt frigidus* (2). Ut ita jungantur vel disjungantur ideae, ne quae univerſalia ſunt, particulariter; quae particularia, univerſaliter efferantur, e. g. *omnes figurae incluſæ ſunt lineis. Quædam figuræ ſunt regulares.*

§. XCVIII.

Falſum quotupliciter dicatur judicium? Ex quo per ſe patet, falſum vel in propoſitionum QUALITATE, id eſt, in affirmatione & negatione; vel in earumdem QUANTITATE, id eſt, in univerſalitate vel particularitate propoſitionum latitare (*).

[*] Sic ſi dicam: *ignis frigidus eſt*, *ignis non eſt calidus*, falſum latet in qualitate propoſitionum, quia adfirmo, quod negandum, nego, quod adfirmandum erat. Contra, dum dico: *omnes figurae ſunt regulares. Quaedam figurae incluſae ſunt lineis*, falſum in quantitate latitat, dum omnibus figuris tribuitur, quod quibuſdam; quibuſdam, quod omnibus competit.

§. XCIX.

Quando vera ratiocinatio? Quumque ad veritatem ratiocinationum pertineat, ut ſyllogiſmus in FORMA aeque ac MATERIA recte ſe habeat: (§. XCVI.) falſa erit ratiocinatio, quoties vel in forma non obſervantur regulae ſyllogiſticae, (§. LXXXIII. *ſeq.*) vel, quod ad *materiam* attinet, alterutra praemiſſarum non eſt vera (*).

[*] Ex veris enim praemiſſis, poteſt fluere falſa concluſio, ſi forma vel conſequentia male ſe habet, e. g. *nullus martyr Chriſtianorum fuit Judaeus. Nullus*

Iudaeus eſt Chriſtianus. Nullus ergo martyr Chriſtianorum fuit Chriſtianus. Ex falſis quoque praemiſſis poteſt vera concluſio fluere per accidens. e. g. *qui credit creationem mundi, eſt Chriſtianus, Auguſtinus credidit creationem mundi: Auguſtinus ergo fuit Chriſtianus.* At ſi forma & materia recte ſe habent: tunc veriſſimum eſt, ex veris præmiſſis non poſſe, niſi veram concluſionem naſci.

§. C.

Quid paralogiſmus?

Et hujuſmodi quidem falſae ratiocinationes ſunt PARALOGISMI & SOPHISMATA, quorum illi ſunt ſyllogiſmi, qui vel ex vero vel falſo principio falſam concluſionem eliciunt, adeoque fallunt ſub ſpecie demonſtrationis (*).

[*] Talis fuit ille ſupra propoſitus: *anima eſt in corpore: ergo in loco. Quod eſt in loco, coextenſum eſt. Quod coextenſum eſt, eſt extenſum: anima ergo eſt extenſa.* Hic ſub ſpecie demonſtrationis ex principio falſiſſimo, *quod, quae in loco ſunt, loco coextenſa ſint*, elicitur falſa concluſio, quod anima ſit extenſa. Contra, ſi quis ratiocinaretur: *omne grave premit corpora. Quod premit corpora, eadem, ſi infirmiora ſint, comprimit vel frangit. At aer corpora humana, quamvis infirmiora ſint, nec comprimit, nec frangit: ergo non eſt gravis*: iidem committeret paralogiſmum, quia ex principio vero *quod gravia premant corpora*, elicit concluſionem falſam: *aerem non eſſe gravem.*

§. CI.

Quid ſophiſma?

SOPHISMATA contra ſunt ratiocinationes, quibus decipiuntur homines ſub ſpecie probabilitatis. Unde & FALLACIAE ſolent adpellari (*).

[*] Quis enim crederet, demonſtrationis ſpeciem prae ſe ferre hominem, ita ratiocinantem: *quod quis non amiſit, habet. Cornua tu non amiſiſti, Cornua ergo habes?* Sponte is & data opera decipit, ut acutior aliis videatur. Et hinc ejuſmodi ſyllogiſmi dicuntur *ſophiſmata*. Quum enim initio σοφισταὶ dicerentur omnes, qui ſapientiam profitebantur, poſtea a tempore Socratis ob inſignem ſophiſtarum tunc viventium ſtultitiam vileſcere hoc nomen coepit, & tantum pſeudophiloſophis dari. Eorum characteres expreſſerunt PLATO *in Sophiſta*, THEMISTIUS *Orat. IV.* quibuſcum jungenda *Exerc. noſtr. III. de verae falſaeque ſapientiae characteribus, in Syllog. opuſc.* Saeculo Chriſtiano ſecundo & ſequentibus honorifica iterum eſſe coepit *ſophiſtarum* denominatio, quum ita dicerentur, quicum philoſophia ſtudium eloquentiae conjunxerant. Argumento eſſe poſſunt PHILOSTRATI & EUNAPII *Vitae Sophiſtarum.*

§. CII.

Quotuplicia ſophiſmata?

Latitat fallacia vel in DICTIONE, vel in REBUS ipſis. *Illa* ſophiſmata puerilia ſunt, & non niſi ſtupidiſſimum quemque decipiunt. *Haec* paullo magis ſpecioſa.

§. CIII.

Fallaciae dictionis.

In DICTIONE latitat fallacia, quoties vel 1. in ſimplici voce eſt AMBIGUITAS, vel 2. in phraſi AMPHIBOLIA, vel 3. FIGURA dictionis diverſa, vel 4. ſenſus COMPOSITUS & DIVISUS permiſcentur (*). Et his quidem caſibus om-

omnibus vitium quatuor terminorum (§. LXXXIII.) in oculos incurrit.

[*] Ita ſophiſma Romanorum, quo adverſus Antiochum Regem uſi, *ambiguitate* laborat: *qui dimidium navium ſe daturum promiſit, ejus naves diſſecandae. Promiſit hoc Antiochus: ergo ejus naves ſunt diſſecandae.* Per *amphiboliam* decipiunt Romanenſes, dum argumentantur: *cui dictum: paſce oves meas, is eſt caput viſibile eccleſiae. Id dictum Petro. Petrus ergo fuit caput viſibile eccleſiae.* Denique *figura dictionis* diverſa eſt in illo argumento ſtolido: *populus ex terra creſcit. Multitudo hominum eſt populus. Multitudo ergo hominum ex terra creſcit.* Ad has ſpecies & pleraque *oracula* ambigua facile retuleris. Denique *compoſitione* & diviſione ludebat filius, qui patri ruſtico, non tria ova in patina eſſe, ſed quinque, hoc argumento perſuadebat: *ubi ſunt tria ova, ibi & duo ſunt. Tria & duo ſunt quinque. Ergo haec tria ova ſunt quinque.*

§. CIV.

Fallaciae in rebus. Earum prima claſſis.

In REBUS ipſis fallacia latitat, quoties vel 5. plures *interrogationes* in unam compinguntur, vel 6. ſtatus quaeſtionis mutatur. Quarum priorem πολυζήτησιν, ſeu fallaciam PLURIUM INTERROGATIONUM; poſteriorem ἑτεροζήτησιν, ſeu IGNORATIONEM ELENCHI adpellitant (*).

[*] Πολυζήτησιν, ſeu *plurium interrogationum* ſophiſma involvit argumentum: *qui furari non deſiit, furatur, Cato furari non deſiit. Cato ergo furatur.* Quaeſtio enim alia eſt, an Cato unquam furatus ſit, & ſic deſierit furari? alia an ideo furari non deſierit, quia numquam furtum facere coeperit? Quod genus ſophiſmatis praecipue ad veterem modum diſputandi Socraticum, qui per interrogationes inſtituebatur, pertinebat. Contra ad ἑτεροζήτησιν, vel *ignorationem elenchi* pertinet ſophiſma: *quod Chriſtus dicit, verum eſt. Dicit vero: tu es Petrus, & ſuper hanc petram aedificabo eccleſiam meam. Itaque hoc verum eſt.* Quaſi enim dubitet quiſquam, an id, quod Chriſtus dicit, verum ſit, ac non potius quaeſtio ſit, quomodo illa Servatoris verba ſint intelligenda.

§. CV.

Et altera.

In rebus quoque fallacia eſt, ubi 7. vel demonſtratur aliquid ex eo, quod adhuc in quaeſtione eſt, vel 8. concluſio ex praemiſſis, praemiſſae ex concluſione probantur, vel 9. conſequentia non procedit, vel 10. ab eo, quod certo reſpectu verum eſt, argumentum ducitur ad id, quod abſolute verum ſit. *Septimum* illud genus PETITIO PRINCIPII; *octavum* CIRCULUS, *nonum* fallacia CONSEQUENTIS; *decimum* fallacia A DICTO SECUNDUM QUID AD DICTUM SIMPLICITER adpellatur (*).

[*] PETITIO PRINCIPII eſt illa Romanenſium: *extra eccleſiam non eſt ſpes ſalutis. Proteſtantes extra eccleſiam ſunt. Nulla ergo Proteſtantibus ſpes ſalutis eſt.* CIRCULUM iidem committunt, dum eccleſiae ſuae veritatem probant teſtimonio ſcripturae, divinitatem teſtimonio eccleſiae. CONSEQUENTIS ſophiſma eſt: *quod oritur, etiam moritur. Mens oritur, ergo & moritur.*

A

A DICTO SECUNDUM QUID AD DICTUM SIMPLICITER inferunt, qui ita ratiocinantur : *homo moritur. Ad hominem & anima pertinet. Anima ergo moritur.*

§. CVI.

Nec minus fallunt, qui 11. ab eo, quod fit per ACCIDENS, abſolute aliquid colligunt, vel 12. id, quod CAUSSA NON EST, pro cauſa venditant (*). Itemque tertia.

(*) Stolida itaque argumentatio eſt : *unde quis furit, id malum eſt : qui bibit, inde furit. Bibere ergo malum eſt.* Nec magis ferenda illa ratiocinatio paganorum adverſus Chriſtianos. *Dum Chriſtianiſmus in mundo fuit, mille calamitates orbem Romanum oppreſſerunt. Chriſtianiſmus ergo omnium calamitatum cauſſa fuit.* Quod ſophiſma eleganter ſolvit TERTULLIAN. *in Apologet. Cap. XL. & XLVII. & ad Nat. Libr. Cap. IX.* Quin eo conſilio AUGUSTINUM *libros de Civitate Dei ;* OROSIUM *Ormeſtam*, quam vocat, ſcripſiſſe, nemo ignorat.

§. CVII.

Alia deinde veritas eſt CERTA, alia PROBABILIS. *Certa* eſt, quae vel indubia ſenſione, vel certo ac evidenti principio nititur. *Probabilis*, quae hypotheſi, tamquam fundamento, ſuperſtruitur (*). Veritas certa & probabilis.

(*) An veritas quaedam nitatur certo ac evidenti principio, tum demum adparet, quando mihi nexus ejus cum tali principio clare ob oculos ponitur. Id vero fit per DEMONSTRATIONEM. Contra an veritas ſenſione indubia nitatur, non poteſt clarum fieri, niſi per OSTENSIONEM & EXPERIENTIAM. Praeterea quoties aliquid ideo verum puto, quod illud HYPOTHESI conveniat, hypotheſin autem ideo tanquam veram adſumo, quia phaenomena inde commode poſſunt explicari : *probabilis* naſcitur veritas. Sic per *oſtenſionem & experientiam* probo, dari colorem rubrum, ignem eſſe calidum, cet. Per *demonſtrationem*, duos angulos rectos aequales eſſe ſemicirculo. Ex *hypotheſi*, vitrum ideo eſſe pellucidum, quia meros habeat poros rectilineares.

§. CVIII.

PROBABILIS veritas minus convincit intellectum, quam *certa*. Non minus tamen, quam haec, in vita civili utilis eſſe poteſt (*). Quin aliquando probabilitas, quia ſuos gradus habet, ita comparata eſt, ut a veritate certa non multum differat. An probabilis alicujus pretii ſit ?

(*) Itaque in errores pernicioſiſſimos incidunt, qui, rejectis veritatibus probabilibus, meras, certas ac demonſtrativas exigunt. In vita enim civili pleraque negotia ad probabiles tantum veritates pertinere, nemo ignorat.

§. CIX.

Sic & FALSUM vel eſt CERTUM, vel PROBABILE. *Certum*, quando vel ſenſioni, vel principio evidenti manifeſto repugnat, adeoque involvit contradictionem. *Probabile*, quando repugnat hypotheſi probabili (*). Falſum quotuplex ?

[*] Ita CERTO FALSUM eſt, *ignem eſſe frigidum, dari figuram duabus lineis incluſam*, at PROBABILITER FALSUM videtur, *in planetis non eſſe animalia viva, mentem noſtram ante corpus exſtitiſſe, omnes morbos oriri ex vermiculis.*

§. CX.

Ejus variis gradus.

Hinc & falſi certi gradus ſunt. *Alias* enim propoſitiones falſas eſſe, demonſtrari non poteſt, quamvis intellectus noſtri adſenſum vix impetrent. *Aliarum* falſitas demonſtratur, vel facilius, vel operoſius. In *aliis* falſitas ita incurrit in oculos, ut demonſtratione plane non opus ſit (*).

(*) Ita quamvis demonſtrari non poſſit, *daemonem ſagis non adparere*: tamen ſapiens vix a ſe impetrabit, ut id credat. *Duos angulos triangulis aequales eſſe ſemicirculo*, falſiſſimum eſt: neque tamen id ſtatim agnoſcit intellectus, niſi demonſtratione convincatur. Denique *lapidem eſſe corpus fluidum*, tam falſum eſt, ut qui eam propoſitionem ſibi demonſtrari petit, non homo, ſed lapis videatur.

§. CXI.

An idem omnibus certum, probabile, verum, falſum?

Ex quibus patet 1. nobis quaſdam res eſſe poſſe certo veras, quae aliis ſint tantum probabiles, & contra. Sic *me triſtem eſſe*, certo ſcio, alter id probabiliter judicabit ex geſtibus meis. 2. Nobis aliquid certo falſum eſſe poſſe, quod aliis vel verum, vel probabiliter falſum ſit, e. g. *non dari antipodes*, nobis certo falſum eſt: at patres tamen eccleſiae plerique eam propoſitionem vel pro certa vel ſaltim probabiliter vera habuerunt. 3. Probabiliter verum vel falſum aliquando certo tale fieri poſſe, e. g. majoribus probabiliter verum viſum, *ſanguinis circulationem quamdam eſſe*; probabiliter falſum, *ultra mare Atlanticum non occurrere terram continentem*: at nobis de utroque certiſſime conſtat.

§. CXII.

Tranſitio ad alteram ſectionem.

Quare de eo, quod *certo* verum falſumve eſt, & quod *probabiliter* tale eſſe diximus, paullo diſtinctius erit agendum.

SECT. II.

DE EO, QUOD CERTO VERUM FALSUMVE EST.

§. CXIII.

Quid certa veritas?

CERTA VERITAS nobis eſt, quae vel indubia *ſenſione*, vel certo ac indubio *principio* nititur. (§. CVII.) CERTO FALSUM, quod indubiae *ſenſioni*, vel certo *principio* repugnat. (§. CX.)

§. CXIV.

§. CXIV.

Itaque certitudinis iſtius duo ſunt *criteria* certiſſima: SENSIO & RATIO. Quum enim res omnes, ſive quod ad modos, ſive quod ad effectus, ſenſibus percipiamus, eorumque ope claras, diſtinctas atque adaequatas ideas adquiramus: (§. XXIII. *ſeqq.*) conſequens eſt, ut aut nulla ſit veritas, quod abſonum, aut ſenſus, poſitis omnibus ad ſentiendum requiſitis, numquam fallant. Ejus duplex criterium: alterum *ſenſuum certitudo.*

[*] Nimirum SENSIO & IDEAE ita differunt, ut in illa intellectus *paſſive*; in his *active* ſe habeat. Illa percipimus res *ſingulares*: hae ſunt *univerſales*. Illa *praecedit*, hae *ſequuntur*. Vid. THOMASII *Logic. Cap. VI.* §. *XXII. ſeqq.*

§. CXV.

Senſio ponit organa ſenſoria. Quumque haec apud alios bene, apud alios male ſe habeant, & hoc quidem caſu illa officio ſuo fungi non poſſint: oportet ſane 1. organa ſenſoria ita comparata eſſe, ut nullo vitio vel morbo laborent 2. Is vero, cui ſenſus paullo hebetiores obtigerunt, ei defectui aliis modis mederi debet (*). Quid circa organa ſenſoria obſervandum?

[*] Ita myopes & presbytae ſatis norunt, quam probe ab oculo diſtare debeat objectum, quod attentius contemplari velint. Vid. JO. CHRIST. STURMII *Diſſ. de myopibus & presbytis.*

§. CXVI.

Quumque ſenſus ad cerebrum propagetur, & ibi mens veluti contempletur iſtas perceptiones, atque inde ideas formet: (M. §. XXV.) conſequens eſt, 3. ut, qui ſenſibus recte uti vult, ſana mente praeditus eſſe, ac 4. rem juſta attentione contemplari, & 5. pluribus in conſilium adhibitis ſenſibus rei proprietates inveſtigare debeat (*). Qualem eſſe oporteat mentem, ſi ſenſus fallere non debeant?

[*] Ita *oculis* non tam facile diſtingues ſaccharum & alumen: at facile illa diſtingues *guſtu*. Aurum & argentum inauratum difficilius diſcernent *oculi*, nec ullum aurium, ac reliquorum organorum ſenſoriorum hac de re erit judicium competens; at *tactu*, & quod illo exploratur, *pondere* ſtatim res ſe prodet.

§. CXVII.

Quum porro vires & potentiae organorum ſenſoriorum non ſint infinitae: ſequitur, 6. ut juſtam diſtantiam eſſe oporteat organorum & objectorum. 7. Ut, ſi vel objecta nimis remota ſint, vel ob inſignem ſubtilitatem ſenſus fugiant, inſtrumenta, quae induſtria humana eam in rem invenit, adhibenda ſint. 8. Ut medium inter objectum & organa recte ſe habere debeat (*). Qualis ſitus diſtantiaque objecti eſſe debeat?

[*] *Diſtantia* qualis eſſe debeat inter oculos aureſve & objecta ipſi oculi & aures judicant. In reliquis ſenſibus objecta organum contingant ſive proxima ſint,

ſint, oportet. *Inſtrumenta*, quibus res remotiores contemplamur, ſunt *tubi optici & teleſcopia*, quibus res minutiores, *microſopia*. *Medium* in viſione debet eſſe lucidum, limpidum; non duplex. Nec ignotum, quam multa viſionis ludibria detegat Optica.

§. CXVIII.

Res ſenſu exploranda ſub diverſis circumſtantiis.

Denique quum res fere omnes ſint compoſitae: earum naturam ſenſione non aliter perſpiciemus, quam ſi 9. rem conſideremus ſub diverſis circumſtantiis, & 10. ejus partes ſingulas ſeorſim contemplemur (*).

(*) Sic *an aer elaſticus ſit*, non melius experiri poſſum, quam ſi aërem veſicae ſuillae incluſum primum frigori exponam, deinde admoveam igni. Naturam *pulveris pyrii* non rectius perſpiciam, quam ſi primum in naturam & effectus *ſulphuris*, dein *nitri*; ac denique carbonum deminutorum inquiram, deinde binas harum rerum miſceam, & ſic quoque earum effectus explorem.

§. CXIX.

Alterum criterium veritatis certae *ratio*, unde demonſtratio.

Ita *ſenſione* ad veritatem mihi viam munio. Altera via eſt RATIO, (§. CXIV.) quae quum ſit facultas ratiocinandi, id eſt, veritates alias ex aliis per neceſſariam concludendi rationem eliciendi: (H. §. II.) ſequitur, ut, an propoſitio quaedam ex principio aliquo certo fluat, ad liquidum perduci aliter non poſſit, quam per DEMONSTRATIONEM.

§. CXX.

Quid demonſtratio?

DEMONSTRATIO eſt modus ratiocinandi, quo concluſionem cum indubio quodam principio ita connecto, ut de ejus veritate dubitare non poſſis (*).

[*] Et hinc mathematici, quia meris demonſtrationibus utuntur, diſciplinas ſuas ad eum certitudinis gradum provexerunt, ut ab EUCLIDIS temporibus de *Elementorum* ejus veritate dubitare nemo potuerit, qui ea intelligit.

§. CXXI.

Quotuplex?

Ceterum aut effectum ex ſua cauſſa demonſtramus, aut cauſſam ex ſuo effectu. Quarum prior demonſtratio A PRIORE & κατ' ἐξοχὴν *demonſtratio*; poſterior demonſtratio A POSTERIORE dicitur (*).

[*] Sic e. g. ſi rotunditatem telluris demonſtro ex umbra ejus in eclipſibus lunaribus: demonſtro cauſſam ex effectu, adeoque ea demonſtratio erit *a poſteriore*. Contra ubi mentis immortalitatem ex ejus immaterialitate, hanc ex cogitatione demonſtro, demonſtratio erit *a priore*.

§. CXXII.

Demonſtrationis a priore requiſita.

Quum itaque demonſtratio A PRIORE a cauſſa ad effectum procedat: conſequens eſt, 1. ut omnes praemiſſae debeant non modo notiores, ſed & priores concluſione, & vere ejus cauſſae eſſe (*).

(*) E. g.

[*] E. g. *qui quindecim gradibus magis ad orientem habitant, quam nos, ii meridiem una hora citius habent, quam nos. Ergo, qui ad orientem navigant, quoties, quindecim graduum iter abſolverunt, meridiem habebunt una hora citius. Jam circa terram gradus quindeni ſunt vicies & quater. Ergo qui totam terram orientem verſus circum navigant, 24. horis citius habent meridiem, adeoque domum reverſi diem unum different a civibus ſuis.* Hic omnes propoſitiones praemiſſae ſunt concluſionibus priores, notiores, ac vere earum cauſſae, adeoque recte ſe habet demonſtratio.

tum primum.

§. CXXIII.

Quumque ex falſo principio verum fluere non poſſit: (§. XCIX.) merito inferimus, 2. omnes praemiſſas in demonſtratione neceſſario veras eſſe debere (*). Secundum.

[*] *Neceſſario* autem *verum* dicitur, quod non poteſt non ita ſe habere. Hinc ſi fieri non poteſt, quin ex cauſſa aliqua hic effectus ſequatur: propoſitio erit neceſſario vera. Sin cauſſa plures effectus producit, vel unius effectus plures cauſſae eſſe poſſunt, ejuſmodi propoſitio non erit ad demonſtrationem idonea. E. g. neceſſario vera eſt propoſitio: *quia luna eſt corpus opacum, non poteſt non lumen ſolis intercipere, ubi inter ſolem & oculum noſtrum interpoſita eſt.* Opacum enim corpus neceſſario hunc effectum producit. At minus neceſſario verae ſunt propoſitiones: *qui laetus eſt ridet. Qui ridet, laetus eſt.* Nam nec laetitia ſemper riſum excitat, & riſus illius plures eſſe poſſunt cauſſae.

§. CXXIV.

Quum porro demonſtratio nexum cum ſuo principio oſtendere debeat: (§. CXX.) conſequens eſt, 3. ut ſingulas propoſitiones immediate connexas eſſe oporteat (*). Tertium.

[*] Si enim immediate non cohaererent, nova demonſtratione eſſet opus, quod cohaereant, adeoque an concluſio mea ex principio illo fluat, ignorarem, & ita non data eſſet demonſtratio, e. g. ſi dicerem: *ſi quis ſub polo eſt, vivit in ſphaera parallela, ergo ſtellas nec orientes nec occidentes videt*; nondum effectus hic ex ſua cauſſa demonſtratus eſſet. Nam nondum video, immediate cohaerere ſphaeram parallelam & effectum illum. At ſi ita ratiociner: *ſi quis ſub polo eſt, aequator & horizon ibi ſunt paralleli. Ubi hi ſunt paralleli, ibi & ſtellae moventur in ſitu parallelo cum horizonte. Ergo ſemper in eadem diſtantia ab horizonte ſunt, adeoque nec oriuntur nec occidunt.* Jam omnia immediate cohaerent, & hinc recte ſe habet demonſtratio.

§. CXXV.

Nec minus inde colligas, 4. in demonſtratione eo uſque progrediendum eſſe, donec pervenerimus ad principium aliquod vel in ſe notum, vel antea demonſtratum (*). Nam niſi id fieret, denuo opus eſſet demonſtratione demonſtrationis. Quartum

[*] Sic e. g. demonſtratio, quam modo dedimus, omnino ſufficeret ei, qui ex geographia didicit, quid ſit ſphaera parallela. Non autem ea ſufficeret, ſi mihi res eſſet cum homine, ejus diſciplinae ignaro. Huic enim primum per definitionem oſtendendum eſſet, *quid ſit ſphaera parallela, horizon, aequator,*

ſitus parallelus, deinde probandum, *ſub polis ſphaeram talem eſſe*, ac denique, *in tali ſphaera horizontem ac aequatorem parallelos eſſe.*

§. CXXVI.

Qualis demonſtratio a poſteriore.

Porro A POSTERIORE aliquid demonſtratur, quoties cauſſa ex ſuo effectu oſtenditur. Ubi tamen ea adhibenda cautio, ne alios effectus in ratiocinationem admittamus, quam qui neceſſario, & ex illa ſola cauſſa proficiſcuntur (*).

[*] Ubi ergo unius rei plures cauſſae eſſe poſſunt, non procedit demonſtratio. Hinc male ex ruina aedium colligo, ventum vehementem fuiſſe. At recte infero: *eclipſis lunaris oritur ex umbra terrae inter ſolem & lunam interpoſitae. Umbra illa eſt rotunda, ergo & corpus telluris, unde projicitur, eſt rotundum.*

§. CXXVII.

Nec non demonſtratio indirecta?

Praeterea alia DIRECTA, alia INDIRECTA eſt demonſtratio. *Illa* eſt, quam hactenus deſcripſimus: *haec*, propoſitionem veram eſſe, inde oſtendit, quia ex oppoſita vel abſurdum, vel impoſſibile, vel, quod teſte experientia, falſum eſt, ſequitur. Quae ſane firmior eſt, quam vulgo videtur. Nam quum duo contradictoria ſimul vera eſſe nequeant, (§. LXXII.) & ex vera propoſitione, ſi in forma aut conſequentia non pecces, falſa concluſio elici non poſſit: (§. XCIX.) (*) vera ſane erit propoſitio, cujus ex oppoſita abſurdum vel impoſſibile quid neceſſario fluit (*).

[*] Sic *lunam eſſe corpus opacum*, recte inde demonſtro, quia, *ſi tale non eſſet, lumen ſolare tranſmitteret, & ſic nulla unquam exſiſteret eclipſis lunaris. Quod quum falſum ſit, falſum etiam eſſe oportet, lunam eſſe corpus pellucidum. Eſt ergo corpus opacum.* Q. E. D.

§. CXXVIII.

Quid in ea obſervandum?

In ea demonſtratione id tantum providendum, 1. ut abſurdum, impoſſibile, falſum neceſſario ex propoſitione oppoſita fluat. 2. Ut propoſitio, ex qua tale quid elicimus, vere ſit concluſioni noſtrae oppoſita. Niſi enim id obſervetur, in calumniam abibit indirecta illa demonſtratio (*).

[*] Hinc, ſi quis ita demonſtrationem ſuam inſtitueret: *Si ſola fides juſtificaret, impios etiam ac impoenitentes juſtificari oporteret. Atqui hoc abſurdum eſt. Abſurdum ergo etiam eſt, ſolam fidem juſtificare.* In manifeſtam calumniam abiret haec demonſtratio, quia ex hac doctrina haec conſequentia non fluit. Nec magis ferenda eſſet ratiocinatio: *ſi ſola fides juſtificaret, conſequeretur, ut opera bona Deo diſpliceant. Id vero abſurdum. Ergo & abſurdum, fidem ſolam juſtificare.* Nam propoſitio: *ſola fides juſtificat*, alteri illi: *bona opera ſunt facienda*, non eſt oppoſita. Nec ſequitur, ut, quod non juſtificat, Deo ideo prorſus diſpliceat.

§. CXXIX.

An alicui conſe-

Contra ſi quis theſin defendit, ex qua abſurdae concluſiones manifeſto & neceſſario fluunt: ineptus eſt, dum concluſiones negat,

gat, & proteſtatur, ſe has non agnoſcere, quum theſin tamen, ex qua illae neceſſario fluunt, agnoſcat (*). quentiae omnes, quae ex doctrina fluunt, tribuendae?

[*] Quam abſurde enim quis defenderet, ſe quidem ſtatuere, *bis quatuor eſſe ſeptem*, at ideo non agnoſcere, *bis quatuor & unum eſſe octo*.

SECT. III.

DE VERITATE PROBABILI.

§. CXXX.

SUfficiant haec de veritate *certa* ac *demonſtrativa*: proximum eſt, ut de PROBABILI agamus. Ut vero illius fundamentum diximus eſſe *principium*: ita haec ſola HYPOTHESI nititur. (§. CVII.) Fundamentum veritatis probabilis hypotheſis.

§. CXXXI.

Eſt autem HYPOTHESIS propoſitio, quam ideo pro vera adſumimus, quia proprietates & effectus rei inde commode explicantur (*). Quid hypotheſis?

[*] E. g. ſi adſumam, terrae motus ex materia ſubterranea, inflammabili, maxime nitroſa & ſulphurea, id quidem ita ſe habere, aliter demonſtrare non poſſum, quam quia omnia phaenomena, quae in terrae motu obſervantur, inde ſatis commode poſſunt explicari. Eſt ergo *hypotheſis*, quam jure pro falſa habere non poſſum, quamdiu verior & certior non profertur.

§. CXXXII.

Aut vero pro hypotheſi adſumo *verborum* ſignificationem, poſitum, connexionem, cum fine auctoris conſpirantem; aut *teſtis* cujuſdam auctoritatem, aut *eventum* actionum, vel inclinationum ſigna, aut *phaenomenorum* ex cauſſa aliqua explicationem commodam. Si primum, fit probabilitas illa HERMENEUTICA: ſi ſecundum; HISTORICA, quae ſpeciatim FIDES dicitur: ſi tertium; MORALIS & POLITICA: ſi poſtremum denique; PHYSICA adpellabitur. Quotuplex probabilitas?

§. CXXXIII.

Fundamentum itaque probabilitatis HERMENEUTICAE eſt: I. *Quod cum verborum ſignificatione, poſitu, connexione, itemque cum auctoris fine & affectu convenit: id probabiliter pro ſenſu auctoris habendum.* Fundamentum probabilitatis hermeneuticae.

(*) Dicemus ea de re infra (*Cap. IV. Sect. II.*) ubi *de interpretatione* erit agendum. Eſt enim hoc genuinum verae interpretationis fundamentum.

§. CXXXIV.

Probabilitatis HISTORICAE, ſeu FIDEI, fundamentum eſt regu- Itemque hiſtoricae.

regula: 2. *Quod verum eſſe teſtatur homo fide dignus, id probabiliter verum eſt* (*).

(*) Ita credimus POLYBIO, quae de bellis Punicis; JOSEPHO quae de excidio gentis Judaicae refert. Nemo autem ſanus credet, quae COCHLAEUS de Lutheri rebus geſtis nequiſſime calamo effudit.

§. CXXXV.

Teſtium non eadem auctoritas.

Quod traditur nobis ab hominibus, id 1. aut a *praeſentibus* vel *coaevis* traditur, aut ab *abſentibus*, & *recentioribus*: 2. Teſtes vel *plures* ſunt, vel *unus*: itemque 3. vel *oculis* rem perceperunt, vel ab aliis *narrari* audiverunt, quin & 4. vel *ſcientiae ſuae rationes* reddunt, vel non, & vel rem in ſe *poſſibilem* referunt, vel *mirabilem* vel plane *impoſſibilem*. Denique 6. vel *noti*, vel *ignoti* ſunt, 7. vel *neutrarum partium*, vel *uni parti* magis obnoxii, 8. vel *prudentes*, vel *vaecordes*, 9. vel *probi*, vel *improbi* & *mendaces*.

§. CXXXVI.

Axiomata de gradibus fidei humanae.

Ex quibus diviſionibus facile intelliguntur axiomata, ex quibus de gradibus fidei humanae poteſt judicari: I. *Quo magis certus ſum, auctorem nec voluiſſe, nec potuiſſe me decipere, eo majorem ei fidem habere teneor* (*). II. *An quis me vel voluerit, vel potuerit decipere, ſaepe ex ipſis narrationis circumſtantiis judicandum eſt* (**).

(*) Quum enim fides pro hypotheſi habeat *auctoritatem*, (§. CXXXII.) auctoritas nitatur teſtimonio fide digno, (§. CCXXXIV.) fide dignus autem ſit, qui nec vult, nec poteſt me decipere: quo magis de hoc certus ſum, eo probabilius ejus teſtimonium eſſe oportere, facile patet.

(**) Quum enim res ad teſtimonia redeat, teſtimonium autem verum ſibi ipſi contradicere, aut ſui diſſimile eſſe non poſſit: ubi circumſtantiae ejus contradictoriae vel diſſimiles ſunt, ibi teſtem vel voluiſſe vel potuiſſe decipere, ſuſpectumque eſſe ejus teſtimonium, facile apparet.

§. CXXXVII.

Regulae de numero & qualitate teſtium, ſi rem mirabilem narrent.

Certiſſimum ita eſt, 1. uni teſti, rem mirabilem narranti, parum fidei haberi, etiamſi alias non adeo ſuſpectus ſit, maxime ubi res ita comparata eſt, ut teſtis facile decipi imaginatione potuerit. 2. At majorem eſſe probabilitatis gradum, ſi rem, utut mirabilem, non impoſſibilem tamen, plures teſtes, licet non per omnia eodem modo, iiſdemque circumſtantiis, referant. 3. Multo probabilius eſſe, quod plures fide digni iiſdem circumſtantiis referunt: eamque probabilitatem 4. haud parum augeri, ſi teſtes ſint oculati, ſi perſonae publicae, ſi jurati.

§. CXXXVIII.

De narratione rei minus mirabilis.

Si res, quae refertur, poſſibilis & minus mirabilis eſt: 1. fama ſine certo auctore minus facit probabilitatis; aliquanto plus 2. ſi unus vir prudens & probus ſe rei interfuiſſe dicat: multo plus, 3. unus

ſi rem plures eodem modo, iiſdemque circumſtantiis, & maxime, 4. ſi jurati referant.

§. CXXXIX.

In factis antiquis 1. recentiori ſcriptori, alterutri parti obnoxio, nullumque narrationis fundamentum alleganti parum creditur, maxime ſi alii alteri parti addicti contradicant. 2. Aliquanto plus, ſi neutrarum partium, & vir prudens & probus ſit: ejuſque narrationi 3. multo majus pondus accedit, ſi rem certis indubiiſque documentis confirmet. 4. Probabilius multo eſt unius coaevi, viri probi, prudentis, & qui rei interfuit, teſtimonium, quam plurium recentiorum. 5. Idque plane ſummum gradum obtinet probabilitatis, ſi plures ejuſmodi teſtes, non ex compacto, factum eodem modo iiſdemque circumſtantiis narrant. De narratione rerum antiquarum.

§. CXL.

Ita porro res ipſa & circumſtantiae docent, 1. minimum probabilitatis gradum obtinere, quae *poëtice*; 2. paullo majorem, quae *oratorie*; multo maximum, quae *hiſtorice* narrantur, circumſtantiis non exaggeratis, ſed ſimpliciter recenſitis. De modo narrandi.

§. CXLI.

Denique teſtimonium divinum, ſi de eo certo conſtet, ſummum gradum ſidei attingere, ipſique demonſtrationi, ſeu argumento ἀποδεικτικῷ aequipollere, veracitas ac bonitas Dei, falli ac fallere neſcii, unumquemque convincit (*). De teſtimonio divino.

(*) Unde hic non quaeritur, ſitne res ita comparata, ut mirabilis unicuique videri debeat? ſed an adſit *evidentia teſtimonii?* id eſt, 1. an divinum hoc ſit teſtimonium? & 2. ſi divinum eſt, an hoc modo neceſſario intelligendum ſit? Quae poſterior quaeſtio ex fundamentis probabilitatis hermeneuticae dijudicanda eſt. (§. CXXXIII.)

§. CXLII.

Proxima eſt probabilitas MORALIS & POLITICA, quae quum eventu actionum & inclinationum ſignis nitatur: (§. CXXXII.) & ab una ſaepe cauſſa vel actionis circumſtantia, per Dei providentiam mutata, totus conſilii eventus pendeat, ac praeterea homines ſaepe ſimulent diſſimulentque: conſequens eſt, ut ſive a conſiliis ad eventus futuros (*), ſive ab eventibus ad cauſſas & conſilia, ſive denique a ſignis morum & propenſionum ad ipſas propenſiones argumentum ducamus, iſta illatio ſemper futura ſit probabilis tantum, & quidem gradu non ſummo ſemper, ſed aliquando mediocri. Fundamentum probabilitatis moralis & politicae.

(*) Eſt haec illa *divinatio politica*, qua freti viri rerum civilium peritiores futura cecinerunt, tamquam vates. Ciceroni hanc facultatem tribuit CORN. NEP.

in vit. Attici, Cap. XVI. Quin & ipſe de ſe id narrat in *Philipp. VI. Cap. III.* & *Libr. VI. ad Fam. Epiſt. VI.* Plura ejus generis exempla collegit JUST. LIPS. *Libr. II. Monit. polit. Cap. IX. monito 3.* Quin & Joſephi Judaei vaticinium de Veſpaſiani imperio, de quo praeter ipſum Joſephum Suetonius & Dio Caſſius narrant, εὐστοχίᾳ cuidam ſeu divinationi politicae tribuit GOTFR. OLEAR. in *Diſſert. de vaticinio Joſephi* edita *Lipſ.* CIↃIↃCXCIX.

§. CXLIII.

Ac denique phyſicae.

Denique PHYSICAE probabilitatis fundamentum eſt hypotheſis, ex qua phaenomena omnia facile explicantur, (§. CXXXII.)

§. CXLIV.

Ejus gradus infimus.

Ex quo facile patet, 1. ſi vel unum phaenomenon ex hypotheſi explicari non poſſit, eam probabilem non videri, vel ſaltim vix minimum probabilitatis gradum obtinere.

§. CXLV.

Gradus ſecundus.

Nec minus inde ſequitur, 2. ut quo minus ſubtilis & coacta eſt ratiocinatio, per quam phaenomena ex aliqua hypotheſi explicantur, eo probabilior futura ſit hypotheſis.

§. CXLVI.

Supremus.

Denique 3. ſi hypotheſis ita comparata eſt, ut poſitis iiſdem cauſſis idem effectus ſequatur, vel eadem phaenomena per artem exhiberi poſſint, ea ſummum probabilitatis gradum procul dubio attingit (*).

[*] *Sic hypotheſis* Carteſiana de iride paene eſt ἀποδεικτική, quia ejus imitatione iris poteſt repraeſentari. Ventum oriri, ſi aër craſſior & compreſſus in regionem aëris tenuioris *incidat*, paene certum eſt, quia ventus *hoc modo pro*duci poteſt per Aeolipilam, cet.

§. CXLVII.

An phyſica phaenomena ex hypotheſibus metaphyſicis explicanda? Differentia hypotheſeos, poſſibilitatis, fictionis. Quid fictio? quid poſſibilitas? Quid de

At cavendum, ne phaenomena phyſica explicemus ex hypotheſibus *metaphyſicis*, niſi quid realitatis illis inſit.

§. CXLVIII.

Multoque magis providendum, ne HYPOTHESIS confundatur cum POSSIBILITATE & FICTIONE. Sane Epicuri hypotheſis de motu atomorum mera eſt fictio; hypotheſis Honorati Fabri de materia planetarum mera poſſibilitas.

§. CXLIX.

Si nimirum exſiſtentia rei, per hypotheſin aſſumtae, nullo modo probari poteſt, ea eſt FICTIO: ſin exſiſtentia rei, quam ſupponimus, probari poteſt, at phaenomena aeque ex hac, ac ex alia cauſſa, explicari poſſunt; POSSIBILITAS tantum inde oritur.

§. CL.

Haec ſunt vera ac genuina veritatis probabilis fundamenta. Quibus recte intellectis, facile carebimus LOCIS illis DIALECTICIS,

CIS, quos & *topicos* barbare adpellitant. Regulae enim illae ſeu canones, quos inde petunt, ita comparati ſunt, ut ex quibuſdam aeque demonſtratio ac probabilitas, ex aliis ne probabilitas quidem peti poſſit. — *locis dialecticis ſentiendum?*

§. CLI.

Ceterum veritatis probabilis cognitio OPINIO: & haec, ſi ex ſignis communibus procedit, PRAESUMTIO; ſin ex propriis, CONJECTURA (*) adpellatur. — *Quid opinio, praeſumtio, conjectura?*

[*] *Praeſumtio* aeque ac *conjectura* pro diverſis circumſtantiis alias aliaſque denominationes ſortitur. Illa enim ubi in deteriorem partem inclinat, SUSPICIO; haec ſi ad res futuras pertinet, DIVINATIO adpellatur, cujus pleraque ſigna, praeter phyſica, medica & politica, (§. CXLIII.) vix probabilia ſunt.

§. CLII.

Ubi probabilitas cum probabilitate colliditur, naſcitur DUBITATIO, quae nihil aliud eſt, quam ſuſpenſio judicii, vel adſenſus in alterutram partem cohibitio. — *Quid dubitatio?*

§. CLIII.

Ex quo facile patet, 1. uni rem dubiam videri poſſe, de qua alter ſit certiſſimus. 2. Dubitationem non confundendam eſſe cum negatione, quia, qui dubitat, nec adfirmat, nec negat: adeoque 3. eum, qui de myſterio aliquando dubitat, non ideo ſtatim *atheum* aut *profanum*, ſed *infirmum fide* eſſe. 4. Maxime differre dubitationem a σκέψει, quae eſt dubitatio ſine ratione juſta ac idonea, id eſt, ſine colliſione probabilitatum. — *Quid circa illam obſervandum?*

§. CLIV.

Aliquando contingit, ut res vel demonſtrativa vel probabilis ſit, & tamen nobis oboriatur difficultas, quam ipſi ſuperare non poſſumus. Tunc magis SCRUPULUS, quam *dubitatio*, oritur. — *Quid ſcrupulus?*

§. CLV.

Unde colligimus, 1. ſcrupulum non ſuſpendere adſenſum circa totam rem (*). 2. Non eſſe hoc acuti ingenii ſignum, ſi quis ſcrupulos plures ſibi aliiſque movere, quam eximere, poſſit. 3. Male actum iri cum veritate, ſi ei non prius accommodetur adſenſus, quam ſcrupulis omnibus exemtis. — *An is adſenſum omnem ſuſpendat?*

[*] Ita ſexcenti ſunt homines pii, qui toti Scripturae fidem habent indubiam, quamvis innumeros ſcrupulos, qui in quaeſtionibus geographicis, chronologicis, genealogicis, quin & philologicis, oriuntur, animo evellere non poſſint.

§. CLVI.

Denique aliquando rem, quae nobis ipſis probabilis non eſt, aliis — *Argumentum*

ad hominem. aliis poſſumus probabilem reddere, ſi ratiocinatio dicitur ARGUMENTUM κατ' ἄνθρωπον, ſeu AD HOMINEM (*).

[*] E. g. quemquam hominum poſſe nova biblia condere, nemini noſtrum probabile erit. At, qui credunt, eſſe hominem, qui poſſit novos fidei articulos condere, iis non poterit non probabilis videri ratiocinatio: *qui novos articulos fidei condere poteſt, poteſt etiam eos exponere in libro, qui in poſterum pro norma fidei ſit habendus. Liber, qui in poſterum pro norma fidei habendus eſt, erunt nova biblia. Qui ergo novos fidei articulos condere, & eos in libro exponere poteſt, poteſt & condere nova biblia.* En argumentum ad hominem.

§. CLVII.

Ejus effectus. Ea argumentatione κατ' ἄνθρωπον utimur vel ad *convincendos alios* de veritate theſium noſtrarum, vel ad *hypotheſin* adverſariorum deſtruendam. Si prius, naſcetur inde *opinio* de *veritate* theſeos noſtrae: (*) ſin poſterius, *opinio de falſitate* antitheſeos, adeoque haec argumentatio poſteriore caſu in probabilitate idem praeſtabit, quod in demonſtratione deductio ad impoſſibile vel abſurdum.

[*] Non convictio. Simul ac enim alter de veritate hypotheſeos ſuae ipſe dubitare incipit: argumentatio haec vim ſuam ac robur amittet. E. g. Romanenſium hypotheſis eſt, *infantes haereticorum baptizatos morientes non damnari.* Si inde colligam, *ergo & extra eccleſiam Romanam ſalutem eſſe*, argumentatus ſum κατ' ἄνθρωπον. At ſimul ac illi rejecerint priorem hypotheſin, etiam haec concluſio amittet vires ſuas.

§. CLVIII.

Probabilitas ſaepe demonſtrationis inſtar eſt. Sic variae ratiocinationes gignunt veritatem probabilem. Harum ratiocinationum ſi plures concurrant: tam firma ſaepe haec eſt probabilitas, ut a veritate demonſtrativa parum diſcrepet.

CA-

CAPUT IV.

DE MEDIIS VERITATEM INVENIENDI COMMUNICANDIQUE CUM ALIIS.

* * *

SECT. I.

DE MODO VERITATEM MEDITATIONE INVENIENDI.

§. CLIX.

Connexio.

QUum hactenus de operationibus intellectus humani, ipſaque natura veritatis ſatis pro inſtituti ratione actum ſit: proximum eſt, ut, quomodo his intellectus operationibus ad *inveſtigandam proponendamque* veritatem utendum ſit, dicamus paullo accuratius (§. VI. *).

§. CLX.

Quotuplici modo veritas inveſtigetur & proponatur?

Veritas INVESTIGATUR vel per MEDITATIONEM, vel per LECTIONEM ſcriptorum alienorum, vel per DISPUTATIONEM, ſeu comparationem binarum theſium ſibi oppoſitarum. Ita inventa autem PROPONITUR vel SCRIBENDO, vel viva voce DOCENDO. In quibus omnibus, quid obſervandum ſit, in ſequentibus erit diſpiciendum.

§. CLXI.

Quid meditatio?

Primum MEDITATIONE inveſtigatur veritas, (§. CLX.) per quam nihil aliud intelligo, quam *cogitationes, ita ad leges & juſto ordine inſtitutas, ut novae ſemper veritates ex veritatibus ſemel cognitis emergant.*

§. CLXII.

Methodus ſynthetica vel geometrica.

Ordo iſte, quem intellectus in cogitando obſervat, quoties in veritatem certam inquirit, vocatur METHODUS SYNTHETICA (*). Et quia illa a geometris potiſſimum, quin omnibus mathematicis, ſtricte obſervatur, GEOMETRICA etiam dici ſolet.

[*] Vulgo equidem *methodum* inquirendi veritatem dividunt in *ſyntheticam & analyticam*, quarum *illa* a principiis ad concluſiones, *haec* a concluſione ad principia procedit. Sed ubi concluſiones notae ſunt, veritas magis

adplicatur & *dijudicatur*, quam *quaeritur*. Igitur methodus analytica magis ad capita ſequentia pertinebit.

§. CLXIII.

Quomodo praeparatus quis ad meditandum accedere debeat?

Hanc adhibiturus primo omnium det operam, ut ATTENTIONEM juſtam adferat, deinde, ut mentem a PRAEJUDICATIS OPINIONIBUS vacuam ad meditationem adplicet.

§. CLXIV.

Attentio quomodo excitanda?

Attentionem excitabimus, 1. ſi, quam praeclara res ſit veritas, ſaepius cogitemus (*), 2. ſi ab aliis cogitationibus atque occupationibus vacui, & animo tranquillo, ad meditationem accedamus, 3. ſi feſtinemus lente, (**) 4. ſi ea, quae meditamur, in chartam conjiciamus. Multum quoque attentionem provehunt 5. ſolitudo, 6. ſilentium, 7. tempus matutinum, & inprimis 8. diuturnum ſtudium earum diſciplinarum, in quibus facultas bene ratiocinandi perpetuo exercetur, quales praecipue ſunt mathematicae.

(*) Sincerum veritatis inveſtigandae ſtudium vel ſolum attentionem noſtram excitabit. Quis enim non attente contemplatur, quod amat? Cur ſomnus non facile obrepit iis, qui ſpectant comoedias?

(**) Aliud eſt rem *obiter* contemplari, aliud *attente*. *Illud* fit a feſtinantibus, *hoc* ab iis, qui omnem aciem ad rem ita convertunt, ut eam ſecundum omnes qualitates, modos, relationes, effecta, contemplentur. An id fieri poſſet a feſtinantibus?

§. CLXV.

Quomodo praejudicia debellanda per dubitationem?

Quumque praejudicia AUCTORITATIS & PRAECIPITANTIAE veluti tenebras intellectui offundant, (§. XVIII.) & hinc ſequatur, ut, qui ſe meditationi accingunt, ab illis vacuos eſſe oporteat: (§. CLXIII.) per ſe patet, utiliſſimam fore dubitationem, dummodo 1. ea non ſit ſceptica, (§. CLIII, 4.) & 2. dubitetur non de criteriis veritatis, ſed de nexu propoſitionum cum principio, nec 3. praefracte negetur id, de quo dubitatur (§. CLIII. 2.)

§. CLXVI.

In primis praejudicium auctoritatis.

Dubitatio haec, tam accurate ſuis circumſcripta limitibus, contra opiniones quamplurimas, etiam vulgo receptas, ſcrupulos injiciet, teque facile docebit, 1. *& parentes*, *& praeceptores* tuos, *& viros magnos*, *& celebres*, *& probos*, *& canitie venerabiles*, aliquando & erraſſe, & errare poſſe: contra, 2. nonnumquam & *olitorem eſſe quaedam opportuna loquutum*, adeoque 3. te nullius auctoritati, tamquam claudum pilae, inhaerere debere.

§. CLXVII.

Et praejudicium.

Nec minus inde perſpicies, 4. mentem minus attentam facile opi-

opinionem receptam, quamvis abſonam, pro veritate, id eſt, nubem pro Junone, amplecti. 5. Veritatem non ita omnibus obviam, ac prope in medio poſitam eſſe, ut veluti ſe ſponte offerat, etiam minus diligentibus, adeoque, 6. ceu peſtem fugiendum eſſe praejudicium praecipitantiae, & 7. ea etiam, quae nobis penitus perſpecta habere videmur, quaſi ignota accuratius inveſtiganda eſſe. praecipitantiae.

§. CLXVIII.

Ita praeparatus ac veluti praemunitus facile animadvertes, quid tibi, meditationi te accingenti, primo omnium faciundum ſit. Quum enim cognitio noſtra a ſenſione incipiat, ſenſio autem, ſub diverſis circumſtantiis ſaepe repetita EXPERIENTIAM gignat. (§. XXIII.) ex hac denique nobis ideas *claras*, *diſtinctas*, *adaequatas* formemus: (§. XXV.) primum EXPERIUNDUM erit tam diu, donec nobis, quoad licet, *claram*, *diſtinctam*, atque *adaequatam* ideam rei adquiſiverimus (*). Ordo in meditatione obſervandus.

(*) Id non modo in rebus naturalibus faciendum, ſed & in moralibus & civilibus. Quemadmodum enim fruſtra meditari conaberis de parheliis, niſi in promptu ſint tuae aliorumve phyſicorum atque aſtronomorum obſervationes atque experientiae: ita non magis cum ſucceſſu aliquo meditaberis de virtute, vitiis, adfectibus, quin & de republica, juribus, ſimilibuſque, niſi, quae harum rerum omnium adfectiones, relationes, fines, effecta ſint, experiundo accurate didiceris.

§. CLXIX.

Ne autem fallat experientia: res ipſa te docebit, 1. regulas, quas de ſenſione & experientia non uno loco dedimus, (§. XXIII. *ſeq*. §. CXV. *ſeqq*.) diligenter eſſe obſervandas. 2. in conſilium etiam adhibendas eſſe aliorum obſervationes, eaſque, 3. ſi fieri poſſit, (*) repetendas, ut, an recte ſe habeant, tanto certius ſcias. Primum experiundum.

(*) Alia enim experimenta inſtituere facile eſt, alia vel difficilius, vel plane non poſſunt inſtitui. Sic e. g. quae alii de natura aëris, de ebullitione certorum oleorum, inter ſe mixtorum, ſimilibuſque phaenomenis obſervarunt, facile repetendo explorare poſſumus: at difficilius aliorum obſervationes de parheliis, paraſelenis, cometis, tranſitu Mercurii per Solem, & ſimiles, hoc modo examinabimus, quia partim nec quotidiana, nec ubivis conſpicua ſunt haec phaenomena, partim, ſi quando contingunt, non ſine magno inſtrumentorum adparatu obſervantur.

§. CLXX.

Quo plures in promptu ſunt obſervationes hujuſmodi certae, & accurate collectae, eo proniorem nobis viam munivimus ad veritatem. Jam enim nihil erit facilius, quam ex illa obſervationum ſilva conſtruere DEFINITIONES tot (*), quot opus eſt Deinde definiendum.

ad claram, diſtinctam, atque adaequatam objecti ideam adquirendam.

[*] E. g. qui aërem definit duce experientia, quod ſit *corpus fluidum, tellurem intra certam altitudinem ambiens, & ſpatia in & ſupra eam, ab aliis corporibus relicta, occupans, niſi ab alio quodam impediatur*, ei etiam definiendum, *quid* ſit *corpus*, quid *fluidum*, quid *atmoſphaera*; quid *altitudo aeris*, quid *ſpatium*, quid *vacuum*, quid *occupare ſpacium?* cet. Et quamvis deinde in veritate cum aliis communicanda omnibus his definitionibus forte non opus futurum ſit: eae tamen non ſunt ſupervacuae in veritate invenienda.

§. CLXXI.

An abſciſſe requirantur definitiones reales?

Definitiones *reales* non ſemper initio ſtatim inveniri poſſunt, & tunc ſufficiunt *nominales*, modo illae ad amuſſim factae ſint (*) (§. XXXVIII. *ſequ.*)

(*) Egregie enim falluntur, qui definitiones nominales ad inveniendam veritatem inutiles exiſtimant. Continent ſane certas notas, quibus res ſemper ab omnibus aliis diſtinguitur, (§. XXXVIII). Eae notae ſunt proprietates eſſentiales. & hinc non poſſunt non novas ſuppeditare veritates.

§. CLXXII.

Hinc porro dividendum.

Nec minus utile erit, res definitas, ſi fieri poſſit, ſecundum regulas, ſupra expoſitas, DIVIDERE, & ſingulorum membrorum novas condere definitiones (§. XLIV. *ſeqq.*), Quo plures enim nanciſcimur definitiones: eo plures nobis ſunt fontes inveniendae veritatis, modo obſervemus, quae ſupra de exploranda definitionum veritate dicta ſunt. (§. LXIII.)

§. CLXXIII.

Poſtea reperienda axiomata.

Singulae definitionum partes ſingulas dabunt praemiſſas, (*) ex quibus, addita nova idea, per regulas ratiocinandi facile elicies AXIOMATA, quae baſes ſunt reliquarum concluſionum inde derivandarum (*).

(*) E. g. eſto definitio: *totum eſt, quod ex omnibus ſui partibus conſtat*. Habes praemiſſam: *totum ex omnibus ſui partibus conſtat*. Eam compara cum ideis *majus vel minus eſſe*, habebis alteram etiam praemiſſam. Ratiocinaberis ergo: *quod ex omnibus ſui partibus conſtat, eſt majus unaquaque ſui parte. Totum ex omnibus ſui partibus conſtat. Eſt ergo totum majus unaquaque ſui parte.* Quae concluſio axioma eſt.

§. CLXXIV.

Unde fluent corollaria?

Ubi ejus generis plura axiomata in promptu fuerint: per regulas converſionis, (§. LXI. *ſeqq.*) oppoſitionis, (§. LXX. *ſeqq.*) collatiſque novis ideis, facile reperies COROLLARIA (*) quamplurima, ex quibus tamen ea potiſſimum, quae vel maximi, vel alicujus momenti erunt, ſeliges.

(*) Eſto definitio, *Commodatum eſt contractus re initus, quo rem alteri gratis ad*

ser-

certum uſum ita concedimus, ut eadem in ſpecie reſtituatur. Habebis inter alia hoc axioma: *commodata res non eſt abutenda*, alias enim non in ſpecie reſtitui poſſet. Ex eo fluent corollaria per *converſionem: quotieſcumque nobis res datur ita ut abutamur, (* veluti in mutuo, *) toties non eſt commodatum. In re ergo fungibili non eſt commodatum.* Per oppoſitionem: *falſum ergo eſt, commodatam rem abſumi poſſe*, adeoque *& falſum, mutuum & commodatum non differre*, quamvis Germanis *geliehen* dicatur & mutuum, & commodatum. Per ratiocinationem denique: *ſi res commodata non abutenda eſt, commodatarii erit, eam diligentiſſime cuſtodire*: adeoque, *ſi ea illius culpa vel periit, vel deterior reddita eſt, damnum reſarcire, nec commodans obſtrictus erit, ſi res exſtat, pro ea accipere aeſtimationem, cet.* Sic unum axioma plura dabit corollaria, ſi meditationem continuaveris.

§. CLXXV.

Si plures definitiones inter ſe contenderis: facile reperies THEOREMATA & PROBLEMATA (*). Id modo obſervandum, comparandas eſſe definitiones, quae aliquid inter ſe commune habent: alias enim comparabis diſparata, nec illis quidquam invenies, praeter propoſitiones negativas, quas & pueri jam ſciunt. *Quomodo inveniri poſſint theoremata & problemata?*

(*) Sic, comparatis *mutui & commodati* definitionibus, habebis theorema: *in mutuo, non in commodato, transfertur dominium.* Si contenderis definitiones *commodati & rerum fungibilium*, ſolves problema: *an in pecuniae commodatum conſiſtere poſſit?* Poſſe enim, facile intelliges, ſi pecunia non ſit uſualis, ſed ex numiſmatibus rarioribus, quae & ſine abuſu utilitatem praeſtant, conſtet.

§. CLXXVI.

Et *axiomata* quidem, & *corollaria*, raro aliam demonſtrationem requirunt, quam ipſam definitionem. At *theoremata* & *problemata* ex corollariis, axiomatibus, definitionibus, demonſtranda ſunt, ſi vere convicti eſſe velimus. *An hae inventae propoſitiones egeant demonſtratione?*

§. CLXXVII.

Denique nullum eſt corollarium, nullum theorema, nullum problema denique, ex quo comparato cum aliis ideis novae veritates non fluant, ſi aciem meditationis intenderis. *Quomodo continuanda meditatio?*

§. CLXXVIII.

Ita veritates *certae* per meditationem inveniuntur. *Probabiles* non aliter reperies, quam ſi 1. omnia rei phaenomena, quoad fieri poteſt, experiundo inveſtiges, iiſque inter ſe comparatis, 2. de invenienda hypotheſi labores, ex qua illa explicari poſſint. Id enim quoties fieri poteſt, hypotheſis illa erit probabilis, & pro vera tamdiu habebitur, donec meliorem alius oſtenderit. *Quomodo reperiendae veritates probabiles?*

§. CLXXIX.

Idemque obſervandum erit, ſive de *probabilitate hiſtorica*, ſive de *phyſica*, ſive de *politica* vel *morali*, ſis ſollicitus. In *hiſtorica* enim *Sive hiſtoricae, ſive aliae.*

enim conferendae erunt regulae de auctoritate, ejuſque gradibus: (§. CXXXVI. *ſeqq.*) in *morali* vel *politica* conſilia & rei circumſtantiae comparanda, & pro hypotheſi ponendum, poſitis hujuſmodi conſiliis & circumſtantiis, talem ſequi ſolere eventum. (§. CXLII.)

§. CLXXX.

Cur alii in veritatibus certis, alii in probabilibus inveniendis feliciores ſint?

Vel maxime tamen in invenienda veritate probabili, *ingenio*; quemadmodum in reperienda certa, *judicio* opus eſt. Et hinc non mirum eſt, alios in veritatibus probabilibus, alios in certis inveniendis eſſe feliciores.

SECT. II.

DE MODO, VERITATEM PER INTERPRETATIONEM INVESTIGANDI.

§. CLXXXI.

An legendi ſint libri?

NOn modo autem meditando reperitur veritas, verum eadem etiam ex aliorum libris eruitur (§. CLX.) Equidem ſi ita ageretur cum humano genere, ut rerum omnium cauſſas & naturam ipſi inveſtigare poſſemus: magna librorum mole aequo animo careremus. Jam quum nec occaſio ſit, omnia experiundi, & vitae brevitas vetet nos ſpes inchoare longas: in *ſubſidium* omnino adhibenda, quae ab aliis de rebus ad varias ſcientias pertinentibus ſcripta ſunt (*).

(*) Hinc facile patet, quid ſentiendum de iis, qui vel omnem librorum lectionem adſpernati commendarunt bibliothecam πρίβιβλον, libros puta *naturae*, *ſcripturae*, & *conſcientiae*, vel pauciſſima tantum legenda eſſe, monuerunt.

§. CLXXXII.

Qui libri legendi?

Quum itaque legendi ſint libri de rebus ad varias ſcientias pertinentibus, ſcripti: (§. CLXXXI.) conſequens eſt, ut abſtinendum ſit a libris, qui 1. vel ad vitia irritanda comparati, (M. §. CCLXXX.) vel 2. ad augendam ſcientiam noſtram minus idonei ſunt. 3. Ut ne libros quidem, mentem honeſta voluptate demulcentes, alio fine evolvere debeamus, quam ut verum inde fructum capiamus (*).

(*) Hoc conſilio legendi ſunt *libri hiſtorici*, *comoediae*, *ſatyrici poetae*, *libelli eriſtici*, *ephemerides eruditorum*, & ſimiles. Non cortici hic inhaerendum, ſed nucleus quaerendus, alioquin in vanam curioſitatem, id eſt, in voluptatem, evadet hoc legentis ſtudium. Praeclara quaedam hanc in rem monita dedit PLUTARCH. *in libello de audiendis poetis* Tom. II, Opp.

§. CLXXXIII.

§. CLXXXIII.

Quum deinde ſcientiae cauſſa legendi ſint libri: (§. CLXXXIII.) 2. conſequens eſt, 3. ut & media, librum cum fructu legendi, adhibenda ſint, qualia omnino ſunt 4. notitia vitae, doctrinae, ſectae auctoris, 5. ejuſdem inſtitutum, quod vel ex praefatione vel ex hiſtoria litteraria diſcimus, 6. accurata libri partitio, 7. doctrinarum principalium ab illuſtrantibus diſcrimen, 8. ſubſidiorum, quae ad explicanda difficiliora loca faciunt, uſus, & 9. quod praecipuum eſt, meditatio de qualitate & veritate doctrinarum accuratior (*). Quomodo?

(*) Niſi enim haec lectioni adjungatur, multae quidem lectionis homo fortaſſis dici poterit, at non parum occupabitur praejudicatis opinionibus. Quin adſueſiet homo ceptonibus conſuendis, nec facile ad bonam frugem perveniet. Confuſionem enim parit lectio promiſcua, cui meditatio non accedit. Vid. SENECA *Epiſt. II.*

§. CLXXXIV.

Quumque memoria ſit labilis, vel ſaltim cum aetate decreſcat (*), omnino 10. conſultum eſt, ea, quae meditando bona deprehendiſti, in adverſaria referre, & futuris uſibus ſeponere. An excerpendum?

(*) Equidem *memoria* ſenibus tribuitur: ſed rerum, quae antea contigerunt. (*M.* §. LXV). Quod ad cetera attinet, oblivioſi ſunt, & eorum maxime, quae legerunt, audiverunt, dixerunt, parum memores.

§. CLXXXV.

Quaeris tu, qua potiſſimum excerpendi methodo utendum ſit? Ego vero te ea de re nolim ſollicitum eſſe. Nemo ſane ſollicitus eſt de certa methodo, opes & theſauros commode reponendi. Ratio ipſa tibi dictitabit, optimam eſſe excerpendi methodum, quae nec nimis operoſa eſt, & res excerptas, quaerenti illas, facile exhibet. Perinde ergo erit, ſive res notatu digniores ſub certos titulos referas, eorumque conficias indicem, ſive eas margini alicujus ſyſtematis adſcribas (*). Quomodo?

(*) Ea excerpendi methodus vel ideo commodiſſima eſt, quia ſic & res, ad diverſas diſciplinas pertinentes, ſeparantur, & non opus eſt novo indice, quum vel index ipſi ſyſtemati ſubjunctus, locum, ad quem adſcripſiſti obſervationes ſingulas, facile oſtenſurus ſit.

§. CLXXXVI.

Ceterum ipſa ſuadebit prudentia, loca auctorum, unde ſingula delibaſti, diligenter notanda eſſe. Si libros ipſe poſſides, & loca ſunt prolixiora, recte facies, ſi eorum tantum ſententiam breviter expreſſeris. Sin breviora ſunt, & ea vel ex codice aliquo MSCto, vel ex libro rariore, & non ubivis obvio depromſiſti, integra omnino deſcribenda erunt, ſi facere volueris operae pretium. Quaedam circa adverſaria obſervanda.

§. CLXXXVII.

§. CLXXXVII.

Libros legentibus opus eſt regulis hermeneuticis.

Quum denique libros cum fructu lecturus praecipue adhibere debeat ſubſidia, quibus ad intelligenda loca difficiliora opus eſt: (§. CLXXXIII, 8). eo in primis pertinent regulae de probabilitate HERMENEUTICA, quarum genuinum fundamentum jam ſupra attigimus: (§. CXXXIII.)

§. CLXXXVIII.

Quid interpretatio.

Eſt enim interpretatio eorum, quae ab auctore vel brevius, vel obſcurius, vel negligentius dicta ſunt, probabilis & veroſimilis explicatio.

§. CLXXXIX.

Ejus finis.

Itaque finis interpretationis eſt, ſenſum auctoris divinando adſequi, quem ipſe verbis non ſatis expreſſit. Quum enim ſigna cogitationum ſint verba, ſive ore prolata, ſive ſcripta: contingere poteſt, ut ſigna haec non ſufficiant rei deſignandae, ſive obſcuritas ſit 1. in ſcripturae forma deformi, ſive 2. in adbreviationibus vulgo minus notis, ſive 3. in ſphalmatibus ſcribarum vel typographorum, ſive 4. in defectu vel vitio interpunctionum, ſive 5. in verbis obſoletis, novis, peregrinis, aequivocis, abruptis, ſuperfluis, perplexis, ſive 6. in ſententiis contradictoriis, & quae paullo difficilius in concordiam revocantur (*).

(*) Singulas has obſcuritatis cauſſas accurate, ut ſolet, recenſuit, atque exemplis illuſtravit THOMAS. *in Praxi Log. Cap. III.* §. *XXXVI - LI.* quem & in ſequentibus paſſim non ſine ratione ſequemur.

§. CXC.

Regula I. de adfectu & fine ſcribentis.

Quum itaque hic in ſignis explicandis verſemur, (§. CLXXXIX.) ſigna autem ad auctorum adfectum & finem comparata eſſe oporteat: (§. CXXXIII.) conſequens eſt, 1. ut verba interpretanda ſint, ſecundum ſtatum, adfectum, hypotheſes auctoris, qui ſcripſit. Ut enim duo, quum faciunt idem, non eſt idem, ita duo, quando idem loquuntur, non idem ſemper ſentiunt. (*)

(*) Ita nemo dubitat, immortalitatem animae aliud ſignificare *Pythagoreis* & *Platonicis*, aliud *Stoicis*, aliud *Chriſtianis*. Nec negandum, quamvis BEN. SPINOZA quaedam de attributis Dei non male dixiſſe videatur, ea tamen aliter omnino accipienda eſſe, ac ſi a Chriſtianis ſcriptoribus prolata eſſent.

§. CXCI.

Regula II. de propoſitionibus.

Quumque, qui loquitur, animi ſui ſententiam explicare conetur, idque fieri non poſſit ſine propoſitionibus, ſequitur ſane; 2. ut ipſum ſaepe praedicatum ſignificationem ſubjecti; ſubjectum notionem praedicati indicet (*).

(*) *Talia* enim *ſunt ſubjecta, qualia permittuntur eſſe a ſuis praedicatis; talia praedicata, qualia eſſe permittuntur a ſuis ſubjectis.* Hinc ſi *cancro* quis mortuus di-

citur, plane aliud erit cancer ille, quam quem Titius ſumma cum voluptate comediſſe dicitur.

§. CXCII.

Et de ἅπαξ λεγομένοις.

Id quod etiam in vocabulis obſoletis, rarioribus ἅπαξ λεγομένοις interpretandis uſum egregium praeſtat (*).

(*) Ita BOCHARTUS, JOB. LUDOLPHUS & alii ex praedicatis quae *Leviathani* & *Behemotho* tribuuntur a Jobo, collegerunt, per illum *crocodilum*, per hunc *hippopotamum* intelligi.

§. CXCIII.

Regula III. de antecedentibus & conſequentibus.

Quum vero ſubjectum ſaepe in antecedentibus latitet, praedicatum in ſubſequentibus accuratius explicetur: conſequens eſt, 3. ut interpres antecedentia & conſequentia ſemper in conſilium adhibere, nec unquam textum, ſi fieri poteſt, extra contextum conſiderare debeat.

(*) Hinc vel maxime commendare ICti ſolent comparationem textuum unius ejuſdemque veteris jurisconſulti, ex eodem libro depromptorum, ex quorum nexu ſaepe perſpicuus fit locus, in ſe obſcuriſſimus. Vid. HENRICI BRENKMANNI, & BERN. HENR. REINOLDI *Diſſ. & Orat. de legum Inſcriptionibus*, nec non JAC. LABITTI *Uſum indicis Pandect.* ubi rem exemplis illuſtravit. Id quod & JAC. CUJACIUS, JAC. GOTHOFREDUS, & hic quidem cum in aliis opuſculis ſuis, tum in luculento *Commentario in regulas juris & Commentariis in Codicem Theodoſianum* praeclare praeſtiterunt. In exegeſi ſacra uſum hujus regulae erudite oſtendit WOLFG. FRANZIUS *de Interpretatione*.

§. CXCIV.

Regula IV. de locis parallelis.

Aliquando auctor doctrinam in aliis quoque locis expoſuit, & tunc ſaepe, quod uno loco obſcurius dixit, altero multo dilucidius expreſſit. Ex quo patet, 4. loca auctorum parallela, quae vocant, diligenter eſſe conferenda, ex iiſque genuinam eorum ſententiam eruendam, modo iſta loca ſibi non manifeſto contradicant. (*)

[*] Id quod vel ſtudio & data opera facit auctor, ubi ſententiam ſuam curis ſecundis emendat, cujus rei exemplum praebent AUGUSTINI *libri Retractationum*, vel ex imprudentia, & inadvertentia animi. Quales ſane contradictiones frequentius occurrunt paſſim quam credas.

§. CXCV.

Reg. V. & VI. de diverſis unius auctoris ſententiis.

Si conſtet, data opera ſententiam mutaſſe ſcriptorem, tunc 5. poſterior ſententia anteferenda eſt priori, id quod tamen 6. in pactis vel ideo non ſemper obtinet, quia homini non ſemper libera conſilii mutandi facultas eſt (*).

[*] Aut ergo pactum poſterius *inter eaſdem perſonas* initum eſt, aut *cum diverſis*. Si *inter eaſdem*: poſterius omnino tollit prius, quia potuere paciſcentes ſententiam mutare. Sin *cum diverſis*: prius pactum excludit poſterius, quia priori paciſcenti jus quaeſitum per novum pactum adimi non potuit. Exem-

 ple

plo eſſe poſſunt *ſponſalia bina* cum diverſis feminis inita, item *litterae inveſtiturae* veteres & novae inter ſe diſcrepantes.

§. CXCVI.

Et de contradictione auctoris.

Sin inconſulto & ex inadvertentia auctor in contradictionem incidiſſe videatur, (quod tamen, ſi ulla conciliandi ratio ſuperſit, credere nos non patitur ſpes, de hominum diligentia concepta, ceſſat interpretis officium, ac potius, utra ſententia rectae rationis principiis magis conſentanea ſit, ſecundum regulas logices diſpiciendum eſt (*).

[*] Unde facile patet, quid ſentiendum ſit de quaeſtionibus: *an in jure dentur antinomiae? quomodo illae conciliandae? An injuria fiat juris collectoribus, ſi illis humani quid accidiſſe dicas?* & ſimilibus. Longa enim haec fabula eſt.

§. CXCVII.

Reg. VII. & VIII. de effectu.

Nonnunquam tamen conciliandi aliqua ratio ſupereſt. Et tunc inſignem utilitatem praeſtabunt regulae: 7. in dubio is ſenſus eligendus, qui vel nihil abſurditatis habet, vel 8. efficit, ut res aliquem effectum ſortiatur (*).

[*] Non enim probabile eſt, quidquam dicturum ſcripturumve hominem ideo, ut ſermo vel ſcriptura effectum non habeat, niſi perſpicue adpareat, loquentem aut ſcribentem vel data opera jocatum, vel emotae mentis fuiſſe. Hinc quum a militibus praeſidiariis Euboeae deditio ea lege fieret, ut capita ipſis ſalva eſſent, perabſurda erat Turcarum cavillatio, dum dedititios medios diſſecabant, ſic capita ſalva fore, in re ſeria nugantes.

§. CXCVIII.

Reg. IX. & X. de abſurdo vitando & ſyſtemate auctoris.

Quando itaque eum ſenſum eligendum eſſe dicimus, ex quo nihil abſurdi ſequatur: (§. CXCVII, 7.) illud non modo intelligendum eſt de abſurditate *abſolute*, ſed & *ex hypotheſi* tali (*). Ex quo ſequitur, 9. ut verba ita interpretanda ſint, ne qui ſanae mentis fuit, aliquid contra ſenſum communem dixiſſe videatur. 10. Ut interpretationem conſentaneam eſſe oporteat ſyſtemati auctoris (**).

[*] Saepe tamen, ubi temeritas & dolus acceſſit, verba abſurda in poenam, vel tamquam abſurda accipiuntur, donec contrarium probatum ſit, vel pro non ſcriptis habentur. Prioris exempla paſſim occurrunt in delictis injuriarum & blaſphemiae. Vid. BEYERI *Delin. jur. crimin. ad Art. CVI.* §. *XXIV.* p. 172. *edit. nov.* Poſterius praecipue fit in conditionibus impoſſibilibus, turpibus, perplexis, quae ultimis voluntatibus adjectae deprehenduntur. L. 1. L. 14. *L. 20. pr. L. 27. D. de cond. inſt. L. 45. D. de hered. inſt.*

(**) Ita pleraque SPINOZAE dicta aliud quid ſonare, ſi ſeparatim audiantur, aliud, ſi cum toto ejus ſyſtemate comparentur, jam ſupra obſervavimus. Et haec eſt illa *analogia fidei*, quam Theologi in interpretandis libris ſacris; *analogia juris*, quam JCti in interpretandis legibus commendant. Alia exempla dedit THOMAS. *Prax. log.* Cap. *III.* §. LXXXII.

§. CXCIX.

Reg. I.

Ita procedendum omnino, ſi contradictio quaedam legentes tor-

torqueat. (§. CXXV. * *ſeqq.*) Sin ejuſmodi contradictio non obſervetur, & verba tamen paullo obſcuria appareant: primum firmiter tenendum, 11. verba tamdiu in genuina & propria notione accipienda eſſe, quamdiu inde diſcedendi nulla neceſſitas eſt (*). Si autem ſic obſcuritas tolli nequeat, 12. ad *conjecturas* confugiendum eſſe, in quibus inveniendis permultum facit ἡ εὐστοχία ſeu ingenii ſelicitas.

de ſignificatione verborum, & XII. de conjecturis.

(*) Id eſt, quamdiu inde vel abſurdum non ſequitur, vel repugnantia cum ſyſtemate & analogia auctoris manifeſto non obſervatur. Hinc facile patet, & eos errare, qui miracula fingunt, ubi id textus non urget, e. g. qui praefracte contendunt, Chriſtum a daemone Matth. IV, 8. per aëra raptum: & eos, qui omnia miracula, vel tamquam phaenomena naturalia, vel tamquam ſomnia & viſiones, vel per allegorias interpretanda eſſe contendunt. Syſtemati enim ſacro & analogiae fidei non repugnare miracula, ſatis adparet ex *Act. II*, 22. *IV*, 30. & locis quamplurimis.

§. CC.

Conjecturae petuntur aut ex SUBSTRATA MATERIA, & tunc obſervanda ea, quae ſupra (§. CXCI.) diximus, aut ex CONJUNCTIS, veluti antecedentibus, conſequentibus, & parallelis, de quibus itidem jam ſupra (CXCIII. *ſeq.*) actum, aut ex FINE, qui auctori ob oculos verſatus eſt.

Unde conjecturae petendae?

§. CCI.

Finis hic in *legibus* & *pactis* vocatur RATIO LEGIS vel PACTI, & hinc adeo praetermitti non poteſt, ut recte potiùs dicere ſoleant JCti, 13. *rationem legis animam ejus eſſe*. Id quod etiam de pactorum interpretatione veriſſimum eſt (*).

Reg. XIII de inveſtiganda ratione legis, vel pacti.

(*) Ratio enim eſt finis. Fini conſentanea debent eſſe media. Ergo ex fine omnino judicandum, qualia media eſſe oporteat. Defendimus hoc JCtorum axioma in *Praefatione*, *Elementis juris ſecundum ordinem Pandectarum* praemiſſa, adverſus PAGANINUM GAUDENTIUM. Hinc *in univerſum ceſſante fine, media etiam ceſſare oportet.* In legibus id manifeſtum. Nam ſi legislator ob peſtis vel alterius luis periculum peregrinos admitti vetat: nemo dubitat, quin ceſſante illo infectionis periculo, peregrini rurſus admittendi ſint. At diximus: *fine in univerſum ceſſante.* Nam ſi ceſſat uno alterove caſu, lex ideo non exoleſcit, quia fertur de eo, quod ut plurimum in rebus humanis contingit. *L.* 3. *L.* 4. *ſeqq. D. de legib.* Hinc e. g. quamvis aliquando impubes ante pilos ſapiat: non ideo magis tamen is teſtari poterit, quam reliqui ejuſdem aetatis adoleſcentes. Vid. HUBER. *Poſit. ad Pand. Libr. I. Tit. III.* §. *XIV.*

§. CCII.

Quum itaque ratio legum vel pactorum eorundem veluti anima ſit: (§. CCI.) conſequens eſt, 14. ut interpretatio eorum in DECLARATIVAM, RESTRICTIVAM & EXTENSIVAM recte diſpeſcatur.

XIV. Reg. de interpretatione reſtrictiva, declarativa,

extenſiva.

§. CCIII.

Quomodo haec differant? Ubi enim ratio verbis patet latius, ibi EXTENSIVAM; ubi verba ratione latiora ſunt, RESTRICTIVAM; denique, ubi verba & ratio pari paſſu ambulant, DECLARATIVAM interpretationem adhibendam eſſe, facile patet.

(*) Eo pertinet regula, quae tam frequenter jactatur: *ubi eadem ratio, ibi eadem juris diſpoſitio eſt*. Sed ea ad jus tantum commune pertinet, non ad privilegia, de quibus conſtat, quod ad exemplum non trahantur, *L.* 1. §. 2. *D. de conſtit. princip.*

§. CCIV.

Reg. XV. de aequitate. Quumque, ubi verba pactorum vel legum ratione latius patent, *reſtrictivae* interpretationi locus ſit: (§. CCIII.) facile patet, 15. in dubio ſemper propenſiores non eſſe oportere in partem rectae rationi, virtuti, benignitati, humanitati vel maxime convenientem. Quae ipſa eſt AEQUITAS illa, quam omnes in ore habent, pauci norunt (*).

[*] Aequitas eſt *virtus correctrix ejus, in quo lex propter univerſalitatem deficit*, GROT. *de aequ. indulg. & facilit. Cap. I.* §. III. Fundamenta hujus correctionis ſunt *recta ratio, virtus, benignitas, humanitas*, quae quales ſint, ex principiis genuinae philoſophiae, & maxime moralis, ſatis notum eſt. Si quis ergo nubem pro Junone, id eſt, *ſtupiditatem* pro recta ratione; *vitium* pro virtute; nimiam *indulgentiam* & *conniventiam* pro benignitate & humanitate amplectitur, hiſque falſis principiis interpretationem ſuam attemperat: naſcitur inde AEQUITAS CEREBRINA, de qua etiam fuſe diſſeruit THOMAS. *in Diſſ. de aequitate cerebrina L.* 2. *C. de reſcindenda vendit. Cap. I.*

§. CCV.

Reg. XVI de ſenſu benigniore praeferendo. Quum ergo in benignitatem propenſior ſit aequitas: (§. CCIV.) facile patet, 16. in dubio eligendum eſſe ſenſum legis benigniorem, eoque referri poſſe pleraque, quae de interpretatione ODIOSORUM & FAVORABILIUM monuerunt GROTIUS, PUFENDORFFIUS, & JCti tantum non omnes (*).

[*] Nemo ignorat, eam regulam impugnaſſe primum THOMASIUM *in Praxi log. Cap. III.* §. *CXVI. ſeqq.* quumque vir doctus VINC. PLACCIUS ejus patrocinium ſuſcepiſſet, exarſiſſe illud certamen, cujus hiſtoriam ex ipſis ſcriptis amoebaeis, *Inſtitutionibus Jurisprudentiae divinae* poſt *Librum* II. *p. m.* 372. *ſeqq.* inſertis, facile intelliges. Nimirum dari non poſſe definitiones *favorabilium* & *odioſorum* accuratas, vel inde patet, quod quae odioſa aliis ſunt, aliis favorabilia videntur. Sed vix opus eſt regula hac, adplicatu certe difficillima, ſi regulam, hoc aphoriſmo datam, rite intelligamus.

§. CCVI.

Regulae de interpretatio- Sunt hae praecipuae de interpretatione regulae, quibus ad eruendum genuinum auctoris ſenſum utimur. De interpretatione MYSTICA non eſt, quod multa addamus. Nimirum 1. certos nos

eſſe

eſſe oportet, auctorem id intendiſſe, ut arcanius quid his verbis exprimeret (*). 2. Certo conſtare debet, phyſicumne, an hiſtoricum, an morale, an propheticum iſtud ſit myſterium, quod ſub littera latitat (**). Tunc, 3. qui myſterium iſtud divinando ita invenit, ut illud litterae per omnia accurate quadret, is probabiliter (***) ſenſum auctoris myſticum cenſebitur adſequūtus. ne myſtica.

(*) Sic e. g. in caſſum laborant, qui diſputant acriter, quid arcani in Homeri *Iliade* & Odyſſea latitet, niſi prius liquidum ſit, arcani quid ſub iſtis poëmatibus occultari.

(**) Hinc fruſtra de explicatione myſtica poëmatum Homeri, metamorphoſeon Ovidii, cenotaphii notiſſimi Aeliae Laeliae Criſpidis, ſimiliumque laborabis, niſi exploratum prius ſit, phyſica, hiſtorica an moralia myſteria in iis quaerenda ſint.

(***) *Probabiliter* dicimus. Res enim plerumque ad conjecturas, quin aliquando ad ingenii luſus redit, niſi pruritum ejuſmodi interpretationes venandi prudenter intra rationis limites cohibeamus. Cenotaphium Aeliae Laeliae Criſpidis paullo ante memoratum exemplo eſſe poteſt luculentiſſimo. Utinam autem in his ludicris & nihili rebus ſubſiſteret ingenium humanum! Utinam non ſacra etiam temeraret, fingeretque myſteria, quorum veſtigia in ſacris libris non exſtant?

§. CCVII.

Sed haec de interpretatione *logica* ſufficiant. *Grammatica* enim aliis nititur fundamentis, & ab aliis jam ſatis accurate tradita eſt, ut quidquam hic addere minus neceſſarium eſſe videatur (*). De interpretatione grammatica.

(*) In primis hic multa obſervavit JO. CLERICUS *in Arte critica*, quamvis & ſint in libro, quibus non ſubſcripſerim. Diſſentire in his licet, quemadmodum idem licuit citato auctori. *Hanc libertatem petimuſque damuſque viciſſim.*

SECT. III.

DE RATIONE, VERITATEM PER DISPUTATIONEM INVESTIGANDI.

§. CCVIII.

AD inveſtigandam veritatem comparatae etiam ſunt DISPUTATIONES, quamvis ſaepe, non tam rei, quam hominum, vitio contingat, ut veritas diſputando amittatur (*). An diſputationibus veritas inveniatur?

[*] Tribuendum id partim diſputantium adfectibus, φιλονεικίᾳ, cavillandi ſtudio, pertinaciae, partim neglectae methodo. Quemadmodum enim ob illa vitia diſputationes in rixas & digladiationes ſophiſticas; ita ob neglectum ordinem in vagos ſermones, vel declamationes potius ineptas, id eſt, in calcem ſine arena, & Andabatarum pugnas degenerant.

§. CCIX.

Quid diſputatio, & quis ejus finis? DISPUTATIO eſt duarum ſententiarum, contradictorie ſibi oppoſitarum (*), id eſt, theſeos & antitheſeos, accurata & per juſtas ratiocinationes facta comparatio. Ex qua definitione ſtatim patet, finem diſputantium eſſe non oportere vanum gloriolae cujuſdam aucupium, ſed veritatis inveſtigationem.

(*) Cur contradictorias propoſitiones defendere debeant diſputantes: non obſcurum eſt. Niſi enim hoc fiet, contingere poterit, ut vel uterque defendat theſes omnino veriſſimas, adeoque Andabatarum more pugnet. [§. LXXII.]

§. CCX.

In ea quid cavendum? Quum itaque diſputatio ad inveſtigandam veritatem comparata eſſe debeat (§. CCIX.): facile patet, 1. ex illa exſulare oportere odia, fraudes, ſtratagemata, convicia, ſophiſmata, & ſcurriles invectivas, quibus alter alterum ludibrio exponere ſtudet. Qui enim his armis inſtructi in arenam prodeunt, dum ſe invicem petunt, ipſam veritatem confodiunt, & inter manus veluti ſtrangulant.

§. CCXI.

Status controverſiae formatio. Deinde, quum diſputatio theſin & antitheſin inter ſe comparet, & quidem contradictorie oppoſitas: (§. CCIX.) conſequens eſt, 2. ut RESPONDENTIS ſit, theſin proponere, quae examini ſubjicienda ſit, OPPONENTIUM autem, eidem opponere antitheſin contradictoriam. 3. Ut, ſi quid obſcuritatis inſit theſi, ea a *reſpondente* alterius rogatu explicanda, & ne in λογομαχίαν incidant diſputantes, ambiguitas hoc modo candide tollenda ſit. 4. Ut *opponentis* ſit, non modo theſin indicare, quam impugnare decreverit, ſed & ſi paullo prolixior illa videatur, accurate definire, quid in illa impugnare velit. Et haec eſt illa STATUS QUAESTIONIS FORMATIO, quae primam diſputationis partem merito conſtituit (*)

[*] Sine ea nihil fructuoſum e diſputatione expectandum. Semper enim diſputantes a chorda aberrabunt, & alteruter eorum, ubi alia via evadere non poteſt, dilabetur ad id, de quo non eſt quaeſtio. Sane, quod in lite forenſi bene inſtructa eſt *litis conteſtatio ſpecialis*, ſeu reſponſio ad partes libelli ſingulas categorica; id in diſputatione eſt *ſtatus quaeſtionis*, *ſeu controverſiae formatio* Ex utraque enim, qua de re diſputatio ſit futura, ſtatim elucet.

§. CCXII.

Ea quomodo fiat? Status quaeſtionis ita formatur, ut diſtincte oſtendat opponens, de quibus propoſitionibus non futura controverſia, & quae demum illa ſit, de qua quaeſtio inter diſputantes agitanda ſit in poſterum (*).

(*) E. g.

[*] E. g. ſingamus, theſin a reſpondente propoſitam: *pignus eſt contractus re initus, bonae fidei, quo res a debitore creditori in ſecuritatem crediti traditur, ſoluto debito in ſpecie reſtituenda.* Una quidem haec theſis eſt, quippe definitio: ſed plures alias propoſitiones complexa. Quamobrem, qui eam impugnaturus eſt, oſtendere debebit, de quibus propoſitionibus non futura ſit controverſia, & quam in ſpecie ipſe ſub incudem revocaturus ſit, e. g. ſe 1. *non negare, pignus eſſe contractum,* multo minus, 2. *eum contractum eſſe bonae fidei.* Concedere ſe etiam, 3. *pignus tradi poſſe,* & 4. ſi tradatur, *id fieri in ſecuritatem crediti.* Denique 5. extra litem eſſe, *pignus traditum ſoluto debito reſtituendum eſſe.* Unam ſupereſſe quaeſtionem, de qua jam agendum ſit, nempe *an pignus omni ſit contractus re initus?* Adfirmari hoc a reſpondente in theſi, ſibi vero veriorem videri antitheſin: *quoddam pignus non eſſe contractum re initum.* Jam unuſquiſque videt, hic Rhodum, hic ſaltandum eſſe.

§. CCXIII.

Jam, quum porro diſputatio ſit comparatio theſeos & antitheſeos accurata, & per juſtas ratiocinationes facta: (§. CCIX.) conſequens eſt, 5. ut jam *opponentis* officium ſit, theſin reſpondentis tali ſyllogiſmo (*) impugnare, cujus concluſio ſit ipſa antitheſis in formatione ſtatus controverſiae propoſita (**). Quale argumentum opponendum?

[*] Magis alii commendant methodum Socraticam, quae per quaeſtiones procedebat, (*H.* §. XLIX.) Sed praeterquam quod illa jam pridem obſolevit, & non paucioribus ſophiſtarum abuſibus patet, quam methodus hodierna: odium artis ſyllogiſticae redolet hoc conſilium, quum tamen illa non tam ars, quam mentis operatio ſit, (§. LXXV.) Et quid, quaeſo, intereſt, ſive Socratice quaeras, ſive ſyllogiſtice ratiocineris? Et quum hoc brevius, expeditius, quin & magis perſpicue fieri poſſit, cur non hoc potius faceres? Exemplum cape hanc diſputationem de theſi: *mens eſt ſpiritus.* Finge, SAPIENTEM interrogare, reſpondere AUDITOREM. S. *An concedes, obſecro, mentem cogitare?* A. *Quidni, o vir ſapientiſſime.* S. *An putas, id, quod cogitat, ſimile eſſe lapidi, ligno, auro, argento, an alii cuidam materiae?* A. *Immo nulli.* S. *Sed vide, ne erres. Num tu fieri non poſſe exiſtimas, ut materia quaedam cogitet? Multa efficit materia magnetis, pulveris pyrii, phoſphori, quae itidem fortaſſis fieri poſſe negares, niſi te ſenſus convincerent. Quid ergo eſt, cur magis impoſſibile putes, materiam cogitare, quam magnetem attrahere ferrum, pulverem pyrium ſaxa rumpere, phoſphorum in tenebris lucere?* A. *Id video, magis impoſſibile eſſe, cogitare materiam, quam illa fieri, quae in magnete, pulvere pyrio, phoſphoro obſervamus, quamvis, me rationem non videre, fatear.* S. *Periculum, age, faciamus, an ita rem ad liquidum perducere liceat. Quae effecta in materia miramur, an non ex certa diſpoſitione, forma & quantitate materiae explicari poſſe intelligis?* A. *Intelligo.* S. *Nonne ergo magnetem putas attrahere ferrum, quia ejus atmoſphaera ferrum ambit, & illud tanquam vortice ſuo ad magnetem rapit, vel ex alia ſimili cauſſa? Nonne manifeſto vides, pulveris pyrii particulas inflammatas ita ſe expandere, ut globum cum fragore protrudant? Nonne intelligis, phoſphori quoque lucem non aliunde, quam ex ejus materiae diſpoſitione, explicari poſſe?* A. *Ita videtur.* S. *An vero cenſes etiam, materiam diſponi poſſe, ut cogitet? Finge in hoc lignum quamcumque quantitatem, figuram, duritiem, mollitiem, gravitatem, levitatem, quin qualitatem quamlibet, introduci, an cogitabit unquam?* A. *Immo nunquam vero.*

S. Vi-

S. Vides itaque, materiam non cogitare? A. Immo video. S. Quid ergo cogitat, ſi id non agit materia? A. Id quod materia non eſt, quodque ſpiritum vocare ſolet humanum genus. S. Quid ergo ſupereſt, quam ut mentem noſtram dicamus ſpiritum? A. Immo, talem eſſe mentem, jam non opinari, ſed ſcire mihi videor. En diſputationem Socraticam. Sed quam paucis ſyllogiſmis comprehendi poſſunt illae interrogatiunculae?

(**) Et hinc pueriles ſunt illae concluſiones, ad quas, tamquam ad ſacram anchoram, confugiunt opponentes parum exercitati: *qui hoc ſtatuit, is male agit, is peccat contra analogiam juris, is abſurde ſentit, cet.* Potius ſi opponens velit impugnare theſin ſupra (§. CCXII*). propoſitam, formato ſtatu controverſiae, ita ratiocinabitur:

Qui contractus obligat ex ſolo conſenſu, is non eſt contractus re initus.
Quidam contractus pignoris obligat ex ſolo conſenſu,
Quidam ergo contractus pignoris non eſt contractus re initus.

Hic concluſio ipſam continet antitheſin, theſi contradictoriam.

§. CCXIV.

Argumentum adſumendum.

Ex eodem ſequitur, ut 6. *reſpondentem* jam oporteat opponentis argumentum adſumere vel repetere, (*) quod ut facilius fiat, non decet opponentem condere ſyllogiſmos prolixos, & quos vel robuſtiſſimus agricola, vix ſine laterum dolore recitare poſſit. Quo breviora ſunt tela, eo fortius iis pugnatur cominus.

(*) Quod non oſtentandae memoriae cauſſa repertum, ſed ut adpareat, reſpondentem opponentis argumentum ſatis intellexiſſe. Et ſane, qui id intellexit, is admodum infans eſſet, niſi illud vel iiſdem, vel aliis verbis idem ſignificantibus poſſet repetere.

§. CCXV.

Ejus forma examinanda.

Jam *reſpondens* 7. in primis diſpicere debet, num forte ſyllogiſmi *forma* vitio quodam laboret, quamvis diſputantes ea in re hodie plerumque ſint negligentiſſimi. Et tamen neglecto formae vitio ad materiam reſpondere velle, eſt laterem lavare, & magno conatu maximas nugas agere (*).

(*) Multis exemplis ſolide id demonſtravit philoſophus accuratus, CORNEL. MARTINI *Analyſ. logic. Part. I. Cap. V. ſeqq.* Hinc veteres male ſolverunt argumentum MELISSI: *ſi ens generatur, habet principium. Sed non generatur, non ergo habet principium.* Quum enim reſpondere debuiſſent ad formam, ex regulis ſupra propoſitis: [§. LXXXVIII, 3] ipſi in materia fruſtra haeſerunt.

§. CCXVI.

Quae propoſitio neganda?

Ubi nihil in forma vitii haeret, in alterutra praemiſſarum latitabit aliquid, quod falſum ſit, ſi falſus eſt opponentis ſyllogiſmus. Et hinc 8. *reſpondens* negare debebit eam propoſitionem, vel, ſi nondum, quo tendat opponens, intelligit, ejus probationem exigere.

§. CCXVII.

Quomodo ea ab-

Hic verò jam in vagam declamationem exſpatiari ſolet opponens,

uens, vel plerumque idem per idem *μετὰ πολλῆς φαντασίας* probare nititur. Sed male agit *reſpondens*, ſi in ea re adquieſcat. Potius jure quodam ſuo urgebit, 9. ut *opponens* propoſitionem negatam formaliter probet (*). opponente probanda?

(*) E. g. in ſyllogiſmo ſupra [§. CCXIII.] propoſito neganda eſſet minor. Jam male ageret opponens, ſi loco probationis in locum communem excurreret, & prolixe doceret, promiſſa omnia jure naturae eſſe ſervanda, diſtinctionem inter contractus reales, verbales, litterales, conſenſuales, ad ſubtilitates juris Romani pertinere, idque a viris doctis jam pridem eſſe demonſtratum. Rectius minorem ſuam ita breviter probabit: *in quo contractu ex ſolo promiſſo actio datur ad rem tradendam, in eo obligatio ex ſolo conſenſu naſcitur. In quodam contractu pignoris actio ex ſolo promiſſo datur ad rem tradendam. Quidam ergo contractus pignoris ex ſolo conſenſu naſcetur.*

§. CCXVIII.

Si ne ſic quidem in proſyllogiſmo omnia recte ſe habent: vel 10. vitium ſtatim indicandum, vel 11. nova probatio alterutrius praemiſſae exigenda, idque 12. tamdiu faciendum erit, donec jam ad fundamentum perveneris, quod opponens ſententiae ſuae ſubſtravit (*). An probatio & quousque perſequenda?

(*) Sic in praecedente proſyllogiſmo [§. CCXVII.] reſpondens minorem denuo jure negabit. Et hinc opponens eam probabit e. g. ex *L.* 1. *pr.* §. 1. *D. de pignoratit. act.* Et inde argumentabitur: 1. *Si pignus contrahitur nuda conventione citra traditionem, actio dabitur ex ſolo promiſſo ad rem tradendam. At contrahitur nuda conventione citra traditionem per L.* 1. *pr. D. de pignorat. act. Actio ergo tunc dabitur ex ſolo promiſſo.* 2. *Si qui aurum oſtendens aes creditori dedit, ad aurum tradendum conveniri poteſt, ſequitur, ut ex ſolo promiſſo citra traditionem naſcatur actio illa pignoratitia. At prius verum eſt per L.* 1. §. 1. *D. eod. Ergo & poſterius.* Ita ſane jam perventum eo, ut reſpondens totum opponentis fundamentum perſpicue intelligat, adeoque nihil ſupereſt, quam ut reſponſione ſua argumentum ſolvat.

§. CCXIX.

Ubi fundamentum opponentis per probationes ejus in aprico eſt: jam ad *reſpondentem* res redit, cujus jam officium erit, 13. argumentum ſolvere, & propoſitionem aliquam ſive in proſyllogiſmis (*), ſive in argumento primario negare. Ad quid reſpondendum?

[*] Proſyllogiſmi enim continent fundamenta, quibus opponentis argumentum innititur. [§. CCXVIII.] Subrutis fundamentis, omne, quod iis ſuperſtructum, corruat, neceſſe eſt.

§. CCXX.

Reſpondendum autem formaliter, idque fit vel 14. per CONCESSIONEM, ſi jam adparet, opponentis argumentum non eſſe contra theſin, vel 15. per INSTANTIAM, ſi adducto caſu con- Quomodo reſpondeat?

tur per conceſſionem, inſtantiam, inverſionem? trario oſtenditur, propoſitionem aliquam non eſſe univerſaliter veram (*), vel 16. per INVERSIONEM, ſi oſtenditur, ex illa propoſitione plane theſin ſuam fluere (**), vel 17. per DISTINCTIONEM & limitationem.

[*] E. g. ſi opponens uſus eſſet argumento inepto: *nullus contractus realis eſt bonae fidei. Contractus pignoris eſt bonae fidei*, [per definitionem]. *Nullus ergo contractus pignoris eſt realis*: res ipſa docet, reſpondendum eſſe, negando majorem, eam enim non eſſe univerſalem. Facile id doceri poſſe *per inſtantiam*. *Commodatum* enim & *depoſitum* eſſe contractus reales, & tamen bonae fidei. Ita inter omnes conſtare, contractus innominatos re iniri. Et tamen b. f. eſſe permutationem & contractum aeſtimatorium, §. 28. *Inſt. de act. L.* 2. *D. de permut.*

[**] Finge hoc argumento uſum opponentem: *quod leges ipſae contractibus conſenſualibus accenſent, id ad contractus conſenſuales omnino referendum eſt. Pignus leges contractibus conſenſualibus accenſent*, [L. 1. *pr. D. de pignorat.*]. *Eſt ergo pignus ad contractus conſenſuales referendum*. Reſponderi poterit per *inverſionem* vel *retorſionem*: quod leges ipſae contractibus realibus accenſent: id ad contractus reales referendum eſt. Pignus leges ipſae contractibus realibus accenſent, [§. 4. *Inſt. quib. mod. re contr. obl.*]. Eſt ergo ad contractus reales referendum.

§. CCXXI.

Quomodo diſtinguendo & limitando? Ubi *diſtinctione* utitur reſpondens, 18. ea breviter explicanda, adplicandaque erit, eoque facto limitandum ex ea argumentum, quod iſta diſtinctione infringere cupit (*).

[*] Sic e. g. ad minorem proſyllogiſmi primi [§. CCXVIII. *] reſpondendum erit *diſtinguendo* inter pignus, *latius* & *ſtricte* acceptum. *Late* acceptum ſignificat omne jus, creditori in re debitoris conſtitutum, adeoque & hypothecam comprehendit, quae a pignore hoc ſenſu tantum nominis ſenſu differre dicitur, *L.* 5. §. 1. *D. de pign.* At *ſtricte* pignus eſt, jus in re, ab hypotheca diverſum, & quod per traditionem demum naſcitur, *L.* 238. §. 2. *D. de verb. ſign.* Jam verum quidem eſt, pignus priore ſenſu etiam contrahi nuda conventione, puta per pactum hypothecae. At poſteriore ſenſu, qui hic obtinet, nuda conventio non ſufficit, ſed requiritur traditio. Hinc limitandus erit opponentis proſyllogiſmus: *Si pignus* [ſtricte dictum, quatenus hypothecae opponitur,] *nuda conventione citra traditionem conſtituitur, actio dabitur ex ſolo promiſſo. At pignus* [ſtricte dictum, & quatenus hypothecae opponitur,] *nuda conventione conſtituitur*. Sic nego minorem.

§. CCXXII.

Nec reſpondendum vaga declamatione, vel probatione theſeos. Nihil ergo agunt reſpondentes, qui non uno horum modorum reſpondendi utuntur, ſed vel vaga declamatione ſatisfacere conantur opponenti, vel loco reſponſionis in probationem theſeos ſuae excurrunt. Quare quemadmodum illi opponentem, extra oleas vagantem, & ſermoni vago laxantem habenas, ſuo jure monere poſſunt, ut formaliter opponat: ita & ipſi declamaturi recte urgentur, ut reſpondeant formaliter (*).

(*) Unde

[*] Unde omnino utiles ſunt opponendis interrogationes: *ad quam propoſitionem reſpondes? Concediſne illam, an negas? an diſtinguis? cet.*

§. CCXXIII.

Et huc uſque alter diſputandi actus pertingit. Jam in tertio 19. opponens replicat, ſi quid habet, quo reſpondentis ſolutionem infringere poſſit. — Replicatio opponentis.

§. CCXXIV.

Et quidem 20. ſi *reſpondens* totum argumentum *conceſſit*, oſtendendum erit, argumentum omnino vel mediate, vel immediate, theſi contradicere. Sin 21. per *inſtantiam* reſponſum: probandum erit, vel caſus in contrarium adductos ad propoſitionem ſuam non pertinere, vel loco inſtantiae ipſum τὸ κρινόμενον ſibi obtrudi. — Quomodo id fiat, ſi reſponſum concedendo vel per inſtantiam?

§. CCXXV.

Similiter, ſi per *inverſionem* reſponſum 22. opponentis erit oſtendere, ex propoſitione ſua theſin reſpondentis minime fluere. Ac denique 23. ſi ille *diſtinctione* uſus fuerit, probare, vel fundamento deſtitui illam diſtinctionem, vel eam argumento ſuo adplicari non poſſe. — Quomodo, ſi per inverſionem, vel diſtinctionem?

§. CCXXVI.

Replicationem hanc jam 24. iterum formaliter ſolvit reſpondens, idque 25. tamdiu fit, donec alteruter, quod cum ratione (*) obvertat, non habeat. — Duplicatio reſpondentis.

[*] Cum ratione, dico. Nam qui φιλονεικίας ſtudio diſputant, ſemper habere ſe ſimulant, quod obverti poſſit, quamvis auditores, neutrarum partium, facile animadvertant, utri diſputantium aqua haereat, vel uter plane ad incitas redactus ſit.

§. CCXXVII.

Ubi hae leges diſputandi utrimque accurate obſervantur, fieri profecto non poteſt, quin vel opponens demum in probatione deficiat, vel reſpondens ad concedenda contradictoria, vel abſurda etiam, invitus adigatur (*). Quo facto, non amplius obſcurum erit, ex utra parte ſtet veritas. — Unde de eventu diſputationis judicandum?

[*] Exempla inſignia praebent colloquia bina, unum *Ratisbonenſe* inter Hungerum, Tannerum, Gretſerum ex una: & Hunnium ejuſque ſocios ex altera parte habitum: alterum Hemelſchenburgenſe inter theologum incomparabilem, Ge. Calixtum & Jeſuitam Hildeſienſem inſtitutum. In *priore* enim Jeſuitae eo adacti ſunt, ut implicarent ſe contradictoriis: *pontifex ſummus, quando ex cathedra definiendo ſententiam fert, numquam poteſt errare, &: ſummus pontifex aliquando, ex cathedra definiendo ſententiam ferens, erravit*, Item: *Caiphas fuit ſummus pontifex illius anni, quo Chriſtum condemnavit, &: Caiphas illius anni pontifex ſummus non fuit.* Vid. CORN. MARTIN. *Analyſ. log. part. II. Cap. III. p. 239. ſeqq.* In poſteriore Calixtus formaliter opponendo ita in anguſtias redegit Jeſuitam, ut contraria ſimul vera eſſe, non obſcure prae ſe ferret.

§. CCXXVIII.

Cur de praeſidis officio nihil dictum?

De PRAESIDIS officio nihil adhuc diximus. Eſt enim haec perſona acceſſoria, cujus officium eſt, feroces juvenes, & extra orbitam evagantes, in viam revocare. Oportet ergo illum virum accurate doctum ac prudentem eſſe. Si talis non eſt, fruſtra illi praeſcribentur regulae, quas, ſi vel maxime vellet, obſervare non poſſet.

§. CCXXIX.

Methodus analytica.

Et haec ipſa eſt vera METHODUS ANALYTICA, cui in dijudicanda veritate locum eſſe diximus (§. CLXII.*) Eſt enim illa *meditatio, qua concluſiones ad ſua principia, vel phaenomena ad ſuas hypotheſes, tamquam ad Lydium lapidem, examinamus.*

§. CCXXX.

Qualis ſit analyſis demonſtrationis?

Ergo quod ad demonſtrationem dijudicandam attinet, in eo vertitur tota analyſis, ut propoſitiones in ſua ſubjecta & praedicata ſolvamus, ratiocinationes ſecundum formam & materiam; definitiones ſecundum ſenſiones, ſenſiones per experientiam examinemus. Ita enim facile adparebit, an tota demonſtrationis ſeries ſe recte habeat, & ſi male demonſtratum, in qua parte iſtius catenae latitet vitium.

§. CCXXXI.

Analyſis hypotheſeos.

Eodem modo, in dijudicanda veritate probabili, diſpiciendum erit, primum an omnia phaenomena adducta ſint, deinde an illa omnia ex hypotheſi data commode poſſint explicari, ac denique, an non alia in promptu ſit hypotheſis commodior, ex qua illa phaenomena minore negotio fluere videantur?

Sect. IV.

DE RATIONE, VERITATEM PERSPICUE PROPONENDI.

§. CCXXXII.

Connexio.

DEnique eum quoque fructum nos ex logica capere oportet, ut veritatem inventam cum aliis eo ordine eaque methodo communicemus, ut hi de ea ſe convictos eſſe fateantur. (§.CLX.)

§. CCXXXIII.

Quibus modis veritas cum aliis com-

Id fit vel DOCENDO viva voce, vel SCRIBENDO. Utrumque pulcrum, & viro ſapiente dignum eſt. Sed, qui ipſi nondum veritatem adſequuti ſunt, nec quomodo cum ſuis principiis connectenda ſit, perſpexerunt, ii rectius ſibi aliiſque conſulerent, ſi

illi

illi docendi ſcribendique pruritum tantiſper cohiberent, dum aetas, diuturna meditatio, & uſus, cruda ſtudia ad juſtam maturitatem provexiſſent.

municetur?

§. CCXXXIV.

Docentium officium.

DOCENTIBUS duo potiſſimum incumbunt, 1. ut auditoribus non ſolum doctrinas ſuas, ſed & earum nexum inter ſe perſpicue ob oculos ponant, 2. ut eoſdem de illarum veritate ita convincant, ne de iis cum ratione dubitare poſſint.

§. CCXXXV.

Quomodo doctrinae perſpicue proponendae?

Quum itaque doctrinae perſpicue ſint explicandae: (§. CCXXXIV.) id commodiſſime obtinebit docens, ſi 1. accuratas rerum definitiones dederit, & quo pacto per illas res ab aliis diſcernendae ſint, oſtenderit, 2. ſi vocabula τεχνικὰ accurate explicaverit (*), & 3. quaecumque tradit, exemplis aptiſſimis, jucundis & perſpicuis illuſtrarit, denique, 4. an auditores omnia ſatis perceperint, data occaſione, inſtituto examine, explorarit.

[*] Quum enim haec vocabula auditoribus plerumque incognita ſint, & hinc vel maxime confuſio oriatur, ſi ea aliter, ac docens velit, accipiant; omnino docentis erit, eam confuſionem pro virili evitare. Hoc pleroſque docentes fugit, aut ii ſaltim infra dignitatem ſuam fore putant, ſi in his minimis verſentur. Sed minima putanda non ſunt, ſine quibus majora non conſtant. Non puduit magnos theologos, fateri, *theologiam magna ex parte eſſe grammaticam:* & quo quaeſo cum fructu docebit JCtus, niſi vocabula artis, e. g. *ſatisdatio, conſtitutum, uſusfructus, uſus, habitatio, moram purgare,* & ſexcenta alia tironibus cum cura explicarit?

§. CCXXXVI.

Quae perſpicuitatem hanc impediant?

Ex eo perſpicue adparet, 5. male docere, qui dictando in calamum auditores defatigant, qui 6. ad ſingulas doctrinas totas auctorum turmas conſcribunt (*), quorum vix nomina recte excipiunt tirones, tantum abeſt, ut eos evolvere, vel illorum placita dijudicare poſſint, qui denique 7. variis digreſſionibus, doctis illis quidem, at parum ad rem facientibus, auditorum animos demulcent, & ita corvos deludunt hiantes.

[*] Quamvis provectioribus haud parum utilitatis adferat optimorum librorum notitia: dici tamen non poteſt, quantum detrimenti tirones ſentiant ex hoc teſtes citandi cacoëthe. Ita enim fit, 1. ut auditores rem ipſam non teneant, ſed 2. ſe ſatis tamen eruditos exiſtiment, ſi tantam ſibi ſcriptorum notitiam adquiſiverint. Praeterea 3. ſaepe hi ſcriptores pugnantia tradunt, adeoque 4. tiro, diſciplinae ipſius ignarus, centones conſuere, omniaque ſine judicio corradere paullatim adſueſcet. Denique 5. ita non ipſae diſciplinae docentur, ſed hiſtoria litteraria, quae ſane omnem eruditionis ambitum non abſolvit. Sed tale eſt ſaeculum, ut & maxime rudes his phaleris ſuperbiant, & hoc apparatu, aliis ſublecto, magnum dent ſtrepitum.

§. CCXXXVII.

Quomodo doctrinarum nexus oſtendi poſſit?

Quumque earumdem doctrinarum nexus a docentibus perſpicue ſit oſtendendus: (§. CCXXXIV.) conſequens eſt, 8. ut tale eligendum ſit compendium, in quo doctrinae omnes, poſitionibus breviſſimis comprehenſae ad ſua principia revocantur. 9. Ut ſemper inculcandum ſit auditoribus, quomodo ſingulae doctrinae vel cum axiomate, vel cum definitione cohaereant. 10. Ut danda docenti ſit opera, ne ex diverſis principiis doceat (*).

[*] Hoc iis contingere ſolet, qui, ubi ſe praelectionibus praeparant, modo hoc, modo illud *ſyſtema* evolvunt, ſuaque arva ex his lacunis irrigant, parum ſolliciti, eademne ſint illorum auctorum principia, an diverſa & pugnantia.

§. CCXXXVIII.

Quomodo auditores convincendi?

Quia porro docentis eſt, auditores doctrinarum ſuarum veritate convincere: (§. CCXXXIV.) per ſe patet, 11. docentem non auctoritate (*), ſed rationibus niti, adeoque 12. doctrinas, quas inculcat, aut accurate demonſtrare, aut, 13. ſi in probabili veritate verſetur, eam ex hypotheſi perſpicua explicare debere.

[*] Dubitari quidem non poteſt, quin quaedam diſciplinae auctoritatibus nitantur, veluti *hiſtoria*: ſed non deſunt ſexcenta compendia, in quibus illae jam adductae ſunt. Itaque hiſtoria ipſa docenda, & ſicubi auctores coaevi vel recentiores in circumſtantiis diſcrepant, in veritatem ſecundum fundamenta probabilitatis hiſtoricae [§. CXXXIV. *ſeqq.*] inquirendum. De citatione legum in docenda juriſprudentia ſententiam noſtram aperuimus in *praefatione Elementorum juris ſecundum ord. Pandect.*

§. CCXXXIX.

An & aliorum ſententiae refellendae?

Si quis ex me quaereret, 14. an docens aliorum diſſentientium ſententias examinare debeat? diſtinguerem ego inter *tirones* & *provectiores*. Illos controverſiis difficilioribus fatigare abſonum eſt. His ſcrupuli etiam, ab aliis injecti, omnino eximendi ſunt. Id quod fiet cum fructu auditorum, ſi primum ſententiam diſſentientium candide expoſueris, deinde eorum argumenta recenſueris ſine fuco, ac demum ea ex principiis tuis (*) perſpicue ſolveris.

[*] Ex tuis dico. Eſt enim hoc argumentum veritatis eximium, ſi non modo tuae doctrinae firmiſſimo nexu cohaerent, ſed & aliorum dubia ex iis dextre ſolvuntur. Qui in arithmetica arte periculum faciunt, an recte ſubtraxerint, illi id per additionem explorant. Qui, an bene multiplicarint, ſcire cupiunt, diviſione utuntur. Ita veritatis ſignum luculentum eſt, ſi falſitas inde refelli poteſt perſpicue.

§. CCXL.

Virtutes docentis.

Ceterum ipſe docentis finis ſuadet, 15. omnem adhibendam eſſe fidem. 16. vitandam prolixitatem nimiam, 17. auditores, qui ſcru-

pulos

pulos ſibi eximi petunt, amanter eſſe audiendos, 18. eoſdem à voluptate & petulantia, quantum fieri poteſt, ad virtutem revocandos.

§. CCXLI.

An & novaturire docentem deceat?

Sunt, qui & ſaeculo ſerviendum, & nova quammaxime docenda eſſe ſuadent (*). Sed quemadmodum non ſemper antiqua novis praeferenda: ita nec nova ſemper antiquis meliora ſunt. Quum ergo vitae, non ſcholae, diſcendum ſit: conſequens eſt 19. ut nihil innovandum ſit, ubi id veritatis ſtudium non exigit. 20. Ut nec innovandum aliquid temere, ubi ex nova doctrina non major, quam ex vetere, utilitas adfulget, multo minus, 21. ubi non ſperandum, novam doctrinam in praxi aliquid emolumenti eſſe adlaturam.

[*] Eſt hoc aucupium, quo novelli doctores juvenes alliciunt, ſimiles illis rhetoribus apud PETRON. *in Satyr.* qui jam pridem eorum arcanum evulgavit: *adoleſcens, quoniam ſermonem habes non publici ſaporis, &, quod rariſſimum eſt, amas bonam mentem: non fraudabo te arte ſecreta. Nimirum in his exercitationibus doctores peccant, qui neceſſe habent, cum inſanientibus furere. Nam niſi dixerint, quae adoleſcentuli probent, ut ait Cicero, ſoli in ſcholis relinquentur. Sicuti ficti adulatores, cum coenas ditium captant, nihil prius meditantur, quam quod putant gratiſſimum auditoribus fore, [nec enim aliter impetrabunt, quod petunt, niſi quaſdam inſidias auribus fecerint,] ſic magiſter, niſi tanquam piſcator eam impoſuerit hamis eſcam, quam ſcierit appetituros eſſe piſciculos, ſine ſpe praedae moratur in ſcopulo.*

§. CCXLII.

An antiquos errores defendere?

Id quod tamen non in eam partem accipiendum eſt, ac ſi inveteratos errores indicare & refellere, nefas eſſet: ſed quod omnia ſine neceſſitate innovantes promiſcue, parum conſulant diſcentibus.

§. CCXLIII.

Dotes docentis.

Multum docendi onus ſublevabunt 22. ordo non interruptus, 23. eloquentia nativa, a loquacitate probe diſcernenda, & 25. ſtilus perſpicuus, amoenus, & philoſophicus magis, quam declamatorius (*).

[*] Quia enim diverſi ſunt docentium & declamantium fines, illique audientes *convincere*; hi vel aliquid *perſuadere*, vel eloquentiae *famam captare*, vel denique auditorium *oblectare* cupiunt: nihil minus docentes decet, quam concionari, declamare, & aures magis demulcere, quam intellectum inſtruere.

§. CCXLIV.

Cur ad ſingulas diſciplinas deſcendere non liceat?

Haec generalia docendi praecepta ſunt. Quae ſpeciatim in ſingulis diſciplinis obſervari oporteat, eos, qui ipſi eam diſciplinam probe didicerunt, facile docebit uſus & illa judicandi facultas, quae in doctore primum, ſecundum, ultimum eſt.

§. CCXLV.

§. CCXLV.

Libros ſcribendi praecepta tradere difficile.

De SCRIBENDIS libris praecepta plurima accumulare ſupervacuum foret, partim, quia methodus arbitraria eſt, partim quia ſingulae fere diſciplinae aliquid ſingulare habent. Quum itaque ad ſpecialia deſcendere infiniti res laboris eſſet: generalia tantum conſectabimur.

§. CCXLVI.

Praecipua ſcriptionum genera.

Qui aliquid, quod ad veritatis cognitionem pertinet, ſcribunt; ii aut HISTORICE quid *referunt*; aut DISCIPLINAM ejuſque partem *proponunt*, aut aliquid EXPLICANT, aut denique aliorum ERRORES REFUTARE conantur (*).

[*] Hinc non curamus hic libellos *ſatyricos*, *poemata*, *comoedias*, *tragoedias*, *fabulas Romanenſes*, & hujus generis alia, quorum praecepta alibi quaerenda.

§. CCXLVII.

Hiſtoria quotupliciter ſcribi poſſit?

HISTORIAS qui ſcribunt, eas vel ad certa *ſumma capita* referunt, vel totam ejus ſeriem *ordine chronologico* connectunt. Poſterius & utilius, & ordini naturali convenientius eſſe, unuſquiſque videt, maxime quum ita facilius conſiliorum & eventuum nexus in oculos incurrat, & ſic hiſtoria vere fiat pragmatica, ac ab illis λεπτολογίαις, queis vulgus hiſtoricorum delectatur, perpurgata. Sed prior methodus eo frequentior, quo pauciores hiſtorici in chronologica arte ultra SCHRADERI *tabellas* ſapiunt.

§. CCXLVIII.

Regulae in ſcribenda hiſtoria obſervandae.

Nihil vero ab hiſtorici officio alienius eſt, quam fingere, quae nemo memoriae prodidit, judicia interponere, perſonarum charactêres magis ex ſuo ingenio, quam ſecundum rei veritatem, inſerere, orationes nunquam habitas comminiſci, adfectus movere, res denique mediocres exaggerare pro lubitu. Sunt ſcilicet hae egregiae artes, quibus VARILLASIUS, MAIMBURGIUS & alii hujus furfuris ſcriptores ludibrio humani generis ſe expoſuerunt (*).

[*] Conferenda hic omnino, quae de ſtilo hiſtorico commentati ſumus in *Fundamentis ſtili cultioris, Part. I. Cap. II.* §. *LVII.*

§. CCXLIX.

Quomodo veritates certae proponendae dogmatice?

Qui vel DISCIPLINAM vel ejus partem, veluti doctrinam aliquam ſpecialem, vel veritatem demonſtrabilem, proponere cupiunt, quam optime procedent, ſi exorſi a principiis, iiſque probe munitis, ad concluſiones eo ordine progredientur, ut poſteriora ex prioribus & lucem & robur accipiant. Unde reliquis omnibus praeferenda *methodus mathematica*, vel quae ad illam quam proxime accedit (*).

(*) Nec

[*] Nec tamen opus eſt, ut ſemper more mathematicorum ſingulas propoſitiones his nominibus adpelles, niſi id ita ſponte facere velis. Sufficit, ſi ipſum ordinem, quantum licet, accurate obſerves.

§. CCL.

Si veritates probabiles fuerint proponendae, recte initium capies ab hiſtoria phaenomenorum, iiſque recenſitis, addes aliorum hypotheſes, ac his denique expenſis, indicatiſque, quae illas premunt, difficultatibus, tuam propones, eamque phaenomenis omnibus ſatisfacere, oſtendes. Quomodo veritates probabiles?

§. CCLI.

Non ergo elegantioribus placere poterunt methodi, quibus olim magnopere delectabantur homines, veluti SCHOLASTICA, quae *ſyllogiſtice & formaliter* omnia proponit, methodus CAUSSARUM, quam Ramiſtae potiſſimum probabant, EROTEMATICA, quae pueris magis & tironibus, quam doctis, prodeſt, ac denique MISCELLA, quae omnia ſine ordine, prout calamum ſubeunt, effundit (*). Methodi ſcholaſtica, cauſſarum, erotematica, miſcella.

[*] Quid vero de *dialogiſtica methodo* ſentiendum, qua veteres philoſophi, Plato, Xenophon, Aeſchines, Cicero, mirifice delectabantur? Eam aliquando prudenter adhiberi, jam in *Fundamentis ſtili cultioris*, *Part. II. Cap. III.* §. I. monuimus.

§. CCLII.

EXEGETICA ubi tractare accurate volueris, *ſcopus* textus ex occaſione illi ſcribendo data, & hiſtoria, nec non ex antecedentibus & conſequentibus accurate eruendus, *textus ipſe*, an recte ſe habeat, ſecundum regulas critices diſpiciendum, tum porro in partes ſuas *ſolvendus*, parteſque ſingulae ſecundum regulas de probabilitate hermeneutica (§. CCXLI. *ſequ.*) *interpretandae*, ac denique *poriſmata* ſeu *conſectaria*, dogmatica aeque ac elenchtica, inde eruenda erunt. Quomodo exegetica ſcribenda?

§. CCLIII.

Qui denique aliorum ſcripta refellere conantur, iis primo omnium incumbit, ut, propoſita theſi & antitheſi, & utriuſque oſtenſo diſcrimine, πρῶτον ψεῦδος, ſeu principium illud falſum, quod auctori illudit, profligent (*). Eo enim profligato, concluſiones illi ſuperſtructas brevibus ſtricturis confodere licebit, & oſtendere, illas vel cum ipſo auctoris principio connecti non poſſe, vel ex πρώτῳ ψεύδει fluere, vel aliis veritatibus, ab ipſo auctore agnitis, repugnare. Quomodo elenchtica?

[*] Illud plerumque latet in definitionibus & axiomatibus inde male deductis, & hinc iſtae, quam accuratiſſime cum ſenſionibus comparandae & expendae.

pendendae ſunt. Quid ſi auctor non niſi diſſolutis vendat? Tunc vero nihil ſupereſt, quam ut ratiocinationes illius ſecundum regulas logicas examinemus, earumque abſurditatem in lucem protrahamus.

§. CCLIV.

An hoc ſcribendi genere utendum?

Ad hujus generis ſcripta non temere ſe accingent homines ſapientes, & tranquillitatis ſuae ſtudioſi, niſi vel officii ratio, vel eorum fama, vel veritatis ſtudium id exigat. Nec, ſi quid hujus generis ſcribendum, ruent in convicia, ſcommata, & calumnias, ſed veritatem gravi oratione defendent, aliorum ſcommata, calumnias, aut contemnent, aut ſolide refutabunt, denique nimium petulantes, aut convictos ignorantiae in ruborem dant, aut plus ſaltem ſalis, quam fellis, iis adſpergunt.

§. CCLV.

Quo ſtilo ſcribendum?

In omnibus his ſcriptis qualem ſtilum adhiberi oporteat, alibi docuimus (*). Jam addimus, textum ineptis & minus neceſſariis auctorum citationibus non eſſe interrumpendum, digreſſiones, ad rem non pertinentes, quam maxime fugiendas, adeoque nec ſectandum genus ſcribendi per aphoriſmos, quorum vocabulis ſingulis magna adnotationum farrago ſubjicitur, quamvis haec in compendiis ſcribendis laudem mereantur, ſi talia ſint ſcholia, qualia illa eſſe oportere, ſupra monuimus, (§. LXIV.)

[*] Conferenda & hic *Fundamenta ſtili cultioris*, *Part. I. Cap. II. §. LVI.*

§. CCLVI.

Concluſio logices.

Et haec quidem in praeſenti ſufficiant. Pauca ſunt quae diximus: at quae pro ſaeculi genio pleriſque jam nimis multa videbuntur. Nobis hanc operam navare viſum eſt diſciplinae pulcherrimae, quam neglectum ſui per omnem vitam ſeveriſſime vindicare, res ipſa docet, & magiſtra rerum, experientia.

ΑΛΗΘΕΥΕΙΝ ΕΝ ΑΓΑΠΗ.

ELE-

ELEMENTA
PHILOSOPHIÆ MORALIS.

CAPUT I.

DE PHILOSOPHIÆ MORALIS NATURA ET CONSTITUTIONE.

§. I.

Ethica pars philoſophiae practicae.

Quum philoſophia ſit cognitio non *veri* tantum, ſed & *boni*, (H. ʃ. I.) eaque illius pars, quae circa poſterius verſatur, *practica* adpelletur, (H. ʃ. VII.) haec denique in *ethicam*, *politicam* & *oeconomicam* dividatur: (H. ʃ. IX.) jam de ETHICA aliquid praecipere juvabit.

§. II.

Quid ſit?

Verſatur haec circa *bonum*, ejuſque fruitionem generatim (H. ʃ. IX.) adeoque definiri poteſt, quod ſit *cognitio boni*, *vel ſcientia*, *oſtendens rationem*, *ad ſummum bonum ejuſque fruitionem perveniendi*.

ʃ. III.

An certa ſit ſcientia?

Quum itaque ſit cognitio boni, (ʃ. II.) cognitio autem, quae certis principiis nititur, ſcientiam certam generet: (H. ʃ. II. *) & talia certa principia in ethica paſſim occurrant: conſequens eſt, ut & moralia cadant ſub demonſtrationem (*).

[*] Negat Ariſtoteles, & ipſe GROT. de Jure belli & pac. II. 23. § 1. ſed ei jam CONRINGIUS, PUFENDORFIUS, LOCKIUS ſatisfecerunt.

ʃ. IV.

Methodus eam docendi dogmati-

Quemadmodum autem circa *verum* intellectus; circa *bonum* voluntas magis occupata eſt: ita facile patet, philoſophiae moralis eſſe, voluntatem movere ac flectere ad bonum adpetendum. Quia autem

ea, paraenetica, paradigmatica, & characteriſtica.

autem voluntas movetur vel veris boni notionibus, vel argumentis, vel exemplis: hinc ethicam in DOGMATICAM, PARAENETICAM, PARADIGMATICAM & CHARACTERISTICAM (*) dividunt.

[*] *Dogmatica* ergo doctrinas de bono & malo connectit, atque in juſtum ſyſtema redigit: *paraenetica* adpetitum boni excitat ſententiis, admonitionibus, argumentis. *Illa* magis intellectum inſtruit; *haec* voluntatem fortius movet. *Exemplis* meliores reddere nos conatur *paradigmatica*, iiſdem homines diſcernere docet *characteriſtica*, & illa quidem *ſpecialibus*, haec *generalibus*, exempla unius generis ad certos characteres reducendo.

§. V.

Aliæ methodi.

Addunt alii methodum MYTHOLOGICAM, qua uſus Aeſopus, & AENIGMATICAM, HIEROGLYPHICAM & SYMBOLICAM, quarum hanc Pythagoras, illam Aegyptii, iſtam Orientales, & ipſi Hebraei in deliciis habuere (*). Sed hi docendi modi ideo reperti, quod homines non omnes veritatem libenter audiant ab hominibus paullo vilioris conditionis. Nota ſunt illa PHAEDRI ex *praef. Libr. III. v. 35.*

— *Servitus obnoxia,*
Quia, quae volebat, non audebat dicere,
Affectus proprios in fabellas tranſtulit,
Calumniamque fictis eluſit jocis.

[*] Adde de *hieroglyphica* methodo PIERII VALERIANI *Hieroglyphica*, de *ſymbolica* PAULLI PATRIS, *Arcana moralia ex Pythagorae ſymbolis*, de *aenigmatica* THOM. BURNETII *Archaeol. philoſ. p. 339.* de *mythologica* denique SALLUST. philoſophum *de Diis & mundo*, *Cap. IV. p. 247. ſequ. edit. Thom. Gale*, & MACROB. *in Somn. Scip. Libr. I. Cap. II.*

§. VI.

Ethicae differentia a jure naturae.

Quandoquidem porro ethica viam munit ad ſummum bonum, & conjunctam cum eo veram felicitatem: (§. II.) nemo amplius diſciplinam hanc cum JURE NATURAE, quod *bonum*, quatenus *juſtum*, *honeſtum*, *decorum* eſt, conſiderat, confundet (*).

[*] Et eam tamen confuſionem veteres, veluti ARISTOTELES in *Ethica*, & CICERO in *libris de officiis* vix evitarunt.

§. VII.

Nec non a politica & oeconomica.

Nec minus facile erit, ab ethica diſcernere POLITICAM & OECONOMICAM, quae, quid utile ſit vel *publice* vel *privatim*, diſquirunt.

§. VIII.

Quo ordine tradenda ethica?

Ex eadem definitione etiam patebit, quo ordine tradenda ſit philoſophia moralis. Quamvis enim ea de re ſollicite admodum diſputarint veteres (*): res ipſa tamen docet, totam rem explicari poſſe quam commodiſſime, ea methodo, ut *primum*, qualis ſit NA-

TURA

TURA HOMINIS ſummo bono nondum potiti, conſideremus: *deinde* de BONO, ad quod contendit, agamus: ac *denique* MEDIA, quibus ad illud conſequendum opus ſit, diſſeramus paullo accuratius.

[*] Veteres hic ſtricte inhaeſerunt methodo analyticae, quam, quum primus deſeruiſſet FRANC. PICCOLOMINEUS, a IAC. ZABARELLA ceu novator traductus eſt. Quod occaſionem dedit libello apologetico, qui *Comes politicus* inſcribitur. Vid. HORNES *Philoſ. mor. Libr.* I. *Cap.* II. §. *VII.* VINC. PLACCIUS philoſophiam moralem *methodo medicorum* tractandam ſtatuit, quem ſequutus JO. FRANC. BUDDEUS in *Philoſophia practica*, ubi ethicae veluti *phyſiologiam*, *pathologiam*, *hygienam*, *ſemioticam* & *therapeuticam*; iuri naturae & prudentiae ſtatus, veluti partem *diaeteticam* huius medicinae mentis vindicat. Sed methodus arbitraria eſt, eaque optima, quae ſimpliciſſima, & naturae diſciplinae quam maxime videtur conſentanea.

§. IX.

Denique, quam utilis ſit philoſophia moralis in vita civili & Chriſtiana (*), ex hac ipſa definitione facile colligitur. Ejus utilitas.

[*] Neque enim omnino nihili eſt, quod dictum a veteribus, in primis CLEM. ALEXANDR. *Strom. Libr.* I. *p.* 282. *προπαρασκευάζειν τὴν φιλοσοφίαν προοδοποιοῦσαν τὸν ὑπὸ Χριστοῦ τελειούμενον*, *praeparare philoſophiam*, *et viam muniat*, *qui a Chriſto perficiatur.* Demonſtravimus hoc in *Sylloq. opuſc. noſtr. Exerc. V. de philoſoph. ſemichriſtianis* §. I. & ante nos idem fecere VINC. PLACCIUS in libello *de praecipuo philoſophiae moralis fructu*, JO. FRANC. BUDD. *in Elem. philoſ. mor. Cap.* VI. §. LIV. *ſequ.*

CAPUT II.

DE NATURA HOMINIS MORALI.

* * *

SECT. I.

DE MENTE.

§. X.

HOmo, qui ad veram felicitatem perducendus eſt, non modo CORPUS circumfert, in longum, latum & profundum extenſum, ſed in ſe quoque ſentit aliquid, quod cogitet, & non modo res extra ſe poſitas per organa ſenſuum percipiat, & ab aliis diſtinguat, verum etiam ideas abſtractas ſibi formet, ſuarumque perceptionum ſibi conſcium ſit, eas inter ſe comparet, quin &, unitis cogni- Homo ſibi conſcius eſt ſubſtantiae in ſe cogitantis.

cognita veritate, alias inde eliciat, ac denique, quod bonum ſibi fore judicavit, ſive materiale illud, ſive immateriale ac incorporeum ſit, appetat, quod malum, averſetur.

§. XI.

Ejus partes eſſentiales.

Quae experientia ſatis nos convincit, hominem conſtare ex MENTE & CORPORE, id eſt, ex ſubſtantia cogitante, & altera in longum, latum, profundum extenſa. Quumque ſe invicem tamquam amicis utantur: utramque eſſe oportet partem eſſentialem, nec corpus habendum pro mentis ergaſtulo (*).

[*] Notandum hoc contra barbaros, Pythagoraeos, Socratem, Stoicos, qui vel corpus carcerem mentis eſſe ſomniabant, vel cauſſam ſaltim mali omnem imputabant corpori, [H. §. XXXVIII]. mentem ſolam hominis eſſentiam ingredi exiſtimantes. Quis vero carcerem amat? quis eo tamquam inſtrumento utitur?

§. XII.

Mentis immaterialitas.

Quumque *mens* cogitet, (§. XI.) cogitare autem ſit res percipere, ſuarumque perceptionum conſcientiam habere, ea vero adfectio in nullum corpus quantumvis ſubtile, cadat (*): eam ſane IMMATERIALEM, adeoque SPIRITUM, id eſt, ens ſimplex eſſe, recte colligimus.

[*] Quum enim corpus ſit ſubſtantia extenſa: omnes ejus adfectiones a partium figura, diſpoſitione, motu pendent. At quocumque modo tibi concipias vel figuram, vel diſpoſitionem, vel motum partium corporis, numquam concipies cogitationem; ergo corpus non cogitare, merito colligimus. Add. BAELII *Dictionnaire hiſtorique & critique*, ſub voce *Lucrece*.

§. XIII.

Et immortalitas.

Quia autem mens eſt ſpiritus, ſpiritus ens ſimplex, & ex nullis elementis compoſitum: (§. XII.) illa quoque diſſolvi ſua natura (*) non poteſt, ſed ſemper manet ſubſtantia cogitans, & ſuarum perceptionum ſibi conſcia (§. XI.) & hinc merito INDESTRUCTIBILIS & IMMORTALIS judicatur, quantumvis corpus diſſolvatur in ſuas partes.

[*] Deum autem velle mentem deſtruere vel in nihilum redigere, nullo nobis argumento innoteſcit.

§. XIV.

Dignitas mentis prae corpore.

Si porro mens immortalis eſt, corpus mortale, (§. XIII.) & utrumque tamen ad hominis eſſentiam pertinet: (§. XI.) multo praeſtantiorem mentem corpore, adeoque de vera ejus felicitate magis, quam de hujus conditione, cogitandum, nec tamen in hoc ſaeviendum eſſe, facile patet (*).

[*] Quare errant, qui cum Pythagoraeis, Socrate, Stoicis, corpus nimis deſpi-

deprimunt. [§. XI. *] nec minus tamen errant, qui illud cum Ariſtippo ipſi menti putant praeferendum, [*H.* §. *LXI.*] LAERT. II, 90.

§. XV.

Mens autem & res varias cognoſcit, & cognitas appetit vel averſatur. Eam ergo facultatem, qua res immateriales & abſtractas percipit, dijudicatque, & de iis ratiocinatur, vocamus INTELLECTUM: qua vero ideas rerum materialium olim perceptas retinet, revocat, componit, diſcernit, IMAGINATIONEM.

Eiuſdem facultates, ut intellectus & imaginatio.

§. XVI.

Eodem modo facultas mentis, quae bonum materiae expers appetit, malum averſatur, VOLUNTAS, quae in res materiales, quas bonas judicat, fertur, vel ab iis refugit, APPETITUS SENSITIVUS dicitur.

Item voluntas & appetitus ſenſitivus.

§. XVII.

Quum *intellectus* percipiat, judicet, ratiocinetur, & quidem de rebus immaterialibus & abſtractis, *imaginatio* de materialibus, hae autem ſenſus diverſimode adficere poſſint: conſequens eſt, ut *intellectus* apud omnes idem, *imaginatio* hominum diverſorum ſaepe diverſiſſima ſit (*).

Intellectus & imaginationis diverſa natura.

[*] Hinc omnes homines, modo ſana ratione utantur, concipiunt, *figuram includi non poſſe duabus lineis, virtutem eſſe honeſtam, corpus conſtare partibus*: at non omnes judicant, *hanc muſicam eſſe ſuavem, faciem illam eſſe formoſam, cibum iſtum eſſe ſaporis eximii.*

§. XVIII.

Quoties mens ratiocinatur de actionibus propriis, &, utrum legi conveniant nec ne, diſquirit (*), haec intellectus operatio adpellatur CONSCIENTIA.

Quid conſcientia?

[*] Eſt ergo conſcientia vere ſyllogiſmus, cujus in *majore* propoſitione *lex*, in *minore factum*, in concluſione *ſententia* occurrit. Hinc quo reſpectu *norma actionum, accuſatrix, teſtis, judex* vocari ſoleat, facile patet. Nec magis dubitari poterit, quin errorem ridiculum committant, qui cum ROLANDO & aliis conſcientiam pro terriculamento, plebi a clericis objecto, venditant.

§. XIX.

Quum ergo vel de *factis praeteritis* vel *de futuris* ratiocinatur: illo caſu conſcientia CONSEQUENS, hoc ANTECEDENS vocatur. Haec ſapientibus propria; illa ſapientibus cum ſtultis communis eſt.

Ea vel antecedens, vel conſequens.

§. XX.

Si quis deinde ita ratiocinatur, ut rem ad liquidum perducat, conſcientia CERTA; ſi ex hypotheſi aliquid infert, PROBABILIS;

Item vel certa, vel

probabilis, vel dubia.

BILIS; ſi denique vel in majore, vel minore propoſitione, aliquid dubii ſupereſt, DUBIA vel SCRUPULOSA audit, *contra quam nihil eſſe faciendum*, recte omnino monent ſapientes (*).

[*] Diſſentit hic vir acutiſſimus, GOTTL. GERH. TITIUS *Obſerv. XLV. ad* PUFENDORFII *Lib. I. Cap. I. §. XI. de Offic. hom. & civ. pag. 38.* Sed ejus argumentum ipſe facile diſſolvitur, quod is cui, dum aliquid agit, perinde eſt, ſive id a Deo permiſſum, ſive prohibitum ſit, aperte Deo inſultat, ejuſque legem pro nihilo reputat.

§. XXI.

Nec non vel recta, vel erronea: vel bona vel mala.

Sic &, prout quis vel recte, vel perperam de actionibus ſuis ratiocinatur, eatenus conſcientia vel RECTA dicetur, vel ERRONEA, quemadmodum & illa, quatenus concluſio vel abſolutoria, vel condemnatoria ex ratiocinatione emergit, (§. XVIII. *) modo BONA, modo MALA vocari ſolet (*).

[*] Cave ergo confundas conſcientiam RECTAM & BONAM. Poteſt enim aliquis *recte* ratiocinari, qui tamen *bona* conſcientia non gaudet, veluti Davides, Judas, Cainus. Nec etiam pro eadem habenda conſcientia BONA & TRANQUILLA, item MALA & MORSUS CONSCIENTIAE, quia & per erroneam conſcientiam, licet illa in ſe non mala ſit, tranquillitas illa turbari poteſt.

§. XXII.

Memoria, reminiſcentia, ingenium, judicium.

Quod ad IMAGINATIONEM attinet, quum illa ideas rerum materialium retineat, revocet, diſcernat, componat: (§. XV.) facultas quae illas retinet, nobis eſt MEMORIA; quae eaſdem revocat, REMINISCENTIA (*); quae diſcernit, JUDICIUM; quae denique componit, INGENIUM.

[*] Quum vero *reminiſcentia* aeque ac reliquae facultates, ex perceptionibus cerebro impreſſis oriatur, ceu paullo poſt (§. XXIV. *ſequ.*) demonſtrabimus; una revocata idea, & altera, cum hac conjuncta, ſolet recurrere; quae eſt illa ADSOCIATIO IDEARUM, ex qua varia phaenomena, quae in imaginatione humana obſervamus, explicari poſſunt.

§. XXIII.

Unde diverſa hominum indoles?

Et quamvis non temere reperiatur quiſquam, quin aliquam harum virtutum particulam a Deo optimo maximo acceperit: tamen quia diverſo gradu permixtae ſunt, & in aliis judicium, in aliis ingenium praedominatur: hinc diverſas quoque eſſe hominum INDOLES, nemo non animadvertit.

§. XXIV.

Unde cognitio oriatur?

Ceterum ex eo, quod imaginatio circa res *materiales*, intellectus circa *immateriales* verſatur, facile patet, *imaginationem* immediate; *intellectum* mediante abſtractione, ex SENSU oriri, & eatenus

tenus verum eſſe, quod veteres aiunt: *nihil eſſe in intellectu, quod non prius fuerit in ſenſu* (*).

(*) Quae ergo *de ideis innatis* diſputant Platonici, Carteſiani, & alii philoſophi, experientiae repugnant, eaſque, ſi quid video, accurate profligavit JO. LOCKIUS *de Intell. hum. Libr. I. Cap. II. III. IV.*

§. XXV.

SENSUS eſt corporum & affectionum, quae extra organum ſenſorium ſunt, perceptio, in organis ſenſoriis orta, & per nervos ad cerebrum, inde ad mentem derivata. Quid ſenſus?

§. XXVI.

Quumque ſenſio iſta fiat ope organorum ſenſoriorum, & eorum quinque reperiamus in corpore noſtro: totidem quoque erunt ſenſiones rerum externarum, GUSTUS, OLFACTUS, AUDITUS, VISUS, TACTUS. Quae tametſi non fallant, ſi requiſita ad ſentiendum omnia adſint: mens tamen parum attenta, & illis requiſitis deſtituta, facile fallitur. Quot ſenſus ſint?

§. XXVII.

Et hinc imaginatio facile incidit in morbos varios, veluti FATUITATEM, STULTITIAM, INSANIAM, FUROREM, ENTHUSIASMUM: quemadmodum & ſenſibus ſomno ſopitis, imaginationi varia SOMNIA illudunt. Morbi imaginationis.

§. XXVIII.

Haec de *intellectu* & *imaginatione*. VOLUNTAS eſt, qua bonum materiae expers appetimus, malum averſamur. (§. XVI.) Qualis facultatis quum nobis conſcii ſimus: contra ſenſum communem philoſophantur, qui eam exſtare praefracte negant (*). Voluntatis definitio.

(*) Fecit id BENED. SPINOZA *Epiſt. II. ad Oldemburg. pag. 399.* cujus πρῶτον ψεῦδος ex ejus ſyſtemate facile perſpicitur.

§. XXIX.

Ex quo ſimul inferimus, voluntatem in ſe eſſe liberam, eatenus, ut ſi in re quadam particulari cognovit boni & mali quiddam mixtum eſſe, ſe vel ad adpetendam illam, vel averſandam poſſit determinare (*). At in univerſum voluntas neceſſario appetit bonum, malumque averſatur. Plerumque illa etiam ſervit imaginationi, nec non pravis inclinationibus & adfectibus, niſi virtute vindice, ex iſta ſervitute eluctetur. Ejuſdem libertas.

[*] Non ergo hic nobis quaeſtio eſt de libertate arbitrii, vel viribus naturae humanae in rebus ſpiritualibus, quippe quae ad cathedram theologicam pertinet.

§. XXX.

Et actus varii.

Actus voluntatis ſunt varii. Aliquando enim illi in voluntate ſubſiſtunt, veluti VOLITIO, INTENTIO, ELECTIO, CONSENSUS, USUS, FRUITIO, qui vocantur actus ELICITI. Aliquando extra voluntatem tranſeunt in alias animi vel corporis facultates, & tunc IMPERATI adpellantur (*).

[*] Non alias autem facultates voluntatis imperio ſubjecit Deus, quam quibus dirigendis eſt idonea. Hinc voluntas poteſt imperare intellectui, ut rem accuratius contempletur, non autem, ut circulum ſibi concipiat quadratum. Ita & voluntas poteſt imperare brachio, ut ſe extendat, non autem ſanguini, ne circulum ſuum abſolvat, nec ſtomacho, ut concoquat cibum. Ex quo ſane Dei providentia inprimis elucet.

§. XXXI.

Nec non differentia ab appetitu ſenſitivo.

Quemadmodum vero *voluntas* in bonis & malis, quae omnis materiae expertia ſunt, verſatur: ita ADPETITUS adpetit vel averſatur res materiales, prout illae ſe imaginationi vel tamquam bonae, vel tamquam malae repraeſentant.

§. XXXII.

Quid adfectus?

Prout ergo vel voluntas, vel adpetitus a rebus externis diverſimode adficitur, diverſi quoque inde naſcuntur ADFECTUS, per quos intelligimus commotiones voluntatis vel adpetitus, ex repraeſentatione boni vel mali ortas, & cum motu ſanguinis & fluoris nervoſi extraordinario conjunctas (*).

[*] Quod enim ſanguis extra ordinem moveatur, ex coloris repentina mutatione; quod fluor nervoſus; ex geſtibus, motu, robore membrorum, cum adfectu quolibet conjunctis, adparet.

§. XXXIII.

Eorum gradus.

Quum itaque adfectus ſint commotiones: (§. XXXII.) ſequitur, ut ſuos habeant gradus, quos non male *propenſionem, conſenſum* & *impetum* vocaveris. In priore mens fere *paſſive*; in poſterioribus *active* ſe habet, adeoque his facilius, quam illis, reſiſtitur.

§. XXXIV.

Quomodo mens iis moveatur?

Et quia adfectus ex repraeſentatione boni & mali oriuntur; (§. XXXII.) voluntas autem naturaliter bonum adpetit, malumque averſatur: (§. XXIX.) dubitari ſane non poteſt, quin in adfectu mens ſemper a *malo* ad *bonum* moveatur, idque ſive verum, ſive adparens. Ita recte BUDDEUS in *Elem. philoſ. pract. II. 2. §. XXXV. ſeqq.*

§. XXXV.

Eorum

CAUSSA itaque adfectuum eſt repraeſentatio boni vel mali: EFFEC-

EFFECTUS autem commotio ſanguinis & ſpirituum animalium extraordinaria, (§. XXXII.) In quo ſtatu conſtitutus homo, nec intellectu ſatis utitur, nec imaginatione, (*) & ipſum corpus colore, geſtu, (**) membrorum poſitu, adfectum prodit. cauſſa & effectus.

[*] Unde non male veterum non nemo ſuaſit irato, ne quid ageret, prius quam alphabetum Graecum recitarit. Mora ſcilicet interponenda, nec temere quidquam agendum eſt, fervente adhuc adfectu.

[**] Quos geſtus LE BRUN, Gallus, iconibus chalcographicis eleganter expreſſit.

§. XXXVI.

Nec tamen ideo pro malis habendi ſunt adfectus, nec funditus exſtirpandi, quod Stoicis placuiſſe, novimus, (H. §. LXXXIII.) Quum enim nihil peccati habeat appetere bonum, & averſari malum: ſane nec adfectus, qui ex repraeſentatione boni vel mali oriuntur, (§. XXXII.) in ſe mali eſſe poſſunt. An adfectus in ſe mali?

§. XXXVII.

Ex eodem facile patet, quinam adfectus ſint primarii. *Appetitio* enim *boni* dicitur AMOR, *averſatio mali* ODIUM. Eorum claſſis prima.

§. XXXVIII.

Aut vero bonum illud vel malum *praeteritum* eſt, aut *praeſens*, aut *futurum*. Appetitio *boni praeteriti* vocatur DESIDERIUM; *praeſentis*, LAETITIA; *futuri*, SPES. Averſatio *mali praeteriti*, POENITENTIA; *praeſentis*, TRISTITIA; *futuri*, METUS dicitur. Secunda.

§. XXXIX.

Quumque qui bonum adpetit, de *mediis* illud conſequendi, retinendique; qui malum averſatur, de mediis illud a ſe amoliendi laboret: conſequens eſt, ut ſi *media bonum conſequendi retinendique facilia* cui videantur, FIDUCIA; ſi *difficilia*, DIFFIDENTIA; itemque, ſi *media averruncandi malum* ſe tanquam *facilia* repraeſentent, AUDACIA; ſin tanquam *difficilia* vel *impoſſibilia* plane, DESPERATIO inde naſcatur. Tertia.

§. XL.

BONUM omne verum, quamvis ſimul *jucundum*, ſimul *honeſtum*, ac *decorum*, ſimul *utile* ſit: plerumque tamen unus reſpectus prae altero magis adficit animum. Quod ſi ergo imminet bonum apparenter *jucundum*, VOLUPTAS (*) oritur: ſi bonum apparenter *honeſtum* vel *decorum*, AMBITIO; ſi denique, quod *utile* videtur, AVARITIA. Rurſus, quoties malum *honeſto* repugnare videtur, IRA; ſi *decoro*, PUDOR; ſi *jucundo* TAEDIUM; ſi denique *utilitati*, INVIDIA emergit. Quinta.

[*] Ea ſi in Venerem tendit, LASCIVIA: ſi in variarum rerum parum utilium cognitionem, CURIOSITAS; ſi denique in gulam, LUXURIA dici ſolet.

§. XLI.

Quinta.

Sunt & adfectus, qui e *bono maloque alteri contingente* exſiſtunt. Ex bono enim amici praeſente vel praeterito CONGRATULATIO; ex futuro FAVOR; ex malo amici praeſente praeterito vel futuro COMMISERATIO; ex bono porro, quod inimico obvenit, iterum INVIDIA; ex malo ei imminente IRRISIO vel ἐπιχαιρεκακία naſcitur.

§. XLII.

Sexta.

Nec raro plures adfectus inter ſe colliduntur aut jungunt phalanges. Sic ſi *amor* & *metus* concurrunt, ZELOTYPIA; ſin *invidia* & *ambitio*, AEMULATIO inde oritur.

§. XLIII.

Quando adfectus in mores abeant?

Qui adfectus omnes, ſaepius repetiti, facile in animo radices tam altas agunt, ut in habitum degenerent, quo caſu adfectus, qui olim veluti per vices recurrebant, in MORES degenerare ſolent.

Sect. II.

DE CORPORE.

§. XLIV.

Mentis & corporis nexus.

MEns non modo pure operatur, ſed & CORPORE, tamquam organo & inſtrumento, utitur, (§. XI.) & viciſſim a corpore varie adficitur. Id quod in imaginatione & adpetitu ſenſitivo docet experientia. Modum, quomodo mens, id eſt, ſubſtantia immaterialis, in corpus agat, & rurſus a corpore agi poſſit in mentem, ignoramus, (*) quamvis de effectu conſtet quam certiſſime.

(*) Hoc fateri non pudet. Novi, quae ſit Ariſtotelicorum ſententia de *ſyſtemate influxus phyſici*: non ignoro MALEBRANCHII aliorumque de *ſyſtemate cauſſarum occaſionalium*: denique & *ſyſtema harmoniae praeſtabilitae*, quod adhuc tantum ſtrepitum dedit, expendi. Sed hypotheſes video, quibus adſumtis, demonſtrari poſſunt phaenomena, an vero illae hypotheſes verae ſint, ſemper manebit incertum. Philoſophandum hic eſt, ſed paucis. Nam omnino non placet.

§. XLV.

Corporis partes

Quamvis autem corpus variis conſtet partibus, *ſolidis* aeque ac *fluidis*; hae tamen praecipue huc pertinent: quia & ad vitam hominis

minis plurimum conferunt, & mentem adficiunt maxime, & ſolidarum veluti ſeminarium ſunt perpetuum. quotuplices?

§. XLVI.

Circulatio ſanguinis.

Nimirum ſanguis, generatus ex cibo & potu, quem quotidie adſumimus, perpetuum obſervat circulum, per venam cavam in dextrum cordis ventriculum, ex eoque per arteriam pulmonarem in pulmones, ex his per venam pulmonarem in ſiniſtrum ventriculum cordis, & ex hoc denique per aortam in reliquas corporis partes progrediens, ſemperque priorem circulum repetens (*). Quod quamdiu fit, *vita* hominis *vegetativa* ſalva eſt.

(*) Inventae obſervataeque hujus circulationis laudem vulgo tribuunt GUIL. HARVAEO. Sed conſtat tamen, ante eum & PAULUM SARPIUM, & ANDR. CAESALPINUM hunc ſanguinis circulum non ignoraſſe. Vid. BAELII *Dict. hiſt. crit.* voce *Caeſalpinus.* Quin & HIPPOCRATEM hic aliquid vidiſſe, probant ex ejus *Libr. II. de Diaeta* §. *XLV. Libro de flatibus* §. *XXI. Libro de Alim.* §. *IV. Libro de Locis in hom.* §. *VI.*

§. XLVII.

Fluor nervoſus.

Ejuſdem ſanguinis, tranſitu per vaſculoſam pulmonum ſubſtantiam probe comminuti & ſubacti, pars fere tertia ex ſiniſtro cordis ventriculo per carotides & vertebrales arterias ad cerebrum defertur, ubi liquidum ſubtiliſſimum ſecernitur, quod in medulla oblongata collectum, nervos ſubit, (*) & ad organa ſenſoria reliquaſque partes delatum, ſenſum & motum efficit. Qui fluor nervoſus, quam diu in nervis rite procedit, *vitam ſenſitivam* conſervat.

(*) Eos, qui nervis liquidum ineſſe negant, erudite refellit collega conjunctiſſimus JO. FR. HOFFMANNUS *in Medicration. Tom. I. p. 467.*

§. XLVIII.

Ejus officia.

Quemadmodum ergo ad efficiendum motum mens utitur muſculis, id eſt faſciculis ex fibris cylindricis mollioribus collectis: ita eadem & organa ſenſoria ad ſenſiones adhibet. Utrobique autem nervorum ampliſſimus uſus eſt, qui & muſculos extendunt vel comprimunt, & ipſarum perceptionum genuinae ſedes ſunt (*).

(*) Ita *viſus* objecta ſe repraeſentant in membrana nervi optici expanſa, quae alias tunica retina vocatur. *Sonus* incidit in membranam interiorem nervi acuſtici, quae internas aurium partes inveſtit. Ita & *olfactus* fit mediante membrana nervea, quae internas narium partes obducit: *ſapor* in extremitatibus nerveis & pyramidalibus linguae; *tactus* denique in nerveis fibrillis & papillulis cutis peragitur. Per omnes hos nervos perceptio ad cerebrum, & per hoc ad mentem propagatur.

 §. XLIX.

§. XLIX.

Sanguinis partes diſſimilares. Sanguinis porro maſſa ex variis quidem conſtat particulis diſſimilaribus, *phlegmate* puta, *oleo*, *ſale & terra fixa*, quae operatione chymica facile eliciuntur: (*) at has tamen partes non apud omnes eadem proportione mixtas eſſe, facile eadem operatione deprehenditur.

(*) Sanguinem enim exſiccatum & chymico igne tractatum primum *phlegma*, deinde, *oleum ſubtile*, poſtea *craſſius*, fundum petens & empyreumaticum cum *ſale volatili*, ac poſtremo *terram fixam* elargiri, teſtis locupletiſſimus eſt laudatus HOFFMANNUS *Tom. I. Med. rat. p.* 93.

§. L.

Pulſus & vaſorum diverſitas. Deinde nec pulſum omnibus hominibus eumdem, nec ejuſdem capacitatis vaſa eſſe, ipſa experientia ſatis evincit.

§. LI.

Unde temperamenta? Quum ergo ſanguinis circulus ſit vitae vegetativae fundamentum, (§. XLVI.) & ſanguis tamen ex variis conſtet partibus diſſimilaribus, in diverſis hominibus diverſimode mixtis, (§. XLIX.) diverſi denique ſint diverſorum hominum pulſus, & vaſa diverſiſſima: (§. L.) conſequens eſt, ut diverſa quoque ſit habitudo partium ſolidarum & fluidarum ad circulationem ſanguinis perficiendam, adeoque diverſa dentur hominum TEMPERAMENTA.

§. LII.

Temperamentum cholericum. Nimirum, ubi *fibrae* ſunt tenuiores, & admodum tenſae, anguſtiora *vaſa*, *pulſus* celerior & vehementior, & copioſior *materia oleaginoſa* vel *ſulphurea* ſanguinem impraegnat: temperamentum vocatur CHOLERICUM.

§. LIII.

Melancholicum. Quoties *fibrae* ſunt duriores, *vaſa* capacia, *pulſus* magnus quidem ſed tardior, *ſanguis* denique, *materia terreſtri* copioſiore praeditus: toties naſcitur temperamentum MELANCHOLICUM.

§. LIV.

Sanguineum. Quando *fibrae* nec laxae nimis ſunt, nec juſto ſtrictiores, *vaſa* mediocria, *pulſus* non vehemens, at ſufficiens tamen, *ſalinae* denique *particulae* quam copioſiſſimae *ſanguini* innatant: temperamentum hoc vocabitur SANGUINEUM.

§. LV.

Phlegmaticum. Denique, ſi cui ſunt *fibrae* ſpongioſae & laxae, *vaſa* tenuiora, *pulſus* parum vehemens, *ſanguis* denique multo *phlegmate* inundatus: ei temperamentum PHLEGMATICUM tribuimus (*).

[*] Sa-

(*) Satis antiqua eſt doctrina de temperamentis hominum, ceu JO. FRANC. BUDDEUS ſingulari *Diſſertatione de hiſt. doctrinae de temperam. homin.* HAL. CIϽIϽCCIV, 4. demonſtravit. Sed nemo tamen veterum eam explicavit accurate, & recentiores, dum particulis ſanguinis ſolis inhaerent, nec fibrarum, vaſorum, pulſuum ullam fere rationem habendam putant, praecipua ejus capita negligunt.

§. LVI.

Quum autem tam arctum ſit mentis corporiſque commercium, ut altera pars alteram diverſimode adficiat, (§. XLIV.) mens autem operationes pleraſque mediante fluore nervoſo peragat, (§. XLVIII.) hic denique e ſubtiliore parte ſanguinis in cerebro ſecernatur: (§. XLVII.) facile patet ratio, cur mores animi temperaturam corporis ſequantur (*). Cur mores animi temperaturam corporis ſequantur?

[*] Exſtat ea de re CLAUDII GALENI liber ſingularis, *ὅτι τὰ ψυχῆς ἤθη ταῖς τοῦ σώματος κράσεσιν ἕπεται*, *quod mores animi temperamento corporis obſequantur*, *Tom. V. p.* 444. *edit. Pariſ.* ſed imperfecta tamen adhuc eſt illa GALENI obſervatio.

§. LVII.

Et quidem, quum motus ſanguinis in CHOLERICIS ſit expeditiſſimus: mens quoque *ſe effert*, & ſpe plena ſibi ipſi placet, tamquam domicilio egregio inſtructa. Mens SANGUINEI ob placidum ſanguinis motum ſemper *hilaris* eſt: mens MELANCHOLICI, veluti ruinoſum habitans domicilium, tum omnia *timet*. Denique PHLEGMATICI animus, veluti anguſto incluſus tugoriolo, ad omnia *tardus* ac *languidus* eſt (*). Praecipuae inclinationes, cum temperamentis conjunctae.

[*] Tantum ergo abeſt, ut mens ipſa ſibi corpus formet, ut corpus eam ad varios mores *determinet*. Id quod contra SENNERTUM alioſque notandum.

§. LVIII.

Itaque CHOLERICORUM character eſt *ſpes*, *ambitio*, *gravitas* in moribus, *proclivitas* ad *iram*, *diligentia* in quolibet vitae genere, ac denique *judicium* acre ac rectum (*). Character cholericorum.

[*] Quia enim *ſpe* plena eſt mens: [§. LVII.] hinc facile majora adpetit, & hinc *ambitio* oritur. Et quia *ambitioſus* honoris ſui ſtudioſiſſimus; hinc facile *iraſcitur*. Quum porro ex ſanguine ſubtiliores quoque ſpiritus ſecernantur: fieri non poteſt, quin *judicio* polleat. Qui autem *honores* & praerogativam adfectat, ſimulque pollet judicio, procul dubio & mediis utetur, quibus ad hunc finem opus eſt, & hinc *diligentia* & *gravitas morum*.

§. LIX.

Quumque mens SANGUINEORUM ſit *hilaris*: (§. LVII.) hinc eorum character eſt *ſecuritas*, *voluptas*, *petulantia*, *prodigalitas*, *praecipitantia*, *ſpes*, *metus*, proclivitas ad *otium*, *ingenium* denique fertile potius, quam bonum (*). Sanguineorum.

(*) Hila-

[*] Hilares delectantur rebus jucundis: inde *voluptas*. Huic repugnant gravitas morum, parſimonia, labor; hinc *petulantia*, *prodigalitas*, proclivitas ad *otium*. Ubi plus ſanguinis, ibi ſpiritus copioſi & agiles: hinc *ingenium*. Quod quando cum judicio non conjunctum eſt, *ſecuritatem* & *praecipitantiam* inde naſci oportet.

§. LX.

Melancholicorum.

Quum porro MELANCHOLICORUM animus omnia *timeat*: (§. LVII.) conſequens eſt, ut eorum character ſit *triſtitia*, *avaritia*, *mores ruſtici* & *indecori*, *invidia*, *laborioſitas*, *memoria* denique tenaciſſima (*).

(*) Qui enim *timet*, *triſtis* eſt. Qui *timet*, ſemper quoque ſibi aliud deeſſe judicat, hinc *avaritia*. *Avarus* ſibi omnia adpetit, adeoque alterius rebus marceſcit opimis: hinc *invidia*. Idem facile ſentit, ſine labore rem haud parari, hinc *laborioſitas*. Homo *avarus* & *laborioſus* parum curat, an aliis placeat, & *invidus* neminem vere amat: inde *ruſticitas* & *neglectus decori*.

§. LXI.

Phlegmaticorum.

Denique, quum PHLEGMATICORUM animus ſit *tardus* & *languidus*: (§. LVII.) facile patet, eos *pigritiae* deditos, *ſomnolentos*, & nec *virtutum*, nec *vitiorum* eminentium, nec *adfectuum* vehementiorum capaces, nec ulla *intellectus* ac *imaginationis* facultate prae aliis praeditos eſſe.

§. LXII.

Mixtura temperamentorum.

Sed quum porro ſanguis ex partibus diſſimilaribus conſtet: (§. XLIX.) nemo poteſt hominum reperiri, qui uno, eoque ſolo, temperamento ſit praeditus, quamvis ex pluribus, quae recenſuimus, unum plerumque praedominetur (*).

[*] Quia tamen quae praedominantur, reliqua impotentiora fere ſupprimunt, phlegmaticum quoque reliqua temperamenta magis impedit, quam ut ad ſingularem propenſionem determinet: hinc tantum duorum praedominantium temperamentorum ratio habetur, nec temere de aliorum, quam trium priorum, mixtura quaeri ſolet.

§. LXIII.

Ejus exempla.

Hinc CHOLERICO-SANGUINEI homines magnam virtutis ſpeciem prae ſe ferunt, paullo minorem SANGUINEO-CHOLERICI: CHOLERICO-MELANCHOLICI, & MELANCHOLICO-CHOLERICI crudeles, & perfidi, ſed magis tamen hi, quam illi. Denique MELANCHOLICO-SANGUINEI & SANGUINEO-MELANCHOLICI ad incondita quaevis & ridicula ruunt, in omni vitae genere inconſtantes ac varii.

§. LXIV.

Unde mores aetatum.

Quandoquidem autem in temperamentis, praeter vaſa & pulſum, etiam ſanguinis conſtitutio & fibrarum qualitas in cenſum veniunt;

...riunt; (§. LII. *ſeqq.*) per ſe patet, temperamenta paullatim mutari (*). Atque inde eſt, quod in PUERITIA *phlegmaticum*; in JUVENTUTE *ſanguineum*; in AETATE VIRILI *cholericum*; ac denique in SENECTUTE *melancholicum* ſe prae reliquis exſerat.

[*] Eatenus nimirum, ut quod antea infirmius erat, jam potentius adpareat, & quod antea ſe exſerebat quam maxime, id jam minus pelluceat.

§. LXV.

Hinc PUERI *ſocordes*, *ſomnolenti*, *adfectuum minus capaces*, & freno & calcaribus indigent. JUVENES *voluptati otioque* dediti, *prodigi* aeris, *petulantes*, in amicitiis contrahendis & toto vitae genere *praecipites*; qui VIRILEM AETATEM attigerunt, *honorum* cupidi, *ambitioſi*, *graves*, *diligentes* adparent. SENECTUTEM, *meticuloſam*, *avaram*, *invidam*, *moroſam*, ac rerum, quae antea contigerunt, admodum *memorem*, alioquin valde *oblivioſam* eſſe, ipſa experientia docet. Qui deſcribuntur.

(*) Commendandus hic merito HORATIUS FLACCUS, qui in *Arte poet. v.* 158. *ſeqq.* characteres *puerorum*; *v.* 161. *ſeqq.* mores *juvenum*; *v.* 166. *ſeqq.* ſtudia *virorum*; *v.* 169. *ſeqq.* *ſenum* adfectus & propenſiones egregie deſcribit.

§. LXVI.

Quumque ad mores permultum conferat ſanguinis temperies, (§. LI.) ſanguinem autem praecipue alteret aëris & coeli conſtitutio: non mirum profecto eſt, nationum integrarum diverſa eſſe temperamenta, quae, ubi educatio ac conſuetudo accedit, facile in mores tranſeunt (*). Nationum integrarum diverſi mores.

[*] Hinc mores *Hiſpanorum*, *Gallorum*, *Germanorum*, *Italorum*, *Anglorum*, *Scotorum*, *Hibernorum* diverſiſſimi. Hinc toto vitae genere differunt *Sinenſis*, *Aethiops*, & *Americanus*. Commendandus BARCLAIUS, qui in *Icone animorum*, hic quaedam praeclare obſervavit.

§. LXVII.

Reliquae res extra hominem poſitae quomodo aliquid ad mores conferant, alio loco commodius oſtendemus. Concluſio ſectionis ſecundae.

SECT. III.

DE VARIIS HOMINUM MORIBUS ET VITIIS.

§. LXVIII.

QUamvis mens humana non modo *intellectu*, ſed & *voluntate* inſtructa ſit: (§. XV. XVI.) voluntas autem ſemper adpe- Connexio.

tat bonum, malumque averſetur : (§. XXIX.) tamen, quum bona ſint plura, hominesque aliquando mala etiam pro bonis, veluti nubem pro Junone amplectantur: MORES quoque diverſos inde naſci oportet.

§. LXIX.

Mores quid?

MORES enim nobis ſunt adfectus (§. XLIII.) & propenſiones, ex temperamento ortae, (§. LVII. *ſeqq.*) diuturnaque conſuetudine, ſeu actibus ſaepe iteratis, confirmatae (*).

[*] Quod ubi factum, mores veluti alteram naturam conſtituunt, ut recte dixerit HORATIUS *Libr. I. Epiſt. X: v.* 24. *NATURAM expellas furcâ, tamen uſque recurret.*

§. LXX.

Quotuplices?

Sunt ergo *mores* duorum generum. Si enim voluntas in *verum* bonum fertur, mores erunt BONI (*): ſin in *adparens*, MALI. Priores VIRTUTEM, poſteriores VITIA adpellamus.

[*] Itaque mores bonos hic non accipimus in ſenſu *vulgari*, pro moribus ad regulas decori compoſitis, ſed in ſenſu *philoſophico*, pro inclinationibus voluntatis per veram virtutem emendatae.

§. LXXI.

An virtus homini naturâ inſit?

Enimvero quum voluntas ordinarie ſerviat imaginationi & pravis inclinationibus & adfectibus, (§. XXIX.) & ex voluntatis inclinationibus mores naſcantur: (§. LXIX.) facile patet, VIRTUTEM homini naturâ non ineſſe. Itaque dum hic in natura hominis morali deſcribenda verſamur, de VITIIS tantum erit agendum.

§. LXXII.

Vitium quid?

Quandoquidem ergo VITIA ſunt inclinationes voluntatis, quae in bonum adparens feruntur, (§. LXX.) & diuturna conſuetudine firmantur: (§. LXIX.) hinc ea non poſſunt non multiplicia eſſe. At conſtat tamen hodie inter omnes tria potiſſimum eſſe *vitia capitalia.*

§. LXXIII.

Cur tria vitia capitalia?

Bonum enim adparens, in quod mens nondum emendata ruit, nobis illudit, vel ſub ſpecie HONESTATIS, vel ſub ſpecie JUCUNDI, vel ſub ſpecie UTILITATIS (*).

[*] De vero bono morali recte ſtatuebant Stoici, illud ſimul *honeſtum*, *utile*, *jucundum* eſſe. Vid. CICERONEM *de Offic. Libr. II. Cap. III.* At ubi hi reſpectus disjunguntur, & *utile* vel *jucundum*, ſine *honeſto*, concipitur, vel *honeſtum* a vera *jucunditate* & *utilitate* ſejungitur: bonum tantum erit adparens.

§. LXXIV.

Quaenam illa ſint?

Quando mens in bona adparentia fertur, quae ſpecie *honeſti* fallunt,

[fa]lunt, naſcitur AMBITIO; quoties in ea, quae ſpeciem *boni jucundi* induunt, VOLUPTAS; denique ubi mens meris *utilibus* capitur, AVARITIA emergit. Quae ipſa ſunt tria vitia capitalia, (*) ac veluti triceps ille Cerberus, qui homines ad orcum rapit.

[*] Ea agnovit etiam JOANNES apoſtolus in *I. Epiſt. cap. II.* 16.

§. LXXV.

Quid ambitio, & quotuplex?

AMBITIO eſt vitium, quod ad honorem & praerogativam omnia refert. Quumque alii praerogativam ſibi vindicent ob res *nihili* & *indifferentes*; alii ob actiones *turpes*; alii ob ſingulares *corporis* vel *animi dotes*, hinc iſta ambitio STULTA, illa BRUTA & THRASONICA, haec SPECIOSA vocari poteſt. Haec porro, ſi in perſuaſione prudentiae conſiſtit, AULICA; ſi in perſuaſione doctrinae ac eruditionis, ERUDITA; ſi in perſuaſione fortitudinis, MILITARIS; ſi denique in perſuaſione virtutis ac ſanctimoniae, PHARISAICA a quibuſdam non inepte adpellatur (*).

[*] Sunt qui ſibi placent ob *pulcritudinem*: [nam *faſtus ineſt pulcris, ſequiturque ſuperbia formam*,] ſunt, quos *opes*; ſunt denique, quos *potentia* inflat. Sed quum hae res in ſe *indifferentes* ſint, nec hominem meliorem reddant: omnia haec vitia ad ambitionem *ſtultam* recte referuntur.

§. LXXVI.

Ambitioſorum characteres generales?

Quum ergo ambitio omnia referat ad honorem & praerogativam: (§. LXXV.) conſequens eſt, 1. ut ambitioſi vel parem, vel ſaltim ſuperiorem non facile ferant. 2. Ut opes adpetant, tamquam inſtrumentum potentiae. 3. Ut a voluptatibus & petulantia ſint alieni, quoad propenſioni ſuae obſequuntur.

§. LXXVII.

Circa officia erga Deum.

Ex eodem principio ſequitur, 4. ut, quod ad RELIGIONEM attinet, ambitioſus ſingularium opinionum ac doctrinarum ſit amantiſſimus, & hinc vel in *atheiſmum*, vel in *haereſin*, vel in *hypocriſin* craſſiſſimam incidat (*).

[*] In *atheiſmum* ambitioſus naturâ proclivior eſt; *haereſin* adfectat, ſi plauſum ſectatorum praevidet; *ſpeciem pietatis*, quoties id ſua intereſſe exiſtimat, prae ſe ferre non dubitat. Memorabile P. Cornelii Scipionis exemplum eſt apud LIVIUM *Libr. XXVI. Cap. XIX.*

§. LXXVIII.

Erga alios.

Porro inde conſequitur, 5. ut ambitioſi ALIOS non ament, niſi quatenus illos ſibi utiles futuros exiſtimant, adeoque 6. amicitias attemperent ſuis commodis. 7. Ut ſuperiores, ſi eos ſibi favere credunt, colant, inſidiantibus inſidientur, pares porro ſibi

conentur ſubjicere, inferiores denique vel auctoritate & metu, vel vi ac crudelitate in officio continere ſtudeant.

§. LXXIX.

Erga ſe ipſos.

Praeterea quum ad praerogativam omnia referant: (§. LXXV.) facile patet, 8. eos eſſe laborioſos, ac diligentes, ac 9. iis potiſſimum ſtudiis deditos, quae ad finem eorum praecipue pertinent. Quae 10. eo felicius excolunt, quo acriore plerumque pollent judicio.

§. LXXX.

Circa decorum.

Denique ex eodem axiomate ſua ſponte fluit, 11. ambitioſos in tota vita decori eſſe ſtudioſiſſimos, & 12. gravitatem ſermone, geſtu, inceſſu, veſtitu teſtari, atque 13. verborum tamen, quam pecuniae, eſſe parciores. (§. LXXVI, 2.)

§. LXXXI.

Quid voluptas, & quotuplex?

VOLUPTAS eſt vitium, quod in immoderata rerum jucundarum cupiditate conſiſtit. (§. LXXIV.) Quumque alii jucundiſſimum exiſtiment, quod *gulam* irritat; alii quod *laſcivitam* quam maxime provocat; alii, quod *animum* oblectat in ſpeciem: hinc *voluptas* vel BACCHICA, vel VENEREA vel AMICA (*) eſſe dicitur.

[*] Hujus ſpecies eſt CURIOSITAS, quae eſt voluptas, quae in rerum quamplurium jucundarum magis, quam utilium, ſcientia ponitur. Characterem hujus vitii eleganter expreſſit PLUTARCH. *in libello περὶ πολυπραγμοσύνης ſeu de curioſitate*, Tom. II. p. 5.

§. LXXXII.

Voluptuoſorum characteres generales.

Ex ea definitione patet, 1. voluptuoſos maxime paſci iis omnibus, quae vel ſenſus, vel imaginationem oblectant. 2. Eoſdem abhorrere ab omni labore, dolore, periculo, & ſi quid aliud parum jucundum videtur. 3. Pecuniam iis non ob aliam cauſam cordi eſſe, quam quatenus eſt inſtrumentum voluptatis, adeoque 4. eos ad prodigalitatem potius, quam πλεονεξίαν, proclives, 5. honorumque nec cupidos, nec admodum capaces eſſe (*).

[*] Hinc voluptuoſiſſimos principes magiſtratu ſe abdicaſſe legimus, ut voluptatibus eo indulgerent liberius. GOTFR. OLEARII *Diſſ. de principe, magiſtratu ſe abdicante*, §. VII.

§. LXXXIII.

Circa officia erga Deum.

Nec minus inde colligas, 5. eos in RELIGIONE eſſe tepidos, & 6. ad *ſcepticiſmum* procliviores, nec 7. cultum divinum magnopere curare, niſi quatenus ſenſus & imaginationem oblectat (*).

[*] Non

[*] Non ergo difficile intelligitur, cur orientales gentes, tamquam voluptuoſiſſimae, ſacra tanto caerimoniarum adparatu faciant, & cur ſimplicior multo fuerit populorum ſeptentrionalium cultus, quum adhuc pago eſſent dediti.

§. LXXXIV.

Erga alios.

Porro inde inferas, 8. eos in amandis ALIIS faciles, at inconſtantes eſſe, adeoque 9. amicitias & temere inire, & facile abrumpere, 10. erga ſuperiores eos adulatorio, erga pares facili, at inconſtanti, erga inferiores indulgente nimis ingenio eſſe.

§. LXXXV.

Erga ſe ipſos.

Nec magis dubium, 11. quin ab omni labore, qui ſenſibus parum jucundus videtur, abhorreant quam maxime, & 12. hinc iis ſtudiis ſe totos mancipent, quae vel ſenſus, vel imaginationem adficiunt, in quibus etiam eo magis plerumque proficiunt, quo fecundiore pollere ſolent ingenio.

§. LXXXVI.

Circa decorum.

Denique inde fluit, 13. voluptuoſos in omni vitae genere varios, ac 14. gravitatis parum amantes, 15. veſtitu, inceſſu, ac geſtibus aut molle quid, aut diſſolutum prodere, praecipue autem 16. eos ad garrulitatem, (*) mendacia, calumnias, perjuria eſſe proclives quam maxime.

[*] *Vitium voluptuoſis proprium, & quod ſtatim in oculos incurrit. Ejus characteres habes apud* THEOPHRAST. *in Charact. mor. Cap. IV. p. m.* 574. & PLUTARCH. περὶ ἀδολεσχίας, ſeu *de garrulitate, Tomo II. p.* 502.

§. LXXXVII.

Avaritia quid, & quotuplex?

AVARITIA eſt vitium, quod in rerum utilium inexplebili cupiditate conſiſtit, (§. LXXIV.) *Utile* autem videtur avaris, quidquid in commercio eſt, & pretium admittit. Quamvis ergo omnes res, quae ſunt in commercio, objectum avaritiae eſſe poſſint: praecipue tamen avari vel ſuppellectilis ſplendidioris, vel praediorum & opum, vel nummorum poſſeſſione ſibi placent. Unde non incommode avaritia in SPLENDIDAM, RUSTICAM & MERCATORIAM dividitur (*).

[*] Ad SPLENDIDAM proni ſunt, quibus ſimul multum *ſanguinis*; ad MERCATORIAM, quibus haud parum cholerae; ad RUSTICAM, quibus plurimum μελαγχολίας eſt.

§. LXXXVIII.

Avarorum characteres generales?

Hinc 1. ſunt parci, & citius ex manu Herculis clavam, quam ex his nummum extorſeris (*): 2. voluptatum contemptores, quas pecunia conſtare norunt: 3. honorum denique non ob eorum praeſtantiam, ſed ob lucrum tantum cum iis conjunctum, adpetentes.

 [*] Quae

[*] Quae tenacitas, ubi ſupremum attigit gradum, in SORDES evadit, quarum characterem in Euclione eleganter exprimit PLAUTUS in *Aulularia.*

§. LXXXIX.

Circa officia erga Deum.

Quum itaque rerum utilium poſſeſſione delectetur avarus: (§. LXXXVII.) facile profecto reddideris rationem, 4. cur non alium in finem Deum colat, quam, ut eo in accumulandis opibus adjutore utatur, & hinc 5. cultu externo totam religionem metiatur, adeoque 9. ad *ſuperſtitionem* ſit quam maxime proclivis.

[*] Quemadmodum *atheiſmus* in profana Dei negatione; ita *ſuperſtitio* in perverſo Dei conceptu & metu numinis ſervili conſiſtit. Quum autem characteres ſuperſtitionis ſint abominandi, veluti crudelitas adverſus diſſentientes, idololatria, hypocriſis: non obſcurum eſſe poteſt, cur fuerint, qui ſuperſtitionem atheiſmo multo eſſe deteriorem, exiſtimarent. Vid. PLUTARC. *περὶ δεισιδαιμονίας*, ſeu *de ſuperſtitione*, & BAELII *Cogitat. de Comet.* & *Quaeſtion. ad provincial.*

§. XC.

Erga alios.

Nec minus inde perſpicuum eſt, 7. avaros eſſe invidos, & hinc 8. moroſos, 9. & μισανθρώπους, 10. qui nec amicitiam colere, nec amici eſſe norint, ſed 11. ob metum perpetuamque, qua anguntur, ſuſpicionem ab omnibus abhorreant, niſi quos ſibi plane putent obnoxios: eoſdem denique, 12. quum injuſti, 13. litigioſi, & 14. omnium officiorum humanitatis negligentiſſimi ſint: 15. ſuperiores odio habere, paribus invidere, inferiores injuſtitia & crudelitate a ſe alienare quam maxime.

(*) Eleganter THEOPHR. *in Charact. Cap. XI. p.* 587. Οὐκ ἂν ἐάσαι οὔτε συκοτραγῆσαι ἐκ τοῦ αὐτοῦ κήπου, οὔτε διὰ τοῦ αὐτοῦ ἀγροῦ πορευθῆναι, οὔτε ἐλαίαν ἢ φοίνικα τῶν χαμαὶ πεπτωκότων ἀνελέσθαι. *ficum de ſuo horto neminem guſtare ſiverit: neminem per fundum ſuum tranſire, aut ullam cadivam olivam palmulamve auferre.* Nota quoque illa PLUTARCHI: οὔτε παρὰ νεκροῦ ὁμιλίαν, οὔτε παρὰ φιλαργύρου χάριν δεῖ ἐπιζητεῖν: *neque a mortuo colloquium, neque ab avaro beneficium exſpectandum eſſe.*

§. XCI.

Erga ſeipſos.

Quin tantum abeſt, ut aliis faveant, ut 16. ſuum quoque genium defraudent, 17. laboribus ſe ultra modum excrucient, nec 18. alia ſtudia cordi habeant, quam quae ad rem faciendam videntur pertinere, & ad quae excolenda ſufficit *memoria*, qua in primis pollere avaros, ſupra diximus.

§. XCII.

Circa decorum.

Denique odioſiſſimos reddit 19. vita ab omni elegantia & decoro remota, 20. taciturnitas intempeſtiva, 21. ſermo de rebus nihili, 22. inceſſus incompoſitus, 23. veſtitus parum conveniens (*),

24. ge-

24. geſtus denique, ex quibus ſtatim anxietas animi & habendi cupiditas elucent.

(*) De hoc quoque egregia quaedam habet THEOPHRAST. *ibid.* *p.* 588.

§. XCIII.

Tot vitiis comitatae incedunt *ambitio*, *voluptas*, *avaritia*, quarum quidem nulla reliquis melior, avaritia tamen abſurdiſſima eſt. Unde & avarorum character minime omnium ſocietati humanae convenit (*). *Quod horum vitiorum peſſimum.*

(*) Hinc elegans ARISTOTELIS narratio de octo latronibus, qui quum de ſpoliis contenderent, primum ad quatuor, deinde ad binos, poſtea ad unum numero redacti ſunt. Ex qua narratione colligit, ὅτι παρὰ τοῖς ἀνθρώποις ἐπὶ τῷ τοῦ πλεονεκτεῖν περιφερομένοις ζῶσιν οὐδὲν οὔτε βέβαιον, οὔτε ὅσιόν ἐστι, *hominibus, quorum ſtudia ad avaritiam referuntur, nihil quidquam aut firmum, aut ſanctum videri.*

§. XCIV.

Cauſſa tot vitiorum in ipſa quidem mente vel innata omnibus mortalibus prava φιλαυτία ſeu IMMODICO SUI AMORE, quaerenda eſt: nec tamen negari poteſt, mentem a *temperamentis corporis* ad hoc vel illud vitium capitale praecipue determinari. (§. LVI.) *Cauſſa vitiorum primaria.*

§. XCV.

Ex quo ſequitur, 1. ut quemadmodum non ſingulis hominibus ſingula temperamenta ſunt, ſed ea diverſimode miſcentur: (§. LXII.) ita & vitia illa omnia, diverſo licet gradu, in omnibus hominibus reperiantur. 2. Ut haec ipſa mixtura impediat, quo minus characteres omnes illorum vitiorum tam palam ſe ſemper exſerant. 3. Ut, ſi aequali gradu permixta ſint, facile ſpecie virtutis illudant imperitioribus (*). *Unde vitiorum mixtura?*

(*) Ita ſane mixta voluptati ambitio ſaepe virtutis larvam induit, ambitione voluptatem, voluptate ambitionem ad mediocritatem revocante.

§. XCVI.

Praeterea ad haec vitia hominem facile abripiunt perverſa EDUCATIO, CONSUETUDO, CONVERSATIO cum aliis hominibus vitioſis, immo & STATUS diverſi. *Cauſſae vitiorum ſecundariae.*

§. XCVII.

Quum enim in ſingulis ſtatibus quaedam bona adparentia ſe repraeſentent, & repraeſentatio ejuſmodi adfectus excitet, (§. XXXII.) adfectus ſaepe iterati ac diuturna firmati conſuetudine in mores evadant: (§. LXIX.) facile explicari poſſunt mores diverſi *imperantium*, *ſubditorum*, *optimatium*, *plebis*, *divitum*, *pauperum*, *ſacerdotum*, *eruditorum*, *militum*, *mercatorum*, *opificum*, *agricolarum*. *Quomodo & ſtatus diverſi diverſa vitia producant?*

§. XCVIII.

§. XCVIII.

An felicitas in vitioſos cadat?

Quemadmodum autem philoſophiae moralis eſt, hominem perducere ad veram felicitatem, haec autem in fruitione ſummi boni conſiſtit: (§. II.) ita facile patet, vitiis obrutos, & bonis adparentibus inhiantes, (§. LXX.) quantumvis ſibi beati videantur, vere tamen infeliciſſimos eſſe.

§. XCIX.

Vitiorum effectus circa intellectum.

Primo enim, quum *ambitioſi opinionum ſingularium*, quam veritatis, ſint ſtudioſiores (§. LXXVII.) *avari* autem ad *ſuperſtitionem* (§. LXXXIX.) & *voluptuoſi* denique ad *ſcepticiſmum* ſint proniores: (§. LXXXIII.) quam male ſe habeant hominum vitiis deditorum *intellectus* & IMAGINATIO, facile unuſquiſque animadvertit (*).

(*) Hinc *ambitio* & *voluptas* hominem facile ad *furorem* & *inſaniam*; avaritia ad *enthuſiaſmum*, *metum ſpectrorum*, & *magiae* abſurdiſſimae ſtudium adigunt.

§. C.

Circa conſcientiam.

Quumque deinde *conſcientia* ſit ratiocinatio de actionibus propriis, (§. XVIII.) vitiis autem cooperti homines, actiones ſuas legi & rationi adverſari, ſemper ſibi conſcii ſint: quis non videt, quantis conſcientiae morſibus vexentur, quoties mens eorum in ſe ipſam convertitur? Quaenam vero felicitas adeſt, ubi nos ipſi condemnamus?

§. CI.

Circa voluntatem.

Praeterea quum mens adpetat bonum, & deſiderium mentis immortalis non poſſit non infinitum eſſe: (§. XIII.) qui fieri poteſt, ut ſitis illa rebus fluxis, id eſt, opibus, honore, ſenſuumque titillationibus, reſtinguatur? An vero felices dixeris, quorum adpetitus vel numquam exſatiatur (*), vel in taedium & faſtidium deſinit?

(*) Felicem eſſe eſt perfrui bono: perfrui bono eſt illo exſatiari. Qui ergo ſemper adpetunt, numquam exſatiantur, non magis felices dici poſſunt, quam Tantalus, cujus ſempiternos cruciatus poëtae in perpetua fame ac ſiti inter delicias conſiſtere fingebant.

§. CII.

Circa adfectus.

Quum porro vitioſis perpetuo ſe repraeſentent bona adparentia, (§. LXX.) & ex repraeſentatione boni ADFECTUS oriantur: (§. XXXII.) ambitioſi ſane mentem perpetuo agitabit *ira*; (§. LVIII.) voluptuoſi *ſpes*, *metus*, (§. LIX.) *amor*, *odium*, *zelotypia*; avari *invidia*, (§. LX.) *metus*, *deſperatio*. Inter hos fluctus quae tranquillitas eſſe poteſt? quae felicitas?

§. CIII.

§. CIII.

Circa corpus.

Quumque CORPORIS quoque habenda ſit ratio; [§. XIV.] quid certius, quam pleroſque *morbos*, *dolores*, *ſenſuum ac motuum hebetudines* ex vitiis oriri? Immo quis *mortem* iis accelerari ignorat [*]?

(*) Differatur hic de Luciani μακροβίοις, & cur patriarchae ad tantam ſenectutem pervenerint, poſtea autem vita hominum ſemper decreverit? Cur item in ultimo ſeptentrione & ruri diutius vivant, aut integriore ſaltim valetudine utantur homines, quam in urbibus? Add. THOMASII *Diſſert. de jure circa pharmacopolia civitatum*, §. *XXV*.

§. CIV.

Circa calamitates.

Et quaenam porro CALAMITATES, non ex vitiis proficiſcuntur? Unde quaeſo *infamia*, *contemtus*, *carceres*, *ſupplicia*, *paupertas*, *aes alienum*, *inimicitiae*, niſi ex vitiis?

§. CV.

Vitioſi ſolatii omnis expertes.

Quibus omnibus quum mens quam maxime percellatur: [§. XXXII.] illud tamen eſt longe triſtiſſimum, quod omni vero ſolatio deſtitutos ſe intelligunt, quicumque flagitiis ſuis indulgent. Neque enim conſcientia eos ſolatur, [§. C.] neque immortalitas mentis, quae, quum ſemper ſui conſcia maneat, [§. XIII.] non poteſt non & vitiis ſuis perpetuo cruciari, neque providentia Dei, quem vel non exſiſtere credunt, [§. LXXVII. LXXXIII.] vel ſibi parum favere, conſcientia judice, facile intelligunt [*]. [§. C.]

(*) Commendandus itaque hic in primis eſt libellus PLUTARCHI elegantiſſimus, ὅτι οὐδὲ ζῆν ἔστιν ἡδέως κατ' Ἐπίκουρον: *quod non ſuaviter vivi poſſit ſecundum decreta Epicuri*, *Tom. II. p.* 1086.

§. CVI.

Circa mortem.

Haec plerumque parum expendunt homines, dum adhuc vitiis ſuis indulgent, nec facile ſibi perſuaderi patiuntur, ſe tam infelices eſſe. Sed hoc non credere, ſed ſentire incipiunt, ubi MORS imminet, quae eos ab objectis, quae maximi fecerant, in perpetuum ſejungit (*).

(*) Quum enim mens & indeſtructibilis & immortalis ſit, & hinc maneat ſubſtantia cogitans, & ſuarum perceptionum ſibi conſcia: (§. XIII.) quid infelicius mente, quae a bonis apparentibus ſejuncta, non habet jam, quod amet, praeter Deum, quum hunc tamen nec amare, nec ab eo amari poſſit. Ubi nihil eſt, quod amemus, ibi nec ſperare quidquam licet: ubi ſpes abeſt, adeſt deſperatio. Itaque moriens homo pravus, & deſperationem & triſtitiam ſempiternam ſibi imminere & praevidet, & reipſa ſentit, ſi aliquo conditionis ſuae ſenſu tangitur.

SECT. IV.

DE SIGNIS ET CHARACTERIBUS MORUM ET ADFECTUUM.

§. CVII.

Signa adfectuum & morum.

ALia ſunt ADFECTUUM SIGNA: alia MORUM ac PROPENSIONUM. *Illa* enim cum adfectu evaneſcunt, ſed non facile diſſimulantur: *haec* fere perpetuo haerent, & non facile mutantur (*), ſed diſſimulantur tamen facilius.

(*) Si in ratione itaque conqueritur Medea apud EURIPID. in *Med. v.* 516,

Ὦ Ζεῦ, τί δὴ χρυσὸν μὲν, ὃς κίβδηλος,
Τεκμήρι᾽ ἀνθρώποισιν ὤπασι σαφῆ,
Ἀνδρῶν δ᾽ ὅτῳ χρὴ τὸν κακὸν διειδέναι,
Οὐδεὶς χαρακτὴρ ἐμπέφυκε σώματι.

O Jupiter, quare auri quidem, quod ſit adulterinum,
Clara ſigna hominibus dediſti,
Sed quo oporteat diſcerni malum virum,
Nullum ſignum inditum eſt corpori?

§. CVIII.

Adfectuum ſigna qualia?

ADFECTUUM praecipuorum ſigna in oculos quam maxime incurrunt, & COLORE, GESTIBUS, INTELLECTU, ipſiſque ACTIONIBUS ſe facile produnt (*).

(*) Quum enim adfectus moveant ſanguinem & ſpiritus animales, ſeu fluorem nervoſum: [§. XXXII.] non poſſunt non color & geſtus mutari. Et quia adfectus etiam intellectum & imaginationem turbant, [§. XXXV.] & adpetitum vel averſationem extraordinariam operantur: in his quoque adfectus ſe prodant, neceſſe eſt.

§. CIX.

Signa amoris.

Ita AMORIS ſigna ſunt rubor, agitatio ſpirituum animalium vehementior, oculi inſigne deſiderium indicantes, & in unum objectum defixi, ſuſpiria frequentiora, pediloquia, judicia de objecto amato abſurdiſſima, querelae de fortunae injuriis perpetuae, ſuperſtitioſa perſonae amatae veneratio, epiſtolae ridiculae, ſuſpiciones denique, lacrymae, irae, pax rurſum (*).

(*) Poſtremos *characteres* eleganter expreſſit TERENTIUS *Eun. Act. I. Scen. I.* 14.

In amore haec omnia inſunt vitia:
injuriae,
Suſpiciones, inimicitiae, induciae,
Bellum, pax rurſum.

§. CX.

Odii.

ODIUM ſe prodit colore pallido, oculis ab objecto averſis, ſilentio, quoties quis de exoſo objecto bene; loquacitate, ubi male

le ſequitur, judicia ſiniſtriora, evitatio colloquiorum, neglectus decori, ſuſpiciones, irae ac lites perpetuae.

§. CXI.

LAETITIAM riſus, exſultatio, converſatio ſponte quaeſita, narratio ſuae felicitatis, promiſſa ſplendida, liberalitas (*); TRISTITIAM pallor, oculi dejecti, lacrymae, caput brachio innixum, ſolitudo, conſolantium amicorum & omnis voluptatis averſatio, perpetua denique ſui ipſius accuſatio indicant (**). Laetitiae & triſtitiae.

[*] Laetitiae characteres in Chaerea praeclare expreſſit TERENT. *Eunuch. Act. III. Scen. V.*

[**] Expreſſit triſtitiae characterem IDEM in *Heautont. Act. I. Scen. I.*

§. CXII.

Ita & SPE pleni alacres, audaces, aliorum contemtores; METICULOSI pallidi, tremuli, corpore contractiore, animo demiſſo, cauti & ſuſpicaces eſſe ſolent. DESPERATI vario colore, oculis furorem praeferentibus, verbis ſui aliorumque odium exprimentibus, robore corporis inuſitato, ac audacia incredibili, temeritate denique in adeundis periculis maximâ adfectum indicant. Spei, metus, deſperationis.

§. CXIII.

AMBITIOSOS ſupercilium, ſtatus corporis ad oſtentationem compoſitus, inceſſus gravis, ſimulatio, decori ſtudium; AVAROS oris habitus, ex quo curae elucent, triſtitia, ſolitudo, querelae de temporum hominumque injuriis, eorum, qui blandius ſalutant, omniumque voluptatum averſatio, diſſimulatio divitiarum, rerum minimarum cura, lites de meo & tuo, facundia de rebus oeconomicis, in aliis mera infantia, ſuperſtitio, invidia denique & decori omnis neglectus (*); VOLUPTUOSOS facies hilarior, joci & dicteria acutiora, adfectatum elegantiae ac varietatis ſtudium, miſericordia, & liberalitas, ac praecipue proclivitas ad otium, & fuga laboris latitare non patiuntur. Ambitionis, avaritiae, voluptatis.

[*] Eos, quorum habendi cupiditas plane in ſordes degeneravit, graphice in *Euclione* ſuo expreſſit PLAUT. *in Aulul. Act. I. Scen. I. II. Act. II. Scen. II. VIII. Act. III. Scen. II. III. IV. V. VI. Act. IV. Scen. II. III. IV. VI. IX. X.*

§. CXIV.

Nullius ferme adfectus characteres magis in oculos incurrunt, quam IRAE. *Flagrant & micant oculi, multus ore toto rubor, exaeſtuante ab imis praecordiis ſanguine* (*). *Labia quatiuntur, dentes comprimuntur, horrent ac ſubriguntur capilli, ſpiritus coactus ac ſtridens, articulorum ſe ipſum torquentium ſonus, gemitus, mugituſque, & parum explanatis vocibus ſermo praeruptus, & comploſae ſaepius* Irae.

manus,

manus, & *pulſata humus pedibus*, & *totum concitum corpus*, *magnaſque minas agens. Foeda viſu & horrenda facies*, *depravantium ſe atque intumeſcentium. Neſcias*, *utrum magis deteſtabile vitium ſit*, *an deforme.* Ita SENECA *de Ira*, *Libr. I. Cap. I.*

[*] Atqui iracundi aliquando palleſcunt. Reſponſum cape. Ira vel *velox* eſt, quam EXCANDESCENTIAM vocant, vel *tardior*, & *tenacior*, quam appellamus IRACUNDIAM, vel denique *lenta*, & *ſempiterna*, quam RANCOREM vel AMARITUDINEM dicere juvat. Haec *melancholicis*; illa *cholericis*: iſta *ſanguineis* magis propria eſt. Iſta ruborem extraordinarium, illa mediocrem, hæc pallorem excitat.

§. CXV.

Invidiae. Nec minus INVIDIA pallore, oculis torvis & veluti faſcini quid ſpirantibus, macie corporis, calumniis, ſolitudine adfectata, & fuga ejus, cui parum quis favet, in ſenſus incurrit.

§. CXVI.

Pudoris. Nec dubitari poteſt de PUDORE, ubi ſuffuſus in facie rubor cum oculis conniventibus & dejectis, averſo corporis ſtatu & fuga praeſentium conjunctus eſt.

§. CXVII.

Zelotypiae. Ridiculi ſunt ZELOTYPIAE characteres, quam mille ſuſpiria, metus, ſuſpiciones, oculi emiſſitii in congreſſibus amicorum, aliquando & deſperatio, ſemper autem aliquid ſtultitiae comitantur.

§. CXVIII.

Tranſitio ad ſigna morum. Habent & reliqui adfectus ſua ſigna, quae tamen non aeque incurrunt in oculos. Nos jam ad alia ſigna propenſionum progredimur (*).

[*] Scripſit DE LA CHAMBRE libellum ſub titulo: *Les charactéres des paſſions*, editum Pariſiis CIↃIↃCLIII, 12, ubi in praefatione artem cognoſcendi homines ad quinque capita reducit, & *primum* quidem ad characteres adfectuum virtutum & vitiorum, *ſecundum* ad ſimilitudinem hominum & beſtiarum, *tertium* ad ſimilitudinem ſexuum, *quartum* ad ſimilitudinem gentium ſub diverſis climatibus habitantium, *quintum*, quod *ſyllogiſticum* vocat, ad ſermonem, inceſſum, aliaque ſigna particularia pertinere ait. De ſimilitudine faciei humanae cum ore beſtiarum egit etiam JO. BAPTISTA PORTA *in Phyſiognomonicis*, ubi & lineamenta vultuum humanorum beſtiis certis ſimilium depinxit. Sed certiora tamen ſunt ſigna, quae ad capita primum & ultimum pertinent.

§. CXIX.

Ea vel phyſiognomonica vel moralia. Ea recte diſtinxeris in PHYSIOGNOMONICA & MORALIA. *Illa* ſua certitudine haud deſtitui, ſatis patet. Quum enim habitus & motus corporis humani a fluore nervoſo pendeant (§. XLVIII.) hic ex ſanguine ſecernatur, (§ XLVII.) ſanguinis temperamenta diver-

diverſa ſint, (§. LI.) eaque ad diverſos mores hominis determinent: (§. LVI.) negari vix poterit, dari ſigna phyſiognomonica morum ac propenſionum humanarum (*).

[*] EURIPID. *in Ione v.* 239. *ſeq.*

Γνοίη δ' ἂν ὡς τὰ πολλά γ' ἀνθρώπου πέρι,
Τὸ σχῆμ' ἰδών τις, εἰ πέφυκεν εὐγενής.

De homine plerumque quis judicaverit,
Figuram ejus conſpicatus, an ſit generoſae indolis.

§. CXX.

Signa temperamentorum.

Hinc rubor in facie, agilitas membrorum, habitus corporis ſucculentus, temperamentum SANGUINEUM; color vividus, motus agilis, at cum gravitate conjunctus, habitus corporis non inelegans, at aridior & ſiccior, CHOLERICUM; color fuſcus & lividus, motus tardior & moleſtior, corpus compactum, & oſſa grandiora MELANCHOLICUM; color pallidus, motus tardiores, corpus obeſum & mollius, PHLEGMATICUM arguunt.

§. CXXI.

Signa ex inceſſu generatim.

Et inde facile etiam intelliguntur regulae de inceſſu, quas alibi prolixius demonſtratas meminimus (*). Ex iis enim, quae modo (§. CXX.) de motu ſanguineorum, cholericorum, melancholicorum, phlegmaticorum diximus, regulae illae prono alveo fluunt.

[*] *In Sylloge opuſcul. noſtr. Exerc. IV. de inceſſu animi indice, Cap. I. §. VII. ſequ.*

§. CXXII.

In ſpecie ex inceſſu ambitioſorum.

Nam ratio & experientia confirmant, 1. inceſſum cum adfectatione quadam & moleſtia tardum, greſſus Hiſpanicos, habitum corporis ad pompam compoſitum, cervicem obſtipam & vultum adſeveratum, ſignum eſſe AMBITIONIS *ridiculae*. 2. Inceſſum tardum & interruptum, cum motu corporis erecto, geſticulatione gladiatoria, cervice exſerta, vultuque truce & ad terrorem incutiendum compoſito conjunctum, ſignum eſſe AMBITIONIS *Thraſonicae*. 3. Inceſſum tardum, altum, conſtantem, gravem, cum motu corporis reciproco & manuum decoro conjunctam, ſignum eſſe AMBITIONIS *tum aulicae, tum militaris* (*). 4. Greſſum tardum, habitum corporis veluti in ſe contractum, caput demiſſum, oculos dejectos, & ſubinde ad coelum ſublatos, vultum torvum, ſuſpiria altius & frequentius ducta, ceteris paribus, indicare AMBITIONEM *phariſaicam*.

[*] Alioquin ſi accedit cervix rigida & obſtipa, vultus adductus, taciturnitas, vel ſermo rarior, & cum molli quadam digitorum geſticulatione conjunctus, arrogantiae hoc & crudelitatis indicium cenſetur. Ita inceſſum Tiberii deſcribit SUETON. *in vit. Tiber. Cap. LXVIII.*

§. CXXIII.

Volup-tuoſo-rum.

Nec minus facile intelligitur, 5. inceſſum agilem, mollem, & ad ſcenicam levitatem formatum, nec non oculos inter ambulandum procaciter circumactos, VOLUPTATIS *Venereae* (*); 6. inceſſum agilem, & compoſitum tamen, cum motu corporis decoro conjunctum, nec tamen inimicum, vultum denique ſerenum & hilarem, VOLUPTATIS *amicae*; 7. inceſſum levem, remiſſum, diſſolutum, ab omni decoro alienum, pedes infirmos ac inſtabiles, VOLUPTATIS *Bacchicae* praebere indicium.

[*] Pertinet huc inprimis locus apud PETRON. ARB. *Satyr. Vides me? nec auguria novi, nec mathematicorum caelum curare ſoleo; ex vultibus tamen hominum mores colligo, & quum ſpatiantem vidi, quid cogites, ſcio. Quo enim inceſſus arte compoſitus, & ne veſtigia quidem pedum extra menſuram aberrantia, niſi quod formam proſtituis, ut vendas?*

§. CXXIV.

Avarorum, levium, & vaecordium.

Denique non male inde inferimus, 8. inceſſum difficilem, & cum moleſtia quadam velocem, incompoſitum, interruptum (*), & cum anhelitu & ſtatu motuque corporis indecoro conjunctum AVARITIAM, ſeu opum & divitiarum cupiditatem, prodere. 9. Inceſſum varium, modo tardum, modo concitatum, cum vultu feroce & oculis vagis conjunctum, ſummae LEVITATIS ac VAECORDIAE (**); 10. inceſſum denique cum violento humerorum motu, oculis ſtupentibus, & ore diſtorto conjunctum, ingenii DOLOSI, INVIDI & NULLI mortalium FIDI argumenta eſſe.

[*] THEOPHRAST. *in Charact. p. 7.* Καὶ ἐπ' ἄλλῳ μὲν μήτε θαυμάζειν, μήτε ἐκπλήττεσθαι ἐν ταῖς ὁδοῖς. ὅταν δὲ ἴδῃ βοῦν, ἢ τράγον, ἑστηκὼς θεωρεῖν: *in via aliorum quidem nihil admiratur, neque ulla re percellitur: At ſi bovem viderit, aut hircum, ibi homo gradum ſiſtere & contemplari.*

[**] Ita inceſſum Catilinae deſcribit SALLUSTIUS *de Bello Catil. Cap. XV.*

§. CXXV.

Signa moralia quotuplicia?

Sunt & alia ſigna phyſiognomonica, quae ex rugis ac lineamentis frontis, ex voce, geſtibus, ſimilibuſque petuntur. Sed certiora ſunt MORALIA, id eſt SERMO & ACTIONES. Effectum enim de cauſſa teſtari, nemo temere negaverit (*).

[*] Hinc ipſe Servator haec ſigna morum tamquam certiſſima commendat, Matth. XII, 33-35. Luc. VI. 43-45. PLUTARCH. *in Vita Alex. p. 664. Tom. I. Opp.* οὔτε ταῖς ἐπιφανεστάταις πράξεσι πάντως ἔνεστι δήλωσις ἀρετῆς καὶ κακίας. ἀλλὰ πρᾶγμα βραχὺ πολλάκις καὶ ῥῆμα, καὶ παιδιά τις ἔμφασιν ἤθους ἐποίησε μᾶλλον, ἢ μάχαι μυριόνεκροι, καὶ παρατάξεις αἱ μέγισται, καὶ πολιορκίαι πόλεων: *non ſemper clariſſimae quaeque res virtutes & vitia repraeſentant, ſed exiguum ſubinde factum dictumque & jocus aliquis citius ſpecimen edit morum, quam praelia funeſtiſſima, maximae acies, urbiumque expugnationes.*

§. CXXVI.

§. CXXVI.

SERMO eſt ſonus articulatus, quo cogitationes noſtras cum aliis communicamus. Quum itaque ex cogitationibus proficiſcatur, cogitationes autem plerumque cum affectu, propenſione & inclinatione hominis conveniant, conſequens eſt, ut recte obſervavit DIOGENES CYNICUS, mentem hominis ex ſermone, non minus ac ollae materiam ac integritatem ex tinnitu, dignoſci (*). Sermo an mentis indicium praebeat?

[*] Idem etiam de verbis *ſcriptis*, ſeu in litteras redactis, exiſtimandum. Quamvis enim ſtilus facilius ſimulet diſſimuletque, quam lingua: plerumque tamen & in ſcriptis ingenium humanum, tamquam in ſpeculo quodam, conſpicitur. Vere ac eleganter DEMETRIUS PHALERAEUS, vel quiſquis libelli *de eloquutione* auctor eſt: Σχεδὸν γὰρ εἰκόνα ἕκαστος τῆς ἑαυτοῦ ψυχῆς γράφει τὴν ἐπιστολήν. Καὶ ἔστι μὲν καὶ ἐξ ἄλλου λόγου παντὸς ἰδεῖν τὸ ἦθος τοῦ γράφοντος. ἐξ οὐδενὸς δὲ οὕτως, ὡς ἐπιστολῆς. *Fere enim animi ſui ſimulacrum quisque & imaginem epiſtolam ſcribit. Et eſt quidem ex omni alia oratione videre ac noſcere mores ſcriptoris: ex nulla tamen aeque, ac ex epiſtola.*

§. CXXVII.

In ſermone & FORMA ſpectatur, & MATERIA. *Forma* eſt ipſe ſtilus ejuſque character; *materia* ipſa ſententia, quam verbis complectimur. Quum itaque ſtilus ab ingenio, judicio, memoria vel maxime pendeat: hae vero facultates nexu inſeparabili cum propenſionibus hominum conjungantur: ex *ſtilo* etiam de hominis moribus non inepte judicamus (*). Quotuplicia haec ſigna ſint?

[*] Ex ſanguinis enim temperatura & motu temperamentum corporis oritur. [§. LI]. Prout ſanguis ſe habeat, eatenus & ſpiritus animales vel fluor nervoſus vel ſubtilior agiliorque vel craſſior & minus agilis ſecernitur. [§. XLVII.] Ex fluoris iſtius diverſa conſtitutione diverſa indoles naſcitur. [§. XLVIII.] Ex indole ſtili characteres modificantur. [§. CXXVII.] Ergo ex ſtilo de temperamentis, conjunctaque cum iis propenſione judicatur.

§. CXXVIII.

Quia ergo AMBITIOSI & CHOLERICI judicio acri & recto polleant (§. LVIII.): conſequens eſt, ut genus dicendi ament Atticum vel Rhodium, emphaticum, ſublime, grande, concitatum, & ex quo vis quaedam dicendi elucet (*). *Stilus ambitioſorum.*

[*] Quomodo differant iſtae ideae ſtili vel characteres, de quibus hoc & ſequentibus paragraphis agimus, regulis & exemplis luculenter expoſuimus in *Fundam. ſtili cult. Part. I. Cap. II. §. XXXVII. LXIII.*

§. CXXIX.

Quumque SANGUINEI & VOLUPTUOSI ingenio valeant: (§. LIX.) non mirum eſt, eos aptiores eſſe ad genus dicendi Aſiaticum, jocoſum, perſpicuum, elegans, moratum, argutum & poëticum. Voluptuoſorum.

§. CXXX.

§. CXXX.

Avarorum.

Denique quum MELANCHOLICI & HABENDI CUPIDI memoria potius, quam judicio & ingenio excellant: facile incidunt in ſermonem verboſum, circumductum, obſcurum, frigidum, inaequalem & ſententiis parum acutis refertum (*).

[*] Tantum enim abeſt, ut ſententiae nimis frequentes ſapientiam quamdam eximiam arguant, ut vulgus magis, quam ſapientiſſimi quilibet, uti ſoleant ſententiis. Oſtendimus hoc in *Fundam. ſtili cultior. Part. I. Cap. II. §. XXXV.*

§. CXXXI.

Quid hic temperamentorum mixtura efficiat?

Ex quo ſtili peritiores facile colligent, qualis morum & temperamentorum mixtura ad ſtilum vere elegantem & nativa ſua pulcritudine adſurgentem quam maxime ſit idonea.

§. CXXXII.

Sermones ambitioſorum.

Ita ex *forma* ſermonis, ſeu ſtilo, de hominum ingenio judicatur. Quod ad ejuſdem MATERIAM attinet, experientia ipſa nos ſatis convincit, eos, quos vana vexat *ambitio*, de rebus magnis, & ſuis maxime, itemque de rebus moralibus & politicis, libentiſſime loqui, nullumque acroama audire lubentius, quam de laudibus ſuis (*).

[*] Hinc colligas, Ciceronem immodica laboraſſe laudis ac honorum cupiditate, eaque in re ipſum Caeſarem multo modeſtiorem fuiſſe. Nec dubium eſt, quin facundiſſimus iſte Romuli nepotum idem, quod Caeſar, auſurus fuiſſet, ſi tam facile putaſſet, eloquentia civitatis libertatem opprimere, quam armis. Veritatem hujus obſervationis deprehendent, quicunque Caeſaris *Commentarios de bello Gallico & civili* cum Ciceronis *orationibus Catilinariis*, iisque, quas poſt reditum habuit, nec non cum *Philippicis*, contulerit.

§. CXXXIII.

Voluptuoſorum.

Nec minus res ipſa docet, *voluptati deditos* ἐκ τοῦ περισσεύματος τῆς καρδίας libenter diſſerere de rebus ad voluptatem pertinentibus, jucundis, curioſis; magiſque quaeſtionibus phyſicis, quam moralibus, politicisque, quin & obſcenis & ludicris magis, quam ſeriis delectari. Ubi diſſimulant, tanto abſurdius in voluptates invehuntur, quanto magis ad eas natura proclives ſunt.

§. CXXXIV.

Avarorum.

Denique *avari* aut nihil loquuntur, aliis ſermocinantibus, aut de lucro captando, rebus oeconomicis, frugalitate, temporum hominumque injuriis, & litibus ſuis, quin & de magia, cultu externo & benedictione, quam vocant, divina, longos ac parum ſuaves ſermones inſtituunt.

§. CXXXV.

§. CXXXV.

Locus hic eſt ſimulationi, ſed non ita, ut non occaſio, vinum, familiaritas, larvam aliquando detrahant. Quin quo magis ſimulationi ac diſſimulationi ſtudet homo vitiis deditus, eo minus propenſionem ſuam diſſimulat (*).

An ſimulatio certitudinem horum ſignorum tollat?

[*] Hinc quamvis Tiberius eſſet ſimulator maximus, non fefellit tamen pleroſque cautiores, qui diuturno uſu didicerant, *iubere eum ſpecie recuſantis recuſare ſpecie cupientis.* Illuſtrabit hanc obſervationem TACITUS *Annal. Libr. I. Cap. III.*

§. CXXXVI.

Superſunt ACTIONES, quas quales eſſe oporteat *ambitioſorum, voluptuoſorum, avarorum*, facile unuſquiſque animadvertit. Id modo obſervandum, non ex una alterave actione judicandum eſſe de propenſione hominis, ſed ex longa earum ſerie. Sic verum eſſe deprehendet, quae toties inculcat Servator noſter, *qualis ſit arbor, tales eam fructus laturam* (*).

Signa ex hominum actionibus petenda.

[*] Quare peſtilentiſſimi ſunt homines, & ad omne ſcelus profligati, in quos cadit elogium CORNELII NEP. *in Alcib. Cap. I. Conſtat enim inter omnes, qui de eo memoriae prodiderunt, nihil illo fuiſſe excellentius vel in virtute, vel in vitiis.* Adde Timaei & Theopompi de eo teſtimonia apud eumdem, *Cap. XI.*

CAPUT III.

DE SUMMA FELICITATE, AD QUAM HOMO CONTENDIT.

SECT. I.

DE BONO ET MALO GENERATIM.

§. CXXXVII.

EXpenſa natura hominis morali, proximum eſt, ut veram illam felicitatem, ad quam ille perducendus eſt, paullo accuratius conſideremus. [§. VIII.]

Connexio.

§. CXXXVIII.

Et eum quidem finem homini vel ipſa natura oſtendit, ut ad ſummam, ad quam adſpirare poteſt, felicitatem contendat. Voluntas enim ſemper bonum adpetit, [§. XXIX.] vera autem felicitas in veri boni fruitione malique abſentia manifeſto conſiſtit,

Hominis inclinatio naturalis ad felicitatem.

ſeu, ut CICERO *Tuſc. quaeſt. Libr. V. Cap. X.* loquitur, felicitas eſt *ſecretis malis omnibus cumulata bonorum complexio.*

§. CXXXIX.

Ea quotuplex?

Quum itaque *felicem eſſe* ſit bono vero frui: [§. CXXXVIII.] & multi tamen qui bonis variis, & iis quidem veris, praediti ſunt, ideo felices non videantur: conſequens eſt, ut felices dicendi ſint (*), aut qui omnibus bonis fruuntur, aut qui poſſident bonum ſummum & praeſtantiſſimum, quod facile reliquorum omnium pretium aut exſuperet, aut ſaltim exaequet.

[*] Ita ſummam felicitatem definivit PLATO apud CICERONEM *Quaeſt. acad. Libr. I. Cap. VI.* ubi ait: *In una quidem virtute poſitam beatam vitam, non tamen beatiſſimam, niſi adjungerentur & corporis bona, & cetera ad virtutis uſum idonea.*

§. CXL.

Conſiſtit in fruitione boni praeſtantiſſimi.

Quia autem omnibus bonis ſe fruiturum, homo naturae ſuae ſibi conſcius ſperare vix poteſt: ſufficere ei ad veram felicitatem debet poſſeſſio boni ſummi & praeſtantiſſimi, quod reliqua omnia aut ſuperat, aut exaequat (*).

[*] Quemadmodum enim, ubi ſorte res agitur, & in medio poſitae ſunt diverſae ſummae pecuniae, veluti 10000, 1000, 500, 100, 50, 20, 10, 5, 1. florenorum, unuſquiſque optat ſibi copiam dari ſummae maximae, ſi omnes conjunctim ſperare non liceat: ita & homini eo enitendum, ut quando omnibus bonis abſolute perfrui nequit, ſummo ſaltim et perfectiſſimo potiatur. Ipſe Servator Luc. X. 42. *Unum*, inquit, *neceſſarium eſt, Maria* τὴν ἀγαθὴν μερίδα ἐξελέξατο, *optimam portionem elegit.*

§. CXLI.

Ergo de bono generatim agendum.

Ut autem ex tot bonis, quae omnis boni dator, Deus, humano generi dedit, maximum & praeſtantiſſimum eligatur: de natura BONI & MALI paullo accuratius erit agendum.

§. CXLII.

Quid bonum? quid malum?

BONUM adpellamus, quidquid rem conſervat ac perficit, adeoque, ſi id ad hominem refertur, bonum illi erit, quidquid hominem conſervat ac perficit; MALUM, quod eumdem deſtruit ac deteriorem reddit (*).

(*) Si ergo malum repugnat naturae noſtrae & eſſentiae, adeoque deſtruit τὸ *eſſe*, vocatur PHYSICUM: ſin repugnat voluntati Dei & deſtruit τὸ *bene eſſe*, MORALE dicitur. Quae diviſio etiam ad bonum pertinet.

§. CXLIII.

Bonum verum & adparens.

Quum igitur quaedam hominis naturam credantur conſervare & perficere, quae eam re vera deſtruunt; quaedam eamdem deſtruere aut deteriorem reddere videantur, quae vere conſervant ac perfi-

perficiunt: *bonum* aeque ac *malum* vulgo in VERUM & ADPARENS dividunt, quamvis bonum adparens verum malum; malum adparens verum bonum, adeoque tota diviſio inepta ſit (*).

(*) Eſt ergo potius diſtinctio, per quam vocabulum BONUM ab aequivocatione liberatur. Ariſtotelicis tamen ea genuina diviſio viſa eſt, quia bonum ipſis erat *congruentia cum aliquo adpetitu.* ARISTOT. *Eth. ad Nicom. Libr. I. Cap. I.*

§. CXLIV.

Abſolutum & reſpectivum.

Deinde, quemadmodum res aliqua ita nos conſervat ac perficit, ut ejus fruitio non poſſit detrimentum adferre: alia (*), prout bene vel male ea utimur, nos vel conſervat vel deſtruit: ita facile intelligitur diviſio nova, quod aliud bonum ſit SIMPLICITER & ABSOLUTE tale, aliud certo RESPECTU, vel SECUNDUM QUID (**).

(*) Quum vero detrimentum nobis adferatur, aut dum τὸ *eſſe* deſtruitur, aut dum τοῦ *bene eſſe* privamur: [§. CXLII. *] neutrum cadit in bonum abſolutum: & hinc illud & *utile*, & *honeſtum*, & *jucundum* eſſe oportet, e. g. virtus.

[**] Et hoc etiam dicitur ἀδιάφορον, ſeu *indifferens*, quod vere nec bonum nec malum ſit, ſed tale fiat, ſi certis uſibus adhibeatur.

§. CXLV.

Activum & paſſivum.

Porro quum homo vel *agendo* aliquid ſe perficiat & conſervet, vel *patiendo*, ſeu *recipiendo*: priore caſu bonum ACTIVUM; poſteriore PASSIVUM adpellatur.

§. CXLVI.

Privativum & poſitivum.

Per ſe quoque patet bonum vel ideo nos perficere, quia conſervat, i. e. mali quid a nobis avertit, vel, quia perficit, & utilitatis quid adfert. Hinc illo caſu bonum PRIVATIVUM; hoc POSITIVUM dicitur (*).

[*] Hinc facile patet, ubi bonum ſimul *privativum*, ſimul *poſitivum* eſt, illud κατ' ἐξοχὴν bonum eſſe. Sic dum Servator nos non ſolum ab aeternis cruciatibus redemit, ſed & ſempiternam beatitudinem ſua obedientia meruit, dubitari non poteſt, quin hoc beneficium ſit inaeſtimabile.

§. CXLVII.

Ordinarium & extraordinarium.

Eſt etiam bonum, quod nos in *ſtatu naturali* conſervat. Eſt aliud, quod in *ſtatu praeternaturali* deſtructionem a nobis avertit. Illud ORDINARIUM; hoc EXTRAORDINARIUM vocamus (*).

[*] Sic cibus, potus, motus, ſunt bona hominis *ordinaria*; medicamenta, venae ſectiones, cauteria, ſectiones, *extraordinaria*.

§. CXLVIII.

Corporis & animis.

Denique, quae immediate ad corporis conſervationem ac perfectionem comparata ſunt, bona CORPORIS; quae mentem perficiunt ac conſervant, bona ANIMI nuncupantur. Quae diviſio cum altera, quae bona quaedam ad vitam *vegetativam*, quaedam ad *ſenſitivam*, quaedam ad *rationalem* pertinere dicuntur, facile poterit conciliari (*).

[*] Quae enim vitam *vegetativam* vel *ſenſitivam* perficiunt, immediate proſunt *corpori*; quae *rationalem*, animo.

§. CXLIX.

Axiomata de bono primum & ſecundum.

Quum itaque homini bonum ſit, quidquid eum conſervat, ac perficit: [§. CXLII.] conſequens eſt, 1. ut quo magis res ad conſervationem ac perfectionem noſtram facit, eo melior, & 2. quo magis imperfectos nos reddit, aut deſtruit, eo pejor habenda ſit.

§. CL.

Tertium, quartum, quintum.

Deinde quum mens noſtra corpore ſit praeſtantior: [§. XIV.] facile intelligitur, 3. bonum, quod mentem perficit, bonis corporis eſſe praeferendum, nec tamen, 4. quae corpori proſunt, plane pro malis vel indifferentibus eſſe habenda (*). 5. Bonum, quod & mentem & corpus perficit vel conſervat, multo praeſtantiſſimum eſſe.

[*] Hinc abſurde Cyrenaici vitam pro *malo*, mortem pro *bono* quodam venditabant, [H. §. LVII.] Nec minus errabant Stoici, qui ſolam *virtutem bonam*, ſolum *vitium malum*, reliquas res omnes nec bonas nec malas eſſe cenſebant, [H. §. LXXXI.] Quum enim bonum homini ſit, quod eum; id eſt, ejus eſſentiam, conſervat, & perficit, [§. CXLII.] ad eſſentiam autem hominis non modo mens, ſed & corpus pertineat: [§. XI.] ea quoque, quae corpus conſervant & perficiunt, bona eſſe oportet. Q. E. D.

§. CLI.

Sextum, ſeptimum & octavum.

Quum porro, qui non eſt, nec felix eſſe poſſit: [L. §. XV.] conſequens eſt, 6. ut conſervari magis expediat, quam perfectiorem fieri, adeoque 7. bonum *privativum poſitivo* ſit praeſtantius, 8. praeſtantiſſimum autem, quod ſimul privativum, ſimul poſitivum eſt, [§. CXLVI.] (*)

[*] Erravit ergo Epicurus, & quicumque illum ſequuti ſummum hominis bonum in ἀναλγησίᾳ ſeu *indolentia* poſitum exiſtimant, [H. §. LXXXVIII.] Eſt enim hoc bonum privativum, quod poſitivo comparate praeſtantius, at non praeſtantiſſimum eſt.

§. CLII.

Nonum & ſequentia.

Porro ex definitionibus boni *abſoluti* & *ſecundum quid*, [§. CXLIV.] *activi* & *paſſivi*, [§. CXLV.] *ordinarii* & *extraordina-*

rii

rii [§. CXLVII.] fluunt axiomata: 9. Bonum *paſſivum*, quia propter activum eſt, huic merito poſthabendum. 10. Bonum extraordinarium in ſtatu naturali fit malum, aeque ac ordinarium in ſtatu praeternaturali. 11. Quod bonum minus nos fruitione majoris boni privat, illud malum fit. 12. Quod malum majus malum, ipſamque deſtructionem a nobis avertit, fit bonum (*). 13. Bonum verum ſimpliciter tale ſimul jucundum eſt, ſimul honeſtum, ſimul utile, [§. CXLIV.*].

[*] Hinc regulae 1. *Ex duobus malis* [*phyſicis*] *eligendum eſt minus.* e. g. melius eſt, digitum amittere, quam vitam. 2. *Ex duobus malis moralibus neutrum eligendum, niſi favor neceſſitatis excuſet.* e. g. ſi quis Nero Chriſtianum aut ſacrificare aut adulterium admittere juberet, neutrum faciendum eſſet. 3. *Ex duobus malis, quorum alterum morale, alterum phyſicum eſt, phyſicum eſt eligendum*; [§. CL. 3.] e. g. ſatius videbatur Joſepho, vincula ferre, quam in herae amplexus ruere.

§. CLIII.

Vita & mors bonae an malae?

Et quibus axiomatibus facile patet, 1. in nobis VITAM eſſe bonum praeſtantiſſimum, [§. CL. 5.] niſi quis ita vivat, ut ſpe majoris felicitatis excidat [§. CLII. 11.] At 2. MORTEM in ſe malum quid eſſe, [§. CXLII.] niſi nos majoribus malis ſubducat (*). [§. CLII. 12.]

[*] *Mors* puta naturalis. Quam enim ipſe ſibi homo adſciſcit, voluntariam numquam bonam eſſe, facile patet. Voluntas hominis fertur in bonum, [§. XXVIII.] & ex Dei quidem intentione in bonum verum, quia adparens non bonum, ſed malum eſt. [§. CXLIII.] Jam quum verum bonum ſit, quod nos conſervat & perficit; [§. CXLII.] voluntas noſtra ex intentione Dei ferri debet in ſui conſervationem & perfectionem. Ergo αὐτόχειρ, dum ejus voluntas fertur in ſui deſtructionem, agit contra intentionem Dei, adeoque committit malum morale, [§. CXLII.*] Jam quum malum morale numquam eligendum ſit: [§. CLII. * 2. 3.] αὐτοχειρία etiam numquam eligenda eſt, adeoque hoc ſenſu mors numquam bona fieri poteſt. Q. E. D.

§. CLIV.

An indifferentes?

Ex quo porro colligimus, 3. ne illos quidem recte ratiocinari, qui MORTEM in ſe pro indifferente habent (*), quum in meo arbitrio non ſit, mori velim, nec ne, adeoque morte nec bene nec male uti poſſim, ſed tantum a Deo eam exſpectare debeam, [§. CLIII.*]

[*] Itaque adparet, in paralogiſmum abire ratiocinationem: *quia vita bona eſt, etiam finis vitae malus eſſe non poteſt*, MARC. ANTONIN. εἰς ἑαυτὸν *Libr. IX. §. XXI.* Nam alius eſt finis, qui rei bonae pars eſt, alius, qui rem bonam deſtruit. Ita ſi adnumerem tibi 100. aureos, centeſimi adnumeratio mala non erit, quamvis finis iſtius actus adſit. At ſi habeas 100. aureos, eique

 poſſeſ-

poſſeſſioni finem adferat incendium, vel furtum, finem hunc poſſeſſionis nemo negabit malum eſſe, quamvis ipſa poſſeſſio bona ſit.

§. CLV.

An bona ſanitas, robur, forma, ingenium?

Idem 4. de SANITATE, ROBORE, FORMA, INGENIO, aliiſque, quae natura in homine ſunt, dicendum, niſi eorum fruitio te majore bono privet, [§. CLII. 11.] quemadmodum 5. morbus, dolor, infirmitas, deformitas, ſtupor pro malis merito habentur, niſi majori evitando malo occaſionem praebeant, [§. CLII. 12.]

§. CLVI.

An ſcientia, artes, agilitas?

Quas ſtudio ac exercitatione adquirimus, perfectiones intellectus, veluti SCIENTIA, ARTES, AGILITAS CORPORIS cet. in ſe bonae ſunt, at ſcientia, & celeritas ingenii praeſtantiora bona quam artes & agilitas corporis [§. CL. 3.] At ſi quis tamen abutatur his praeſidiis ad vitia, ea malorum nomen merito induunt (*), [§. CLII. 11.]

[*] Abſurde ergo laudaret quis *pulcritudinem* Thaidis, *ſcientiam* Spinozae, *artem* ejus, qui falſam monetam cudit, *celeritatem ingenii* in Pſeudolo Plautino, *agilitatem* corporis in Cartuchio; vel fure alio, cui ingenium omne in digitos abiit.

§. CLVII.

An virtus & vitium?

Praeterea, quum VIRTUS vere ſit bonum honeſtum, jucundum, utile: [§. CXLIV. *] ſequitur ut illa vere bona ſit, [§. CLII, 13.] quemadmodum VITIUM abſolute & ſimpliciter malum eſt, adeoque numquam admittit excuſationem (*).

[*] Et hinc regula fluit: *non ſunt facienda mala, ut eveniant bona*, & recte Apoſtolus, ita ſentientium κρίμα ἔνδικον εἶναι, *comdemnationem juſtam eſſe*, *Rom.* III. 8. Ita peccarunt Saul & populus, res Amalekitarum devotas diripientes, ne ſacrificia deeſſent, 1. *Sam.* XV, 21. Nec obſcurum inde eſt, quo vitio laboret principium illud famoſum Jeſuitarum, quod nomine *methodi dirigendi intentionem* adpellitant, [H. §. XCI.]

§. CLVIII.

An entia naturalia & moralia extra nos poſita?

Quae *extra nos* poſita ſunt, ENTIA ſive NATURALIA, ut *cibus*, *potus*, *aurum*, *argentum*, ſive MORALIA, ut *fama*, *honor*, *dignitas*, vere *indifferentia* ſunt: [§. XLIV. **] adeoque *bona* ſi iis recte utaris; *mala*, ſi perperam (*).

[*] Sic cibi, potus, & reliqua omnia ſunt bona, ſi iis utaris ad vitam & ſtatum tuum conſervandum. At malorum ſemper iliadem cibus & potus attulerunt *luxurioſis*, aurum & argentum *Euclionibus*, honor & dignitas *tyrannis*, & ambitioſis omnibus, qui

Tolluntur in altum
Ut lapſu graviore ruant.

§. CLIX.

§. CLIX.

Multo magis HOMINES, qui nobiſcum in ſocietate vivunt, *boni* nomen merentur, ſi virtute praediti ſumus, *mali*, ſi vel nos, vel ipſi, vitiis indulgemus (*). An homines?

[*] Homines enim aut *flagitiis* adhuc ſunt contaminati, aut *virtuti* ſtudent. *Hoc caſu* nobis non aegre facient, ſi & ipſi virtutem ſectamur. Infra enim demonſtrabimus ſuo loco, inter homines virtute praeditos veram intercedere amicitiam. *Illo caſu* nec nocere nobis poſſunt, nec nos deſtruere, vel perfectionibus privare. Potius eorum malitia virtutem noſtram acuit, exercet, provehit. *Hinc* illa aurea Socratis, judicium capitale ſubituri, verba apud EPICTET. *Enchir. Cap. ult.* Ἐμὲ δὲ Ἄνυτος καὶ Μέλιτος ἀποκτεῖναι μὲν δύνανται, βλάψαι δὲ οὔ: *me autem Anytus & Melitus occidere ſane poſſunt, laedere vero non poſſunt.* Contra ſi mali ſumus: mali homines nobis non poſſunt non nocere: ſive amici nobis ſint, ſive inimici: *boni* nobis non aliter proderunt quam ſi nos ab iis emendari patiamur. Hinc verum eſt, diverſo reſpectu *hominem homini Deum, angelum, lupum, diabolum eſſe.*

§. CLX.

Et quid denique de DEO dicamus, qui, quum & eſſe nobis dederit, & id ſolus conſervet, & quod caput rei eſt, tamquam ens perfectiſſimum, non poſſit non eos, qui illo fruuntur, bonis innumeris beare, bonum vere abſolutum eſt, nec proprie ulli nocere poteſt? An Deus?

[*] Poſſet quidem deſtruere hominem & perdere, ſi vellet. Sed quia non vult, nec ſane poteſt. Atqui pereunt, qui ejus voluntati non parent. Immo pereunt, at non perdit eos Deus, ſed ipſi ſuo ſibi jumento hoc malum arceſſunt. *Perditio tua ex te, Iſrael.* Quo enim pacto felices eſſent, qui a vero bono ſe alienant? Praeclara ſunt, quae in hanc rem diſſerit SENECA *Epiſt. XCV. Quae cauſſa eſt Deo bene faciendi? Natura. Errat, ſi quis putat, illum nocere velle. non poteſt. nec accipere injuriam poteſt, nec facere, cet.*

§. CLXI.

Tam multa bona ſunt, quae hominem ubique circumſtant. Sed quum in his quaedam in ejus poteſtate non ſint, veluti ſanitas, robur, forma, ingenium, opes, honores, quaedam fluxa ac minus ſtabilia, veluti praeter haec omnia ipſa ſcientia: facile patet, neminem temere eſſe mortalium, qui ea omnia conjunctim & perpetuo poſſideat, adeoque ex tot bonis eligendum eſſe ſummum ac praeſtantiſſimum, [§. CXL.] in eoque inveniendo non aberraturum, quicumque axiomata de bono & malo, luce meridiana clariora; [§. CXLIX. *ſeqq.*] in conſilium adhibuerit. Quum haec bona omnia ſimul conſequi nequeamus, praeſtantiſſimum quaerendum.

SECT. II.

DE SUMMO BONO.

§. CLXII.

Summum bonum quid?

SUMMUM itaque BONUM eſt bonum omnium praeſtantiſſimum; cujus fruitio reliqua bona omnia aut adaequat, aut ſuperat, (§. CXL.) & hinc hominem, expleto ejus deſiderio, vere felicem ac tranquillum reddit. Hoc bonum finis ultimus eſt, ad quem contendimus (*). Eo autem potiti, non poſſumus non ſimul vera felicitate potiri.

(*) Non ergo felicitas & tranquillitas eſt ultimus hominis finis, ſed ſummi boni fruitio, quacum vera felicitas & tranquillitas animi ſemper conjuncta eſt. Non appetimus *ſummum bonum*, ut *felices* ſimus: ſed ideo *felices* ſumus, quod *ſummo bono* perfruimur. Nec poſſet bonum hoc *ſummum* adpellari, ſi propter aliud bonum adpeteretur, i. e. propter *felicitatem*. Elegantiſſime ſummum bonum deſcribit CICERO *de fin. Libr. I. Cap. IV. quod ſit illud extremum, & ultimum, quo ſint omnia bene vivendi & recte faciendi conſilia referenda, quid ſequatur natura, ut ſummum ex rebus expetendis, quid fugiat, ut extremum malorum.*

§. CLXIII.

Ejus character primus.

Quum itaque bonum omnes adpetamus naturaliter, (§. XXIX.) adeoque & nemo ſit mortalium, quin ſummo bono perfrui cupiat: facile patet, I. id bonum ita comparatum eſſe oportere, ut ab omnibus, media non adſpernantibus, poſſit obtineri (*).

(*) Quum enim omnibus naturale ſummi boni deſiderium inſeverit Deus, & is tamen fruſtra nihil faciat: neceſſario etiam vult, ut homines id conſequantur. Quare vult etiam, ut ab omnibus media non adſpernantibus poſſit obtineri. Eleganter ARRIANUS in *Diſſert. Epictet. Libr. III. Cap. III.* Πέφυκε δὲ πᾶσα ψυχὴ, ὥσπερ τῷ ἀληθεῖ ἐπινεύειν, πρὸς τὸ ψεῦδος ἀνανεύειν, πρὸς τὸ ἄδηλον ἐπέχειν, οὕτω πρὸς μὲν τὸ ἀγαθὸν ὀρεκτικῶς κινεῖσθαι πρὸς τὸ κακὸν ἐκκλιτικῶς, πρὸς δὲ τὸ μήτ' ἀγαθὸν μήτε κακὸν οὐδετέρως; *omnis mens ut naturaliter propenſa eſt, & vero adſentiri, & a falſo diſſidere, & in ambiguis ſe ſuſtinere: ita ei inſitum eſt, ut ad bonum appetitu incitetur, malum refugiat, & in his, quae nec bona, nec mala ſunt, in neutram partem moveatur.* Id quod deinde eleganter illuſtratur exemplo numiſmatis, imaginem Caeſaris circumferentis.

§. CLXIV.

Secundus.

Quandoquidem etiam bonum hoc oportet eſſe omnium praeſtantiſſimum: (§. CLXII.) conſequens eſt, II. ut praecipue mentem conſervare ac perficere debeat, ſiquidem animi bona bonis corporis praeſtantiora eſſe, inter omnes conſtat, (§. CL. 3.) qui non ſunt Ariſtippi de grege porci, (H. §. LVI.)

§. CLXV.

§. CLXV.

Quumque circa *bonum* proprie voluntas; circa *verum* intellectus verſetur: (§. XV. XVI.) merito inferimus, III. ſummum bonum voluntatem perficere, eam libertate donare, morbos ſeu vitia ejus curare, & hinc ſummam illam infelicitatem, quacum vitiis obruti homines confliƈtantur, tollere debere. Tertius.

(*) Quum enim bonum excellentiſſimum ſit, quod ſimul privativum eſt, ſimul poſitivum: (§. CLI, 8.) non obſcurum eſt, ſummum bonum & vitia voluntatis curare, & hanc facultatem integritati libertatique ſuae reſtituere debere.

§. CLXVI.

Praeterea quum, ſi propter aliud expeteretur ſummum bonum, hoc nomen tueri non poſſet: [§. CLXII. *] facile intelligitur, IV. illud ita comparatum eſſe debere, ut nullum ſit praeſtantius, propter quod expetendum videatur. Quartus.

§. CLXVII.

Denique quum in fruitione iſtius boni ſummi vera hominis felicitas poſita ſit, (§. CLXII.) adeoque non major infelicitas excogitari poſſit, quam amittere ſummum bonum: conſequens eſt, V. ut bonum hoc perpetuum, & extra omne id amittendi periculum conſtitutum eſſe debeat. Quintus.

§. CLXVIII.

Itaque quum omnia haec axiomata ex ipſo ſummi boni conceptu ſua ſponte fluant: dubitari nequit, *quin id demum, in quod omnia illa attributa eſſentialia cadunt, pro ſummo bono habendum ſit.* Id quod quum parum obſervarint veteres philoſophi: non ſane mirum videbitur, eos hac in re mirifice diſſenſiſſe (*). Cui omnes characteres conveniunt, id ſummum bonum eſt.

(*) Si verum eſt, quod Varro apud AUGUSTIN. *de Civit. Dei Libr. XIX. Cap. I.* refert, ducentae & oƈtoginta oƈto diverſiſſimae philoſophorum hac de re fuerunt ſententiae. Sed in his pleraeque procul dubio tam abſurdae, ut non magis refelli mereantur, quam febricitantium ſomnia, (H. §. *ult.*).

§. CLXIX.

Proinde in proclivi eſt animadvertere errorem ARISTIPPI CYRENAICI, ſummum bonum in VOLUPTATE CORPORIS poſitum eſſe, ſomniantis, (H. §. LVI.) Quum enim ea nec animae bonum ſit, (§. CLXIV.) nec voluntatem perficiat & a morbis liberet, (§. CLXV.) ipſa quippe morbus graviſſimus & vitium peſtilentiſſimum, (§. LXXXI. *ſequ.*) nec denique perpetuo illa perfrui liceat hominibus: (§. CLXVII.) ea profeƈto ne boni quidem nedum ſummi boni cognomine cohoneſtanda eſt. Non ergo voluptas.

§. CLXX.

Nec voluptas animi, vel tranquillitas?

Et quamvis EPICURUS paullo verecundius philoſophatus, VOLUPTATEM ANIMI, id eſt, tranquillitatem ejuſdem & indolentiam, ſummum bonum ſtatueret: (H. §. LXXXVIII.) tamen quia & haec animi voluptas ſeu indolentia non eſt ſimul bonum poſitivum, (§. CLXV. *) nec propter ſe ipſam expetitur, (§. CLXVI.) nec denique perpetua eſt, (§. CLXVII.) ſummum bonum haberi nequit (*).

(*) Quin quum ideo voluptatem veram animo percipiamus, quod ſummo bono perfruamur: (§. CLXII. *) ea magis pro effectu ſummi boni, quam pro ſummo bono, habenda eſt.

§. CLXXI.

An divitiae & honores?

Faceſſant etiam, ſi qui DIVITIAS & HONORES pro ſummo bono venditant. Quis enim, niſi inſanus, illas res ſibi finem ultimum ſtatuat, quae nec ab omnibus obtineri poſſunt, (§. CLXIII.) nec mentem conſervant & perficiunt, (§. CLXIV. *ſequ.*) ſed eam potius tanto imperfectiorem reddunt, (§. CI. *ſequ.*) nec propter ſe ipſas expetuntur, (§. CLXVI.) nec ſempiternae ac perpetuae ſunt? (§. CLXVII.)

§. CLXXII.

An ſcientia, ſanitas, libertas?

Jam ſi porro SCIENTIAM, SANITATEM, LIBERTATEM, aliaque, quae nonnulli pro ſummo bono habuerunt, ad eumdem Lydium lapidem exegeris: res ipſa docebit, characteres ſummi boni illis haud quadrare.

§. CLXXIII.

An virtus?

Specioſior eſt eorum ſententia, qui vel *habitum* VIRTUTIS; vel *operationem ſecundum virtutem optimam* & *perfectiſſimam* ſummum bonum eſſe opinantur (*). Virtus enim, ut praeſtantiſſimum bonum ſit, non tamen ita comparata eſt, ut aliud non reperiatur praeſtantius. (§. CLXVI.)

[*] Hinc alterutram ſententiam plerique amplexi ſunt philoſophi. Priorem defendit PLOTIN. *Ennead. I. Libr. IV. qu.* 10. Poſteriorem ARISTOT. *Magn. moral. Cap. III.*

§. CLXXIV.

Solus Deus ſummum bonum eſt.

Quae quum ita ſint, inveſtigandum eſt aliud bonum, omnibus his praeſtantius, nec difficulter id inveſtigabimus & in DEO ſolo vere reperiemus, modo nos ipſos conſideraverimus paullo accuratius.

§. CLXXV.

Nos aeque, ac res

Mens noſtra perceptionum ſuarum ſibi conſcia eſt, (§. X.) adeoque

que certiſſimum eſt, nos cogitare, & res etiam extra nos poſitas percipere. Quum ergo de non ente cogitari nihil poſſit: (L. §. XV.) de noſtra profecto aliarumque rerum *exſiſtentia*, ſi vel maxime velimus, dubitare non poſſumus.

extra nos, exſiſtimus.

§. CLXXVI.

EXSISTERE aliquid dicitur vel NECESSARIO, quod non poteſt non eſſe, vel CONTINGENTER, quod poſſet etiam non eſſe. Sic nos etiam non eſſe poſſe, & hinc contingenter exſiſtere, vel inde patet, quod ante ducentos annos nemo noſtrum fuit.

Exiſtentia vel neceſſaria, vel contingens.

§. CLXXVII.

Quum ergo, quod *neceſſario* exſiſtit, non poſſit non exſiſtere: (§. CLXXVI.) conſequens eſt, 1. ut & ſemper fuerit, & numquam deſiturum, adeoque & 2. nulli mutationi obnoxium ſit. 3. Ut non habeat extra ſe cauſſam exſiſtentiae, adeoque 4. a ſe ipſo exſiſtat.

Entis neceſſario exſiſtentis attributa.

§. CLXXVIII.

Contra quum *contingentia* etiam eſſe non poſſent: (§. CLXXVI.) per ſe patet, 4. ea oriri ac interire, & hinc 5. variis mutationibus obnoxia eſſe, & 6. neceſſario cauſſam aliquam, cur exſiſtant, habere, adeoque 7. non eſſe a ſe ipſis. 8. Poſitis omnibus cauſſis, ponendam demum eſſe cauſſam primam, adeoque 9. progreſſum cauſſarum in infinitum non dari.

Nec non entium contingenter exſiſtentium.

§. CLXXIX.

Quia autem experientia docet, totum hoc univerſum varias ſubire mutationes, & quae mutationi obnoxia ſunt, contingenter exſiſtunt, (§. CLXXVIII, 5.) quae contingenter exſiſtunt, cauſſam, cur exſiſtant, habere debent: (§. *eod.* 6.) conſequens eſt, ut totum hoc univerſum exſiſtentiae ſuae cauſſam habere debeat, haecque ab univerſo, tamquam effectu ſuo, ſit diverſa. Ergo datur cauſſa hujus univerſi, ab univerſo diſtincta.

Univerſum hoc habet cauſſam exſiſtentiae a ſe diverſam.

§. CLXXX.

Ea cauſſa, quum ab univerſo diſtincta ſit, (§. CLXXIX.) ipſa quoque aut ens *contingens* fuit, aut *neceſſarium*. Si *contingens eſſet*: ipſa quoque haberet ſui cauſſam, (§. CLXXVIII, 6.) & quum progreſſus cauſſarum in infinitum non detur: (§. CLXXVIII, 9.) demum tamen ſubſiſtendum eſſet in cauſſa quadam prima. Sin *neceſſaria* eſt, a ſe ipſa, (§. CLXXVIII, 4.) & ſic quoque cauſſa prima erit rerum omnium. Ergo datur cauſſa univerſi ab univerſo diſtincta, quae ſimul cauſſa prima eſt, adeoque ſui cauſſam non habet, id eſt neceſſaria, & a ſe ipſa exſiſtens.

Cauſſa illa eſt prima & a ſe ipſa exſiſtens.

§. CLXXXI.

Et hinc ens perfectiſſimum, id eſt, Deus.

Quia porro haec cauſſa eſt ens neceſſarium & a ſe ipſo exſiſtens: (§. CLXXX.) ea ſane erit immutabilis. (§. CLXXVII, 2.) Si immutabilis eſt, nec addi ei quidquam poteſt, nec detrahi. Ergo eſt ens perfectiſſimum: adeoque cauſſa hujus univerſi prima & ab ipſo univerſo diſtincta, eſt ens perfectiſſimum, id eſt, Deus.

§. CLXXXII.

Deus eſt ens ſimplex:

Ex hoc (§. CLXXXI.) ſequitur etiam, ut Deus non ſit ens compoſitum, ſed SIMPLEX. Si enim compoſitus eſſet, partes, ex quibus conſtat, eſſent eo priores, adeoque ipſe haberet exſiſtentiae ſuae initium, nec eſſet a ſe ipſo. (§. CLXXVII, 1.)

§. CLXXXIII.

Spiritus.

Quum ſit ſimplex; (§. CLXXXII.) non poteſt eſſe corpus; quippe quod ſine partibus & extenſione concipi nequit. Eſt ergo *ſpiritus* (*), adeoque ſubſtantia perfectiſſime cogitans. (§. XI.)

[*] Quod non animadvertens JO. CLERICUS *Part. I. Log. Cap. VIII. §. V. & Pneumatol. Sect. III. Cap. III. §. XVII.* Deo non tantum ſpirituum, ſed & corporum, immo & omnium entium proprietates tribuit.

§. CLXXXIV.

Aeternus, independens, infinitus, incomprehenſibilis, omnipraeſens, unus.

Dum Deus a ſe ipſo eſt, (§. CLXXX.) eſt etiam ens AETERNUM, & INDEPENDENS. Dum nec addi ei, nec detrahi quidquam poteſt, eſt ens INFINITUM, & hinc INCOMPREHENSIBILE, OMNIPRAESENS (*) & UNUM.

[*] Si enim Deus eſt ens infinitum: mens noſtra finita eum cogitando capere non poteſt, & hinc eſt ens *incomprehenſibile.* Quia deinde ens infinitum certo loco includi nequit, eſt *omnipraeſens.* Quia denique ens infinitum eſt, infinitum autem non niſi unum concipi poteſt, Deus tantum *unus* ſit, oportet.

§. CLXXXV.

Intelligens, ſapiens, praeſcius, libere volens, omnipotens.

Comparatis inter ſe ideis cogitationis & entis perfectiſſimi, (§. CLXXXIII.) ſua ſponte ſequitur non poſſe non Deum eſſe ens INTELLIGENS, SAPIENTISSIMUM, PRAESCIUM, OMNISCIUM, LIBERRIME VOLENS, OMNIPOTENS (*).

[*] Quod ergo vult, etiam poteſt. Nihil autem vult, niſi quod ſapientiae ſuae eſt conſentaneum. Et hinc facile patet, cur non poſſe dicatur efficere, ut contradictoria ſint vera, & cur negetur, eum mentiri poſſe.

§. CLXXXVI.

Verax, juſtus, bonus.

Cum ergo nihil poſſit, niſi quod vult: (§. CLXXXV.) ſequitur, ut ſit VERAX, JUSTUS, BONUS, omneſque virtutes in Deo reperiantur in gradu eminentiſſimo.

§. CLXXXVII.

§. CLXXXVII.

Talis eſt Deus. Jam quis negaverit, eum bonum infinitum, ac omnium praeſtantiſſimum, quin abſolute tale eſſe, adeo, ut ei id nomen κυρίως & κατ' ἐξοχὴν omnino competat (*)? Deus ergo eſt ſummum bonum,

[*] Hinc Germanis Deus dicitur GOTT, quaſi *Guth*. Et nota ſunt illa Servatoris Luc. XVIII, 19. τί με λέγεις ἀγαθόν; οὐδεὶς ἀγαθὸς, εἰ μὴ εἷς, ὁ Θεός: *Quid me vocas bonum? Nemo bonus, niſi ſolus Deus.*

§. CLXXXVIII.

Nec tantum *in ſe* & *abſolute* bonus eſt Deus: ſed & *homini* bonum praeſtantiſſimum, & hinc vere ſummum bonum unicum (*). Quod facile patebit, ſi attributa ſummi boni eſſentialia (§. CLXXIII. *ſeqq.*) conſideremus paullo accuratius, eaque cum conceptu Dei hucuſque explicato comparemus. Etiam ratione hominis conſideratus.

[*] Erravit ergo Epicurus, dum Deum conſideravit, tamquam ens *in ſe* beatum, immortale, ſempiternum, at otioſum, [H. §. LXXXIV.] & quod ad ſe non pertineret, adeoque & cultum illi nullum admodum exhibuit. Et qui potuit colere ens, quod ipſi bonum videbatur, at abſolute tantum, & in ſe, non in ordine ad homines? Quis noſtrum colit Japanorum regem, quamvis potentiſſimum, quem ad nos non pertinere probe novimus? At nec magis ad Epicurum pertinebat Deus otioſus, & ſua beatitudine in intermundiis perfruens. Sapiens itaque ex contemplatione naturae Dei colliget, eum non modo *abſolute*, ſed & *reſpective bonum* eſſe, & cum Epicteto apud ARRIAN. *Diſſ. Epictet. Libr. I. Cap. XVI.* cogitabit: Εἰ ἀηδὼν ἤμην, ἐποίουν τὰ τῆς ἀηδόνος. εἰ κύκνος, τὰ τοῦ κύκνου νῦν δὲ λογικός εἰμι. ὑμνεῖν με δεῖ τὸν θεόν. τοῦτο ποιῶ. οὐδ' ἐγκαταλείψω τὴν τάξιν ταύτην, ἐφόσον ἂν διδῶται: *ſi luſcinia eſſem, luſciniae officio fungerer; ſi olor oloris more facerem. Atqui compos ſum rationis. Itaque Deus mihi celebrandus eſt. Hoc officium meum eſt, hoc exſequor, nec deſeram hanc ſtationem, dum licuerit.*

§. CLXXXIX.

Quum enim ſummum bonum ita comparatum ſit, ut ab omnibus, media non adſpernantibus, poſſit obtineri? (§. CLXIII.) talis profecto eſt Deus, qui quanto amore homines proſequatur, tot praeclaris, quibus eos prae aliis animantibus condecoravit, beneficiis docuit. Jam quum amor ſit appetitio boni, (§. XXXVII.) appetitio boni autem cupiditas, ſe cum re uniendi: conſequens eſt, ut ex parte Dei nihil ſit, cur, qui media haud adſpernantur perfectiſſimum hoc bonum non poſſint obtinere. Quod probatur ex charactere primo.

§. CXC.

Si porro ſummi boni requiſitum eſt, ut mentem conſervet ac perficiat: (§. CLXIV.) quis magis id praeſtabit Deo, qui & exſiſtentiam menti dedit, & felicitatis omnis ſolus largitor eſt? Secundo.

§. CXCI.

Tertio. Et quis dubitet quaeſo, quin Deus voluntatem perficere, libertate donare, morboſque & vitia ejus tollere poſſit? (§. CLXV.) Perficitur voluntas, ſi verum bonum amat: id vero fit, ſi amat Deum. Qui Deum amat, non amplius ſervit adfectibus & inclinationibus pravis. Ergo in libertatem vindicatus eſt, & hinc nec vitiis amplius indulget, & virtuti ſtudet.

§. CXCII.

Quarto. Praeterea quemadmodum ſummum bonum ita comparatum eſſe oportet, ut propter ſe, ac non propter aliud, expetatur: (§. CLXVI.) ita hoc quoque ſummi boni attributum in Deum manifeſto cadit. Quid enim eſt quaeſo Deo praeſtantius, propter quod cum Deo uniri velis?

§. CXCIII.

Quinto. Denique quum bonum ſummum perpetuum ac extra amittendi periculum conſtitutum eſſe oporteat: (§. CLXVII.) nemini & id attributum magis competit, quam Deo, qui & ipſe in ſe ens immutabile, ac ſempiternum eſt, (§. CLXXXIV.) & amorem, quo ſemel hominem complectitur, non deponit, niſi ipſe homo ſe ab ejus conſortio divellat. (§. CLX. *)

§. CXCIV.

Concluſio demonſtrationis. Ex quibus omnibus ſua ſponte fluit ratiocinium: cui omnia attributa ſummi boni eſſentialia competunt: id ſummum bonum eſt, (§. CLXVIII.) At ea omnia competunt Deo, (§. CLXXXVIII. *ſequ.*) Eſt ergo Deus ſummum bonum. Q. E. D. (*).

[*] Id & gentiles philoſophi agnoverunt. Pythagoraeis ſummum bonum conſiſtebat ἐν ὁμοιώσει τοῦ θεοῦ, [H. §. XLIV.] idque & Platonici ſtatuebant, [*Ib.* §. LXVI.] Stoici finem philoſophiae moralis eſſe dicebant, naturae convenienter vivere: [*Ib.* §. LXXXI.] ſed plerique id interpretabantur de Deo. LIPS. *Introd. ad Stoic. philoſ. Libr. II. Diſſ. XIX.* Similia illa Cleanthis apud CLEM. ALEXANDRINUM:

Εἰ τὸ ἀγαθὸν ἐρωτᾷς μ', οἷον ἐστ',
ἄκουε δή.
Τεταγμένον, δίκαιον, ὅσιον, εὐσεβὲς,
Κρατοῦν ἑαυτοῦ, χρήσιμον, καλὸν, δέον,
Αὐστηρὸν αὐθέκαστον, ἀεὶ σύμφερον,
Ἄφοβον, ἄλυπον, λυσιτελὲς ἀνώδυνον,
Ὠφέλιμον, εὐάρεστον, ἀσφαλὲς, φίλον,
Ἔντιμον, ὁμολογούμενον - -
Εὐκλεὲς, ἄτυφον, ἐπιμελὲς, πρᾶον,
σφοδρὸν,
Χρονιζόμενον, ἄμεμπτον ἀεὶ διαμένον.
Ἀνελεύθερος πᾶς, ὅστις εἰς δόξαν βλέπει,
Ὡς δὴ παρ' ἐκείνης τευξόμενος καλοῦ
τινος.

Si quale ſit bonum, rogas, ita accipe:
Eſt ordinatum, juſtum, & eſt ſanctum,
pium,
Sui potens, commodum aliis, pulcrum,
decens,
Rectum atque conſtans, ſemper autem
conferens,
Expers metu, dolore, curis omnibus;
Juvans, benignum, ſtabile, amicum,
ama-

amabile,
Honore d[illegible]num, [illegible]fitendum, - -
E[illegible]glo[illegible]m, non ſuperbum, quod

Curam o[illegible], placens & viribus valens,
Aevi vetus, culpae inſcium, ſemper manens,

Ah vilis ille, opinionem qui adſpicit;
Tanquam duce hac venturus ad veri ſcopum!

Praeclara haec, & ἐν ὀλίγῳ Chriſtiana, ſed quorum ſimilia permulta apud veteres illos pago deditos philoſophos paſſim occurrunt.

§. CXCV.

Ex iiſdem autem ſummi boni characteribus, quo vinculo cum Deo, tamquam ſummo illo bono, conjungamur, facile patet. Quia enim ſummum bonum perpetuum, & extra omne amittendi periculum conſtitutum eſſe debet: (§. CLXVII.) ſane non poteſt illud in corpore, tamquam ſubſtantia mortali conſiſtere, ſed in mente ſubſtantia indeſtructibili ac immortali (*). [§. XIII.]. Deo per fruimur mente.

[*] Quamvis enim & corpus ſummam ex unione cum Deo utilitatem capiat, primario tamen cum mente conjungitur Deus, & hinc facile patet, quo ſenſu & corpus piorum dicatur ναὸς τοῦ ἐν αὐτοῖς θεοῦ 1. *Cor. VI*, 19.

§. CXCVI.

Quumque mentis facultates ſint intellectus & voluntas, [XV. XVI.] intellectus autem circa *verum* tantum verſetur: experientia quidem docet, veri cognitione carere non poſſe, qui Deo frui cupit, at neminem ideo frui Deo, quod veritatis ſit ſcientiſſimus (*). Et quidem voluntate.

[*] Quare recte *Hebr. XI. 6.* ponitur, eum, qui ad Deum venire cupiat, credere debere, quod exſiſtat, & ſe quaerentibus μισθαποδότης futurus ſit. At acu rem non tetigere philoſophi, qui veritatis cognitionem veluti vinculum inter Deum & homines eſſe contenderunt. *Pythagoras* apud STOB. *Serm. XI.* interrogatus, τί ποιοῦντες ἄνθρωποι θεῷ ὅμοιοι; *quid facerent homines, quo ſimiles Deo evaderent?* reſpondit: ἐὰν ἀληθεύωσι, *ſi veritati ſtuderent.* Similia loca ex PORPHYRII *Vita Pythagorae*, HIEROCLIS *Commentario ad aurea Pyth. carmina* aliiſque veterum monimentis collegit SCHEFFER. *de nat. & conſtit. philoſ. Ital. Cap. VII. p. 47. ſequ.*

§. CXCVII.

Itaque hoc vinculum in voluntate quaerendum, cujus quum ſint duae operationes *appetere* & *averſari*: [§. XXVIII.] unusquiſque videt, *averſationem* nos cum Deo haud conjungere, ſed *appetitionem*, quae, dum in bonum fertur, uti ſemper fertur, AMOR vocari ſolet (§. XXXVII]. Eſt igitur amor vinculum illud, quo cum Deo conjungimur. Speciatim amore.

§. CXCVIII.

A Deo nos amari, jam ſupra ex inſigni ejus in genus humanum Qui vinculum in

bene-

ter Deum & homines. beneficentia demonſtratum eſt [§. CLXXXIX.]. Si ergo & homo amore in Deum fertur: non poteſt non inde praeclara illa conjunctio oriri, in qua veram conſiſtere felicitatem [illegible] ius.

§. CXCIX.

Amor complacentiae & concupiſcentiae. Diſtinguere hunc amorem ſolent in eum, quem COMPLACENTIAE vel PURUM, & CONCUPISCENTIAE vocant, quorum illo Deum tantum propter perfectiones; hoc etiam propter bona, quibus nos cumulat, amari aiunt. Sed quum Deus ſimul ens perfectiſſimum, [§. CLXXXI.] ſimul bonum ſummum ſit: [§. CXCIV.] fieri non poteſt, quin utroque genere amoris complectendus ſit, & in abſtractionem parum ſolidam abeat ſubtilis illa de amore Dei puro diſputatio (*).

(*) Eam jam moverunt Epicurei, eorumque adſeclae recutiti, Sadducaei. Inſtauravit eam controverſiam Cameracenſis, quae non ſine invidia agitata diutiſſime. Prodiere initio FRANC. DE SALIGNAC FENELON *Explication des maximes des ſaints ſur la vie interieure*, in quo libello auctor amorem purum inculcat. Huic LUD. ANT. NOALLIUS, archiepiſcopus Pariſienſis, cum BOSSUETO & GODETO, epiſcopis Meldenſi & Carnotenſi oppoſuere *Declarationem*, quae una cum ſuperiore libello recuſa eſt *Amſtel.* CIƆIƆCLXXXIX. 12. Sequuta eſt FENELONII *Inſtruction paſtorale*, eodem anno ibidem recuſa. Prodiere etiam *Apologia pro amore, quo Deum ſolum vere deſideramus poſſidere*, cet. itidem Fenelonio oppoſita, *Amſt.* CIƆIƆCXCVIII. & *Lettre d'un Théologien de Louvain à un Docteur de Sorbonne*, pro illo ſcripta, *Leod.* CIƆIƆCXCVIII. 8. *Le Chriſtianiſme éclairci*, *Amſt.* CIƆIƆCC. 12. cujus auctor ſe medium inter iſtos litigantes gerit. Ut ſimiles libellos ejus generis praetermittamus, tu adde *Acta erud. Anno* 1701. *p.* 394. *p.* 507. *Anno* 1704. *p.* 412. *Anno* 1708. *p.* 358. *p.* 461. ubi SAURINI, DE LA PLACETTE, MALEBRANCHII, POIRETI, aliorumque ejus generis libelli recenſentur.

§. CC.

Nec non obedientiae, amicitiae & benevolentiae. Et quia amore aliquem proſequimur vel tamquam ens *perfectius*, vel tamquam nobis *aequale*, vel tamquam *inferius* atque *imperfectius*, primi generis amorem DEVOTIONIS vel OBEDIENTIAE; ſecundi AMICITIAE; tertii BENEVOLENTIAE vocare ſolent.

§. CCI.

Quali amore nos Deus complectatur? Ex quibus definitionibus conſequitur, ut Deus homines ſe amantes complectatur amore BENEVOLENTIAE, qui, quatenus nullo noſtro merito provocatur, GRATIA; quatenus nos ex miſeriis noſtris eripere cupit, MISERICORDIA (*) adpellatur.

(*) Eam & pago dediti philoſophi agnovere. Hinc preces illae: κύριε ἐλέησον, *domine miſerere*, quae non modo Chriſtianis a tot ſaeculis in litaniis ſolemnes fuere, ſed & jam apud ARRIAN. *in Diſſert. Epictet. Libr. II. Cap. VII.* occurrunt.

§. CCII.

§. CCII.

Ex parte autem hominis non poteſt non hic amor OBEDIENTIAE vel DEVOTIONIS eſſe, qui totum Dei cultum complectitur. Dum enim ejus perfectiones ac bonitatem intuemur, eum *amare*; dum illam cum ejus juſtitia & potentia conjungimus, eumdem *timere*; dum nobis praeter ejus bonitatem & potentiam, etiam omniſcientiam ad animum revocamus, omnem in eo *fiduciam collocare*; dum ejus amorem & ſapientiam contemplamur, *in ejus voluntate adquieſcere*; dum denique ejus juſtitiam cum noſtra ab illo dependentia contendimus, ei *parere* ac *obſequi* (*) nos debere facile animadvertimus. Qualem debeamus Deo? Unde cultus Dei internus?

[*] Et in his verus poſitus eſt cultus Dei internus. Sapienter XENOPHON Ἀπομνημονευμάτων *Libr. IV. Cap. III. §. XVI.* πῶς οὖν ἄν τις κάλλιον καὶ εὐσεβέστερον τιμῴη θεοὺς, ἢ, ὡς αὐτοὶ κελεύουσιν, οὕτω ποιῶν: *qui ergo poſſit aliquis rectius & religioſius Deos colere, quam ea, quae juſſerint, faciendo?*

§. CCIII.

Quumque, quem calidius amamus, ei, nos noſtraque omnia mancipare, ac veluti devovere ſoleamus quam libentiſſime: facile patet, & linguam *honorifice* de Deo *loquuturam*, ejuſque beneficia *praedicaturam*, [§. CLXXXVIII. *) & cum nemine *colloquuturam* libentius, quam cum Deo (*): membra quoque reliqua omnia provehendae Dei gloriae conſecrata fore. Unde externus?

[*] PLATO *in Timaeo p. 1046.* πάντες, ὅσοι κατὰ βραχὺ σωφροσύνης μετέχουσιν, ἐπὶ πάσῃ ὁρμῇ καὶ σμικροῦ καὶ μεγάλου πράγματος, Θεὸν ἀεί που καλοῦσιν: *omnes qui mentis compotes ſunt, in operis cujuslibet ſive magni ſive parvi exordio Deum invocant.* Adde ejuſdem *Epiſt. VIII.*

§. CCIV.

Ex quo de quaeſtione, *an cultu etiam externo Deus ſit proſequendus?* facile poteſt ferri judicium. Quamvis enim illo Deus haud indigeat: ſane nec interno indiget. Et ita natura comparatum eſt, ut affectus animi in verba aliaſque externas actiones non poſſit non erumpere. An Deus etiam cultu externo proſequendus ſit?

SECT. III.

DE SUMMI BONI EFFECTIBUS.

§. CCV.

QUale ſit ſummum bonum, hactenus vidimus. Jam demonſtrandum, non poſſe non cum ejus poſſeſſione veram felicitatem Summi boni effectus.

tatem conjunctam eſſe. Id quod, ſi effecta hujus poſſeſſionis ex-penderimus, facile deprehendemus.

§. CCVI.

Eſt illud ſimul jucundum, honeſtum, & utile.

Verum bonum ab *apparente* in eo differt, quod illu[illegible] JUCUNDUM, ſimul HONESTUM, ſimul UTILE ſit, [§. CXLIV. *] Id ergo de ſummo etiam bono, tamquam vere tali, erit adfirmandum.

§. CCVII.

Hinc ejus primus effectus tranquillitas animi.

JUCUNDUM illud eſſe facile patet. Quum enim Deus propter ſe ipſum expetatur, neque ſit aliud bonum praeſtantius, propter quod ſit expetendus: [§. CXCII.] non poteſt ſane mens, quin in ejus poſſeſſione adquieſcat. Ubi adquieſcit mens, ibi nec triſtitia, nec taedio, nec metu aliove adfectu perturbatur, [§. XXXII.] adeoque ſumma ſuavitate perfruitur. Id quod TRANQUILLITATEM ANIMI vocant philoſophi.

[*] SENECA *de Tranquillitate animi Cap. III. Innumerabiles proprietates ſunt, ſed unus effectus vitii, diſplicere ſibi. Hoc oritur ab intemperie animi, & cupiditatibus timidis, aut parum proſperis, ubi aut non audent, quantum concupiſcunt, aut non conſequuntur, & in ſpem toti prominent, ſemper inſtabiles, mobilesque, quod neceſſe eſt accidere pendentibus ad vota ſua. Omni vita pendent, & inhoneſta ſe ac difficilia docent coguntque, & ubi ſine praemio labor eſt, torquet illos irritum dedecus, nec dolent, prava, ſed fruſtra voluiſſe. Tunc illos & poenitentia coepti tenet, & incipiendi timor, ſubrepitque illa jactatio animi, non invenientis exitum, quia nec cupiditatibus ſuis imperare, nec obſequi poſſunt, & cunctatio vitae, parum ſe explicantis, & inter deſtituta vota torpentis animi ſitus.*

§. CCVIII.

Quid tranquillitas animi?

Eſt itaque TRANQUILLITAS animi adquieſcentia mentis in fruitione Dei, qua homo omnia, quae mentem perturbant, vincit, & in mediis calamitatum fluctibus non expaveſcit, ſed ſua conditione contentus & vivit & vivere deſinit.

§. CCIX.

Ejus cauſſa prima in intellectu?

Cauſſae tantae ſuavitatis quam plurimae. Quum enim de eo, quod vere amamus, adſidue ac cum incredibili voluptate cogitemus: quam jucundam quaeſo ſapienti oportet eſſe contemplationem Dei, in quo immenſam perfectionem, bonitatem, gratiam, miſericordiam, perſpicit, & majora ea omnia quotidie experitur, quam mente umquam adſequi potuit?

§. CCX.

Secunda in conſcientia.

Deinde quum improbis cruciatus maximos excitet mens, admiſſorum ſcelerum ſibi conſcia: [§. C.] nihil eſt, quod eos vereantur ſapientes, qui ſummi boni facti ſunt compotes. Quum

enim

enim Deum ament, & a Deo amentur: [§. CXCVIII.] cur ab eo ſervili metu abhorrerent? Et quum eum colant, honorent, ei obſequantur: cur ſe admiſſi ſceleris reos peragerent? Nonne ipſa potius conſcientia mens recti ipſis perpetuae epulae viderentur (*)?

[*] Hinc illa ἡδεῖα ἐλπὶς, *jucunda ſpes*, quam PLATO: illa, ἐλευθερία, ſeu *libertas*, quam PERIANDER conſcientiae rectae tribuebat: hinc ſolos SOCRATES ἀταράχως, id eſt, *citra perturbationem*, vivere dicebat, τοὺς μηδὲν ἑαυτοῖς ἄτοπον συνειδότας, *qui ſibi nullius abſurditatis eſſent conſcii.*

§. CCXI.

Tertia in voluntate.

Quumque voluntas quam maxime turbetur, ſi deſiderium ejus haud expleatur: (§. CI.) non eſt, quod id vereatur vir ſapiens, qui dum ſolum Deum anhelat, bonum infinitum anhelat, idque tale, quod ſolum iſtud deſiderium omnino explere poſſit.

§. CCXII.

Quarta in adfectibus.

Ceſſabunt etiam illi animi tumultus, quos adfectus excitare ſolent. Oriuntur enim hi ex repraeſentatione boni vel mali. [§. XXXII.] Qui autem ſummo bono potitus eſt, is nec bona minoris pretii tanti facit, ut eorum jactura excrucietur, nec mala ulla tam intolerabilia exiſtimat, ut eorum cauſſa ſe minus beatum judicet.

§. CCXIII.

Quinta in ſtatu hominis virtute praediti.

Aequo ergo animo carebit opibus, honoribus, & voluptatibus, quum ea omnia nec meliores reddant homines, & ſaepe eoſdem vera felicitate privent. Quin, quum & fiduciam in Deo omnem collocet, & in ejus voluntate unice adquieſcat, [§. CCII.] nec ea, quibus opus eſt, ſibi deeſſe, nec pauperiem, ignominiam, dolores ſibi nocere poſſe, perſuaſiſſimus erit.

§. CCXIV.

Sexta in morte.

Multo minus mortem metuet. Quamvis enim ea in ſe mali quid ſit: [§. CLIII.] accurate tamen intelligit ſapiens, illi, qui cum Deo unitus eſt, illam malam eſſe non poſſe, quia bonum illud ſummum eſt ſempiternum, [§. CXCIII.] adeoque a mente immortali amitti non poteſt, ſi vel maxime corpus in ſua elementa, ex quibus conflatum eſt, reſolvatur (*).

[*] Hinc facile patet, cur ARISTOTELES mortem adpellarit φοβερώτατον φοβερωτάτων. Nec minus unuſquiſque animadvertet, quid in PLATONIS *Phaedone*, & BOETHII libello *de conſolatione ex philoſophia* deſiderandum ſit. Denique non difficile erit, judicare, an ulla εὐθανασία eſſe potuerit eorum, qui immortalitatem mentis in dubium vocarunt, & cur tamen & Epicurei quidam, quin & athei, mira conſtantia diem obiiſſe ſupremum legantur. Addantur PETRUS BAELIUS *in Dict. hiſt. Crit. ſub voce* T. Lucrece *p.* 1809. & GOTTFRID. OLEARIUS *Diſſ. de morte contemnenda.*

§. CCXV.

Concluſio doctrinae de tranquillitate.

Ita ſapiens ſuae ſe virtuti involvit. Ita ſi fractus illabatur orbis, impavidum ferient ruinae. Ut paucis dicamus, ſapientis animus eſt, ſicut Olympus, qua nubes tranſcendit: ſemper ibi ſerenum eſt.

§. CCXVI.

Alter ſummi boni effectus, virtus.

Deinde quum omne bonum verum ſimul HONESTUM ſit: (§. CXLIV. *) ejus ſane poſſeſſionem cum vera VIRTUTE conjunctam eſſe oportet, adeoque is alter effectus erit, qui ex fruitione ſummi boni proficiſcitur.

§. CCXVII.

Quid virtus?

Eſt autem VIRTUS conſtans ac ſincera voluntas actiones ad divinae voluntatis normam inſtituendi (*).

[*] Sive autem ex *ratione*, ſive *ex revelatione* voluntas illa divina innoteſcat, perinde eſt. Non minus enim illi, quam huic, debemus obſequium, & aeque peccant, qui contra rectam rationem, quam qui contra legem Dei poſitivam aliquid admittunt. Ex quo ſimul patet, quam abſurda ſit illa Jeſuitarum de peccato *philoſophico* & *theologico* doctrina, quae ANTONIO ARNALDO vera viſa eſt haereſis, (H. §. XCI. *) Exſtant ejus *Nouvelle héréſie dans la morale, dénoncée au Pape, Colon.* CIϽIϽCLXXXIX. 12. item *Seconde Dénonciation de la nouvelle héréſie du péché philoſophique, Coloniae* CIϽIϽCXC. 12. *& Troiſiéme Dénonciation de la nouvelle héréſie du péché philoſophique, eod. ann.*

§. CCXVIII.

Virtus eſt voluntas.

Quum itaque virtus ſit *voluntas*: (§. CCXVII.) conſequens eſt, 1. ut *prudentia* a veteribus philoſophis pro virtute fruſtra habeatur, quippe quam ad habitus intellectuales pertinere, nemo temere negaverit. 2. Ut ſemper cum *ſtudio inquirendi in voluntatem Dei* conjuncta ſit.

§. CCXIX.

Conſtans.

Quum deinde ſit *conſtans* voluntas: (§. CCXVII.) conſequens eſt, 3. virtutem conjunctam eſſe cum *habitu* tali, ut homo nullam actionem malam, vel omiſſionem boni cum vera virtute conſiſtere poſſe ſtatuat, adeoque 4. numquam ſponte & ἐκ προαιρέσεως contra voluntatem Dei peccet (*).

[*] Et hinc recte Stoici virtutem omnem poſitam arbitrabantur in conſentiente cum ratione & perpetua conſtantia. CIC. *Paradox. III. Cap. I.* vel in *conſtante ac perpetua vitae ratione.* Idem de *Legib. Libr. I. Cap. XVII.* Vid. *Elem.* noſtra *Pandect. Part. I. §. II.* *)

§. CCXX.

Unica.

Quin exinde colligimus, 5. virtutes omnes inſeparabili vinculo connexas, immo 6. *unam* tantum virtutem eſſe, quum unica tantum

[illegible] ſit conſtans [illegible]c ſincera voluntas ad normam divinae voluntatis [illegible] (*).

[illegible] quoque viderunt Stoici, quamvis [illegible] ab aliis philoſophis perperam exag[illegible]i. Vid. LIPS. *Manud. ad philoſoph. Stoic. Libr.* III. *Diſſ.* IV. Et quid aliud ſibi volunt illa Apoſtoli: Ὅστις γὰρ ὅλον τὸν νόμον τηρήσει, πταίσει δὲ ἐν ἑνὶ, γέγονε πάντων ἔνοχος: *Qui enim totam legem ſervaverit, & transgreſſus fuerit unam, totius violatae legis ejus erit.* Jac. II. 11.

§. CCXXI.

Praeterea, quum *ſerium* eſſe oporteat viri boni propoſitum; ſecundum voluntatem divinam agendi: (§. CCXVII.) per ſe patet, 7. virtutem non in ſolis actionibus externis, ſed in emendata mente, conſiſtere, & 8. ex hac deinde actiones virtuti conſentaneas ſua ſponte proficiſci (*). Seria.

(*) Et hinc aliud *juſta*: aliud *juſte agere*. Eleganter PHILEMON apud STOBAEUM *Serm.* IX.

Ἀνὴρ δίκαιός ἐστιν, οὐχ ὁ μὴ ἀδικῶν,
Ἀλλ' ὅς, τις ἀδικεῖν δυνάμενος μὴ βούλεται,
Οὐδ' ὃς τὰ μικρὰ λαμβάνειν ἀπέσχετο,
Ἀλλ' ὃς τὰ μεγάλα καρτερεῖ μὴ λαμβάνων,
Ἔχειν δυνάμενος, καὶ κρατεῖν ἀζημίως.
Οὐδ' ὅς γε ταῦτα πάντα διατηρεῖ μόνον,
Ἀλλ' ὅς, τις ἄδολον γνησίαν τ' ἔχων φύσιν
Εἶναι δίκαιος, κ' οὐ δοκεῖν εἶναι, θέλει.

Non juſtus omnis abſtinens injuriae eſt,
Sed qui, nocere dum poteſt, abſtinet.
Nec qui recuſat parva, ſed qui maximis
Tentatus, animi robur invictum gerit.
Nec quisquis illa quolibet praeſtat modo,
Sed qui, doloſi neſcius fuci, integra.
Probitate juſtus eſſe, non credi ſtudet.

§. CCXXII.

Quumque verae virtutis norma ſit *voluntas divina*: (§.CCXVII.) facile adparet, 9. non eſſe in hominis arbitrio, ſibi ipſi fingere normam actionum ſuarum, adeoque 10. non excuſari ſemper, qui agunt ſecundum conſcientiam, & 11. multo minus pro virtute praeditis habendos, qui quidquam agunt, quod Deus ab ullo hominum nec per rationem, nec per revelationem, umquam exegit (*). Ejus norma voluntas divina.

[*] *Et hinc adparet, ipſi ſanae philoſophiae morali repugnare flagella, aliaſque* ἀσκήσεις, *quas & veteres & novi quidam ſapientes viam ad beatitudinem proximam, quin genuinam virtutem eſſe, arbitrantur.* Vid. BOILEAU *Hiſtoria flagellantium*, & JO. FRANC. BUDDEI *Diſſ.* de ἀσκήσει *philoſophica.*

§. CCXXIII.

Ex eodem conſequitur, 12. virtute praeditum ita inveſtigare voluntatem divinam, ut obſervet mediocritatem, & nec in exceſſu, nec in defectu adverſus voluntatem divinam peccet (*). Mediocritas in virtute obſervanda.

[*] Notum eſt, Ariſtotelem ipſam virtutem definiviſſe, quod ſit *habitus con-*

conſiſtens in mediocritate. Quamvis autem haec definitio non niſi nominalis ſit, & hinc eſſentiam virtutis minus exhauriat: verum tamen eſt, virtutis eam eſſe proprietatem, quod neque in exceſſu, neque in defectu peccet. Uti enim, qui plus probat, nihil probat; ita & qui plus facit, quam voluntas divina exigit, eam voluntatem Dei plane non videtur exſequutus. Multoque minus, qui minus, quam Deus exigit, facit. Mediocritas autem non [illegible] ſed [illegible], hic intelligenda. Quod quum non [illegible] verterit LACTANT. *Inſtit.* [illegible] *Cap. XVI.* male hanc [illegible]tem ex ea ratione in dubium vocat, *quod interdum & modicum gaudere vitioſum, interdum vel exſultare laetitia, non ſit criminoſum.* Vid. HORNEII *Ethic. Libr. III. Cap. I. §. XVII.*

§. CCXXIV.

Virtutis eſt facere & omittere.

Denique quia virtutis amans actiones ſuas ad normam divinae voluntatis inſtituit: (§. CCXVII.) nemo dubitabit, 13. quin non modo quod Deus praecipit, faciendum, ſed &, quod prohibet, omittendum ſit, adeoque 14. is minime omnium viri boni nomen mereatur, qui quidem multas actiones, legi materialiter convenientes, edit, nec tamen a malo abſtinet, vel 15. qui a vitiis quidem abhorret, nec quidquam tamen boni facit.

§. CCXXV.

Et uti mediis neceſſariis.

Nec minus res ipſa docet, 16. ob eamdem rationem virtutem non eſſe propoſitum bene & ſecundum voluntatem divinam agendi, niſi accedat uſus mediorum, quibus ad eum finem pervenire liceat.

§. CCXXVI.

Virtutis unius variae denominationes.

Talem eſſe oportet virtutem, quae id nomen cum laude tueatur. Quamvis vero non niſi una ſit: (§. CCXX. 6.) negari tamen non poteſt, eam verſari circa objecta varia, variiſque ſe exſerere occaſionibus, & hinc varias etiam denominationes adſciſcere poſſe (*).

[*] Quemadmodum una mens eſt, & ea tamen, prout bonum adpetit, & malum averſatur, *voluntas* adpellatur; ita & unica illa virtus, prout circa diverſa objecta verſatur, vel certis occaſionibus ſeſe exſerit, modo *fortitudo*, modo *juſtitia*, modo aliis nominibus vocatur.

§. CCXXVII.

Quid pietas, juſtitia, temperantia?

Sic conſtans illa ac ſincera voluntas, actiones omnes, *quae ad Deum pertinent*, ad normam voluntatis divinae exigendi, vocatur PIETAS; ſi voluntas illa noſtra circa actiones, quae ad officia erga alios homines pertinent, occupata eſt, JUSTITIA; ſi denique circa officia, nobis ipſis debita verſatur, TEMPERANTIA (*).

[*] Et hae vere cardinales virtutes; ſeu modificationes unicae iſtius virtutis praecipuae, quas & Apoſtolus conjungit, dum de gratia ſalutari, quae omnibus

omnibus hominibus apparuit, praedicat, quod nos eo adducere debeat, ἵνα σω-φρόνως, καὶ δικαίως, καὶ εὐσεβῶς ζήσω-μεν ἐν τῷ νῦν αἰῶνι, ut temperanter, juſte ac pie vivamus in hoc ſaeculo, Tit. II. 12.

§. CCXXVIII.

Quemadmodum autem vera virtus nec in exceſſu, nec in defectu peccat: (§. CCXXXIII.) ita facile patet, *pietati* ex una parte ATHEISMUM & IMPIETATEM; ex altera SUPERSTITIONEM quam maxime repugnare, quorum vitiorum illud Deo officia, quae exigit, denegat; hoc cultum, quem non exigit, & qui a natura ejus abhorret, obtrudit. *Vitia oppoſita pietati.*

§. CCXXIX.

Nec minus contra *juſtitiam* & exceſſu & defectu peccari poteſt, dum vel nimium uni, vel alteri juſto minus tribuitur. Sed quia utrumque extremum in una actione obſervatur, hinc juſtitiae unum tantum opponitur vitium, INJUSTITIA. *Juſtitiae.*

§. CCXXX.

Porro temperantiae ex altera parte INTEMPERANTIA, quae voluptatibus nec finem, nec modum ſtatuit, ex altera ΑΝΑΙΣΘΗΣΙΑ, quae nec licitis frui ſuſtinet, omnino repugnat (*). *Temperantiae.*

[*] Unde qui genium defraudant, & quum rebus omnibus abundent, ferias agunt eſuriales, & nudi incedunt, ne quid ex nummorum ſtrue deminuatur, ii non magis temperantes ſunt, quam homines, fruges conſumere nati.

§. CCXXXI.

Ita porro voluntas conſtans ac ſincera rebus utilibus recte utendi varias poteſt ſortiri denominationes. Dum enim aliena non adpetit, ABSTINENTIA; dum aliis ſubvenit, in privatis LIBERALITAS, in viris principibus atque illuſtribus MAGNIFICENTIA (*) vocatur. *Quid abſtinentia, liberalitas, magnificentia?*

[*] Hac virtute ornatum Cyrum ſuum deſcribit Xenophon. Talem ipſe ſe eſſe gloriabatur Alexander M. qui, ſe a nemine beneficiis victum, dicere ſolebat. SEN. *de Benef. Libr. V. Cap. VI.* Nec ignotum eſt, Titum viſum ſibi diem perdidiſſe, ſi quando *nihil* cuiquam praeſtitum, meminiſſet, SUETON. *Tit. Cap. VIII.* Egregia profecto virtus, ſi ex conſtante ac ſincera voluntate actiones ad normam voluntatis divinae inſtituendi proficiſcitur. Si enim illa magnificentia ad captandam gloriam homineſque ſibi devinciendos comparata eſt, non virtus erit, ſed virtutis ſimulacrum, ſplendidum illud quidem, at ſimulacrum tamen.

§. CCXXXII.

Si his virtutibus ratio non conſtat: (*) eae facile in RAPACITATEM, vel CYNICAM PAUPERTATIS ADFECTATIONEM, in TENACITATEM vel PROFUSIONEM, denique in LUXUM vel SORDES degenerant. *Vitia iis oppoſita.*

(*) Non

[*] Non autem conſtabit ratio, ſi nec 1. facultatum noſtrarum, nec 2. perſonae, cui benefaciendum, nec 3. neceſſitatis, in qua ei ſubveniendum, nec 4. effectus, quem illa liberalitas habitura ſit, rationem habeamus. Sic e. g. cum detrimento familiae ſaginare ventres otioſos, & hominibus culpa ſu[illegible] mendicantibus a[illegible]enta [illegible] de- cernere, denique n[illegible]o ſu[illegible]re par[illegible] iis elargiri, qui accepta [illegible] lupanaribus male conſu[illegible] liberalitas, ſed profuſ[illegible] quamvis in dubio nos minus ſuſpicaces eſſe deceat.

§. CCXXXIII.

Quid modeſtia, & quae vitia ei repugnent?

Propoſitum ſincerum ac conſtans circa honores recte verſandi vocatur MODESTIA, cui SUPERBIA & CYNICUS OMNIS HONORIS CONTEMTUS opponuntur.

§. CCXXXIV.

Continentia, patientia, fortitudo, iiſque oppoſita vitia.

Ita & virtus, quae circa id, quod jucundum vel injucundum eſt, recte ſe gerit, modo CONTINENTIA, modo PATIENTIA, modo FORTITUDO vocatur, quibus ex una parte INCONTINENTIA, IMPATIENTIA, PUSILLANIMITAS; ex altera ΑΝΑΙΣΘΗΣΙΑ, de qua ſupra diximus, (§. CCXXX.) SUI ODIUM, & TEMERITAS opponuntur.

§. CCXXXV.

An virtute ornatus decoro ſtudeat?

Sunt & aliae hujus generis virtutis denominationes. Nam in primis etiam id agit vir ſapiens, ut in rebus indifferentibus, quoad fieri poteſt, ſe aliorum attemperet moribus. Inde naſcitur ſtudium DECORI, quod nihil aliud eſt quam qualitas moralis actionum indifferentium, quibus homo amorem aliorum ſibi conciliare ſtudet (*).

[*] Homo enim virtutis amans non vivit in ſolitudine, ſed in ſocietate humana. Qui in ſocietate humana vivit, commode non vivet, & nec ſibi, nec aliis proderit, niſi aliorum ſibi amorem conciliet. Nec aliorum amorem ſibi conciliabit, niſi & actiones indifferentes ad eorum ſenſum attemperet. Id qui facit, decoro ſtudet. Homo ergo virtutis amans decoro ſtudet. Hinc quid de Cynicorum impudentia & decori neglectu [H. §. LXXV.] ſtatuendum ſit, facile patet.

§. CCXXXVI.

Decorum quotuplex?

Quaedam actiones indifferentes ita comparatae ſunt, ut toti humano generi placeant, vel diſpliceant: quaedam non ubique, nec ſemper, placent vel diſplicent (*). Prioris generis actiones ad DECORUM JURIS NATURAE; poſterioris ad decorum POLITICUM pertinent.

[*] E. g. nudum incedere, & verendas corporis partes conſpiciendas praebere, omnibus hominibus diſplicet, qui non omnem humanitatis ſenſum amiſerunt. At tegere caput aliis praeſentibus, digitoſque admovere lactucae in patina pinguefactae, in Germania indecorum videtur: alibi id facere

ſe neminem pudet. Pertinet ad poſterioris generis decorum CORNELII NEPOTIS praefatio elegantiſſima de diverſis Graecorum Romanorumque moribus.

§. CCXXXVII.

Hinc ex prioris generis decori ſtudio naſcentur VERECUNDIA, VERACITAS, HUMANITAS, ex poſterioris URBANITAS, quibus ex una parte PUDOR SUBRUSTICUS, GARRULITAS, ADULATIO, SCENICA URBANITATIS AFFECTATIO, ex altera IMPUDENTIA, MENDACIUM & DISSIMULATIO, INHUMANITAS, RUSTICITAS repugnant. Virtutes ex decoro natae.

§. CCXXXVIII.

Nec alterius generis decoro ita ſtudebit ſapiens, ut omnem pravam vel ſaltim ſtolidam conſuetudinem imitetur, quamvis eam toleret, & humanum genus ex meris ſapientibus haut conſtare poſſe, ſtatuat. Inde naſcuntur aliae virtutes, non minus ſplendidae, GRAVITAS in inceſſu, veſtitu, verbis, jocis, & MODERATIO, quibus ex una parte ΜΙΣΑΝΘΡΩΠΙΑ & LEVITAS, ex altera nimia LENITAS & nimius RIGOR adverſantur. Eo & gravitas & moderatio pertinent.

§. CCXXXIX.

Sed quis omnes virtutis modificationes referat? Quod Stoicorum fuit παράδοξον, ſolum ſapientem, (id eſt, virtute praeditum, eſſe divitem, liberum, regem, amicum, pulcrum, nobilem, civem, magiſtratum, vatem, rhetorem, & plura: id veriſſimum eſt, ſi recte intelligatur. In quacumque ſtatione eum collocavit ſupremum Numen, in ea ita verſatur, ut perſonam ſuam non incommode egiſſe videri poſſit (*). Et hinc mille aliae virtutum denominationes oriri poterunt. Virtutis modificationes innumerae.

[*] Ita vero intelligenda illa Stoicorum παράδοξα. Eleganter ATHENAEUS Libr. IV. Deipnoſ. Στωικὸν δὲ δόγμα ἐςὶν, ὅτι πάντα εὖ ποιήσει ὁ σοφὸς, ϗ φακῆν φρονίμως ἀρτύσει: Stoicum dogma eſt, omnia recte facere ſapientem, etiam dum lenticulam condit. Et HORAT. Libr. I. Serm. Sat. IV.

: : : Non noſti, quid pater ille
Chryſippus dicat? Sapiens crepidas ſibi numquam,
Nec ſoleas fecit: ſutor tamen eſt ſapiens. Quo?
Ut, quamvis tacet Hermogenes, cantor tamen atque
Optimus eſt modulator;
- - Sapiens operis ſic optimus omnis
Eſt opifex.

§. CCXL.

Quamvis autem virtus ſit una, (§. CCXX. 6.) eaque variis ſeſe exſerat occaſionibus (§. CCXXVI.) fatendum tamen eſt hic quoque vim aliquam temperamenti ſe prodere, eaſque virtutes An & temperamenti vis ſit circa virtutem

tanto magis elucere, quae huic vel illi temperamento magis conveniunt (*).

[*] Hinc quamvis vera virtute eminuerint, Joannes & Paullus, apoſtoli: in Paullo tamen majorem fervorem in convertendis paganis, in Joanne majorem fervorem amoris ac affectionis eluxiſſe, facile deprehendes.

§. CCXLI.

Virtutis effectus.

Ceterum quantum ad veram felicitatem conferat virtus, vel inde patet, quod hominem in libertatem adſerit, voluntatis morbis medetur, mentemque tranquillam, & retinendo ſummo bono idoneam reddit.

§. CCXLII.

Tertius ſummi boni effectus, amicitia.

Tertius ſummi boni effectus eſt vera AMICITIA, qua nihil in vita ſuavius; nihil utilius eſt. Quum enim omne verum bonum ſimul UTILE, ſimul honeſtum, ac jucundum ſit: (§. CXLIV. *) utilitas autem non immediate tantum a Deo, ſed & mediate ab amicis proficiſci ſoleat: conſequens eſt, ut virtute praediti illam utilitatem tanto certius ſperare poſſint, quanto magis ad veram amicitiam ſunt idonei (*).

[*] Hoc ex inſtituto oſtendit CICERO in *Laelio ſeu de amicitia*, imitatus, ut videtur, CHRYSIPPUM, qui itidem περὶ φιλίας, ſeu de amicitia ſcripſit, teſte LAERT. *Libr. VII. Sегm.* 175.

§. CCXLIII.

Quid amicitia?

Eſt autem AMICITIA animorum, idem volentium idemque nolentium, conjunctio, (*) ad communem amantium utilitatem comparata.

(*) Ad quam definitionem pertinent illa CICERONIS: *idem velle ac idem nolle, ea demum firma amicitia eſt*; & *amicorum omnia communia*, nec non illa ZENONIS: Τίς ἐστι φιλός; ἄλλος ἐγώ: *quis amicus eſt? alter ego*, itemque ARISTOTELIS: τί ἐστι φιλός; μία ψυχὴ δύο σώμασιν ἐνοικοῦσα: *quid eſt amicus? Una anima in duobus corporibus.*

§. CCXLIV.

Conſiſtit ea etiam inter abſentes.

Quum itaque amicitia ſit conjunctio animorum (§. CCXLIII.) conſequens eſt, 1. ut ſola conſuetudo familiaris non ſit amicitia, & 2. haec potius inter abſentes etiam conſiſtere poſſit.

§. CCXLV.

At non niſi inter virtute praeditos.

Quumque idem velle idemque nolle, ea demum vera ſit amicitia: (§. CCXLIII. *) ſequitur, 3. ut inter diſſimiles amicitia locum non habeat, adeoque 4. nec inter duos ſceleratos, (*) nec inter virtute praeditos & ſceleratos conſiſtere poſſit, ſed 5. tantummodo inter homines virtuti deditos.

(*) Ant

(*) Aut enim diverſis vitiis dediti ſunt, aut uni eidemque. Si diverſis: ſunt diſſimiles: adeoque non idem volunt unquam, ac proinde non erunt amici, (§. CCXLIII.) Sin uni eidemque vitio ſtudent, unuſquiſque ſuae cupiditati ſatisfactum cupiet, adeoque non omnia referent ad communem utilitatem, ac proinde ne ſic quidem alter alteri amicus erit, (§. *eod.*) Recte ergo QUINCTILIAN. *Declam. CLXXXII. Jungit amicitias ſimilitudo morum; neſcio quomodo inter ſe amicorum lumina vident & agnoſcunt, nec quiſquam amare in altero poteſt, niſi quod tacitus probat.*

§. CCXLVI.

Ex eodem patet, 6. veriſſimum eſſe, quod omnibus fere philoſophis in Stoicis viſum eſt παράδοξον, τὴν φιλίαν ἐν μόνοις τοῖς σπουδαίοις εἶναι, διὰ τὴν ὁμοιότητα: *amicitiam in ſolis bonis eſſe, idque ob ſimilitudinem.* LAERT. *in Zenone.* Quod & Stoici agnoverunt.

§. CCXLVII.

Denique quia amicitia ad communem utilitatem eſt comparata: (§. CCXLIII.) conſequens eſt, 7. ut amicus amici commodis non minus ſtudeat, quam ſuis. 8. Ut amici communem habeant utramque fortunam, & hinc 9. ſe invicem conſilio, re, ac opibus adjuvent. 10. Ut tamen amicus amicum plus quam ſe ipſum amare non teneatur (*). Ejus effectus.

(*) Atque hoc recte vidit CICERO, cujus loca ex *Libr.* III. *Quaeſt. Tuſc.* & *Libr.* III. *de finib.* protulit *Lipſ. in Manud. ad philoſ. Stoic. Libr.* III. *Diſſ.* XVI. *p. m.* 793. Itaque intra mediocritatem ſe non continuit SENECA *Epiſt. IX.* & *VI.* ubi *amicos cum amicis* & *pro amicis etiam mori*, exiſtimat.

§. CCXLVIII.

Ex quo facile patet, 11. amicos veros amicis non adulari, quin 12. infenſiſſimum inimicum praeſtare amico adulatore (*). 13. Non poſſe non vitam eſſe ſuaviſſimam, his ſuffultam praeſidiis. Suavitas inde nata.

[*] Hinc eleganter DIOGENES dicere ſolebat: *Qui ſalvus eſſe cupiat, ei aut amicos optimos eſſe oportere, aut inimicos infenſiſſimos. Illos enim docere, quid factu opus ſit; hos redarguere, ſi quid mali feceris.* Et eo pertinet PLUTARCHI libellus elegantiſſimus; πῶς ἄν τις διακρίνειε τὸν κόλακα τοῦ φίλου: *quomodo adulator ab amico internoſci poſſit?* Tom. II. *Opp. p.* 61.

CAPUT IV.

DE MEDIIS AD VERAM ILLAM FELICITATEM PERVENIENDI.

SECT. I.

DE SUI IPSIUS COGNITIONE.

§. CCXLIX.

Connexio. COnſideratis, quae ad naturam hominis moralem & ſummum bonum pertinent, omnibus, proximum eſt, ut, qua via ad veram felicitatem eatur, oſtendamus. (§. VIII.)

§. CCL.

Prima via ad felicitatem eſt cognitio ſui. Quum tale ſit ſummum bonum, ut ab omnibus media non adſpernantibus poſſit obtineri, [§. CLXIII.] media autem adſpernari omnino debeat, quicumque nullo ſumnii boni deſiderio tenetur, denique deſiderio ejus teneri nequeat, niſi qui miſeriam ſuam accurate perſpectam habet (*): conſequens eſt, ut bene viderint veteres, primam ac praecipuam, quae ad ſapientiam ducit, viam eſſe illud: γνῶθι σεαυτόν, *noſce teipſum* (**).

[*] SENECA *Epiſt. XXVIII. Initium eſt ſalutis notitia peccati. Egregie mihi hoc dixiſſe videtur Epicurus. Nam, qui peccare ſe neſcit, corrigi non vult. Deprehendas te oportet, antequam emendes. Quidam vitiis gloriantur. Tu exiſtimas, aliquid de remedio cogitare, qui mala ſua virtutum loco numerant? Ideo, quantum potes, te ipſe coargue, inquire in te, accuſatoris primum partibus fungere, deinde judiciis, noviſſime deprecatoris. Aliquando te offende.*

[**] Hanc ad veram felicitatem perveniendi rationem omnes commendarunt philoſophi veteres. Eleganter MURET. *Libr.* I. *Orat. X.* quae eſt *de ſui cognitione: Quoties audimus, Appollinem reſpondiſſe Croeſo, beatum eum fore, ſi ſe cognoſceret: quoties praeceptum eadem de re in templo Delphico inſcriptum fuiſſe legimus: toties illud cogitare debemus, magnum quoddam bonum eſſe cognitionem ſui, quum inter omnes omnium aetatum ſapientes viros convenerit, in eo poſitum eſſe fundamentum felicitatis, neque ulla re unumquemque noſtrum in plura aut graviora mala, quam ſui ipſius ignoratione, prolabi.* Legenda & cetera, quae ſequuntur, ſatis praeclara.

§. CCLI.

Totius hominis notitia opus eſt. Et quamvis PLATO in *Alcibiade primo*, ubi hanc regulam ex inſtituto interpretatur, hypotheſi ſuae ſerviens, [H. §. LXV.] illam ſui cognitionem ad ſolam mentem pertinere exiſtimet: tamen, quum & corpus pars eſſentialis ſit hominis, (§. XI.) illudque non parum faciat ad mores: (§. LVI.) ejus quoque cognitionem non plane negligendam eſſe, facile unuſquiſque animadvertit.

§. CCLII.

Mens non modo comparate noſcenda.

Quod ergo primo ad MENTEM attinet, eam dupliciter cognoſcimus, vel COMPARATE, vel ABSOLUTE. Prius fit, quoties nos cum beſtiis contendimus, & quantum illis praeſtemus, conſideramus paullo accuratius. Sed, qui ea ſola ſui exploratione contenti ſunt, in varia ac periculoſa praecipitia facile prolabuntur (*).

(*) Nam ita philoſophantes in eam ambitionem ac ſuperbiam facillime incidunt, ut ſibi natura ſatis praeſidiorum eſſe exiſtiment ad bene beateque vivendum. Hinc illa Stoicorum: *In noſtra poteſtate* [ἐφ' ἡμῖν] *eſſe opinionem, appetitionem, deſiderium, averſationem & quaslibet noſtras actiones.* EPICTET. *Enchir. Cap.* I. item: Ἐξάλειφε τὰς φαντασίας, συνεχῶς σεαυτῷ λέγων. νῦν ἐπ' ἐμοί ἐστιν, ἵνα ἐν ταύτῃ τῇ ψυχῇ μηδεμία πονηρία ᾖ, μηδὲ ἐπιθυμία, μηδὲ ὅλως ταραχή τις, ἀλλὰ βλέπων πάντα ὁποῖά ἐστι χρῶμαι ἑκάστῳ κατ' ἀξίαν. μέμνησο ταύτης τῆς ἐξουσίας κατὰ φύσιν: *imaginationes dele, ſaepe tecum ſic loquendo: nunc in poteſtate mea ſitum eſt, ut nulla in hac anima exſiſtat improbitas, nulla cupiditas, nulla animi perturbatio, ſed ut omnibus, qualia reapſe ſunt, perſpectis, pro exiſtimatione ſua ſingulis utar, memento poteſtatis hujus, a natura tibi tributae.* MARCUS ANTON. Imp. εἰς ἑαυτ. *Libr. VIII.* §. XXIX.

§. CCLIII.

Quamvis & illa notitia non plane inutilis ſit.

Poteſt tamen & haec *comparata* ſui exploratio utilitatem aliquam adferre, ſi cum altera *abſoluta* conjungatur. Qui enim ſe tot mentis corporiſque dotibus prae brutis a Deo ornatum eſſe, & has tamen facultates, niſi mens vere a vitiis emendetur, plus detrimenti, quam utilitatis, adferre, probe conſiderat: is facile intelliget, eam eſſe Dei optimi maximi voluntatem, atque id conſilium, ut homo de ſui emendatione & adſequendo ſummo bono ſit unice ſollicitus, ut & vita ac moribus a brutis animantibus ſe ſegreget, & non adpetitiones illas, homini cum his beſtiis communes, ſed rectam rationem, ducem ſequatur (*).

(*) Elegans eam in rem locus eſt apud ARRIAN. *Libr. I. Diſſ. Epict. Cap. VI.* Τὸν δ' ἄνθρωπον ὁ θεὸς θεατὴν εἰσήγαγεν αὐτοῦ τε καὶ τῶν ἔργων τῶν αὐτοῦ, καὶ οὐ μόνον θεατὴν, ἀλλὰ καὶ ἐξηγητὴν αὐτῶν. Διὰ τοῦτο αἰσχρόν ἐστι τῷ ἀνθρώπῳ ἄρχεσθαι καὶ καταλήγειν, ὅπου καὶ τὰ ἄλογα, ἀλλὰ μᾶλλον ἔνθεν μὲν ἄρχεσθαι, καταλήγειν δ' ἐφ' ὃ κατέληξεν ἐφ' ἡμῶν καὶ ἡ φύσις, κ. τ. λ. *Deus introduxit in mundum hominem, tamquam inſpectorem operum ſuorum, ac non cognitorem ſolum, verum etiam interpretem. Quare turpe eſt homini, ſi inde incipiat, & eodem deſinat, ubi cetera ſolent ratione deſtituta. Magis enim convenit, inde incipere, in eo autem deſinere, quouſque natura nos noſtra evexit ac produxit, cet.*

§. CCLIV.

Sed & abſolute.

Potius itaque omne punctum fert cognitio ſui *abſolute* talis, adeoque danda nobis opera eſt, ut noſtrae primum VOLUNTATIS, tum deinde INTELLECTUS, ac CORPORIS, [§. CCLI.]

 ac

ac denique totius STATUS noſtri notitiam adquiramus accuratiorem.

§. CCLV.

Et quidem quoad voluntatem.

Circa VOLUNTATEM, [quo & ADPETITUM SENSITIVUM referimus, [§. XVI.] diſpiciendum erit, 1. quid maxime concupiſcamus? 2. quibus laboremus vitiis? 3. quodnam in his primum locum obtineat? 4. quomodo erga Deum, nos ipſos ac alios adfecti ſimus? 5. quibus in rebus maxime adverſus juſti, honeſti, ac decori regulas peccemus? & 6. a quibus denique veris bonis quam ſaepiſſime abhorreamus?

§. CCLVI.

In qua exploranda caute procedendum.

Quum vero ea in re facile quiſque falli ac decipi poſſit, dum vel ſibi ipſi blanditur & parcit, vel ex vitiis primariis id, quod ſpeciem aliquam virtutis prae ſe fert, ſibi tribuit: tres in primis commendandae ſunt regulae: 1. ut quis & indifferentes cogitationes, quibus praecipue indulget, quam diligentiſſime explicet: 2. ut varia objecta, varioſque caſus, quorum alius ad voluptatem vel dolores, alius ad opes vel paupertatem, alius ad honorem vel contemtum pertinet, ſibi ob oculos ponat, & quid ipſe electurus ſit, ſecum cogitet: 3. ut, quibus praecipue affectibus concutiatur, ſubinde conſideret (*).

[*] Si enim ad *iram* te incaleſcere ſenties quam ſaepiſſime: AMBITIONEM in te dominari ſcies. Si *ſpes*, *metus*, *amor*, *odium*, *zelorypia* te prae reliquis turbant: *VOLUPTATIS*. Si denique *invidiam*, *metum*, *deſperationem*: AVARITIAE primas partes eſſe facile animadvertes. (§. CII.).

§. CCLVII.

Quoad intellectum.

Ita & ad INTELLECTUS tui receſſus multo facilius jam penetrabis, circa quem diſpiciendum erit, 1. quam diligenter res omnes contempletur? 2. quibus maxime praeconceptis opinionibus indulgeat? 3. quomodo ſe judicium, ingenium, & memoria ac reminiſcentia habeant? & 4. an denique tam prudenter rationes tuas componas, ut verae felicitatis tuae habeas rationem? Quae ſane ſui exploratio omnium difficillima eſt (*).

[*] Facilius enim homini vitiis obruto perſuaſeris, eum a vera virtute aberrare, quam homini ſtolido, eum laborare ſtultitia. Quin, quanto quis eſt ſtolidior! tanto magis ſibi ſapiens videbitur.

§. CCLVIII.

Qui quomodo explorandus?

Quum vero tam difficilis ſit haec ſui exploratio: [§. CCLVII.] id agendum eſt ſapientiae ſtudioſo, 1. ut ſe virorum ſapientum examini ſubmittat, & 2. horum monita audiat aequo animo (*), ſimulque 3. ad conſiliorum ſuorum ac cogitationum eventus diligenter attendat.

(*) Et

[*] Et hinc eſt, quod PLATO dixit, *σοφὸν ψεγόμενον οὐκ ὀργίζεσθαι, ἐπαινούμενον δὲ οὐκ ἐπαίρεσθαι: ſapientiae ſtudioſum reprehenſum non iraſci, laudatum non extolli.* Vere enim cognitionis ſui ipſius, id eſt, profectus in virtute, hoc indicium eſt, ſi quis aliorum objurgationes, non ex invidia ac odio, ſed ex amore profectas, aequo animo ferat.

§. CCLIX.

Quoad corpus.

CORPORIS exploratio maxime ad temperamenta pertinet. Horum autem characteres jam ſupra [§. LVIII. *ſeqq.* & §. CXX. *ſeqq.*] tam diſtincte oſtendimus, ut, qui eos recte in conſilium adhibuerit, ei non difficilis futura videatur haec inveſtigatio.

§. CCLX.

Quoad ſtatum?

Quum itaque haec *voluntatis*, *intellectus*, *corporis* exploratio innumeros fere morbos, quibus laboras, tibi detectura ſit: facile etiam perſpicies, *ſtatum* tuum, qui ex hac mentis ac corporis tui imperfectione & vitiis reſultat, non poſſe non eſſe miſerrimum. Quis enim ſe felicem putabit, qui morborum ſuorum aliquo ſenſu tangitur?

§. CCLXI.

Homo miſeriae ſuae cauſſa.

Multum tamen refert, te infelicitatem iſtam, quam ex vitiis oriri diximus, [§. XCVIII. *ſeqq.*] accurate conſiderare, & explorare ingenue, quibus potiſſimum calamitatibus premaris, ſimulque certo ſtatuere, earum omnium cauſſam atque originem in te ipſo quaerendam eſſe (*).

[*] *Eſt ea hominum infelicium indoles*, ut infelicitatis ſuae cauſſam non in ſe ipſis, ſed in aliis ſitam exiſtiment, & ſemper alios, quam ſe, accuſare malint. Quem ſtultitiae humanae characterem elegantiſſime ſuo more expreſſit SENECA *Epiſt.* I. ubi de caecitate Harpaſtae ſuae lepide narrat: *Quid aliud agas, quam ut meliorem te ipſe quotidie facias, ut aliquid ex erroribus ponas, ut intelligas, tua vitia eſſe, quae putas rerum? Quaedam enim locis & temporibus adſcribimus: at illa, quocumque tranſierimus, ſequutura ſunt. Harpaſten, uxoris meae fatuam, ſcis hereditarium onus in domo mea remanſiſſe.* - - *Haec fatua ſubito deſiit videre. Incredibilem tibi narro rem, ſed veram. Neſcit, eſſe ſe caecam: ſubinde paedagogum ſuum rogat, ut migret, ait, domum tenebroſam eſſe. Hoc, quod in illa ridemus, omnibus nobis accidere, liqueat tibi. Nemo ſe avarum eſſe intelligit, nemo cupidum. Caeci enim ducem quaerunt, nos ſine duce erramus, & dicimus: non ego ambitioſus ſum, ſed nemo aliter Romae poteſt vivere*, cet. Legenda & cetera, quae me exſcribere pigeret, te non legiſſe puderet.

§. CCLXII.

Etiamſi ab aliis hominibus injuria adficiatur.

Unde enim omnia mala, niſi ex vitiis tuis, quorum haec maxima poena eſt, quod per ſe ipſa puniuntur? Et finge, alios te in hanc calamitatem conjeciſſe. Sane aut irritaſti hos vitiis tuis, aut mala tibi non futura eſſent, de quibus lamentaris, ſi mentem haberes, vera virtute praemunitam (*).

(*) Multa

[*] Multa ignominioſa tibi non viderentur, niſi talia illa eſſe perſuaderet ambitio. Ita & parum te habere, non doleres, nec accuſares alios, qui te locupletare nolunt, niſi plura concupiſceres, id eſt, niſi laborares avaritia. Et cur ad omnes caſus trepidares, niſi mollitie & voluptate corruptum animum gereres? Recte EPICTETUS in *Enchirid. Cap. LXXII.* φιλοσόφου στάσις καὶ χαρακτὴρ, πᾶσαν ὠφέλειαν ἢ βλάβην ἐξ αὑτοῦ προσδοκᾷ. Σημεῖα προκόπτοντος, οὐδένα ψέγει, οὐδένα ἐπαινεῖ, οὐδένα μέμφεται, οὐδενὶ ἐγκαλεῖ. ὅταν ἐμποδισθῇ τι ἢ κωλυθῇ, ἑαυτῷ ἐγκαλεῖ, κ. τ. λ. *Philoſophi ſtatus eſt & formula, omnem utilitatem ac nocumentum a ſe ipſo expectare. Signum proficientis hoc eſt: neminem vituperat, neminem laudat, de nemine queritur, neminem accuſat. Quum in re quapiam aut impeditur, aut prohibetur: ſe ipſum accuſat, cet.*

§. CCLXIII.

Cognitionis hujus utilitas.

Paucis: haec tui exploratio te facile convincet, 1. mentem tuam ac corpus innumeris vitiis ac imperfectionibus laborare. 2. Eorum malorum omnium cauſſam in te ipſo ſitam, & 3. infelicitatem tuam tantam eſſe, ut mors tolerabilior vita futura ſit, niſi ſignum receptui quam celerrime dederis. Multum profeciſti, mihi crede, ſi vivam tibi hujus rei ſcientiam pepereris.

SECT. II.

DE CAPIENDO VERAE EMENDATIONIS CONSILIO.

§. CCLXIV.

Homines amant vitia ſua.

INter corporis & animi morbos permultum intereſt. Primo enim illos plerumque facillime ſentimus: hos, non niſi adhibito omni ſtudio, deprehendimus. Deinde de illis a nobis amoliendis, ſimul ac eos ſentire coepimus, laboramus diligenter, & ideo nec corpori, nec aeri parcimus: hos ita amare incipiunt homines, ut, ſi optio daretur, iis aetatem frui, quam carere, omnino mallent.

§. CCLXV.

Et tamen capiendum emendationis conſilium.

Itaque difficile non eſt, concipere propoſitum, morbum corporis, ſi qua fieri poſſit, a ſe amoliendi: at difficillimum, capere conſilium fugiendi vitia, mentemque iis obrutam emendandi. Et tamen opus eſt hoc propoſito ei, qui ad veram ac ſolidam felicitatem adſpirat (*).

[*] Eleganter EPICTETUS apud ARRIAN. *Libr. II. Cap. XIX.* ratiocinatus, diſcipulos monet, ſe ea docere, quibus poſſint fieri meliores ac felices; diſcipulos ipſos ideo acroaſibus intereſſe, ut meliores & felices fiant: felicitatem conſequi & meliorem fieri, *non eſſe ἐκ τῶν ἀδυνάτων*, ſed ex iis, quae obtineri poſſint. Quum igitur pauci nihilo minus felicitatem hanc conſequantur: fieri

non

non poſſe, quin verum deſit propoſitum: Τί ἂν θέλετε, inquit, ἀρξώμεθά ποτε τοιαύτην ἐπιβολὴν κομίζειν ἐνταῦθα, τί μέχρι νῦν ἀφῶμεν. ἀρξώμεθα μόνον πιστεύσατέ μοι, καὶ ὄψεσθε. *Quid ergo vultis? Incipiamus demum tale propoſitum concipere, ut quae praeterierunt, omittamus. Incipiamus, inquam. Credite mihi modo, & videbitis.*

§. CCLXVI.

Itaque opus eſt argumentis, quibus mens, adeo immerſa vitiis, ad concipiendum hujus modi propoſitum excitetur. Quum autem ea ſit natura voluntatis noſtrae, ut naturaliter adpetat bonum, & averſetur malum, [§. XXVIII.] & hinc ſemper a malo ad bonum moveatur: [§. XXXIV.] conſequens eſt, ut non alia firmiora ſint ad concipiendum verae felicitatis propoſitum incitamenta, quam ſi homo ſibi *ſtatus* ſui *praeſentis miſeriam*, & *ſummi boni* veraeque *felicitatis* inde exſiſtentis *ſuavitatem ac praeſtantiam* vivide repraeſentet (*). Quod nobis ſuadent argumenta quamplurima.

[*] Cur enim vitiis ſuis tantopere oblectantur homines? Quia ea ipſis grata, jucunda, utilia videntur. Cur virtutem, cur ipſum ſummum bonum tam temere adſpernantur? Quia illud cum moleſtia & omnis voluptatis privatione conjunctum, adeoque boni nomine vix dignum eſſe, exiſtimant. Quapropter ſi eo adducendi ſunt, ut vitia adſpernari, & virtutem ſummumque bonum ſectari ſerio decernant: ita dirigendus erit animus, ut vitiis nihil deteſtabilius, ſtatu pravorum hominum nihil miſerius, ac ſummi boni poſſeſſione nihil ſuavius praeſtantiuſque eſſe, agnoſcat. Uſus eſt hac methodo ipſe Servator, dum ſtatus ſui miſeriam agnoſcentes vocat τοὺς κοπιῶντας καὶ πεφορτισμένους, *laborioſos & onuſtos*; ſummae vero felicitatis, quam pollicetur, poſſeſſionem ἀνάπαυσιν τῶν ψυχῶν, *requiem animarum*, quin ζυγὸν χρηστὸν καὶ φορτίον ἐλαφρὸν, *jugum ſuave & facile*, Matth. XI. 28. *ſeqq.*

§. CCLXVII.

STATUS ſui MISERIAM non rectius ſibi ob oculos ponet homo, quam ſi illum & *voluntati divinae adverſari*, & *nihil ſolidi habere*, & *cum innumeris malis*, ac *ſumma*; non modo corporis, ſed & mentis, partis noſtrum praeſtantiſſimae, *pernicie conjunctum* eſſe, vere intellexerit. Veluti I. ipſa vitioſorum miſeria.

§. CCLXVIII.

Quum enim primo Deus nos non brutis fecerit ſimiles, ſed recta ratione inſtruxerit, volueritque adeo, ut non cupiditatibus, ſed rationi & voluntati ſuae, obſequeremur: [§. CCLIII.] quid miſerius, quaeſo, quam eam vivere vitam, quae Deo diſpliceat, Deo, inquam, omnipraeſenti, [§. CLXXXIV.] omniſcio, [§. CLXXXV.] & tam juſto (*), [§. CLXXXVI.] ut non poſſit non poenis graviſſimis adficere omnes, qui ejus voluntati obluctantur? Quid periculoſius, quam Dei voluntati denegare obſequium, cui & exſiſtentiam & conſervationem noſtram unice debemus? Eorum ſtatus repugnat voluntati Dei.

bemus? Quid denique intolerabilius, quam intra ſe audire conſcientiam, laeſae majeſtatis divinae crimen dies noctesque exprobrantem?

[*] Agnoverunt & pagani philoſophi, incumbere nobis neceſſitatem pie vivendi, quia degamus ſub oculis Dei, omnia videntis, & vindicantis ſevere. Interrogatus ſane THALES MILESIUS, *εἰ λήθει θεὸν ἄνθρωπος ἀδικῶν; an lateat Deum homo injuſte agens?* reſpondit: *ἀλλ' οὐδὲ διανοούμενος, immo ne cogitans quidem.* Et nihil verius illo DEMOSTHENIS enthymemate: *ἀεὶ σύμφερόν ἐστιν ἀκούειν τῶν κρατούντων. Τοῦ Θεοῦ τοίνυν ἀκουστέον, τοῦ ἀεὶ κρατοῦντος. Semper expedit iis obedire, qui rerum potiuntur. Deo igitur parendum, qui in aeternum dominatur.*

§. CCLXIX.

Nec ſolidi quidquam habet, quod oſtenditur de voluptate.

Deinde quid ſolidi habet vita eorum, qui adhuc vitiis immerſi ſuis cupiditatibus indulgent? VOLUPTAS brevis eſt delectatio, fertur in res vaniſſimas, nec amore noſtro dignas, & mox evaneſcentes. Et quanto quaeſo voluptuoſis conſtat brevis illa, quam anhelant, delectatio? Quantâ moleſtiâ ſibi homo viam ad illam ſternit? Quanto cum taedio eam exercet? quanto cum dolore amittit?

§. CCLXX.

De honore.

Quid HONOR, niſi aliorum de noſtris actionibus opinio? quid vero opinione levius? Quam parvum eſt hoc terrae punctum? quantula pars hominum in eo viventium nos novit? Horum ipſorum quam pauci ſunt, qui ſapientes ſint, & res ſuo pretio aeſtimare norint? Quam mox denique futurum eſt, ut opinio illa, quam de nobis conceperunt, cum ipſis hominibus exſpiret? Attentius porro, quaeſo, conſidera, quanto labore honores parentur, quam difficile conſerventur, quam facile & quanto cum dolore amittantur: nonne tibi exclamandum videbitur:

O vanas hominum curas! o pectora caeca!

§. CCLXXI.

De divitiis.

Quid DIVITIAE? Quid? niſi poſſeſſio terrae, lapillorum, maſſarum ſplendore aliquo praeditarum, quibus hominum cupiditas pretium ſtatuit? An qui harum rerum plus aliis poſſidet, ideo reliquis beatior eſt? an tranquillior? an non aeque ſuaviter vivit, cui neceſſaria ſuppetunt, quam qui abundat ſuperfluis? an non ille aequiore animo morietur, quam dives, cui opes pro numine ſunt? Quanto porro labore parantur illa malorum irritamenta? quot curas, & inſomnes noctes advehit eorum poſſeſſio? ad quam deſperationem amiſſio & jactura illorum hominem adigit? O utinam meditari inciperemus, quid diligamus (*), & quam anima

animâ immortali indignum ſit, inhaerere rebus perituris, & cum vera felicitate nullo modo conjunctis!

[*] Eleganter EPICTET.: *Enchirid. Cap. VI. In unoquoque*, inquit, *eorum, quae aut delectant, aut utilitatem praebent, aut diliguntur, memento conſiderare, quale id quidque ſit, incipiens a minimis. Si ollam diligis, dic: ollam diligo. Sic, ea fracta, non perturbaberis. Si filium tuum amas, aut uxorem, dic: te hominem diligere: mortuo enim eo, non perturbaberis.*

§. CCLXXII.

Quot mala ſecum vehant vitia, jam ſupra oſtendimus pluribus, [§. XCVIII. *ſeqq.*] Et quid denique fiet de homine, qui de mente emendanda numquam cogitavit, ubi jam vita excedendum, ubi imminet aeternitas, & mens indeſtructibilis atque immortalis ea omnia, quae bona credidit, poſt tergum relinquit? Nonne conſcientia ipſa convincet ejuſmodi hominem, nullam ipſi ſpem eſſe melioris ſtatus, ſummumque periculum ſupplicii, quum Deus juſtus non poſſit non in hominem, voluntati ſuae per omnem vitam adverſatum, aut in hac vita, aut poſt mortem, animadvertere, & divina tamen providentia permittere ſoleat, ut in hac vita bona malis, mala bonis plerumque eveniant (*). Porro vitia multa mala advehunt.

[*] Itaque omnino ſummum momentum ineſt ratiocinationi: quia Deus juſtus eſt, malos aut in vita hac punit, aut poſt mortem. Non autem id ſemper facit in hac vita, quia bonis ſaepe mala, mala bonis eveniunt. Erit itaque, quando poſt mortem malos puniet. Ita ipſe ratiocinatur SALOMON *Kohel. III, 16. ſeqq.*

§. CCLXXIII.

Ita ſincerum illud animum emendandi propoſitum excitabimus, conſiderata *ſtatus* noſtri *miſeria.* Tanto magis autem illud firmabimus, ſi CONDITIONEM *eorum, qui ſummo bono potiti ſunt*, paullo diligentius expenderimus. [§. CCLXVI.] Emendationem ſuadet.

§. CCLXXIV.

Solidam eſſe hanc felicitatem, nemo dubitaverit, quia ſempiterna eſt illius poſſeſſio. [§. CXCIII.] Maximam eamdem eſſe cum ex attributis ſummi boni, [§. CLXXXIX. *ſeqq.*] tum ex effectibus ejus, [§. CCV. *ſeqq.*] ſatis patet. Quis vero leve quid putet, Deo frui, mentem circumferre tranquillam, nulliſque affectibus, curis, conſcientiae tumultibus, perturbatam? (*) virtutem ſine taedio ſectari? aliis denique virtute ornatis amicis uti? Atqui haec omnia habet, quiſquis ſummo illo ac perfectiſſimo bono potitus eſt. II. Conditio felix, virtute praeditorum. Quae demonſtratur.

[*] Atqui & virtute praeditus calamitatibus premitur, & bonis etiam mala haud raro eveniunt, [§. CCLXXII.] Ita eſt. Sed quam parum haec omnia adquieſ-

adquieſcentiam ejus in voluntate divina, adeoque & animi tranquillitatem, turbent, vel inde patet, quod, ſi optio daretur, illam conditionem ſuam cum ſceleratorum voluptatibus non permutaret. Ita aequiore animo Joſephus captivitatem & ſervitutem, quam oblatam a Potipharis uxore voluptatem, tulit, *Gen. XXXIX*, 3.

§. CCLXXV.

III. Voluntas Dei.

Hoc eſt, quod vel maxime id propoſitum in te excitaſſet jam pridem, ſi mens non laeva fuiſſet. Jam adde, *Deum hoc a te exigere*, a quo totus pendes, Deum hoc praecipere, qui, cum alia graviora praecipere poſſet, id praecipiat, quod tibi utiliſſimum, quin omnino neceſſarium ſit (*). An tu non audies Deum, utilia licet praecipientem? Quid furorem eſſe dicamus, ſi hic furor non eſt?

[*] Quis vero non paret medico, ſalutaria praecipienti? Talia autem ſunt, quae praecipit Deus, quando te ad veram felicitatem vocat. Hinc pietatem non modo tamquam *honeſtam*, ſed & tamquam *utiliſſimam* commendat Apoſtolus. Hinc MARC. ANTONIN. *Libr. VII.* §. LXXIV. Ὠφέλεια πρᾶξις κατὰ φύσιν: *emolumentum eſt actio omnis, naturae conſentanea.*

§. CCLXXVI.

Propoſitum hoc quamprimum capiendum.

At quum adfectus & propenſiones frequenter repetitae in mores; hi autem diuturna conſuetudine in alteram naturam tranſeant: [§. LXIX.] certo tecum ſtatuas velim, properandum tibi eſſe, iſtudque propoſitum quamprimum concipiendum. Quo longius enim illud differes, eo difficiliorem tibi hanc emendationem futuram, certiſſimum eſt (*).

[*] Idem ergo contingit iis, qui moras in emendando animo nectunt, quod ſolet aegrotantibus, curam valetudinis eo uſque differentibus, dum jam paene conclamatum eſt. Morbus inveteratus difficilius curatur, quin ſaepe medicorum induſtriam eludit. Quo citius rem adgredimur, eo facilius eam conficiemus. Huc pertinet elegans judicium SENECAE *Epiſt. XXV.* de duobus amicis, juvene altero, altero ſene, quod legi omnino meretur.

§. CCLXXVII.

Et conſtanter retinendum.

Quin non ſolum capiendum eſt hoc conſilium, ſed & conſtanti animo retinendum. Quemadmodum enim adverſo flumine navigantes, ceſſante remigum induſtria, non modo non progrediuntur, ſed & retro feruntur: ita qui hoc emendationis propoſitum, ſemel conceptum, abjiciunt, non modo non proficiunt, ſed & tanto magis in priſtinae miſeriae vortices abripiuntur (*).

[*] Quum enim voluntas numquam ſit otioſa, ſed ſemper bonum adpetat: (§. XXIX.), conſequens eſt, ut quando propoſitum, ad bonum verum connitendi abjecit, in bona adparentia feratur, tantoque magis haec concupiſcat, quanto minus aliquo veri boni ſenſu tangitur. Addatur SENEC. *Epiſt. LV.*

§. CCLXXVIII.

§. CCLXXVIII.

Ad firmandum vero id propoſitum praeter preces ad Deum (*), quippe ad ineundam nobiſcum unionem promptiſſimum, [§. CLXXXIX.] quam plurimum conferet examen ſui ipſius quotidianum, (**) ex quo, an proficiamus, & in quantum hoc propoſitum noſtrum vel auctum vel imminutum ſit, facile adparebit. Quo faciunt preces & examen ſui quotidianum.

[*] Hinc Socrates virtutem doceri negabat, eamque contendebat Dei donum eſſe. Exſtat eam in rem ſingularis AESCHINIS *Dialogus περὶ ἀρετῆς, ſeu de virtute*, in quo *p.* 29. ſuo more demonſtrat, *οὔτε διδακτὸν εἶναι, οὔτε φύσει ἀρετὴν, ἀλλὰ θείᾳ μοίρᾳ παραγίγνεσθαι κτωμένοις, neque doceri poſſe, neque natura, ſed divinitus accedere virtutem iis, qui eam poſſident.* Addatur MAXIMI TYRII *Diſſ. XX.* quae inſcribitur: *εἰ γίνοιτό τις θείᾳ μοίρᾳ ἀγαθὸς, an] aliquis divinitus bonus fiat?*

(**] Tale eſt illud examen, quod ſuis commendavit PYTHAGORAS *in Aur. Carm. v.* 40.

Μηδ᾽ ὕπνον μαλακοῖσιν ἐπ᾽ ὄμμασι προσδέξασθαι
Πρὶν τῶν ἡμερινῶν ἔργων τρὶς ἕκαστον ἐπελθεῖν.
Πῇ παρέβην; τί δ᾽ ἔρεξα; τί μοι δέον οὐκ ἐτελέσθη,
Ἀρξάμενος δ᾽ ἀπὸ πρώτου ἐπέξιθι. καὶ μετέπειτα
Δεινὰ μὲν ἐκπρήξας ἐπιπλήσσεο. χρηστὰ δὲ τέρπου,
Ταῦτα πόνει, ταῦτ᾽ ἐκμελέτα. τούτων χρὴ ἐρᾷν σε.
Ταῦτά σε τῆς θείης ἀρετῆς εἰς ἴχνια θήσει.

Mollia nec prius admittant tibi lumina ſomnum,
Exactae quam ter reputaveris acta diei:
Quae praetergreſſus? quae male omiſi?
Singula percurrens a primo facta, quibus tu
Vel pravis doleas, capias vel gaudia juſtis.
Haec facito: haec ſatage: iſtorum tibi cura geratur,
Haec te virtutis divinae ad limina ſiſtent.

Ad quam Pythagorae periocham addenda ſunt, quae praeclare commentatur HIEROCL. *in Comment. p.* 205. *edit. Curter.*

§. CCLXXIX.

Nec minus hoc propoſitum firmabit conſuetudo cum hominibus virtute praeditis (*), & contemplatio exemplorum tum eorum, qui, dum vitiis indulgent, pereunt, tum eorum, qui vera illa felicitate potiti ſunt. Quemadmodum enim felices ſunt, quos faciunt aliena pericula cautos: ita virorum ſapientum vita perpetua cenſura eſt, & non modo, quid agendum ſit, ſed & fieri poſſe quae docentur, docet. Nec non conſuetudo cum bonis.

[*] Commendat hoc praeceptum SENECA *Epiſt. VI.* & *XI.* quae totae perlegi merentur, & ARRIAN. *Diſſ. Epict. Lib. II. Cap. XVIII.*

§. CCLXXX.

Denique & bonorum librorum, maxime paraeneticorum, lectio inſignem tibi hac in re adferet utilitatem (*). Quum enim ethica paraenetica voluntatem magis incendat, quam inſtruat intelle- Ac bonorum librorum lectio.

 ctum,

ctum, [§. IV. *] & propoſitum hoc in voluntate conſiſtat: fieri ſane non poteſt, quin eorum librorum aſſidua lectio tibi calcar ſubjectura ſit in via virtutis perrecturo.

[*] Ex quo vi oppoſitorum fluit, tanto magis fugiendos eſſe libros pravos, vitiaque illa capitalia irritantes, quales & pleraeque ſunt fabulae Romanenſes, quas vocant, & ejuſdem furfuris alii, qui vitia veluti coloribus amoenis illuſtrata imaginationi ſiſtunt. Quid enim aliud aegrotanti animo haec legenti accidet, quam quod Chaereae, adoleſcenti, tabulam pictam, quae Jovem imbrem aureum in Danaë gremium mittentem ſiſtebat, ſpectanti accidiſſe, refert TERENT. *in Eunuch. Act. III. Scen. V. v. 36. ſeqq.*

§. CCLXXXI.

Propoſitum hoc efficax eſſe oportet.

Poſtremo id quam maxime cavebis, ne *inefficax* ſit hoc propoſitum. Quid enim proderit etiam ſumma cupiditas, ſummam felicitatem conſequendi, niſi & mediis uti ſtatuas, quibus ad eam conſequendam opus eſt? Itaque ſimul ac propoſitum hoc aliquid virium in te adquiſiviſſe ſenſeris: ſtatim res ipſa adgredienda, bellumque pulcerrimum indicendum eſt vitiis.

SECT. III.

DE PUGNA, IN QUAM SAPIENTIAE AC VIRTUTIS STUDIOSO DESCENDENDUM.

§. CCLXXXII.

Eſt in nobis, quod huic propoſito repugnat.

NImirum quamvis intellectus verae felicitatis praeſtantiam virtutiſque pulcritudinem accurate perſpiciat, & voluntas quoque, bonum natura adpetens, felicitatem illam mirifice concupiſcat: animadvertes tamen in animo neſcio quid, quod has rationes turbat, quod mentem in contraria aut invitat, aut rapit, ut fateri idem cogaris, quod MEDEA:

Video meliora, proboque,
Deteriora ſequor.

§. CCLXXXIII.

Qualis illa pugna interna?

Qui ARISTOTELIS placita exoſculantur, eum in mente tumultum vocant *pugnam rationis & adpetitus ſenſitivi.* Sed ſi in te ipſum deſcenderis: non mentis facultates inter ſe contendere, ſed voluntatem inter bona vera & adparentia, quorum illa ratio; haec imaginatio, tamquam jucundiſſima, repraeſentat, fluctuare, atque hinc modo in hanc, modo in illam partem rapi, facile animadvertes.

ſ. CCLXXXIV.

Quum vero voluntas, niſi, virtute vindice, ex iſta ſervitute eluctetur, magis imaginationi ac pravis adfectibus, quam rectae rationi ſerviat: [ſ. XXIX.] in arenam profecto deſcendendum, & tamdiu cum hoſte illo interno pugnandum ac colluctandum eſt (*), donec oppreſſam ab eo voluntatem in libertatem adſertam videas. Pugnandum eſt cum cupiditatibus.

[*] De hac pugna ARRIAN. *Diſſ. Epictet. Libr. II. Cap. XVIII.* Οὗτός ἐστιν ὁ ταῖς ἀληθείαις ἀσκητὴς, ὁ πρὸς τὰς τοιαύτας φαντασίας γυμνάζων ἑαυτόν. μεῖνον τάλας. μὴ συναρπασθῇς. μέγας ὁ ἀγών ἐστι, θεῖον τὸ ἔργον, ὑπὲρ βασιλείας, ὑπὲρ ἐλευθερίας, ὑπὲρ εὐροίας, ὑπὲρ ἀταραξίας. Τοῦ θεοῦ μέμνησο. ἐκεῖνον ἐπικαλοῦ βοηθὸν καὶ παραστάτην, ὡς τοὺς Διοσκόρους ἐν χειμῶνι, οἱ πλέοντες. *Is eſt vere ſtudioſus, qui ſe contra tales phantaſias exercet. Conſiſte miſer, ne auferat te imaginatio. Magnum certamen eſt, divini operis functio, de regno certatur, de libertate, de felicitate, de tranquillitate animi. Memineris Dei, illum invoca auxiliatorem, ut ſolent nautae in tempeſtatibus invocare Caſtorem & Pollucem.*

§. CCLXXXV.

Quoties itaque IMAGINATIO nobis pravi quid, tamquam vel jucundum, vel honeſtum, vel utile, proponit: toties ante omnia id agendum eſt, 1. ut veras rerum ideas menti noſtrae revocemus in memoriam, illaque, quae ſupra de vitiorum vanitate ac effectu, nec non de conditione vitioſorum aeque ac virtute praeditorum hominum, diximus, [§. CCLXVII. *ſeqq.*) ſubinde meditemur. 2. Ut menti non permittamus, iis indulgere cogitationibus, ſed eam ab his ad res ſerias ac utiles divertamus. 3. Ut otium inprimis cane pejus & angue fugiamus (*). *Otia ſi tollas, periere cupidinis arcus.* Cum imaginatione.

(*) Recte veteres, τῷ ἀργεῖν καὶ τῷ σχολάζειν ἕπεσθαι τἀλλότρια πολυπραγμονεῖν, *deſidiam & otium comitari aliena agendi ſtudium.* Qui nihil agit, male agit. Quum enim mens numquam otioſa ſit: ſane, ſi rebus ſeriis non vacat, ad cogitationes de rebus nihili ruit, & idearum de vitiis ſuavitate ſeſe miſere oblectat.

ſ. CCLXXXVI.

Eadem pugna, quoties in te vehementior ADFECTUS ſeſe exſerit, repetenda eſt. Et quidem, quum adfectuum quidam gradus ſint, & principiis reſiſtatur facilius: [§. XXXIII.] rectiſſime agemus, ſi antequam mens eo adfectu delectari coeperit, vel ſaltim, priuſquam res ad impetum redierit, eum ſuperare conemur. Cum adfectibus naſcentibus.

ſ. CCLXXXVII.

Si jam vires adfectus adquiſivit: memineris, 1. moram aliquam interponendam, eamque 2. vim inferendam eſſe ſibi ipſi, ut ne inter illos mentis tumultus actionem aliquam ſuſcipias. 3. Remittente Et jam vires adquirentibus.

primo

primo aeſtu, cogitandum eſſe de cauſſa, quae nos inflammarit, & an ea tanta mentis inquie digna ſit (*).

(*) Praeclara haec ſunt adfectus in officio continendi media. Quum enim adfectus ſint commotiones extraordinariæ; (§. XXXII.) non poſſunt ſane admodum diu ſaevire, & hinc aliqua mora interpoſita deferveſcunt. Vidit hoc ille ex veteribus, qui iratis ſuaſit, ut alphabetum Graecum aliquoties recitarent, (§. XXXV. *) Deinde, quum durante adfectu nec intellectus, nec imaginatio ſatisfaciat officio: (§. XXXV. nihil recte ſane faciet homo, vehementiore adfectu intra praecordia ſaeviente. Ergo ſuſpendenda erit actio. Denique quum adfectus ex repraeſentatione boni vel mali oriantur: (§. XXXII. fieri non poteſt, quin mens ad tranquillitatem redeat, ſimul ac id, quod bonum malumve viſum eſt, vel tale non eſſe, vel leve admodum indignumque tanta commotione cenſendum, perſpexerit. Eleganti id exemplo illuſtrat EPICTET. *Enchir. Cap. XIV. Numquam in re quapiam dicas: perdidi, ſed reddidi. Puer obiit, redditus eſt. Ager ereptus, nonne is quoque redditus? Sed malus eſt vir, qui abſtulit. Quid ad te, per quem repetierit, qui dedit? Quousque autem tibi praebentur, velut alienorum curam habe, ut hoſpitii viatores.*

§. CCLXXXVIII.

Item cum vitiis & propenſionibus.

Simili mentis vigore adgrediendae ſunt PROPENSIONES & VITIA; quae mentem in tranſverſum rapiunt. Ubi primo omnium obſervandum quod de Parthis olim dictum eſt: *eos fugiendo vincere*, id praecipue quoque locum habere in expugnandis vitiis. Compendii facies permultum laboris, ſi occaſionem, qua irritari vitia poſſent, cave pejus & angue fugeris (*).

(*) Aurea illa EPICTETI, cujus lubentiſſime teſtimonio utimur, *Enchirid. Cap. XXIV. Ἀνίκητος εἶναι δύνασαι ἐὰν εἰς μηδένα ἀγῶνα καταβαίνῃς, ὃν οὐκ ἔστιν ἐπὶ σοὶ νικῆσαι: invictus eſſe poteris, ſi in nullum certamen deſcenderis, quod ut vincas, in te non eſt.*

§. CCLXXXIX.

Quorum occaſio fugienda.

Quum enim adfectus oriantur ex boni malique repraeſentatione: [§. XXXII.] iiſque, ſi vires adquiſiverint, difficilius reſiſtatur, [§. XXVIII.] quin illi, ubi ſaepius repetuntur, in mores evadant: [§. XLIII.] conſequens eſt, ut vel ſola occaſio peccandi, dum tibi vitia tamquam grata atque jucunda repraeſentat, te in vitia praecipitem dare, & in miſerrimo iſto ſtatu retinere poſſit.

§. CCXC.

Etiam iis, qui ſe fortes putant.

Nec prodeſt, quod ſerio conſilium ceperis a vitiis abſtinendi. Si enim ſemel occaſionem peccandi non fugeris, fieri poterit, ut propoſitum iſtud tibi extorqueant vitiorum illecebrae (*). Et quam imprudenter quaeſo agunt, qui, freti alexipharmacorum virtute, domum, ubi peſtis graſſatur, ſine urgente neceſſitate ingrediuntur?

[*] Oſtendere id voluerunt poëtae, fingentes, Ulyſſem, quamvis compoſiti animi virum, non auſum tamen Sirenarum cantum audire, priuſquam malo ſe alligatum vidiſſet, ſociiſque navigationis aures cerâ obturari juſſiſſet. Notum, quid de Alipio, amico, referat Auguſtinus. Ad Chriſtum converſus conſilium ceperat, nunquam ingrediendi theatrum. At ſaepe ab aequalibus invitatus, demum ingredi ſtatuit, ſed clauſis oculis adſidere. Praeſtitit hoc aliquamdiu. Vociferante autem populo, oculos aperuit. Semel apertos claudere iterum vel noluit, vel non potuit: quin ita poſtea his ſpectaculis delectatus eſt, ut fere primus ſemper theatrum ingrederetur.

§. CCXCI.

Inprimis loca ſuſpecta & conſuetudo malorum vitanda.

Vitanda ergo loca, ubi peccatis ex inſtituto indulgent homines. Vitanda pravorum conſortia, vitanda turba. Numquam mores, quos domo extuliſti, referes. Aliquid ex eo, quod compoſuiſti, turbabitur, aliquid ex his, quae fugaſti, redibit. Nemo non tibi aliquod vitium aut commendabit, aut imprimet, aut neſcienti allinet. SENECA *Epiſt. VII.*

§. CCXCII.

Nec tamen in eremum ſecedendum.

Neque tamen fuga iſta in eo ponenda, ut in eremum ſecedamus, ut monaſteria & frontiſteria circumſpiciamus, ut ſemper latitemus, atque nos abſtineamus a rebus gerendis. Eremus etiam & monaſteria in mundo ſunt. Praeclarius virtutis ſpecimen eſt, vitare occaſiones, ubi ſuppetunt, quam eas in eremo expetere, non invenire.

§. CCXCIII.

Quid ſi occaſio non poſſit evitari?

Si ita eveniat, ut occaſio vitari non poſſit; vel ſi vitium, etiam non data occaſione, nobis adblandiatur: alia longe pugna opus eſt. Animo enim in memoriam revocanda vitiorum vanitas, [§. CCLXIX. *ſeqq.*] incredibilis miſeria, in quam per ea praecipites demur, [§. CCLXXII.] Dei omnipraeſentia, [§. CLXXXIV.] juſtitiaque exactiſſima, [§. CLXXXVI.] ſummi boni praeſtantia ac ſuavitas, [§. CCLXXIV.] mors denique, quae imminet, & nos hoc theatro exire jubebit. Haec meditatio quot argumentis retrahere poſſit mentem, vitiorum illecebris ſollicitatam, ex iis, quae ſupra dicta ſunt, facile animadvertes (*).

[*] Omnes igitur colligendae ſunt vires, & mens his argumentis convincenda. Fieri enim non poteſt, ut, propoſitis vitiis & virtutibus, homo has eligat, ſi vere convictus ſit, illa mala, has bonas eſſe, illa nihil ſolidi habere, has eſſe vere praeclaras, & amore digniſſimas. Serio igitur hic cogitationibus indulgendum. Quo enim id feceris diutius, quo conſtantius, eo magis inſidias vitiorum evitandas eſſe, tecum ſtatues. Et hoc oſtendere voluerunt poëtae fabula illa de Hercule, in bivio conſtituto.

§. CCXCIV.

Pugna haec ſub-

Et quamvis initio paullo difficilior haec pugna futura ſit: non

inde repetita facilior.

tamen eſt, quod deſpondeas animum. Si ſemel viceris, iterum congreſſus, tanto facilius vinces. Et quo ſaepius repetieris pugnam, eo faciliorem ſemper victoriam eſſe, fateberis (*).

[*] Quemadmodum enim diuturna conſuetudine vires adquirunt vitia, ac veluti in alteram naturam evadunt: [§. LXIX.] ita & ſenſim infirmiora fient, ſemel iterumque debellata. Hoſtis ſemel iterumque devictus facilius longe proſternitur, quam ubi viribus integris ſubnixum adgredimur.

§. CCXCV.

Et victoria ſuaviſſima.

Quin illam animi contentionem, quae te in debellandis vitiis aliquamdiu defatigavit, facile penſabit inſignis ac incredibilis laetitia, quae victoriam hanc conſequitur, quam, ubi ſemel percepiſti, tam ſuavem experieris, ut vel ejus perfruendae cauſſa ad certamen illud te accincturus ſis tanto alacrius.

§. CCXCVI.

Pugnandum etiam cum rebus externis.

Non ſolum autem cum vitiis pugnandum, ſed & cum REBUS omnibus, quae animum perturbare ac de ſtatu ſuo dejicere poſſent, veluti cum paupertate, ignominia, doloribus, ipſaque morte. Quae facile invicto animo perferes, ſi victor ex ſuperiore pugna exceſſiſti. Quid enim intolerabile videbitur illi, quem conſcientia conſolatur, &, quod iſta omnia non poena, ſed medicinae cauſſa eveniant, convincit (*)?

(*) Quemadmodum, duo quum faciunt idem, non eſt idem: ita nec quando duo idem patiuntur, eamdem inde capiunt moleſtiam. Intolerabile videtur ſcelerato, vel biduum condemnari ad operas publicas, vel ad triremes. Et tamen eaſdem operas alii, mercede conducti, ſine magna moleſtia praeſtant permultos annos. Ipſum vivicomburium, quod reis terribile omnino eſt, tale viſum non eſt martyribus. Multum itaque intereſt, ex merito hoc feras, an conſcientia te abſolvat.

§. CCXCVII.

Quo faciunt praemeditatio rerum, quae evenire poſſunt.

Ad haec eo fortius ferenda magno tibi adjumento erit meditatio eorum omnium, quae cuilibet in via virtutis evenire poſſunt. Tela praeviſa minus nocent. Nec tam intolerabilia ſapienti videbuntur, quaecumque ipſi accidunt, ſi non ex improviſo evenerint (*), ſed ipſe ſe alloqui poſſit:

- - Non ulla laborum,
O mea mens, nova mî facies inopinave ſurgit.
Omnia praecepi, aequo animo mecum ante peregi.
VIRGIL. *Aen. VI. v.* 140.

(*) Pertinent huc praeclare EPICTETI ſimilitudines in *Enchirid. Cap. XXXIV.* ab eo, qui Olympia vincere cupit, & *Cap. VII.* ab eo, qui balneum ingreditur, deſumtae. Audiemus poſteriorem: Ὅταν ἅψεσθαί τινος ἔργου μέλλῃς, ὑπό-

ὑπόμνησον σεαυτὸν, ὁποῖόν ἐστι τὸ ἔργον. ἐὰν λουσόμενος ἀπίῃς, πρόβαλε σεαυτῷ τὰ γινόμενα ἐν βαλανείῳ, τοὺς ἀποῤῥέοντας, τοὺς ἐγκρουομένους, τοὺς λοιδοροῦντας, τοὺς κλέπτοντας, καὶ οὕτως ἀσφαλέστερον ἅψῃ τοῦ ἔργου. κ. τ. λ. *Quum rem quampiam adgreſſurus es, redige tibi in memoriam, qualiſnam ea res ſit. Si lotum abis, praepone tibi, quaecumque in balneo fiunt irrorantes, inquietos, convicīantes, furantes: atque ita tutius rem adgrediere, cet.*

§. CCXCVIII.

Deinde, ubi tibi ineunda fuerit haec palaeſtra; eorum praecipue memento, quae ſupra de his calamitatibus, etiam viris bonis obvenientibus, & remedio illis opponendo, diximus (*), [§. CCXII. *ſeqq.*] Remedia fortunae adverſae.

(*) Ea ex inſtituto pertractare conatus eſt SEVERINUS BOETH. *in libello de conſolatione ex philoſophia*, qui ſaepe editus, & in varias linguas translatus eſt. Merito autem mireris GOTHOFREDUM ARNOLDUM in *Hiſtoria eccleſ.* & *haeret.* exiſtimare, Boëthium vere Chriſtianum non fuiſſe, quia in ſumma calamitate ad philoſophiam, tamquam ad ſacram ancoram confugerit. Quaſi ideo ſcripturam neglexerit, aut is non ſit Chriſtianus, qui & rectam rationem in conſilium adhibet.

§. CCXCIX.

Sed quamvis praeclara haec omnia praecepta ſint de mediis ad veram felicitatem perveniendi, eaque nec revelatio rejiciat: facile tamen animadvertet, quicumque ea paullo accuratius conſiderabit: illa non ſufficere homini, qui ad veram felicitatem adſpirat (*). Media hactenus commendata.

(*) Quidquid in contrarium nitantur *Naturaliſtae*, de quibus ex inſtituto TRIBBECHOVIUS in libello *de Naturaliſmo.*

§. CCC.

Quum enim vitium homini natura inſit, [§. LXXI.] Deuſque, tanquam ens juſtiſſimum, [§. CLXXXVI.] non poſſit non ab iis abhorrere: facile patet, non ſperandum eſſe, Deum conjuncturum ſe cum hominibus, a quibus antea peccatis innumeris offenſus fuit, niſi juſtitiae ejus omnino ſatisfiat (*). At ejuſmodi medium, expiandi peccata, Deoque ſatisfaciendi, ratio omnino ignorat. Deſtituimur enim medio expiandi peccata.

(*) Socini aſſeclae, aliique, ſatisfactione hac Deo opus eſſe plane negant, creduntque, non minus licere Deo, quam regibus, ſine hac gratiam delictorum facere. Verum, quum nihil poſſit Deus, niſi quod vult: (§. CLXXXV. *) non quaeritur, quid Deo liceat? ſed quid illius juſtitiae conſentaneum ſit? Juſtitiae autem infinitae eſt, ſatisfactionem exigere ab iis, qui illam laeſerunt, & talem quidem, quae digna ſit infinita juſtitia. Vid. RUARD. ANDALA *Theol. natural. Part. II. Cap. XII.* §. *XIII.* ſeqq.

§. CCCI.

Deinde quamvis omnino recte ſe habeant praecepta moralia de pro- Deſtituimur viri-

bus ad obſequium Deo praeſtandum neceſſariis.

propoſito emendandae mentis capiendo, de impugnandis pravis adfectibus ac vitiis, & ſimilia: quum tamen ſemper homini eveniat, quod illi Medeae: *video meliora, proboque, deteriora ſequor:* conſequens eſt, ut opus nobis ſit multo *majoribus viribus*, ſi bellum hoc cum ſpe victoriae ſuſcipere velimus (*). At *vires has* unde petere nos oporteat, ratio ignorat.

(*) Quid claudo proderunt conſilia, ut eat, ambulet, immo & ſaltui & curſui paullatim adſueſiat, niſi ipſi medicus, id ſuadens, ſimul vires largiatur, id efficiendi?

§. CCCII.

Deum ergo hunc defectum ſuppleſſe oportet.

Quare aut Deus noluit umquam, hominem ad ſummam felicitatem pervenire, aut aliud lumen eſſe oportet, quo praelucente quomodo Deo ſatisfieri, & unde vires illae hauriri poſſint, videamus. Quumque prius verum non eſſe, oſtenderimus: (§. CLXXXIX.) oportet ſane lumen aliquod eſſe, & ſemper fuiſſe, cujus ope diſcamus, quo pacto Deo ſatisfieri, vireſque ſufficientes adquiri poſſint.

§. CCCIII.

Et hinc dediſſe revelationem.

Tale lumen extra rationem nullum eſſe poteſt, praeter REVELATIONEM divinam (*). Exſtare itaque oportet REVELATIONEM aliquam, a Deo profectam, quae illa, ad quae ratio caecutit, nobis oſtendat, defectumque illum ſuppleat.

(*) Ea concluſio eo minus miranda, quo magis conſtat, ipſos paganos philoſophos aliquando ita ratiocinatos. Socrates ſane apud PLATONEM *in Phaedone p. 604. Tom. II. Opp.* diu multumque de mentis immortalitate, ejuſque conditione poſt mortem, ſermocinatus, tandem, hac in re caecutire rationem, agnoſcit. Ex eo infert, alterutrum horum fieri debere ab homine ſapiente. *Aut eum diſcere debere ac invenire, quemadmodum illa ſe habeant: aut, ſi hoc fieri nequeas, optimam ac tutiſſimam humanarum rationum eligere, qua, tamquam rate vectus, procellas hujus vitae pertranſeat.* Et hanc poſteriorem viam omnino ingrediendam eſſe cenſet, εἰ μή τις δύναιτο ἀσφαλέστερον ἢ ἀκινδυνότερον ἐπὶ βεβαιοτέρου ὀχήματος ἢ ΛΟΓΟΥ ΘΕΙΟΥ ΤΙΝΟΣ, διαπορευθῆναι, *niſi liceat forte illas vitae procellas firmiore quodam vehiculo, vel DIVINO QUODAM VERBO, tutius ac minore cum periculo tranare.* Verba aurea, & conſideratu digniſſima!

§. CCCIV.

Ex tot revelationibus, una vera eſt.

Agnovere omnes religiones revelationis cujuſdam neceſſitatem. Quis enim Judaeorum *traditionem oralem*, quis Mahumedanorum *Alcoranum*, quis ipſorum gentilium *oracula*, quis denique a Chriſtianis, & ex parte a Judaeis, receptam *ſcripturam ſacram* ignorat? At quum hae revelationes ſibi in multis contradicant, & contradictoriae ſimul verae eſſe nequeant: (L. §. LXXII.) conſequens eſt, ut unica ex his vera ac divina, eaque ſummo ſtudio inveſtiganda ſit (*).

(*) Vel

(*) Vel ex hoc ergo adparet abſurditas religionis Mahumedanae, ex principiis quippe Judaiſmi, Chriſtianiſmi & Iſlamiſmi, id eſt, ex contradictorii meris conflatae.

§. CCCV.

Neque ἐκ τῶν ἀδυνάτων oportet eſſe hanc indaginem. Quum enim revelatio abſolute ſit neceſſaria: (§. CCCI.) voluit procul dubio Deus, ut omnibus mortalibus innoteſceret. Innoteſcere autem non poſſet, niſi certi in promtu eſſent characteres, quibus ab aliis revelationibus diſcerneretur, & qui non alibi, quam in ipſa illa revelatione, quaerendi (*). Ergo ſunt certi characteres verae revelationis.

(*) Revelatio enim, quam quaerimus, eſt lumen, quod nobis ad veram felicitatem praelucet. (§. CCCI.) Quemadmodum vero lumen verum ab igne fatuo non aliter, quam utriuſque conſiderata & inter ſe comparata natura, diſcernimus, neque hic res redit ad teſtimonia hominum, (quamvis haec nobis fortaſſis occaſionem, rem accuratius conſiderandi, ſuppeditare poſſint:) ita revelatio aliter cognoſci nequit, quam ſi contemplemur ejus indolem, eamque contendamus cum revelationibus aliis. Ceterum, quum nobis res ſit cum hominibus, de veritate revelationis convincendis: per ſe patet, huc non pertinere teſtimonium illud Spiritus S. internum, quod eos, qui jam voluntatem Dei faciunt, convincit, 1. *Joan. V, 6.*

§. CCCVI.

Quum nimirum finis hujus revelationis ſit, ut id, in quo caecutit ratio, nobis oſtendat: (§. CCCIII.) facile patet, 1. nihil divini prae ſe ferre revelationem, quae tota id unice inculcat, quod jam tum recta ratio agnoſcit. Eorum primus.

§. CCCVII.

Quumque praecipua capita, in quibus deficit ratio, ſint ſatisfactio, divinae juſtitiae praeſtanda, & adquiſitio virium, quibus opus eſt ad voluntatem Dei perficiendam: (§. CCXCIX. *ſequ.*) conſequens eſt, 2. ut divina revelatio & medium ſufficiens (*), infinitae juſtitiae Dei ſatisfaciendi, & vires illas novas adquirendi, oſtendere debeat. Secundus.

(*) Non autem ſufficere ἀσκήσεις & adflictiones corporis, non jejunia, non ſacrificia & lanienas animalium, ipſa ratio facile agnoſcit. Quin poſtremas abſurdas eſſe, niſi ratio quaedam ſanctior accedat, veluti typica, jam pridem ab aliis eſt demonſtratum.

§. CCCVIII.

Quia porro divinam hanc revelationem eſſe oportet: (§. CCCII.) per ſe patet, 3. nihil in ea occurrere debere, quam quod verum, ſanctum, Deoque dignum ſit (*). Tertius.

(*) Indigna autem Deo eſſent *dictio* vel ludicra, vel ambigua, vel plus artis ex vanitatis, quam ſimplicitatis & gravitatis, prae ſe ferens, *hiſtoriae* falſae & abſurdae, *miracula* fabuloſa ac minus neceſſaria, *prophetiae* eventu haut comprobatae, *doctrinae morales*, rectae rationis principiis repugnantes, vel ſocietati

cietati humanae noxiae, *cultus* & *ritus* inanes, veraeque pietatis & amoris divini indoli adverſi; *contradictiones* deniquo manifeſtae, & nullo modo conciliabiles.

§. CCCIX.

Quartus & quintus. Quumque jam inde ab ipſa humani generis origine homines illa revelatione indiguerint: (§. CCCI.) conſequens eſt, 4. ut revelatio vera ac divina debeat eſſe antiquiſſima, quin ipſi humano generi coaeva, adeoque & 5. ita conſervata, ut nec temporis, nec hominum injuriis, quidquam ceperit detrimenti.

§. CCCX.

Ergo divina non ſunt oracula paganorum. Quibus poſitis, certiſſimum eſt, ORACULA quibus gentiles deluſi ſunt, divinae revelationis nomen haud mereri, quia 1. quod rationi deeſt, non ſuppleverunt, & 2. nullum commendarunt Deum propitiandi medium, quod non ſit abſurdiſſimum, veluti ludos, certamina, quin immolationes hominum ipſis gentilibus abominandas. Praeterea 3. nihil fere ſine ambiguitate protulerunt, nihil ſanctum, nihil pium, vel quod ſacerdotum fraudes non manifeſto prodiderit: denique non modo 4. eorum origines, ſed & 5. finem ſcimus omnes (*).

(*) Oracula pro meris impoſturis habent ANT. VAN DALE *de oraculorum origine & auctoritate*, & FONTENELLIUS in *Hiſtoria oraculorum*. Daemonis operationibus illa tribuit P. BALTUS *dans la réponſe à l'hiſtoire des oracles de Fontenelle*. Mediam ſententiam non ſine ratione ingreditur Auctor *des Remarques ſur le démêlé, qui eſt entre Mr. de Fontenelle & l'Auteur de la réponſe des oracles*, qui & daemonum partes ea in re fuiſſe ſtatuit, & multas ſacerdotum impoſturas interceſſiſſe fatetur. Conf. BUDD. *de Atheiſm. & ſuperſtit. Cap. III. p.* 287. & JO. CLERIC. *dans la Bibliotheque choiſie Tom. III. Art. II. p.* 180.

§. CCCXI.

Nec Alcoranus. Nec eſt, quod ALCORANI divinitatem jactent Mahumedani. Quid enim 1. in illo rectam rationem ſupplet, ac non potius deſtruit? Quodnam ille 2. aliud oſtendit medium expiandi Deum, quam adflictiones corporis, jejunia, lavacra, peregrinationes Meccanas? quem fontem monſtrat ſuis ſectatoribus, unde vires bene agendi hauriant? 3. Quid in illo Deo dignum? Quam multa plagia? quam inſulſae fabulae? quam innumera futilia? Denique 4. ejus novitatem ne ipſi quidem Mahumedani negant, probe gnari, mille annos non multum ſuperare volumen iſtud ſacerrimum (*).

(*) Luculenter haec omnia demonſtravit, qui totum Alcoranum cum notis & refutationibus ſuis edidit LUDOV. MARACCIUS, *Patav.* CIƆIƆCLXXXIX. *fol.*

§. CCCXII.

Nec volumen Quid in TALMUDE Judaeorum occurrit, praeter ſubtiles & vere ſuperſtitioſas de ritibus & jure Judaico quaeſtiones? An hae

1. id,

1. id, in quo deficit ratio, ſupplent? 2. An medium propitiandi Deum oſtendunt? an vires bene agendi ſufficiunt? 3. Quam inſulſae ibi fabulae intermixtae? 4. Quam novum porro iſtud opus, exciſis jam pridem Hieroſolymis natum (*)? Nullum ergo characterem in his omnibus reperias verae ac divinae revelationis. Talmudicum.

(*) Omnia haec juſtis operibus explicarunt viri doctiſſimi. At in compendio ea exhibet PFEIFFERUS *in Theologia Judaica.* Si quid ſani ineſt Miſchnae, id vel inquinavit vel plane corrupit Gemara, ſeu gloſſa, quae ubique prodit magiſtrorum ſuperſtitionem, ſtupiditatem, & fingendi quaelibet libidinem.

§. CCCXIII.

At, quod alibi fruſtra quaeras, id divino beneficio poſſidemus Chriſtiani. SCRIPTURA enim SACRA 1. omnia, ad quae ratio caecutit, ſupplet abunde. Oſtendit nobis creationem rerum omnium ex nihilo, generis humani originem, primaevam hominis integritatem, & ſubſequentem lapſum. Eadem de eſſentia Dei & voluntate nos inſtruit accuratiſſime, & de reſurrectione carnis, de futuro judicio, & juſtorum injuſtorumque conditione poſt mortem, ea docet, quae recta ratio non agnoſcit, unuſquiſque tamen ſublimia, ſancta, ac praeclara eſſe, facile deprehendit. Scripturae S. quadrat character primus.

§. CCCXIV.

Eadem ſcriptura 2. oſtendit Chriſtum, qui Deo pro hominibus ſatisfacit pleniſſime; & cui per fidem adhaerentes, gratiae Dei quam certiſſime fiant participes. Oſtendit Spiritum S. qui haec Servatoris merita adplicet, imaginem divinam in iis inſtauret, & novas vires ſufficiat, ut regeniti & ſanctificati, tamquam novae creaturae, Dei voluntatem faciant, & magis magiſque in bono proficiant. Secundus.

§. CCCXV.

Porro in hac ſcriptura 3. nihil eſt, quod Deo indignum ſit, at omnia ita comparata, ut ſtatim Deum auctorem prodant. Eloquutio ubique ſimplex, & tamen cum ſumma ἐμφάσει conjuncta: hiſtoriae ſeries accuratior, quam uſquam, vaticinia de rebus maximis veriſſima, praecepta vivendi ſanctiſſima, & argumentis fulcita tam inſignibus, ut cor ipſum fodiant, & virtutem ſuam quotidie oſtendant (*). Tertius.

(*) Eloquutionem, utut ſimpliciſſimam, ipſi gentiles mirati ſunt. DIONYS. LONGIN. *de Sublim. Sect. IX.* §. XVIII. Ταύτῃ καὶ ὁ τῶν Ἰουδαίων θεσμοθέτης, οὐχ ὁ τυχὼν ἀνήρ, ἐπειδὴ τὴν τοῦ θείου δύναμιν κατὰ τὴν ἀξίαν ἐγνώρισε, κἀξέφηνεν, εὐθὺς ἐν τῇ εἰσβολῇ γράψας τῶν νόμων. Εἶπεν ὁ θεὸς, φησί· τί; γενέσθω φῶς, καὶ ἐγένετο, γενέσθω γῆ, καὶ ἐγένετο. *Hac vero mentis altitudine Judaeorum legislator, vir minime contemnendus, dignam Deo potentiae ejus cepit imaginem, digneque eloquutus eſt. Nam in*

ipſo ſtatim legum principio : dixit Deus, inquit, *Quid : Fiat lux*, *& facta eſt. Fiat terra*, *& facta eſt.* Oboriri legentibus poſſunt ſcrupuli chronologici, geographici, ſimiles. Sed tales etiam in aliis hiſtoriis veriſſimis oboriuntur. Quin eos non prohibere, quo minus ſcripturae divinitatem in univerſum agnoſcamus, alio loco oſtendimus, (I. §. CLVI.)

§. CCCXVI.

Quartus & quintus.

Denique 4. antiquiſſima haec ſcriptura eſt. Prima revelatio in paradiſo facta, & per tot ſaecula ſapientiſſime continuata, donec numeris ſuis abſolutus eſſet canon. Eadem 5. inter tot tyrannorum furores & Judaeorum Chriſtianorumque lanienas illaeſa ſemper ſervata eſt, nec quidquam ejus corpori per tantam fatorum ſeriem deceſſit (*).

(*) Citantur in ſcriptura quidam libri, veluti *Liber bellorum Domini*, *Epiſtola ad Laodicenos*, & ſimiles. Sed adducuntur etiam quaedam ex Arato & Epimenide, poëtis. Nec ſequitur, ut in canone fuerint omnia, quae vel a ſcriptoribus ſacris allegantur, vel a viris θεοπνεύστοις ſcripta ſunt. Quis enim dubitet, quin Paullus praeter epiſtolas illas divinas multas alias privatas ſcripſerit? Quis dubitet, quin idem fecerint omnes apoſtoli & viri apoſtolici reliqui? Sed ita rem direxit divina providentia, ut illae ſolae, quas hodie legimus, in canone conſervarentur, quippe quae fini ac intentioni Dei ſufficerent.

§. CCCXVII.

Hinc ea ſola eſt divina revelatio.

Quum itaque characteres divinae revelationis omnes ſcripturae ſacrae ſoli conveniant: ea ſola quoque id nomen tuetur (*).

(*) Ineeſſimus per veſtigia VINCENTII PLACCII, qui in *libello de praecipuo fructu philoſophiae moralis*, & JO. FRANC. BUDDEI, qui ſub finem *Philoſophiae moralis* eodem modo divinitatem ſcripturae ſacrae ex principiis moralibus demonſtrarunt.

§. CCCXVIII.

Ac proinde in conſilium adhibenda.

Hanc ergo ſi in conſilium adhibuerit, qui ad ſummam illam felicitatem adſpirat: dubium non eſt, quin pulcherrimum hunc finem conſequuturus ſit feliciter. Et utinam vel hunc fructum caperemus ex hac ſcriptione noſtra. Sic enim vere contingeret, quod ex CLEMENTIS ALEXANDRINI *Stromat. Libr. I. p.* 282. ſupra (§. IX.) adduximus, προπαρασκευάζειν τὴν φιλοσοφίαν, προοδοποιοῦσαν τὸν ὑπὸ χριστοῦ τελειούμενον, *praeparare philoſophiam, dum ei viam munit, qui a Chriſto perficiatur.*

ΠΑΝΤΑ ΚΑΛΩΣ ΕΣΤΑΙ.

INDEX

INDEX
ELEMENTORVM PHILOSOPHIÆ RATIONALIS ET MORALIS.

I. HISTORIA PHILOSOPHICA. *pag.* 1
Cap. I. De Philoſophia generatim. - -
II. De Philoſophia Traditionaria. - - 3
III. De Philoſophia Græcanica. - - - 9
IV. De Philoſophia medii æui & noua. - - 27

II. ELEMENTA PHILOSOPHIAE RATIONALIS, ſeu LOGICAE. 35
Cap. I. De Logicae natura & conſtitutione. - -
II. De Natura Intellectus humani. - - - 37
Sectio I. De Intellectus operationibus. - *ibid.*
II. De Perceptione, vel Ideis. - - - 40
III. De Definitionibus & Diuiſionibus. - 43
IV. De Iudiciis & Propoſitionibus. - - 47
V. De Ratiocinatione vel Syllogiſmo. - 52
Cap. III. De Veritate, eique oppoſito falſo. - - 57
Sect. I. De Veritate generatim. - - - *ibid.*
II. De eo, quod certo verum falſumue eſt. - 62
III. De Veritate probabili. - - - - 67
Cap. IV. De mediis veritatem inueniendi communicandique cum aliis. - - - - - - - 73
Sect. I. II. III. De modo Veritatem per Meditationem, Interpretationem, ac Diſputationem inueniendi. - - - - - - -
IV. De ratione veritatem perſpicue proponendi. 92

III. ELEMENTA PHILOSOPHIAE MORALIS.
Cap. I. De Philoſophiae Moralis natura & conſtitutione. 99
II. De Natura Hominis morali. - - - - - 101
Sect. I. De Mente. - - - - - - *ibid.*
II. De Corpore. - - - - - 108

Cap. II. *Sect.* III. De variis hominum moribus & vitiis. *pag.* 113
IV. De ſignis & characteribus Morum & Adfectuum. 122
Cap. III. De ſumma felicitate ad quam homo contendit. 129
Sect. I. De Bono & Malo generatim. - - - *ibid.*
II. De Summo Bono. - - - - - 136
III. De Summi Boni effectibus. - - - - 145
Cap. IV. De mediis ad veram illam felicitatem perueniendi. 156
Sect. I. De ſui ipſius cognitione. - - - *ibid.*
II. De capiendo verae emendationis conſilio 160
III. De pugna, in quam ſapientiae ac virtutis ſtudioſo deſcendendum. - - - 166

INDEX
RERUM PRAECIPUARUM.

In Allegationibus & in hoc Indice, H. denotat Hiſtoriam Philoſophicam; L. Philoſoph. rationalem ſeu Logicam, M. Philoſophiam Moralem.

A

ABAELARDUS (*Pet.*) ſcholaſticus. H. §. 100
Abſtinentia quid? M. 231
Accidens quid? L. 34
Actus eliciti & imperati. M. 30
Adfectatio quid? M. 237
Adſociatio idearum quid? M. 22 *
Adulatio quid? M. 237
Aegyptii matheſi operam dederunt. H. 20
  non fuerunt magiſtri Hebraeorum. *ib.* 19
  eorum ſapientia ab Hebraica plane diverſa. *ibid.*
  quae illorum fuerit philoſophia moralis? *ibid.*
Aemulatio unde oriatur? M. 42
Affectus quid? M. 32
  horum gradus. *ibid.* 33
  monet mentem a malo ad bonum. *ib.* 34
  eorum cauſſa. *ibid.* 35
  eorum effectus. *ibid.*
  in ſe mali non ſunt, nec extirpandi. *ibid.* 36
  eorum ſigna ſe facile produnt. *ibid.* 108
Agilitas corporis quatenus bonum? M. 156
Allatius (*Leo*) maculas ſolares cognitas habuit. H. 106 *
Albertus M. Philoſ. ſcholaſticus. H. 100
Alcorani divinitas fruſtra a Mahumedanis aſſeritur. M. 311
Althuſius (*Jo.*) fautor Monarchomachiſmi. H. §. 120
Amare Deum quid? M. 202
Ambitio quid? M. 75
  unde oriatur? M. 40
  quotuplex? *ibid.*
  ejus effectus. M. 76
Ambitioſus quis & ejus character. M. 76 -- 80
  ſigna. M. 113
Amicitia vera quid? M. 242. 243
Amor quid? M. 37
  ejus ſigna. M. 109
  in eo, quo ferimur in Deum, conſiſtit vera felicitas. M. 198
  complacentiae & concupiſcentiae quid? M. 199
  controverſiae de hac diſtinctione. *ibid.*
  devotionis, amicitiae & benevolentiae quid? M. 200
  obedientiae vel devotionis. M. 202
Anaximander Mileſius horoſcopiorum cet. inventor. H. 47
Antiſthenes Cynicorum ſectae auctor. H. 75
Appetitus quid? M. 31
Aquinas (*Thomas*) ſcholaſticus. H. 100
Arabes ſuos habuerunt magos. H. 28
  multum nocuerunt Ariſtotelis doctrinis. H. 74
  Ariſtotelis philoſophiam in ſuam linguam tranſtulerunt. H. 99
Archimedes ſpecula cauſtica invenit. H. 106 *
Ariſtippus Cyrenaicam ſectam condidit. H. 57

ejus ſucceſſores ibid.
Ariſtoteles Platonis diſcipulus. H. §. 72
ejus ſchola quomodo dicta? ibid.
quos habuerit ſucceſſores? ibid.
hujus doctrinae diu regnarunt in Chriſtianorum Academiis. ibid.
ejus phyſica ridicula. H. 73
ethica mediocris. ibid.
logica accurata. ibid.
nec politica, ars poëtica & rhetorica ſua laude defraudandae. ibid.
Arithmeticam primus docuit Pythagoras. H. 41
Arnoldus (*Gottfr.*) male incuſat Boethium. M. 298 *
Artes quatenus bonum? M. 156
Aſellius (*Caſp.*) venas lacteas detexit. H. 106
Avaritia unde? M. 40
quid? M. 87
quotuplex? ibid.
omnium abſurdiſſima. M. 93
Avarus quis & ejus character? M. 88. 92
Auctoritatis praejudicium. vide *praejudicium.*
Audacia quid? M. 39
Auguſtinus quo conſilio ſcripſerit libros de Civit. Dei. L. 107 *
Axiomata quid? L. 58. 173
non indigent probatione. ibid. 59. 176

B.

Barbari nitebantur auctoritate majorum. H. 4
quinam ita vocati a veteribus? H. 12
barbarica philoſophia. vid. *philoſophia.*
eorum ſapientia ſimplex & vulgaris. H. 13
Bardi Germanorum philoſophi. H. 35
Baſilides Epicuri ſucceſſor. H. 86
Bekkerianiſmus. vid. *Carteſius.*
Biel (*Gabr.*) ſcholaſticus. H. 100
Boecklerus (*Jo. Henr.*) politicam excoluit. H. 119
Bonum quid? M. 142
eſt vel phyſicum vel morale. ibid.
verum vel apparens. M. 143
verum ſimul honeſtum, jucundum & utile eſt. M. 206
abſolutum vel reſpectivum. M. 144
activum vel paſſivum. M. 145. 152
privativum vel poſitivum. M. 146
ordinarium vel extraordinarium. M. §. 147
corporis & animi. M. 148
animi bonum praeſtantius bono corporis. M. 150
praeſtantiſſimum quod utrumque conſervat. ibid.
privativum poſitivo praeſtantius. M. 151
Summum quid? M. 162
hoc appetimus omnes. M. 163
ab omnibus poteſt obtineri. ibid.
voluntatem perficit. M. 165
debet eſſe perpetuum. M. 167
diſſenſus philoſophorum de ſummo bono. M. 169 --- 173
non conſiſtit in corpore. M. 195
Borellus (*Petr.*) Microſcopiorum uſum commonſtravit. H. 106
Boyle (*Rob.*) Antliam pneumaticam invenit. H. 106
Brachmanes Indici philoſophi. H. 31
hodie ſub voce Braminen occurrunt. ib.
Brutus (*Steph. Jun.*) fautor Monarchomachiſmi. H. 120

C.

Cabbaliſtarum ſyſtema quid? H. 17
Caeſalpinus circulationem ſanguinis perſpectam habuit. H. 106
Calamitatum cauſſa. M. 261. 263
Campanella (*Thom.*) vitam quis ſcripſerit? H. 105. ***
Cardanus (*Hieron.*) novi ſyſtematis inventor. H. 105
Carteſius novum ſyſtema edidit. H. 108
ejus vita. ibid.
ſectatores praecipui. H. 109
Theologi ſe ejus ſectae acriter oppoſuerunt. ibid.
ejus principia logices. H. 110
quid de exiſtentia Dei ſtatuerit? H. 111
ejus de ſpiritu opinio. ibid.
inde enatum ſyſtema occaſionale & *Bekkerianiſmus.* ibid.
ejus principia phyſica. H. 112
moralem philoſophiam vix attigit. H. 113
jugum ſervitutis philoſophicae excuſſit. H. 114

Caſſinus ſatellites Saturni primus obſervavit. H. §. 106
Chaldaei qui ſtatuerint? H. 22
eorum ſapientiæ origo. H. 21
multa ſomniarunt de aſtrologia, artibus divinatricibus cet. H. 23
Cholericum temperamentum; vid. *temperamentum.*
Cholericorum character. M. 58. 64
eorum ſigna phyſiognomonica. M. 120
Cholerico - ſanguinei quinam? M. 63
Cholerico - melancholici qui? *ibid.*
Chryſippus ſucceſſor Zenonis H. 79
Circulus quid? vid. *fallacia.*
Cleanthes ſucceſſor Zenonis. H. 79
Cognitio ſui ipſius difficilis eſt. M. 258
non aeque corporis. M. 259
modus quo progrediatur noſtra cognitio? L. 9
Color prodit affectus. M. 108
Comenius (*Jo. Amos*) ſcripturam ſacram philoſophiae principium ſtatuit. H. 4 *
Commiſeratio quid? M. 41
Conditionalis ſyllogiſmus; vid. *ſyllogiſmus.*
Confucius Sinenſium philoſophus. H. 34 *
Congratulatio quid? M. 41
Conjectura quid? L. 151
Conringius (*Herm.*) politicam excoluit. H. 119
Conſcientia quid? M. 18
eſt vel antecedens, vel conſequens. M. 19
vel recta, vel probabilis, dubia, & ſcrupuloſa. M. 20
vel recta, vel erronea. M. 21
vel bona, vel mala. *ibid.*
Conſectarium quid? L. 62. 174
Conſequentiae an imputandae? L. 119
Conſequentis fallacia; vid. *fallacia.*
Conſuetudo cum hominibus virtuti deditis multum prodeſt. M. 279
Continentia quid? M. 234
Converſio quid? L. 66
Copulativus ſyllogiſmus; vid. *ſyllogiſmus.*
Corollarium quid? L. 62. 174
Corpus hominis pars eſſentialis. M. 11
non eſt ergaſtulum mentis. M. 11. & *ibid.* *
non cogitat. M. 12
eo utitur mens, tamquam inſtrumento. M. §. 44
ab eo mens varie adficitur. *ibid.*
conſtat fluidis & ſolidis partibus. M. 45
Cynici H. 76
horum ſectae auctor. *ibid.*
cur dicti Cynici? *ibid.* *
excoluerunt ſolam philoſophiam moralem. H. 77
hujus praecipua capita. *ibid.*
Cyrenaica ſecta. vid. *Ariſtippus.*

D.

Decorum quid? M. 235
eſt vel juris naturae, vel politicum. *ibid.* 236
hujus ſpecies vel virtutes ex eo natae. *ibid.* 237
vitia oppoſita. *ibid.*
Definitio quid? L. 35. 37
ejus partes L. 37
nominalis quid? L. 38
realis quid? L. 39
non debet eſſe negativa. L. 40
debet reciprocari cum ſuo definito. *ibid.*
quomodo reperiatur? L. 41. & 42. 170
experiundo inventa eſt fundamentum demonſtrationis. L. 43
aliquando ſufficiunt nominales. L. 271
Democritus Chemiae peritus fuit. H. 106 *
Demonſtratio quid? L. 120
eſt vel a priore, vel a poſteriore. L. 121
illa procedit a cauſſa ad effectum. *ibid.* 122
quid neceſſario verum? *ibid.* 123 *
nexus propoſitionum conſtare debet. *ibid.* 124
eo uſque procedit, donec pervenit ad principium. *ibid.* 125
a poſteriore quomodo demonſtretur? *ibid.* 126
alia eſt directa, alia indirecta. *ibid.* 127
indirecta quid? & ejus regulae. *ibid.* 127. 128
Deſcriptio quid? L. 36
Deſiderium quid? M. 38
Deſperatio quid? M. 39
Deſperatus oculis furorem indicat. M. 112
Deus eſt bonum abſolutum. M. 187

ſummum. ibid. §. 181. 194
quod demonſtratur. M. 175-181
eſt ens ſimplex. ibid. 182
aeternum & independens. ibid. 184
infinitum incomprehenſibile cet. ibid.
ſapientiſſimum, intelligens, praeſcium, omniſcium, liberrime volens, omnipotens. ibid. 185
juſtum, verax. ibid. 186
ab omnibus poteſt obtineri. ibid. 189
voluntatem poteſt perficere. ibid. 191
nihil eo praeſtantius. ibid. 192
homini bonum praeſtantiſſimum. M. 188
conjungitur cum mente noſtra. ibid. 195
hoc vinculum non conſiſtit in veritatis cognitione. M. 196 *
ſed in voluntate quaerendum. ibid. 197
Dialectica & Analytica non ſunt diſtinctae diſciplinae. L. 3 *
Dickinſon (*Edm.*) Moſi ſuas proprias attribuit ſententias. H. 14 *
Diffidentia quid? M. 39
Dilemma quid? L. 91
Diogenes Laërtius perperam negat, barbaros jam ante Graecos philoſophiam excoluiſſe. H. 11 *
Diogenes philoſophus ſcholae Zenonis. H. 79
Disjunctivus ſyllogiſmus; vid. *ſyllogiſmus.*
Diſputatio quid? L. 208. 209
Diſputantium officia. L. 211. 227
Diſſimulatio quid? M. 237
Diviſio quid? L. 45
in ea etiam negativae definitiones ferendae. L. 46
ejus membra exhauriant totum diviſum. L. 47
ſint disjuncta. ibid.
idea dividenda ab ambiguitate liberanda. ibid.
differentia inter diviſionem & diſtinctionem. ibid.
ſubdiviſiones non praeter neceſſitatem multiplicandae. L. 48
Docentium officia. L. 234 – 244
perverſa quorundam docendi ratio. L. 236
Drebellius (*Corn.*) uſum microſcopiorum detexit. H. 106
pariter ac thermometra. ibid.
Druides Gallorum philoſophi. H. §. 35 *
Dubitatio quid? L. 152
non confundenda cum negatione. L. 153
differt a σκέψει. ibid.
ex ea oritur ſcrupulus. L. 154
hujus effectus. ibid. 155. 166. 167

E.

Eleatica philoſophia unde nomen acceperit? H. 84
Eliaca ſecta unde dicta? H. 60
ejus aſſeclae. ibid.
Enthymema quid? L. 85
Entia rationis non confundenda cum non entibus. L. 15
Enunciatio. vid. *propoſitio.*
Epicurus ſcholam ſuam in horto inſtituit. H. 85.
plurima ſcripſit. ibid.
ejus vita. ibid.
ſucceſſores. H. 86
ejus philoſophiam reſtituit Gaſſendus. H. 87
ejus principia philoſophiae rationalis. H. 87. 88. 89
philoſ. moralis. H. 90
Eſſeni Pythagorae principia adoptarunt. H. 16 *
hujus ſectae origo. H. 16
quando innotuerint? ibid. 16 *
Ethica quid? M. 2
eſt vel dogmatica, paraenetica, paradigmatica, vel characteriſtica. M. 4 & *
differt a jure naturae. M. 6
a politica & oeconomica. M. 7
ejus commodiſſima methodus. M. 8
qua methodo uſi fuerint veteres ac recentiores? M. 8 *
ejus utilitas. M. 9
Euclides actor Megaricae ſcholae. H. 62
Examen ſui ipſius quid operetur? M. 278
Excerpendi methodus. vid. *methodus.*
Experientia quid? L. 23
cautiones circa eam. ibid. 24
Experimenta vel facile, vel difficilius, vel plane non inſtitui poſſunt. L. 169 *
Exponibiles propoſitiones; vid. *propoſitio.*

F.

F.

Fallacia latitat vel in dictione, vel in rebus. L. §. 102
quotuplici modo id fit in dictione? L. 103
in rebus? L. 104. 105. 106
Falſitas aut eſt in idea ſimplici, aut in judicio, aut in ratiocinatione. L. 96. 97
Falſum quid? L. 95
eſt vel in propoſitionum qualitate vel quantitate. L. 98
vel certum vel probabile. L. 109
dantur gradus falſi. L. 110
Favor quid? M. 41
Fictio quid? L. 149
Fiducia quid? M. 39
fiduciam collocare in Deo quid? M. 202
Figurae ſyllogiſmorum. L. 80
harum regulae & fundamenta. L. 81. 82. 83
Fludd (*Rob.*) thermometra ſcivit. H. 106 *
Fortitudo quid? M. 234

G.

Galil. a Galilaeis tubos opticos invenit. H. 106
Garrulitas quid? M. 237
Gaſſendus philoſophiam Epicuri reſtituit. H. 87
Genus quid? L. 34
Geometriam primus docuit Pythagoras. H. 41
Geſtus affectuum ſigna. M. 108
Gevvrorum nomine qui veniant H. 27
Graeci accuratiori philoſophandi ratione uſi, quam barbari. H. 36
Graecorum philoſophorum claſſes. H. 37
Gratia Dei quid? M. 201
Gravitas quid? M. 238
Grotius (*Hugo*) jus naturae excoluit. H. 118
Guericke (*Otto de*) antliam pneumaticam invenit. H. 106

H.

Hadrianus Cardinalis Ariſtotelem e throno deturbare voluit. H. 113 & *
Hales (*Alex. ab*) philoſ. ſcholaſticus. H. 100
Harvaeus (*Guil.*) circulationem ſanguinis detexit. H. §. 106
Hebraea gens ſapientiae ſtudioſiſſima fuit. H. 14
Hebraeorum ſapientia quaenam fuerit? *ibid.*
an ab iis profecerint Pythagoras & Plato? H. 15
reverſi ab exilio Babylonico graeciſſare coeperunt. H. 16
Hegeſias mortem voluntariam commendavit. H. 59
Hermeneutica probabilitas quid? L. 134
Hermes Triſmegiſtus an umquam extiterit? H. 19
Highfliers in Anglia. H. 120
Hiſtorica probabilitas quid? L. 135
Hobbeſius (*Thom.*) Juris natur. ſcriptor. H. 118
fautor Machiavelliſmi. H. 120
Hoffmann. (*Dan.*) Ariſtotelis ſectae ſe acriter oppoſuit. H. 113
Homo & mente gaudet & corpore. M. 10. 11
quinam boni, quinam mali? M. 159
Hoockius uſum microſcopiorum commonſtravit. H. 106
Hotomanus (*Franc.*) fautor Monarchomachiſmi. H. 120
Humanitas. M. 237
Huygenius Satellites Saturni detexit. H. 106
Hypotheſis quid? L. 131

I.

Ideae quid? L. 21
ſunt vel clarae, vel obſcurae. L. 25
quid clarae vel obſcurae? *ibid.*
quid diſtinctae, quid confuſae? L. 26
quid adaequatae & inadaequatae. L. 27
quis illas primus docuerit? *ibid.* *
ſunt vel ſimplices, vel compoſitae. L. 28
ſimplices diſtinctae non ſunt. *ibid.*
ſunt porro vel ſubſtantiarum, vel modorum, vel relationum. L. 30
de idea relativa nihil abſolute negandum, nihil affirmandum. L. 32
ſunt etiam vel ſingulares, particulares, univerſales. L. 33
rerum materialium & immaterialium ideas

ideas quomodo acquiramus? L. §.22
idearum innatarum figmentum. M. 24
Imaginatio quid? L. 12
media eam emendandi. M. 285. 286. 287
diverſimode nominatur. ibid. 13
diverſa apud omnes. M. 17
ejus morbi. M. 27
Impietas quid? M. 228
Impudentia quid? M. 237
Inceſſus manifeſtat temperamenta. M. 121
quinam prodat ambitionem ridiculam. M. 122
Thraſonicam ibid.
militarem. ibid.
pharisaicam. ibid.
voluptatem Veneream. M. 123
amicam. ibid.
Bachicam. ibid.
avaritiam. M. 124
Incitamenta ad veram felicitatem. M. 266
Indifferentia quaenam ſint? M. 158
Indorum philoſophi. H. 31
philoſophia. H. 32
ἀσκήσεις. H. 33
Ingenium quid? M. 22
ejus compoſitiones non ſemper exiſtunt. L. 14
Inhumanitas quid? M. 237
Inſtrumentalis philoſophia, vid. *philoſophia*.
Intellectus quid? M. 15
occupatur circa veritatem. L. 7
ejus cognitio quomodo inſtituenda? M. 257
ejus operationes. L. 10 & 11
apud omnes idem. M. 17
oritur ex ſenſu. L. 17
non ſemper invenit veritatem. L. 12
Interpretatio quid? L. 188
ejus finis. L. 189
ejus regulae. L. 190 — 207
Invidia quid? M. 41
excruciat avaros. M. 66
Jobi amici Sabaeorum ſectae fuerunt addicti. H. 30
Johnſon (*Zach.*) tubos opticos ſcivit. H. 106 *
Ionicae philoſophiae origo. H. 46
Ionici philoſophi quinam? H. 49
parum excoluerunt philoſophiam practicam. H. §. 48
eo magis autem phyſicam. H. 49
daemonibus omnia repleverunt. H. 50
mentis immortalitatem agnoverunt. ibid.
invenerunt quaedam geometrica problemata. ibid.
eorum de aſtronomia & meteoris ſententia. ibid.
Ira agitat ambitioſos. M. 58
Irati ſigna. M. 114
Irriſio quid? M. 41
Italici philoſophi originem debent Pythagorae. H. 39
Judaeorum hodiernorum ſtudia. H. 18
Judicare quid? L. 10. 11
Judicium quid? L. 49. M. 22.
naſcitur ex idearum comparatione. L. 49
Juſtitia pro virtute ſumta quid? M. 227
ejus vitium oppoſitum. M. 229

K.

K*ircheri* de patriarchis ſententia. H. 14

L.

Laetitia quid? M. 38
ejus ſignum. M. 111
Laſcivia quid? M. 40 *
Leibnitius primus explicavit ideas adaequatas. L. 27 *
Lenitas quid? M. 238
Levitas quid? ibid.
Leuvvenhoekius (*Ant.*) uſum microſcopiorum detexit. H. 106
Libri, an legendi? & quid circa eorum lectionem obſervandum. L. 181. 182. 183
Lipperſheimius (*Jo.*) tubos opticos ſcivit. H. 106 *
Lipſius (*Juſt.*) illuſtravit Stoicam philoſophiam. H. 80
Logica quid? L. 1
eſt vel naturalis, vel artificialis. L. 2
agit de veritate certa vel probabili. L. 3
ejus utilitas. L. 4
Lombardus (*Petr.*) ſcholaſticus. H. 100
Lullus (*Raim.*) novi philoſoph. ſyſtematis inventor. H. 105
Lutherus ſordibus ſcholaſticorum eccleſiam purga-

purgare voluit. H. §. 102
Luxuria quid? M. 40 *

M.

Machiavelliſmi origo. H. 119
ejus aſſeclae. H. 120
Magi Perſarum philoſophiae ac ſacris praeerant. H. 25
de Deo male ſentiebant. *ibid.* 26
eorum principia. *ibid.*
eorum reliquiae in Perſia. H. 27
Arabum magi. H. 28
Magnificentia quid? M. 231
Malum quod avertit majus malum fit bonum. M. 152
ex duobus minimum eligendum. *ibid.*
Manichaeiſmus unde? H. 26
Marius (*Sim.*) circumjoviales ſcivit. H. 106 *
Meditatio quid? L. 161
Megarica ſchola, cujus auctor Euclides. H. 62
hujus ſucceſſores. *ibid.*
operam praecipue dabant logicae. *ib.* 63
inde & varie dicti. *ibid.*
Diogenis de hac ſchola judicium. *ibid.*
a ſcepticiſmo & atheiſmo non fuit immunis. H. 63.
principia. *ibid.* *
Melancholicum temperamentum. vid. *temperamentum.*
Melancholicorum character. M. 60
ſigna phyſiognomonica. M. 120
Melancholico-Cholerici quinam? M. 63
ſanguinei. *ibid.*
Melanchton (*Phil.*) ſcholaſticam philoſophiam conſervavit. L. 102
Memoria quid? M. 22
Mendacium quid? M. 237
Mens hominis eſſentialis pars. M. 12
eſt immaterialis & ſic ſpiritus. *ibid.*
eſt indeſtructibilis & immortalis. M. 13
ſuarum perceptionum ſibi conſcia. *ibid.*
ejus praeſtantia. M. 14
de ejus felicitate maxime cogitandum. M. 14
ejus facultates. M. 15. & 16
inter ſe non contendunt. M. 283
eam cognoſcimus vel comparate, vel abſolute. M. 252
Methodus *ſynthetica* quid? L. §. 162
quid ad eam requiratur? *ibid.* 163. 164
evitanda praejudicia. L. 165
utilis ad eam dubitatio. *ibid.*
incipit ab experientia. L. 168
regulae obſervandae. *ibid.* 169. 170. 180
analytica quid, & quomodo inſtituenda? *ibid.* 229. 230
docendi dogmatica, paraenetica, characteriſtica. M. 4
excerpendi. L. 185. 187
mythologica quid? M. 5
Meticuloſus quis? M. 112
Metius (*Jo.*) tubos opticos ſcivit. H. 106 *
Metus quid? M. 38
Milton (*Jo.*) fautor Monarchomachiſmi. H. 120
Μισανθρωπία quid? M. 238
Miſcelliones philoſophi Eclectici a ſectariis dicebantur. H. 91 *
Miſericordia Dei quid? M. 201
Moderatio quid? M. 238
ejus vitium oppoſitum. *ibid.*
Modeſtia quid? M. 233
ejus vitium oppoſitum. *ibid.*
Modi qui & quotuplices? L. 31
ſyllogiſmorum abſurdi nihil continent. L. 84
Monarchomachiſmi origo. H. 119
ejus aſſeclae & propugnatores. H. 120
Moralia cadunt ſub demonſtrationem. M. 3
Moralis philoſophia. vid. *philoſophia.*
Morbos corporis facilius ſentimus, quam animi. M. 264
illos amoliri ſtudemus, non aeque hos. *ibid.* 265
Mores quid? M. 69
animi ſequuntur temperamentum corporis. H. 56. 57
boni virtutem, mali vitia conſtituunt. M. 70
Moriens homo pravus quid ſentiat? M. 106 *
Mors quid operetur in iis, qui vitiis obnoxii? M. 106
quatenus malum? M. 153
voluntaria numquam bona. *ibid.* *
in ſe non eſt indifferens. M. 154
Moſchus Phoenicum philoſophus. H. 34
male confunditur cum Moſe. H. 35 *

Muſi-

Muſicam primus docuit Pythagoras. H. §.41
Myſtico-chemici in plures familias abierunt. H. 116
eorum principia. ibid. 117

N.

NAtionum integrarum diverſa temperamenta. M. 66
Naturalis logica. vid. *logica*.
Nizolius (*Marius*) impugnat Ariſtotelem. H. 113
Nominalis definitio. vid. *definitio*.

O.

O*Ccam* (*Guil.*) ſcholaſticus. H. 100
Odium quid ? M. 37
Odii ſignum. M. 110
Opinio quid ? L. 151
Oppoſitio quid ? L. 69
eſt vel contraria, vel ſubcontraria, vel contradictoria. L. 70
harum regulae. L. 71
Oracula gentilium nomen divinae revelationis non merentur. M. 310
ſed fraudes produnt. ibid.
Oroſius quo conſilio Ormeſtam ſcripſerit ? L. 107 *
Orpheus Thracum philoſophus. H. 35

P.

P*Aracelſus* (*Theophraſtus*) chemiam detexit. H. 106
Paralogiſmus quid ? L. 100
Parere Deo quid ? M. 202
Patientia quid ? M. 234
vitium oppoſitum. ibid.
Patres, qui Platonem ſecuti ? H. 71
Patricius (*Franc.*) impugnat Ariſtotelem. H. 113
Perſarum Zoroaſter quis ? H. 24
eorum magi, vid. *magi*.
Phaenomena phyſica non explicanda ex hypotheſi metaphyſica. L. 147
Phariſaei ſimilium fuerunt ſectae Stoicorum Graecanicae. H. 16 *
Philolaus primus motum telluris inculcaſſe dicitur. H. 43 *
Philoſophia quid ? H. 1.
non eſt vulgaris, ſed ſolida cognitio. ibid.
non ſuppeditat praecepta de ſempiterna felicitate. H. 6
ſceptica quid ? H. 4
ejus origo. H. 97
traditionaria quid ? ibid.
ſectaria quid ? ibid.
dogmatica nomen Philoſophiae meretur. H. 3
male dividitur in veram & falſam, ſcepticam, & dogmaticam. H. 5
eclectica. H. 91
auctor ejus eſt Potamon. H. 93
qui hanc methodum ſequuti ? H. 94. 95. 96
inſtrumentalis quid ? H. 7
theoretica quid ? ibid.
theoreticae partes. H. 8
practica quid ? & quid comprehendat. H. 9
haec verſatur circa cognitionem boni. M. 1
flectit voluntatem ad bonum adpetendum. M. 4
eſt porro vel barbarica, vel Graecanica. H. 11. & 12
Philoſophi eclectici. H. 91
miſcelliones a ſectariis dicti. H. 91 *
antiquiſſimi eorum. H. 92
Sceptici eorumque varia nomina. H. 97 & *
Italici originem debent Pythagorae. H. 39
noviores de ſcientiis practicis magis cogitaverunt. H. 118
Phlegmaticum temperamentum. vid. *temperamentum*.
Phlegmaticorum character. M. 61
ſigna phyſiognomonica. M. 120
Phyſiognomonica ſigna ex lineamentis deſumta an certa ? M. 125
Pietas quid ? M. 227
ejus vitia oppoſita. M. 228
Pineda (*Jo. de*) ejus de patriarchis opinio. H. 14 *
Plato, ejus vita. H. 64
quid limini ſcholae inſcripſerit ? ibid.
principia. H. 65. 66
finxit daemones Deoſque juniores praeter Deum. ibid. 67

qui-

animam partem cœleſtem credidit. *ib.*
modus quo ea purgetur? *ibid.*
quid de beatitudine ſtatuerit? H. §. 68
commendavit virtutem. *ibid.*
quomodo virtutes diviſerit. *ibid.*
ejus ſucceſſores & horum inter ſe diſſenſus. H. 69. 70. 71
Platonici recentiores. H. 71
Pœnitentia quid? M. 38
Poëtae antiquiſſimi Graecorum philoſophi. H. 38
horum philoſophiae interpretatio obſcura. *ibid.*
qui eam ſuſceperint? *ibid.*
Porta (*Durandus a S.*) ſcholaſticus. H. 100
Porta (*Jo. Bapt.*) tubos opticos ſcivit. H. 106 *
Poſidonius philoſophus in ſchola Zenonis. H. 79
Poſſibilitas quid? L. 149
non confundenda cum hypotheſi. L. 148
Poſtulatum quid? L. 58
non indiget probatione. L. 59
Potamon auctor philoſophiae Eclecticae. M. 93
Praecepta philoſophica non ſufficiunt ad aeternam felicitatem. M. 299. 300. & 301
Praedicabilia quaenam? L. 34
Praedicatum quid? L. 51
Praeſumtio quid? L. 151. & *
Preces quid operentur? M. 278
Probabilitas quid? L. 130
ejus principium. *ibid.*
quotuplex? L. 132
hermeneutica quid, & ejus fundamentum? L. 133
hiſtorica quid, & ejus fundamentum ac regulae. L. 134 -- 140
moralis vel politica quid? L. 142
phyſica quid, & ejus regulae? L. 143--146
Problema quid? L. 60. 175
probandum eſt. L. 61. 176
Proclus ſpecula cauſtica invenit. H. 106 *
Propenſiones quomodo vincantur. M. 288--291
non vincimus, quando in eremum ſecedimus. M. 292
earum vanitas ac miſeria in memoriam revocanda. M. 293
pugna cum eis ſaepe repetenda. M. §. 294
Propoſitio quid? L. 49
conſtat ſubjecto & praedicato. L. 50
eſt vel affirmativa vel negativa. L. 52
vel univerſalis, particularis, & ſingularis. *ibid.* 53
quando debeat eſſe univerſalis, quando particularis? L. 57
modales quaenam ſint? L. 54
neceſſariae fundamentum ſunt demonſtrationis directae. *ibid.* *
impoſſibiles fundamentum indirectae demonſtrationis. *ibid.*
exponibiles quaenam & cur ita vocentur? L. 55. 56
omni propoſitioni ineſt theſis & hypotheſis. L. 57
quotuplici modo una ex altera fluat? L. 65
Proprium quid? L. 34
Prudentia falſo habetur pro virtute. M. 218
Pudor, ejus ſigna. M. 116
ſubruſticus. M. 237
Puffendorffius (*Sam.*) jus naturae excoluit. H. 118
Pugna rationis & appetitus ſenſitivi. M. 283
cum cupiditatibus. *ibid.* 284
cum imaginatione. *ibid.* 285
cum adfectibus naſcentibus & jam vires adquirentibus. *ibid.* 286. 287
cum vitiis & propenſionibus. *ibid.* 288
Purgatorium Platonicum. H. 67 *
Pyrrho, auctor philoſophiae ſcepticae. H. 97
ejus ſectatores. H. 98
Pythagoras.
ſcriptores de ejus vita ac dogmatibus. H. 40
primus docuit Geometriam, muſicam & arithmeticam. H. 41
quomodo philoſophiam definiverit? H. 42
ejus de mundo opinio. H. 43
hominis eſſentiam in ſola mente poſitam ſtatuit. H. 44
mentem eſſe particulam eſſentiae divinae. *ibid.*
a fanaticiſmo non alienus fuit. H. 45
non expilavit Judaeorum ſcrinia. H. 15
ejus diſcipulorum claſſes. H. 41 *

Pythagorei mundum mediam terram continere aſſerebant. H. §. 43 *
eorum ſyſtema mundi. ibid.

R.

R*Aius* (*Jo.*) anatomiam plantarum invenit. H. 106
Ramus (*Petr.*) dialecticam tantum excoluit. H. 105 & *
Ariſtotelem impugnat. H. 113
Ratio recta quid? H. 2. L. 119
bene ratiocinatur. ibid.
ejus cognitio vel apodictica vel probabilis. ibid.
Relationum innumerae ſunt ſpecies. L. 31
Reminiſcentia quid? M. 22
Republicains in Anglia. H. 120
Revelatio quid? M. 303
ejus neceſſitas. M. 304
Deus voluit ut omnibus innoteſcat. ibid. 305
debet eſſe divina. 302. 308
ea non eſt divina, quae id inculcat quod jam rationis eſt. M. 306
oſtendit ſufficientia media Dei juſtitiae ſatisfaciendi. M. 307
debet eſſe antiquiſſima. M. 309
& non immutata. ibid.
una vera eſt. M. 304
Rigor nimius quid? M. 238
Ruſticitas quid? M. 237

S.

SAbbaeorum philoſophia quae? H. 29
Sanchuniathon Phoenicum philoſophus. H. 35
ſcripſit φοινικικά. ibid. *
Sanguis ex quibus partibus conſtet? M. 49
ejus effectus. M. 51
Sanguineum Temperamentum. vid. *Temperamentum.*
Sanguineorum character. M. 95
eorum ſigna phyſiognomonica. M. 120
Sanguineo-Cholerici quinam? M. 163
Sanitas quatenus bonum quoddam? M. 155
Sarpius (*Paul.*) circulationem ſanguinis perſpectam habuit. H. 106 *
Scenica urbanitas. vid. *Urbanitas.*
Sceptica philoſophia. vid. *Philoſophia.*
Scheinerus (*Chriſt.*) maculas ſolares obſervavit. H. §. 106
Schelius (*Ratbodus*) Monarchomachiſmi fautor. H. 120
Scholaſtici vapulant ob inutiles ſpeculationes. H. 6
hujus ſectae anteſignani. H. 100
inquinarunt Philoſophiam & Theologiam. H. 101
quidam horum errorum inſignes effectus. ibid.
Scholion quid? L. 63
Scientia quatenus bonum? M. 156
quae ſit ad eam prima via? M. 250
Scotus (*Jo. Duns*) Scholaſticus. H. 100
Scribentium officia. L. 247 -- 255
Scriptionum praecipua genera. M. 246
Scriptura ſacra quid? M. 313
quid contineat? M. 314
antiquiſſima eſt? M. 316
& non immutata. ibid.
Scrupulus quid? L. 154
Sectaria Philoſophia. vid. *Philoſophia.*
Sectarii quinam. H. 4
Seldenus (*Jo.*) Jus nat. excoluit. H. 118
Sennertus (*Dan.*) Chemiam invenit. H. 106
Senſio, ab ea incipit omnis cognitio. L. 23
ponit organa ſenſoria & quid requirat? L. 115. 116. 117. 118
Senſus rite limitati non fallunt. L. 24. & 114
quid? M. 25
quot? M. 26
Septalius (*Lud.*) Microſcopia ſcivit. H. 106
Sermo quid? M. 126
in eo ſpectatur forma ſeu ſtylus. M. 127
& materia. M. 132. 133. 134
Simulatio ejus effectus. M. 135
Sinenſium philoſophia. H. 34
redolet Spinoziſmum. ibid.
Socrates, ejus vita. H. 51
bellum indixit ſophiſtis. H. 52
purgavit philoſophiam a ſuperſtitioſis Deorum cultibus. ibid.
eamque traduxit ad vitam communem. ibid.
de Deo & mentis immortalitate praeclare ſenſit. H. 53
exco-

exſoluit philoſophiam moralem. H. §. 54
ipſe nihil ſcripſit. H. 55
ejus diſcipuli. H. 56
Sophiſmata dicuntur etiam fallaciae. L. 101
Sophiſtae quinam? *ibid.*
Sorites quid? L. 86
Species quid? L. 34
Spes quid? M. 38
Spinoza (*Bened.*) an Carteſii diſcipulus? H. 115
ejus atheiſmus. *ibid.*
Spiritus ſubſtantia cogitans. L. 31.
Stanleius perperam leges divinas rituales a Sabaeorum ritibus repetit. H. 30
Status noſter miſerrimus. M. 260
quomodo cognoſcendus? M. 267 -- 273
Stoici logicam ad ſuperſtitionem uſque coluerunt. H. 80
quem ordinem in phyſicis ſervaverint? H. 81
eorum principia. *ibid.*
doctrina de Deo. H. 82
philoſophia moralis. H. 83
Stylus, ex eo de propenſione ſcribentis judicatur. M. 127 *
ambitioſi & cholerici. M. 128
ſanguinei & voluptuoſi. M. 129
melancholici. *ibid.*
ad elegantem quale requiratur temperamentum? M. 131
Subdiviſiones, quid de iis ſentiendum? L. 48
Subjectum quid? L. 51
Subſtantiae, eas ipſas non cognoſcimus. L. 32
Syllogiſmus quid? L. 73. 75
eſt inſtar regulae de tribus. L. 74. 79
quatuor ideae cum vitioſum reddunt. L. 76
conſtat tribus terminis. L. 77
ejus figurae. L. 80 -- 83
compoſiti quinam? L. 87
& in forma & materia ſe recte habere debet. L. 99
Synthetica methodus. vid. *methodus*.

T.

TAlmud Judaeorum fabulas continet. M. 312
Temperamentum quid? M. 51
cholericum quid? M. 52
melancholicum quid? M. §. 53
ſanguineum quid? M. 54
phlegmaticum quid? M. 55
nemo uno eoque ſolo praeditus. M. 62
unum praedominatur. *ibid.*
ea mutantur pro diverſitate aetatis. M. 64
eorum effectus. M. 65
Temperantia quid? M. 227
ejus vitium oppoſitum. M. 230
Teſtimonium divinum ſummum gradum fidei attingit. L. 141
Thales Mileſius ſectae Ionicae conditor. H. 46
Theodorus novam ſectam conſtituit. H. 57
qua philoſophia nihil deteſtabilius. H. 58
ejus principia. *ibid.*
atheiſmum liberrime profeſſi Theodoriani. H. 59
Theorema quid? L. 60. 175
probatione indiget. L. 61 176
Thomaſius (*Chriſt.*) jus naturae excoluit. H. 118
Timere Deum quid? M. 202
Toricellus barometra invenit. H. 106
Traditionaria philoſophia; vid. *philoſophia*.
Tranquillitas animi quid? M. 207. 208
ejus cauſſae & effectus. M. 209 -- 216
Triſtitia quid? M. 38
Tſchirnhauſius ſpeculorum cauſticorum inventor. H. 106

V.

V*Alerius Magnus* barometra cognita habuit. H. 106 *
Valla (*Laur.*) impugnat Ariſtotelem. H. 113
Velthuyſius (*Lamb.*) juris naturae ſcriptor. H. 118
Veracitas quid? M. 237
Verecundia quid? *ibid.*
Veritas quid? L. 93
eſt vel metaphyſica, vel moralis, vel logica. L. 94. 95
vel certa, vel probabilis. M. 107. 108. 113
eſt vel in idea ſimplici, vel in judicio, vel in ratiocinatione. L. 96. 97
reperitur vel meditando, vel legendo. L. 1 *
quomodo inveſtigetur? L. 160
inventa quomodo proponatur? *ibid.*
Virtus homini natura non ineſt. M. 71

quid? M. §. 217
ſemper cum ſtudio inquirendi in Deum conjuncta. M. 218
conſiſtit in habitu. M. 219
numquam ſponte contra voluntatem divinam agit. ibid.
omnes inter ſe connectuntur. M. 220
una tantum eſt. ibid.
conſiſtit in emendata mente. M. 221
quomodo differat a juſte agere? ibid. *
ejus norma eſt voluntas divina. M. 222
obſervat mediocritatem. M. 223
verſatur circa varia objecta, & varia inde ſortitur nomina. M. 226
eſt Dei donum. M. 278 *
abſolute bona eſt. M. 157
an ſit ſummum bonum? M. 173
Vita bonum praeſtantiſſimum. M. 153
vegetativa durat, quamdiu ſanguis circulatur. M. 46
ſenſitiva quid? & ejus ratio. M. 47. 48
Vitia quid? M. 72
tria ſunt capitalia. M. 74
eorum cauſſa. M. 94
diverſimode miſcentur. M. 95
aegre cognoſcuntur eorum characteres. ibid.
iis obruti infeliciſſimi. M. 98. & 105
& quae hujus rei cauſſa? M. 99. 100. & 101
ex eis proficiſcuntur calamitates. H. 104
ſunt cauſſa malorum. M. 262. vide & *propenſiones.*
per ſe ipſa puniuntur. M. §. 26
Univerſalia quaenam? L. 34
Voluntas revera datur. M. 28
eſt libera. M. 29
ejus actus. M. 30
ejus cognitio quomodo inſtituenda. M. 255, 256
magis adfectibus quam rationi ſervit. M. 284
Voluptas unde oriatur? M. 40
quid? M. 81
quotuplex? ibid.
Voluptuoſorum character. M. 82 – 86
eorum ſigna. M. 113
Urbanitas quid? M. 237

X.

Xenophanes ſectae Eleaticae auctor. H. 84

Z.

Zelotypia unde? M. 42
ejus characteres. M. 117
Zeno auctor ſectae Stoicae. H. 78
ejus ſucceſſores. ibid.
Zoroaſter Chaldaeorum philoſophus. H. 21
ejus oracula quae adhuc extant, genuina non ſunt. ibid.
ab eo differt Perſarum Zoroaſter. H. 24
Zoſimus chemiae peritus fuit. H. 106 *

FINIS.

JOH. GOTTL.

HEINECCII,

JURISCONSULTI CELEBERRIMI,
Potent. PRUSSOR. REGI *quondam à Conſiliis Sanctior.* & *Jur. ac Philoſoph. in Ill. Academ.* HALENSI, *Prof. Publ. Ordin.*

ELEMENTA JURIS NATURAE ET GENTIUM,

Commoda Auditoribus methodo adornata.

EDITIO TERTIA ACCURATISSIMA.

GENEVÆ,
Sumpt. Hær. CRAMER & Fratr. PHILIBERT.

MDCCXLIV.

SERENISSIMO CELSISSIMOQUE
PRINCIPI AC DOMINO,

DOMINO

FRIDERICO,

REGNORUM DANIAE ET NORVAGIAE,
RELIQUARUMQUE PROVINCIARUM

HEREDI,

PRINCIPI JUVENTUTIS, DOMINOQUE
LONGE CLEMENTISSIMO,

FELICITATEM PERPETUAM

PRECATUR

JO. GOTTL. HEINECCIUS.

SERENISSIME CELSISSIMEQUE
PRINCEPS,
DOMINE LONGE CLEMENTISSIME,

SI in ſummo illo natalium ſplendore, eminentiſſimaque, quam DEO *optimo maximo debes, fortuna, eo eſſes animo, ut* TE TIBI *ſoli natum eſſe exiſtimares: erubeſcerem omnino, libellum* TIBI *oblaturus, meque ipſe temeritatis accuſarem, qui purpuram* TUAM, *non ſplendidiore aliquo, ſed litterario munere venerari ſuſtineam. Aſt quum & accuratiſſimae inſtitutioni, & incomparabili* POTENTISSIMI PATRIS *exemplo, & ipſius ingenii* TUI *bonitati, id fe-*

ras acceptum, ut jam in tenerrima hac aetate, in quantam ſpem adoleſcas, & quid a CELSITUDINE TUA, *non modo tot regna, ſed & univerſus Chriſtianus orbis, exſpectet, idemtidem cogites: non vereor, ne* TIBI *taedio futurus ſit liber, qui, quid recta ratio, id eſt, ejus auctor,* DEUS, *cum ab aliis hominibus, tum maxime a bono principe, exigat, perſpicue oſtendit. Sunt hae illae leges, quibus religioſe ſervatis, majores* TUI, *rebus maximis pace belloque feliciter geſtis, immortalem ſibi gloriam pepererunt: illae regulae, ad quarum normam* POTENTISSIMUS PATER TUUS *ſe totum componit: illud denique jus,*

cui

cui & Reges omnes, & potentiſſimi populi, quoties de bello, pace, foederibus, diſceptant, unice reguntur. Quaenam vero digniora ſint HEREDE TOT REGNORUM rudimenta, quam hoc jure imbui, eaque inde diſcere, quae, ſi quando augustum majorum ſolium conſcenderit, in uſu ſit habiturus? Patere itaque, CELSISSIME PRINCEPS, ut ſplendidiſſimum nomen TUUM in fronte libelli, qui de ſempiterna illa ac immutabili juſtitia agit, fulgeat, ſimulque exſtet hoc devotiſſimi gratiſſimique animi, quo POTENTISSIMO PATRI TUO me aeternum devinctum fateor, monimentum. Ceterum a ſummo,

quod

quiod omnia moderatur, Numine caſtis quotidie precibus contendam, ut REGI, patriiſque & avitis regnis & provinciis, TE ſervet incolumem, TEque ita adoleſcere jubeat, ut vere ſis GENERIS HUMANI DELICIUM, & quemadmodum TU adhuc pietatis, virtutis, juſtitiaeque regulas ex POTENTISSIMI PATRIS univerſa vita petis; ita poſteri eaſdem aliquando ex TUIS actionibus, tamquam perfectiſſimo quodam exemplo, petant! Halae Magdeburgicae, Idib. Octobr. MDCCXXXVII.

CAN-

CANDIDO LECTORI
S. P. D.
JO. GOTL. HEINECCIUS.

QUi adhuc in juriſprudentia civili, cum Romana, tum patria, illuſtranda non perfunctoriam operam collocaſſe mihi videor: jam perſuaderi mihi paſſus ſum, CANDIDE LECTOR, ut etiam JUS NATURAE ET GENTIUM brevi libello complecterer, & enchiridion illud in uſum eorum, qui inſtitutione mea utuntur, typis exſcriptum, publicarem. Et rem ſui fortaſſis periculi fecerunt amici, qui me conſilio atque auctoritate ſua ad concinnandum hunc libellum impulerunt. Quod enim ad me attinet, ita jam pridem occallui, ut non magnopere reformidem aliorum de me judicia, ſed, ſincerae bene de communibus ſtudiis merendi voluntatis mihi ſatis conſcius, hac ipſa conſcientia me facile conſoler. Sive enim opuſcula mea in virorum bonorum, & rerum hujuſmodi intelligentium, manus incidant: non eſt profecto, quod verear, ne hoc conſilium meum damnent: ſive obtrectatores ea oculis luſtrare non dubitent: eorum judicia ego non majoris facio, quam hominum, a lacu & furno redeuntium, quibus non poſſunt non omnia, quae ſuis ipſi impuris manibus contrectant, ſordere. Quare, miſſis his, ad id venio, quod magis ad rem pertinere arbitror, id eſt, ad conſilium meum, inſtitutique rationem, quibus perſpectis, quid ego praeſtiterim, quemque fructum tu ex hoc libello capere poſſis, ſatis intelliges. Nulla eſt philoſophiae practicae diſciplina, quae vel rerum argumentorumque pondere, vel utilitatis ubertate, cum hac juriſprudentia naturali ulla ex parte ſit comparanda, quippe cujus tanta eſt dignitas, tantuſque in vita humana uſus, ut iis, qui, illa neglecta, ſolis rerum abſtractarum ac naturalium ſpeculationibus ingenii

aciem intendunt, jure merito occlames illa Helenae apud Euripidem *in Hel. v. 928.*

Αἰσχρὸν, τὰ μέν σε θεῖα πάντ᾽ ἐξειδέναι,
Τά τ᾽ ὄντα, καὶ μὴ τὰ δὲ δίκαια μὴ εἰδέναι.
Nam turpe id eſſet, quum ſcias hominum ac Deûm
Quod eſt, eritque, juſta te haud cognoſcere.

Sane ii, qui ad juriſprudentiae civilis intelligentiam cogitationes ſuas ac ſtudia conferunt, ii magnopere falluntur, ſi ſe operae pretium, ſine hac praeſtantiſſima ſcientia, ſperant facturos. Nam ſi is demum ad veram ac ſolidam doctrinam rerumque ſcientiam perveniſſe dicendus eſt, qui, quas perſpectas habet, veritates, ex fonte, non ex impurioribus lacunis, hauſit: juriſprudentiae profecto noſtrae non alius fons, aliaque ſcaturigo eſt, quam jus illud primaevum, quod non didicimus, accepimus, legimus, verum e natura ipſa arripuimus, hauſimus, expreſſimus, ad quod non docti, ſed facti, non inſtituti, ſed imbuti ſumus, ut ſi quis maximam juriſprudentiae Romanae partem jus naturale, factis hominum adplicatum, dixerit, is me non admodum habiturus ſit diſſentientem. Vidit id incomparabilis philoſophus, Epictetus, qui apud Arrianum *Diſſ. Epict. IV*, 3. eos, qui ſapientiae ſtudent, ad ſempiternam illam legem divinam, tamquam ad limpidiſſimum fontem, non ad ſolos legum civilium rivulos, vocans: Οὗτοι, inquit, *εἰσὶν οἱ ἐκεῖθεν ἀπεσταλμένοι νόμοι, ταῦτα διατάγματα· τούτων ἐξηγητὴν δεῖ γενέσθαι, τούτοις ὑποτεταγμένον, οὐ τοῖς* Μασσουρίου, *καὶ* Κασσίου. *Hae ſunt inde, (a Deo) ad nos miſſae leges, haec praecepta: horum interpretem fieri oportet, his obedientem: non Maſurii, aut Caſſii legibus.* Et Tullius noſter de legibus *II*, 4. ubi ex inſtituto de legum juſtitiaeque origine diſſerit: *Hanc*, inquit, *video ſapientiſſimorum fuiſſe ſententiam, legem neque hominum ingeniis excogitatam, nec ſcitum eſſe aliquod populorum, ſed aeternum quiddam, quod univerſum mundum regeret imperandi prohibendique ſapientia. Ita principem legem illam & ultimam, mentem eſſe dicebant, omnia ratione aut cogentis aut vetantis Dei: ex qua illa lex, quam dii humano generi dederunt, recte eſt lauda-*

ta,

ta, eſt enim ratio menſque ſapientis, ad jubendum & ad deterrendum idonea. Addit, ſibi a parvis ediſcendum fuiſſe illud: SIN JUS VOCAT, id eſt, corpus illud XII. Tabularum: & haec, aliaque juſſa ac vetita populorum, vim aliquam habere ad recte facta vocandi, & a pravis avocandi: quae vis non modo ſenior ſit, quam aetas populorum & civitatum, ſed & aequalis illius coelum atque terras tuentis & regentis Dei. Quod ubi praeclaris exemplis demonſtravit, inde porro colligit, eſſe aliquam rationem, profectam a rerum natura, & ad recte faciendum impellentem, & a delicto avocantem, quae non tunc denique incipiat lex eſſe, quum ſcripta ſit, ſed tunc, quum orta ſit: ortam autem eſſe ſimul cum mente divina. Eam demum eſſe juſtorum injuſtorumque diſtinctionem: ad illam antiquiſſimam & principem naturam leges hominum dirigendas eſſe, quae ſupplicio improbos adficiant, defendant ac tueantur bonos. Haec illo loco Cicero, qui & alibi de officiis *III*, 17. hunc locum tractat, &, ubi diſcrimen juris gentium & civilis oſtendit, prioris principia paene ex hominum memoria evanuiſſe, ac proinde juriſprudentiam Romanorum fere totam oblanguuiſſe, graviter conqueritur. Ita enim intelligenda ſunt verba viri prudentiſſimi ſequentia: *Quod civile, non idem continuo gentium: quod autem gentium, idem civile eſſe debet. Sed nos veri juris, germanaeque juſtitiae, ſolidam expreſſamque effigiem nullam tenemus: umbra & imaginibus utimur. Eas ipſas utinam ſequeremur, feruntur enim ex optimis naturae & veritatis exemplis.* Quid vero aliud hic docet Cicero, quam quod nos non ſatis umquam doceri poſſe, itemtidem monemus, praeclaram eſſe Romanorum juriſprudentiam, & ex optimis naturae ipſiuſque interioris philoſophiae praeceptis expreſſam, ſed inanem eam tamen umbram, ac vita veluti deſtitutam imaginem futuram, niſi accedant veri juris germanaeque juſtitiae principia, quae, quia ſola ab ipſo Deo immortali divinaque ratione proficiſcuntur, nullius hominis imperio ſuffragioque populi tolli atque abrogari poſſunt? Haec vero ſi conjungantur cum civili illa, quam juriſconſulti perpoliunt, ſapientia: tunc demum illud neſcio quid praeclarum & ſin-

 gulare

gulare ſolet exſiſtere. Accedit, quod, ſi vel maxime ita comparata eſſet juriſprudentia Romana, nullo ut alio praeſidio indigeret, totaque ex decemvirorum tabulis, aliiſque legibus civilibus, tamquam ex uberrimo fonte, promanaret: ea tamen nihil auctoritatis habitura ſit in definiendis integrarum gentium litibus. & controverſiis; quippe quae inter ſe non alio jure, quam quod ipſa natura inter omnes homines peraeque conſtituit, reguntur, jure, inquam, illo univerſali, *quod in foederibus, pactionibus, conditionibus populorum, exterorum regum, in univerſo denique belli jure & pacis* verſatur, quodque *Cn. Pompeium &, quum requieſceret, litteras, &, quum rem gereret, rem ipſam docuiſſe*, gloriatur Cicero pro L. Cornelio Balbo *Cap. VI.* Quare in quantum integrae gentes & reſpublicae prae privatis quibuſdam hominibus eminent: tanto jus naturae & gentium eſt jure civili, quod inter privatos tantum cives viget, excellentius, ut de eo vere dici poſſit, quod, comparatis inter ſe Graecorum Romanorumque linguis, dixit Tullius pro Archia poëta *Cap. X. jus illud naturale ac gentium apud omnes gentes vigere; civile ſuis finibus, exiguis ſane, contineri.* Qui jam vulgo gloſſatorum nomine veniunt, homines, diligentes illi quidem, nec juris civilis imperiti, at ſaeculi vitio barbari, non aliunde decidi oportere, exiſtimabant, illas regum gentiumque controverſias, quam ex diffuſa illa juris Juſtinianei collectione, qua comprehenſas leges ſi quis recte imbibiſſet, eum, tamquam ex tripode, de belli paciſque juribus oracula illico fundere poſſe, jactabant. Et ſane id tam facile faciebant, quam pirum vulpes comeſt. Quoties enim quaeſtio incidebat de jure Imperatoris auguſtiſſimi in univerſum orbem, per quem olim Romani arma victricia circumtulerant: ſedes hujus doctrinae erat in LEGE IX. DIG. DE LEGE RHOD. DE JACTU, in qua, tamquam gemma quaedam, fulgent verba illa Antonini Imperatoris: Ἐγὼ μὲν τοῦ κόσμου κύριος, ὁ δὲ νόμος τῆς θαλάσσης. *Ego quidem mundi dominus: lex autem maris.* Si de jure belli diſceptandum eſſet, faeciales ſuos ablegabant ad titulos Digeſtorum de captivis & poſtliminio, & redemtis ab hoſtibus, de re militari, de caſtrenſi peculio,

culio, de veteranis, de teſtamento militis, de bonorum poſſeſſione ex teſtamento militis; & in primis ad titulos inſignes Codicis Juſtinianei, qui militare poſſunt, vel non poſſunt, & de ſervis, ad militiam vel dignitatem adſpirantibus, & ut nemo duplici militia, vel dignitate & militia ſimul utatur, negotiatores ne militent, de re militari, de caſtrenſi peculio militum & praefectianorum, de erogatione militaris annonae, de excoctione & translatione militarium annonarum, de militari veſte, de metatis & epidemeticis, de ſalgamo, ſimileſque alios quam plurimos, in quibus omnibus tantos jurium belli & pacis theſauros reconditos eſſe, adſeverabant, ut copia ipſa inopes redditura ſit omnes, qui illis occupandis animum velint adpellere. Quid ſi de foederibus, pactionibus ac ſponſionibus liberarum gentium eſſet reſpondendum? Quid vero? Quaſi non in pandectis aeque, ac codice fulgerent verboſiſſimi tituli de pactis, de tranſactionibus, de verborum obligationibus, de duobus reis, de contrahendis ſtipulationibus, & ſimiles: quos quiſquis, multis vigiliis excuſſos, in ſuccum & ſanguinem converterit, eum nihil exiſtimabant ignorare, nimiſque ſtupidum eſſe querebantur illum, qui in iſta rerum praeſtantiſſimarum farragine vel deciſionem, vel argumentum legis, quod vocant, non illico reperiret. Sic & de legatorum juribus diſceptantes, nihil deſiderare poſſe contendebant, ſi in conſilium adhiberent titulos de legationibus. De jure vero leges ferendi, magiſtratus conſtituendi, poenas infligendi, exigendi tributa & vectigalia, & ſimilibus, omnia jam in titulis de legibus, ſenatus conſultis, longa conſuetudine, conſtitutionibus principum, de officio praefectorum praetorio, praefectorum urbi, & ſequentibus, de poenis, bonis damnatorum, interdictis & relegatis, denique de publicanis, vectigalibus, & commiſſis, & ſimilibus exhauſta, & ad liquidum perducta eſſe, credere auditores ſua fide jubebant. Quin ſi vel maxime ibi aliquid non ſatis explicatum alicui videatur: eum tamen ſitim non melius expleturum, putabant, quam ſi in ſubſidium adhibeat ſcripturam ſacram, jus canonicum, pontificum decretales, & maxime diffuſa illa philoſopho-

rum ſcholaſticorum opera, in quibus omnibus & ille juris gentium vindex, Hugo Grotius, *prolegom:* §. *XLVIII. & ſequ.* inveniſſe ſibi viſus eſt quam plurima, quae ad jus illud naturae & gentium illuſtrandum non parum adferant utilitatis. At, ſi dicendum quod res eſt, boni illi viri vix ſecum expendiſſe videntur, quam parum ponderis apud gentes, juris Romani ignaras, & a Chriſtiana pietate alienas, habitura ſint argumenta ex jure Juſtinianeo, ſacris pandectis, jure pontificio, Thomae, Alberti Magni, S. Bonaventurae, & aliorum operibus depromta. Apud Plautum *Moſtell. III*, 1. *v.* 29. conſultus a domino, Theuropide, Tranio ſervus, quid nunc faciendum cenſeat, quando ea omnia facta neget vicinus, quae ipſe retuliſſet? lepide ac percallide reſpondet:

Egon' quid cenſeam?
Cape, obſecro hercle te, cum eo una judicem.
Sed eum, videto, ut capias, qui credat mihi:
Tam facile vinces: quam vulpes pirum comeſt.

Idem, vereor, ne poſtulent ii, qui ſe jura belli, pacis, foederum, omneſque, quae inter gentes intercedere poſſunt, controverſias, vel ex legibus Romanis, vel ex jure pontificio, vel ex ſacris veteris novique foederis libris, vel denique ex vaſtis philoſophorum ſcholaſticorum commentariis, ſe definire velle pollicentur. Judices enim poſtulant eos, qui his libris ſibique eorum auctoritate fretis, credant, pollicenturque victoriam tam facilem, quam ſi vulpes pirum comedat. Quid vero ſi gens quaedam cum Turcis, vel Sinenſibus, vel Japonibus de violatis foederum legibus expoſtulet? His ſcilicet facile perſuadebitur, juſta eſſe omnia, quae non dicam jureconſulti aut pontifices Romani, vel Thomas Aquinas, ſed ipſi prophetae ac Apoſtoli ſcripſerunt. At ego id eos, credo, non facilius conſequuturos, ac Turcas, ſi Mahumedem; aut Sinenſes, ſi Confucium ſuum nobiſcum judicem capere vellent. Ex eo vero profecto conſequitur, ut aut omnes gentium rerumque publicarum controverſiae inter τὰ ἄπορα referendae ſint, aut in promtu eſſe oporteat praecepta vel leges, quas

ipſa

ipſa recta ratio vel Deus potius, rationis auctor, inter omnes gentes, quantumvis linguis ac regionibus diſſitas, conſtituerit; quibuſque ſe populi omnes, qui non plane obbrutuerint, obligari fateantur. Quum vero haec ipſa non alia ſint, quam quae juris naturae ac gentium vocabulo deſignamus: quid quaeſo, utilius, quidque magis in omni vita frugiferum eſſe poteſt, quam praeclara iſta vereque divina precepta ita percepta habere, ut iis non ad oſtentationem, ſed ad dijudicanda integrarum gentium civitatumque negotia, utaris? Quis praeclare de ſtudioſa juventute mereri neget eos, qui ſe illi duces ad tam incomparabilem ſcientiam profitentur? Denique quis non eos ipſam rectam rationem in exſilium agere velle dicat, qui operam omnem, in jure naturae ac gentium collocatam, non modo infructuoſam, ſed & noxiam, & cum maximo juvenum detrimento conjunctam eſſe, clamant? Sed haec quidem fortaſſis ad pudorem purgandum mihi ſufficerent, ſi vel ſolus, vel inter primos, in hac perpolienda diſciplina operam aliquam atque induſtriam collocaſſem. Jam vero quum jam pridem non modo aeterna illa Grotii & Puſendorffii opera in omnium manibus verſentur, ſed & hodie nemo fere ſit umbraticus doctor, quin aliquod meditationum ſuarum, ad hanc univerſalem juriſprudentiam pertinentium, ſpecimen, tamquam evulſum ſplendidiſſimo palatio lapidem, circumferat: actum egiſſe videbor pleriſque, & otium, quod melius tranſigi poterat, in adornando hoc libello male contriviſſe. Enimvero hos meminiſſe velim, ſuum cuique eſſe judicium, &, quod uni ſupervacuum videtur, id aliis non modo utile, ſed & neceſſarium, videri. Et ſane qui in academiis erudiendae juventuti operam navant; ii reipſa quotidie experiuntur, quanto cum taedio conjuncta ſit ſervitus, cui obnoxii ſunt omnes, qui aliorum libellos enarrare coguntur, ac proinde nihil illis accidit moleſtius, quam ſi alios duces ſequi, & confidere jubeantur alieno ingenio. Saepe enim talia ſunt auctoris cujuſdam, quem interpretandum ſuſcipiunt, principia, qualia ipſi probare non poſſunt. Saepe ille pleraque ſine ordine etiam confuſe pertractat, ut nihil ſit in libello, quod veluti

luti certam ſedem ac fixum domicilium habeat, nihil, quod non aeque facile alieniſſimo, ac ſuo loco, pertractatum reperiatur. Aliquando contingit, ut auctor, quem quis ducem elegit, in rebus vel nugatoriis, vel ἀπροσδιονύσοις, admodum fit verboſus, magnoque conatu maximas agat nugas; in aliis, perquam ſcitu neceſſariis, tam brevis, ut eas ſaltu magis tranſſilire, quam attingere videatur. Atque inde duo conſequi neceſſe eſt, primum ut docentes multa, quae auctor ſcripſit, refellere, rebus nihili cum taedio immorari, plura ab eo omiſſa magno cum temporis diſpendio ſupplere teneantur: alterum, ut diſcentes veluti per labyrinthum eo perducti, quo via recta multo facilius pervenire potuiſſent, res, tam variis interruptas diſputationibus, ſuopte ingenio connectere nequeant, atque ita praecipuo fructu, quem ex illis acroaſibus capere debuiſſent, priventur. Id vero vel ſolum ſatis idoneam rationem ſufficit doctori, ut in docendo ſuis, quam aliorum, libellis uti malit, adeoque & mihi prodeſſe debet, elementa haec juris & gentium ſcribere auſo, ne temere eum laborem ſuſcepiſſe, aut poſt tot Homeros Iliada exorſus eſſe videar. Sed habere mihi viſus ſum & alias cauſſas, quae me ad ſcribendum non modo invitarent, ſed & quodammodo impellerent. Quicumque adhuc in pulcherrima illa diſciplina verſati ſunt, illi doctrinas ſuas vel nulli certo ac indubio principio ſuperſtruxerunt, veritates varias, eaſque utiliſſimas, veluti uno faſce, collegiſſe contenti, vel principia parum idonea admiſerunt, vel ea denique tam longe ex ſubtiliſſimis, quas metaphyſica ſuppeditat, notionibus petierunt, ut data veluti opera tenebris omnia involvere voluiſſe videantur. At ego, expenſis omnibus, quae huc facere videntur, hanc feci ſummam cogitationum mearum, *nullius diſciplinae philoſophicae evidentiora oportere eſſe principia, quam juris naturae & gentium*, quippe quod Deus immortalis non ſolis eruditis, iiſque, qui acutius reliquis vident, ſed omnibus omnino hominibus, non modo perſpectum, verum etiam eorum mentibus inſcriptum eſſe voluit. Nullum vero reperiri principium evidentius, exiſtimo, quam quod vir illuſtriſſimus, SAMUEL L. B. DE COCCEII,

aulae

aulae Regiae Pruſſicae Papinianus, tum adhuc admodum juvenis, pereruditis diſſertationibus demonſtravit, puta VOLUNTATEM DEI. Quamvis enim plerique hodie veterem illam ſcholaſticorum doctrinam de naturali actionum bonitate & juſtitia, a Puſendorffio tanto molimine profligatam, in lucem revocare malint: ego tamen perſpexiſſe mihi videor, eſſe quidem actiones in ſe & ſua natura bonas: at juſtas illas dici non poſſe ſine jure, nec jus intelligi ſine lege, nec legem ſine legiſlatoris voluntate concipi poſſe: adeoque bonitatem actionum naturalem poſſe illam quidem hominem, qui rectae rationi, quam cupiditatibus ſuis obtemperare malit, obligatione quadam interna ad bene agendum impellere, verum non tamquam legem, ſed tamquam conſilium aliquod, quod qui non ſequitur, imprudenter quidem, at non injuſte, egiſſe videri poteſt. Sed non minus porro perſpicue intelligere mihi viſus ſum, Deum voluiſſe, ut vero bono frueremur. Quod quum aliter conſequi, quam per AMOREM, nemo poſſit: ex eo ſolo, tamquam limpidiſſimo fonte, totum jus naturae & gentium prono alveo fluere, cenſeo, atque ita incido in harmoniam illam incomparabilem revelationis & rationis, quippe ab eodem benigniſſimo Numine profectarum. Nam & illa, amorem totius legis divinae, quae decalogo comprehenditur, ſummam, ἀνακεφαλαίωσιν, πλήρωμα, τέλος eſſe, diſerte docet. *Matth. XXII*, 37. *Luc. X*, 27. *Rom. XIII*, 9. 1. *Tim. I*, 5. Non equidem ignoro, quid obverti ſoleat huic ſententiae, puta, amorem eſſe virtutem, ad quam nemo cogi vel externa obligatione obſtringi poſſit: ac proinde ex eo fonte officia quidem humanitatis, quae & imperfecta vocant, non autem perfecta, promanare. Sed praeterquam, quod decalogi leges, quae procul dubio perfecta non minus, quam imperfecta, officia inculcant, ad AMOREM, tamquam ad principium ſuum, ab ipſo Servatore revocantur: luculenter videmur oſtendiſſe, verum amorem non modo cum propenſione alteri benefaciendi, ſed & cum propoſito, eum, quem amamus, non laedendi, eique omnia, quae jure etiam perfecto debemus, tribuendi, conjunctum eſſe, & priorem AMOREM BENEFICENTIAE, po-

ſteriorem JUSTITIAE, commode poſſe adpellari, utrumque vero eſſe intelligendum, quoties ex amore univerſum jus naturae & gentium derivatur. Ceterum ex AMORE fluere officia omnia erga Deum, nos ipſos, alioſque homines, eaque tum abſoluta, tum hypothetica, re ipſa nos oſtendiſſe, arbitramur. Nec aliam juris gentium originem eſſe, patet. Sive enim in ſtatu naturali, ſive in ſocietate, vivant homines, ad tuendam vitam, ſanitatem, ſubſtantiam, rem denique publicam, amore impelluntur, nec gens a gente quidquam exigere ex ulla ratione poteſt, niſi ex regulis amoris notiſſimis: Quod tibi vis fieri, id & aliis facito: itemque, quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Immo ad ipſas ineundas ſocietates nihil aliud impulit homines, quam amor tum ſui, tum aliorum, quorum communi ſaluti talibus pactis conſulere voluerunt. Habes, CANDIDE LECTOR, meditationum mearum ſummam, quibus me, ob illam rationis & fidei concordiam, magnopere delectari, non diffiteor, ſed ita, ut eas obtrudam nemini, neque ideo aliorum doctrinis quidquam detractum velim. Ipſe etiam hic libellus, uti ſpero, oſtendet, me nuſquam id egiſſe, ut aliis inſultarem, ſed ut mea proponerem, eaque vel firmarem argumentis, vel contra ea, quae obverti illis poſſe viderentur, modeſte vindicarem. Nullum ſcriptorem, cujus memini, paullo acerbius reprehendi, quamvis aliquando non defuiſſet occaſio: quin eorum nomina plerumque diſſimulare, quam aliquid, quod, non dicam immodeſtius, ſed duriuſcule ſcriptum videri poſſet, ſcribere malui. Methodo uſus ſum, Muſis meis familiari, non mathematica quidem illa, vel geometrica, ſed naturali & perſpicua, quam auditoribus commodiſſimam eſſe, re ipſa per tot annos expertus ſum. Operam dedi, ut omnia praecepta ex claris definitionibus, deductiſque inde axiomatibus derivarem, eaque ſtilo, non ornato illo quidem, aut multis eloquentiae luminibus diſtincto, quem hujuſmodi libelli non deſiderant, ſed puro tamen, quantum fieri potuit, & perſpicuo proponerem. Pleriſque paragraphis ſcholia ſubjunxi, in quibus modo doctrinas, in iis propoſitas, aliis argumentis firmavi, modo objectiones quaſdam ſolvi,

vi, modò conſenſum veterum ac recentiorum, ipſarumque ſacrarum litterarum, oſtendi, non quod turpi μεταβάσει εἰς ἄλλο γένος, juris naturae & gentium praecepta ex aliis, quam ſuis ac domeſticis principiis, derivare voluerim, ſed quod ea & oblectare lectorem, & convincere poſſint, talia eſſe hujus diſciplinae praecepta, ut ea & veteres ſolo rationis ductu perſpexerint, & ipſi ſacri ſcriptores, divino adflatu, humano generi inculcarint. Indicis conficiendi laborem filius in ſe ſuſcepit, quem non male hoc officio functum eſſe, ſperamus. Sed quum ſpe longius procedere orationem, animadvertam, hic eam abrumpo, meque benevolentiae bonorum omnium, & tuae maxime, CANDIDE LECTOR, vehementer etiam atque etiam commendo. Vale. Halae Magdeb. ipſis Idibus Octobr. MDCCXXXVII.

ELENCHUS CAPITUM.

LIB. I.

JUS NATURAE.

CAP. I. *De natura & conſtitutione juris naturae & gentium.* pag. 1.
CAP. II. *De actionum humanarum natura atque indole.* p. 11.
CAP. III. *De norma actionum humanarum, veroque juris naturalis principio.* p. 24.
CAP. IV. *De adplicatione hujus normae ad actiones, & emergente inde harum differentia.* p. 39.
CAP. V. *De officiis hominis erga Deum.* p. 50.
CAP. VI. *De officiis hominis erga ſeipſum.* p. 58.
CAP. VII. *De officiis erga alios abſolutis, & perfectis, ſpeciatim de nemine laedendo.* p. 74
CAP. VIII. *De officiis erga alios imperfectis.* p. 92
CAP. IX. *De officiis erga alios hypotheticis, & primo quidem, cir-*

ca dominii adquiſitionem originariam. p. 99.
Cap. X. *De derivativis dominii adquiſitionibus, quae vivo priore domino fiunt.* p. 116
Cap. XI. *De derivativis adquiſitionibus per ſucceſſionem, ex diſpoſitione defuncti & ab inteſtato.* p. 126
Cap. XII. *De juribus & officiis, quae ex dominio oriuntur.* p. 136.
Cap. XIII. *De rerum, in dominio conſtitutarum, commercio.* p. 145.
Cap. XIV. *De pactis.* p. 174.
Cap. XV. *Quibus modis obligationes ex contractibus ſolvuntur.* p. 184.

LIB. II.

JUS GENTIUM.

Cap. I. *De ſtatu hominis naturali & ſociali.* p. 190.
Cap. II. *De officiis, in ſocietate conjugali obſervandis.* p. 201.
Cap. III. *De officiis, in ſocietate parentum & liberorum obſervandis.* p. 216.
Cap. IV. *De officiis, in ſocietate herili obſervandis.* p. 229.
Cap. V. *De ſocietate compoſita, quam familiam vocamus, officiiſque in illa obſervandis.* p. 236.
Cap. VI. *De ſocietatis civilis origine, forma & adfectionibus.* p. 241.
Cap. VII. *De ſumma poteſtate, eamque adquirendi modis.* p. 257.
Cap. VIII. *De juribus majeſtatis immanentibus, quidque circa ea juſtum ſit.* p. 269.
Cap. IX. *De juribus majeſtatis tranſeuntibus.* p. 291.
Cap. X. *De officiis civium.* p. 310.

JO.

JO. GOTTL. HEINECCII, J.C.

ELEMENTA JURIS NATURAE & GENTIUM.

LIB. I.

JUS NATURAE.

CAPUT I.

DE NATURA ET CONSTITUTIONE JURIS NATURAE ET GENTIUM.

§. I.

QUemadmodum omne id homini BONUM eſſe dicimus, quod eum conſervat ac perficit; MALUM, quod eumdem deſtruit deterioremque reddit: (*Elem. phil. mor.* §. *CXLII.*) ita & ACTIO BONA erit, quaecumque ad conſervationem perfectionemque hominis prodeſt; MALA, quae deſtruit eumdem, ac imperfectiorem reddit. Quid actio bona & mala?

§. II. CONSERVARE HOMINEM dicitur, quidquid ad ejus dura- Quid conſerva-

tio, perfectio, deſtructio & imperfectio?

tionem & continuationem ſtatus praeſentis aliquid confert; PERFICERE, quod ea omnia, quae ad eſſentiam integritatemque ejus pertinent, quaeque omnino gradus admittunt, auget atque amplificat (*). Ex quo, quid nos DESTRUERE ac IMPERFECTIORES, vel DETERIORES reddere dicatur, facile intelligitur.

(*) Eadem eſt *perfectionis* idea, quae Simplicio obverſata eſt, dum *ad Epict. Enchir. Cap. XXXIV. p.* 176. ſcribit: μὴ τὰ πρῶτα μόνα, καὶ τὰ μέσα ἔχειν, ἀλλὰ καὶ τὰ ἔσχατα, ἴδιόν ἐστι τῆς τελειότητος. *Non prima tantum et media habere, ſed extrema quoqae, proprium eſt* PERFECTIONIS. Nec aliter Ariſtotel. *Metaph. IV.* 16. ubi licet varias vocabuli notiones evolvat, ad eamdem tamen ideam omnes reducit.

Homines aeque male, ac bene agere poſſunt.

§. III. Quum ergo ea ſit voluntatis humanae indoles, ut ſemper adpetat bonum, malumque averſetur: (*Elem. phil. moral.* §. *XXIX.*) fieri quidem 1. non poteſt, quin ſemper actiones, quae ad conſervationem & perfectionem noſtram pertinent, edere velimus, ab iiſque, quae nos deſtruunt, vel imperfectiores reddunt, abhorreamus: at 2. quia bonum & malum aeque adparens, ac verum, eſſe poteſt, & bonum adparens verum malum; malum adparens verum bonum eſt: (*Elem. phil. moral.* §. *CXLIII.*) ſaepiſſime ſane contingit, ut, quemadmodum Ixion nubem pro Junone, ita nos bonum adparens pro vero adplectamur, malumque adparens pro vero averſemur, ac proinde 3. aeque facile male, ac bene, agamus (*).

(*) Id denuo recte vidit Simplicius *ad Epictet. Enchir. Cap. XXXIV. p.* 184. ubi maximopere laudat voluntatis libertatem, eamque vocat τὴν αὐτεξούσιον αὐτοθελῶς καὶ ἄνευ βίας ποτὲ μὲν τὸ ἀληθῶς ἀγαθὸν αἱρουμένην, ποτὲ δὲ τὸ φαινόμενον; *liberam animi naturam, quae ſuapte voluntate & abſque coactione alias verum bonum amplectitur, alias* IMAGINARIUM.

Itaque actionum ſuarum norma indigent.

§. IV. Facultas ex duobus poſſibilibus alterutrum eligendi, adeoque bene vel male agendi potentia, vocatur LIBERTAS: ac proinde negari non poteſt, 4. dari actiones hominis bonas malasque liberas. Quumque omnia, quae aeque facile a tramite deflectere, ac viam rectam tenere poſſunt, norma, ad quam dirigantur, indigeant: conſequens eſt, 5. ut & actiones humanae liberae ad normam quamdam componendae ſint (*).

(*) Eodem modo ratiocinatur Epictetus apud Arrian. *Lib. II. Cap. XI.* Πάντα καλῶς ἔχει τὰ δοκοῦντα ἅπασι; καὶ πῶς δυνατὸν τὰ μαχόμενα καλῶς ἔχειν; οὐκ ἄρα ἀρκεῖ τὸ δοκεῖν ἑκάστῳ πρὸς τὸ εἶναι· οὐδὲ γὰρ ἐπὶ βαρῶν, ἢ μέτρων, ψιλῇ τῇ ἐμφάσει ἀρκούμεθα, ἀλλὰ κανόνα τινὰ ἐφ' ἑκάστου εὕρομεν. Ἐνταῦθ' οὖν οὐδεὶς κανὼν ἀνωτέρω τοῦ δοκεῖν: καὶ πῶς οἷόν τε ἀτίκμαρτα εἶναι καὶ ἀνεύρετα τὰ ἀναγκαιότατα ἐν ἀνθρώποις:- *Omniane recta eſſe exiſtimas pro eo, cuique viſa fuerint? At qui fieri poteſt, ut pugnantia inter ſe ſint recta? Itaque ut aliquid recte ſe habeat, ſatis non eſt, ita alicui viſum*

viſum eſſe, quum ne in gravibus quidem librandis menſurandiſque rebus nudis viſis ſimus contenti, ſed in omnibus REGULAM *quamtam adhibeamus. An ergo in his, de quibus loquimur,* REGULA *nulla erit eminentior, quam quod nobis ita aliquid videatur? Sed qui fieri poteſt, ut* CERTA NORMA *nulla ſit vel perveſtigari non poſſit, qua in vita humana nihil eſt magis neceſſarium?*

Et hanc quidem rectam, certam & conſtantem eſſe oportet.

§. V. Per NORMAM hic intelligimus evidens boni malique criterium. Neque ergo 6. illa recte ſuo fungeretur officio, niſi RECTA, CERTA, & CONSTANS eſſet. Pone, *rectam* illam non eſſe: nec normatum recte ſe habebit. Pone, eamdem non eſſe *certam*: non boni malive erit criterium. Si denique Leſbiam eſſe, ſibique *non conſtare* hanc normam fingas: actio ad illam compoſita modo bona, modo mala eſt futura, ac proinde omnibus his caſibus nec normae nomine digna illa eſſe videbitur (*).

(*) Adeo verum eſt, quod cecinit Lucret. *de rer. nat. Lib. IV. v.* 515.

Si prava eſt regula prima,
Normaque ſi fallax rectis regionibus exit,
Et libella aliqua ſi ex parte claudicat hilum:
Omnia mendoſe fieri atque obſtipa neceſſum eſt.
Prava, cubantia, prona, ſupina atque abſona tecta,
Jam ruere ut quaedam videantur velle, ruantque,
Prodita judiciis fallacibus omnia primis.

Nec non cum obligatione conjunctam.

§. VI. Praeterea 7. parum utilitatis homini attulerit haec norma actionum, niſi ita ſit comparata, ut motivo aliquo, quod vocant, impellatur voluntas ad illam adhibendam. Quia enim numquam agit homo, ut non aliquid, quo impellatur ad agendum, ſimul animo obverſetur: ſane nec normam adhibebit, vel ſaltim parum ſua intereſſe exiſtimabit, adhibeatne eam, nec ne, niſi motivo aliquo ad id impellatur. Quum vero motivorum nexum cum actione libera OBLIGATIONEM vocemus: conſequens eſt, 8. ut normam actionum humanarum, ſi officio ſuo fungi debeat, oporteat eſſe obligatoriam.

Quid & quotuplex ſit obligatio?

§. VII. Quandoquidem ergo obligatio eſt nexus motivorum cum actione libera: (§. VI.) illa motiva vel in ipſa actionum bonitate pravitateque: vel in entis cujuſdam, cujus imperium agnoſcimus, actiones aliquas ſub comminatione poenae prohibentis praecipientiſve, voluntate conſiſtunt. Priore ergo caſu OBLIGATIO INTERNA: poſteriore EXTERNA vocari ſolet. Vid. THOMAS. *fund. jur. nat. & gent. Lib I. Cap. IV. §. LXI. ſequ.* Illa ad actiones BONAS, haec ad JUSTAS homines impellit. Utriuſque vero correlatum quod vocant eſt JUS. Si enim alter eſt obligatus: alteri jus eſt, vel facultas aliquid ab altero exigendi.

Non ſufficere obligatio-

§. VIII. Jam facile intelliges, 9. non ſufficere homini normam, cum internā tantum obligatione conjunctam. Quum enim

 haec

nem internam. haec obligatio bonitatem cum actione connectat, (§. VII.) adeoque hominem ad agendum ideo moveat, quod actio bona ſit futura, at ita natura comparatum ſit, ut bonum adparens ſaepe pro vero amplectamur: (*) (§. III, 2.) fieri profecto non poſſet, quin norma, cum interna obligatione conjuncta, incerta futura ſit, adeoque indigna, quae normae nomine veniat (§. V.)

(*) Non equidem negamus, ſpeciem obligationis nobiliſſimam eſſe internam, quippe quam ſapientes & probi viri ſequuntur, ſecundum ſententiam notiſſimam: *Oderunt peccare boni virtutis amore.* Quin veteres omnes vel eo maxime nomine laudarunt naſcentis mundi homines, quod ſuopte ingenio, ſuaque ſponte & ſine lege, quae juſta rectaque eſſent, fecerint: Seneca *Epiſt. XC. Primi mortalium, & ex iis geniti, naturam incorrupte ſequebantur, eamque habebant & ducem, & legem.* Add. Ovid. *Metamorph. Lib. I. v. 90.* Tacit. *Annal. III, 26. Salluſt. Catil. Cap. IX.* At ſufficere illam negamus, quia quaerimus jus naturale, improbis & bonis, ſtultis & ſapientibus commune, ut ſi quos ratio continere in officio non poſſit, obligatio ſaltim externa, vel, quod eodem recidit, periculi metus efficiat,

Ne vaga proſiliat fraenis natura remotis. Horat. *Lib. II. Serm. ſat. VII. v. 74.*

Opus ergo eſt externa, vel perfecta vel imperfecta. §. IX. Si vero norma, cum interna obligatione conjuncta, incerta eſſet futura: opus omnino eſt 10. tali, quae obligationem externam producat, atque in entis cujuſdam, cujus imperium agnoſcimus, voluntate conſiſtat. Quum vero ens illud nos vel ſine coactione ad virtutem vel honeſtatem obliget, vel actiones quaſdam, ſub comminatione poenae vel propoſito praemio, prohibeat praecipiatve; prior obligatio IMPERFECTA: poſterior PERFECTA adpellatur. Denique 11. voluntas entis ſuperioris, actiones quaſdam ſub comminatione poenae prohibentis praecipientiſve, dicitur LEX: ac proinde 12. norma actionum humanarum liberarum, ad quas perfecte obligamur, conſiſtit in legibus, earumque complexio κατ' ἐξοχὴν JUS adpellatur (*).

(*) Jus enim, quatenus pro norma actionum humanarum accipitur, eſt *complexio omnium legum unius ejuſdemque generis.* (*Elem. Inſt.* §. *XXXIII.*) Itaque *jus* ſine relatione ad legem vel obligationem externam concipi non poſſe, ipſa vocabuli origo ſatis oſtendit. Eſt enim illud non a Διὸς, uti ſibi perſuaſit Menag. *Amoen. Jur. Cap. XXXIX. p. 295.* nec *a Jove*, uti poſt Scip. Gentil. *Orig. p. 270.* exiſtimavit Grotius *prolegom. jur. belli & pac.* §. *XII.* ſed *a jubendo.* Jura enim veteres JUSA vel JUSSA vocabant. Feſtus: *Juſa, jura.* Add. Hieron. Magii *Var. Lect. IV, 1.* Similiter & Germanicum RECHT involvere notionem legis, juris rectorii, principii, dirigentis actiones humanas, pluribus oſtendit Jo. Georg. Wachter. *Gloſſar. p. 1251.*

Ejus legis non alius auctor eſſe poteſt, §. X. Jam quum SUPERIUS procul dubio dicendum ſit ens, a quo & exſiſtentia noſtra, & eſſentia pendet, cujuſque agnoſcere tenemur IMPERIUM, quia & juſtam habet cauſſam exigendi a nobis obſequium,

obſequium, & facultate pollet malum nobis repraeſentandi, ſi fraena mordeamus, & voluntatem ſuam, quod huic imperio numquam renunciarit, nec renunciare umquam velit, argumentis luculentiſſimis oſtendit: (*) 13. iſtud ens ſuperius, cujus imperium agnoſcere tenemur, non aliud erit, quam DEUS O. M. adeoque 14. hic ſolus etiam auctor dicendus JURIS illius, quod univerſo generi humano pro norma eſſe oportere, diximus. quam Deus.

(*) Juſta obſequium exigendi cauſſa procul dubio eſt non modo ipſa entis alicujus *perfectio & bonitas*, ceu viſum eſt tum MOSI AMIRALDO *diſſert. de jure Dei in res creatas*, tum olim DEMOCRITO, cujus eſt dictum notiſſimum: *φύσει τὸ ἄρχειν οἰκήϊον τῷ κρείσσονι. Natura evenit, ut, quod melius eſt, imperet*: Stob. *ſerm. XLVII. p.* 323. verum etiam *dependentia*. Quis enim negaverit, eum merito ab altero exigere obſequium, qui alteri exiſtentiae ac conſervationis cauſſa eſt? Jure ergo obſequium exigit DEUS O. M. *ἐν ᾧ ζῶμεν, καὶ κινούμεθα, καὶ ἐσμέν; In quo vivimus movemur & ſumus. Act. XVII*, 28. Porro & malum nobis fraena mordentibus repraeſentare poſſe Deum, ejus juſtitia & omnipotentia nos dubitare non patitur. (*Elem. phil. moral.* §.*CLXXXV. ſequ.*) Denique ſi renunciaſſet vel etiamnum renunciaret huic in homines aliaſque res creatas imperio: hoc indignum eſſet ejus ſapientia ac bonitate, ſiquidem ſatis novit, tamquam ens ſapientiſſimum, nos ſine ejus imperio ac ductu fore miſerrimos, ut ens vero optimum non poteſt ens a ſe conditum, quod ſe ipſum gubernare nequit, deſerere, ac ſummae miſeriae objicere. Quod vero ejus ſapientia bonitateque indignum eſt, id nec velle, nec poſſe intelligitur. Renunciare ergo imperio in homines & res creatas nec velle nec poſſe intelligitur. Idque obſervandum eſt contra illuſtrem Leibnitium, qui, quum vir illuſtriſſimus, SAM. a COCCEIIS, ſingulari diſſertatione *de principio juris naturalis unico, vero & adaequato*, Francof. MDCXCIX. edita, ſolide demonſtraſſet, non aliud fingi poſſe juris naturalis principium, quam voluntatem Dei, anno MDCC. in Ephemeridibus Hanoveranis, quae *monatliche auſzuge* vocabantur, menſe Julio huic hypotheſi inter alia objecit *Obſ. VII. Si fingeretur, creaturam tantarum virium eſſe poſſe, ut a creatore ſemel producta, deinde non poſſet cogi: eam habendam fore pro manumiſſa, uti liberi poſſint eo pervenire potentiae, ut a parentibus, a quibus generati ſint, cogi non poſſint.* Id enim fingere eſſet inſanire, quum contradictionem involvat fictio rei creatae finitae tantarum virium, ut a creatore, ente infinito & omnipotente, cogi amplius non poſſit. Quales ſunt & reliquae illae fictiones, quibus veriſſimae doctrinae abſurditatem oſtendere ibi conatur vir doctiſſimus, veluti, *quod, ſi fingeretur, malum quemdam genium ſummam rerum poteſtatem habere, non ideo, quod irreſiſtibilis eſſet, deſiturus ille ſit malus eſſe, & injuſtus, & tyrannus.* Fingi enim non poteſt, malum aliquem genium rerum potiri, ſi Deum infinitae potentiae exſiſtere credimus. Sin Deum exſiſtere negamus, nec malum genium, nec res creatas exſiſtere, ſalva recta ratione, concedemus. Magnum hoc profecto veritatis argumentum eſt, ſi convelli non poſſit propoſitio, niſi fictionibus, quae contradictionem manifeſtam involvunt.

§. XI. Quum ergo ex his omnibus adpareat, non aliud nos quaerere JUS, quam quod Deus O. M. univerſo generi humano, tam- Nec aliter ea lex quam univerſo

generi humano innoteſcit, quam per rationem.

quam normam actionum liberarum tradidit: (§. X, 13. 14.) conſequens eſt, 15. ut illud toti generi humano debeat innoteſcere. Quumque quidquid innoteſcit univerſo humano generi, vel per *revelationem* aliquam, quam totum genus humanum pro vera ac divina agnoſcit, vel per *rectam rationem* ei cognitum perſpectumque eſſe oporteat, talis vero revelatio, quam omnes homines pro vera ac divina agnoſcant, nec exſtiterit umquam, nec hodie exſtet: nemo non intelligit, 16. jus naturae eas complecti leges, quae per ſolam rectam rationem, univerſo generi humano communem, promulgatae ſint, ac proinde univerſo generi humano naturâ innoteſcant (*).

(*) Hinc Cicero *pro Milone Cap. IV.* id jus vocat *non ſcriptam, ſed natum, quod non didicimus, accepimus, legimus, verum e natura ipſa arripuimus, hauſimus, expreſſimus, ad quod non docti, ſed facti, non inſtituti, ſed imbuti ſumus.* Immo & Apoſtolus, dum *Rom. II,* 14. ait, gentes legem ſcriptam Dei non habentes, ipſas ſibi fuiſſe legem, atque oſtendiſſe, τὸ ἔργον τοῦ νόμου, γραπτὸν ἐν ταῖς καρδίαις αὐτῶν, *opus legis ſcriptum in cordibus ſuis*, rationem redditurus, quomodo hoc jus illis innotuerit, ſtatim ſubjicit: συμμαρτυρούσης αὐτῶν τῆς συνειδήσεως, καὶ μεταξὺ ἀλλήλων τῶν λογισμῶν, κατηγορούντων ἢ καὶ ἀπολογουμένων: *una teſtimonium reddente eorum conſcientia, & cogitationibus, ſeſe mutuo accuſantibus, aut etiam excuſantibus.* Quod ſane aliter fieri non poteſt, quam per ratiocinationem, adeoque per rectam rationem. Communis ſane omnibus haec doctrina eſt, qui jus naturae veluti ex compacto pro *dictamine rectae rationis* habuerunt, ſi ab illis ſolis diſceſſeris, qui juſtum aliquid eſſe natura plane negarunt, veluti Archelaus apud Laërt. *II, 16.* Ariſtippus apud eumdem *II, 93.* Carneades apud Lactant. *Inſtit. divin. V.* 14. *&* 19. Pyrrho apud Sext. Empir. *Hypot. III,* 24. immo ipſe Ariſtoteles, quem ab hac ſententia non admodum alienum fuiſſe, probat Menag. *ad Laert. VII, 128. p. 311.*

Definitio juris naturae & juriſprudentiae naturalis vel divinae.

§. XII. Itaque JUS NATURAE eſt complexio legum, ab ipſo Deo immortali generi humano per rectam rationem promulgatarum. Si vero illud, tamquam ſcientiam conſiderare malis, JURISPRUDENTIA illa naturalis erit habitus practicus voluntatem ſupremi legiſlatoris ex recta ratione cognoſcendi, adplicandique quibuſvis ſpeciebus obvenientibus. Quae, quia in jure, a Deo immortali profecto, enarrando adplicandoque verſatur, recte etiam JURISPRUDENTIA DIVINA dici poteſt.

Diviſio in praeceptivum & permiſſivum.

§. XIII. Quia ergo etiam hoc jus eſt complexio legum (§. XII.) 17. omnia, quae in leges cadunt, etiam in jus naturae cadere animadvertimus, veluti *vetare, permittere, punire: l. 7. D. de legib.* Quin ex eodem colligimus, 18. illud recte dividi in PERMISSIVUM, quod homines univerſos ad alios in uſu juris libertatiſque ſuae non turbandos; & PRAECEPTIVUM, quod eoſdem ad actiones bonas edendas, malaſque omittendas obligat: itemque, 19. nullam circa

circa *jus praeceptivum* libertatem relictam eſſe homini, quum *permiſſivo* unuſquiſque, cui quidquam permittitur, recte omnino renunciet (*).

(*) Itaque jus permissivum regulam conſtituit, jus praeceptivum exceptionem. Omnia enim libertati hominis permittit Deus, quae non praecepit vel prohibuit. Sic e. g. quum ſola arbore ſcientiae boni & mali hominibus interdixiſſet Deus: recte omnino inferebant protoplaſti, licere ſibi fructibus reliquis omnibus veſci. *Gen. III*, 2. 3. Ceſſante enim legis obligatione, viget libertas. Nec tamen ideo negandum fuerit, obligationem conjunctam eſſe cum jure permiſſivo. Obligat enim univerſum genus humanum, ne quem uſu libertatis ſuae prohibeat. Sic e. g. quia Deus hominibus omnibus permiſit, ea, quae nullius ſunt, ſuis uſibus adplicare, & dominia rerum conſtituere: non poſſunt non injuſta ac illicita eſſe furta, rapinae, defraudationes, cetera.

An jus naturae futurum eſſet, ſi non eſſet Deus.

§. XIV. Et quandoquidem deinde jus naturae ab ipſo Deo immortali, tamquam ſupremo legiſlatore, proficiſcitur: (§. XII.) conſequens eſt, 20. ut, quamvis poſſit quis aliquando ſuopte ingenio & ſine lege *bene agere*, impellente illam obligatione interna, (§. VII.) idque 21. & homo, nullo religionis ſenſu imbutus, quandoque faciat, eo, quod actionem, praelucente ratione, bonam ſibique utilem fore, cognoverit: non tamen 22. ideo dicendum ſit, atheum poſſe *juſte agere*: (§. VII.) multoque minus, 23. etiamſi detur, quod ſine impietate dari nequeat, non eſſe Deum, nec res humanas curare, tamen aliquod jus naturae futurum eſſe (*). Vid. Grot. *proleg. jur. bell. & pac. §. XI.*

(*) Potius ergo juri naturae veluti nervos incidunt, qui illud ſine Deo concipiunt, & legem ſibi ſine legiſlatore fingunt. Omnes ſane, qui paullo religioſius philoſophati ſunt, agnoverunt, & jus omne a Deo proficiſci, &, ſi illum exſiſtere neges, nihil jam amplius juſtum injuſtumve fore. Ipſe Deus O. M. ad juſtitiam incitaturus Abraamum: Ego, inquit, ſum אלשדי *Deus ſibi ſufficiens vel omnipotens: ambula coram me: & eſto integer. Gen. XVII*, 1. Et Apoſtolus *Hebr. XI*, 6. eum, qui ad Deum accedere velit, credere debere, ait, ὅτι ἐςὶ, καὶ τοῖς ἐκζητοῦσιν αὐτὸν μισθαποδότης γίνεται: *eſſe Deum, & praemia largiri iis, qui ipſum requirant.* Immo & Cicero *de nat. Deor. I*, 2. *Haud ſcio*, inquit, *an pietate adverſus Deos ſublata, fides etiam & ſocietas humani generis, & una excellentiſſima virtus*, justitia, *tollatur.*

Cur dicatur cordibus inſcriptum?

§. XV. Quumque hoc jus complectatur leges, per rectam rationem promulgatas, (§. XII.) recta vero ratio nobis ſit facultas ratiocinandi, ſeu veritates alias ex aliis per neceſſariam concludendi rationem eliciendi: (*Hiſt. philoſ. §. II.*) facile patet, 24. cur hanc juris notitiam cordibus hominum eſſe inſcriptam, dicat Apoſtolus (*). *Rom. II*, 15. Tribuit enim hominibus facultatem vel potentiam de juſto injuſtoque ratiocinandi; quae, quum non ſemper po-

nat

nat actum, 25. cur & infantibus a quibuſdam vindicetur connata quaedam justi injuſtique notitia, non obſcurum eſt.

(*) Elevant hujus phraſeos emphaſin Grot. *ad Rom. II,* 15. & Joan. Clericus *Art. crit. Part. II. Sect. I. Cap. IV.* §. *X.* qui illam nihil aliud innuere contendunt, quam quod lex facile ſine magiſtro diſci & memoria teneri poſſit, atque ideo multa accumulant veterum loca, ubi *ἐγγράφειν δέλτοις φρενῶν, γράφειν φρενῶν ἔσω, γράφειν ἐν τῇ ψυχῇ*, nihil aliud ſignificet, quam quod diximus. Sed his jam ſatisfecit Jo. Franc. Bud. *Inſt. Theol. mor. Part. II. Cap. II.* §. *V.* (*) ubi & Jo. Lockii ſententiam accuratius examinavit.

An ex ſacris litteris vel traditione derivandum?

§. XVI. Ex eodem conſequitur, 26. ut jus naturae derivandum non ſit ex ſacris litteris, nec 27. ex legibus divinis poſitivis, veluti ex ſeptem praeceptis, quae Noacho data eſſe, jactant Hebraei: (*) quamvis, quum idem ſit revelationis, ac rectae rationis auctor, facile largiamur, 28. non modo multa, quae ratio dictitat, in ſacris litteris repeti, ſed & 29. miram eſſe utriuſque juris conſonantiam, nec 30. quidquam Deum in ſacris pandectis vel praecipere vel prohibere, quod juri per rectam rationem promulgato adverſetur.

(*) Hebraei quomodo jus naturae & gentium ex ſeptem praeceptis, Noacho datis, derivent, ex inſtituto oſtendit Jo. Selden. *de jure nat. & gent. ſecundum diſciplin. Hebraeorum.* Quamvis vero illam Hebraeorum de praeceptis Noachidicis traditionem non omni fundamento deſtitui exiſtimet laudatus Buddeus *Introd. ad hiſt. philoſ. Hebr. p.* 14. & 15. tamen nec probari hodie poteſt, illa vere data eſſe Noacho, & ſi quaedam eorum, quae praecepta illa inculcant vel prohibent, hodie nota ſunt Noachidarum poſteris: ea illis non ex traditione, ſed ex recta ratione innotuerunt, ac proinde non ſunt leges poſitivae, ſed per rectam rationem promulgatae.

Jus naturae immutabile.

§. XVII. Porro ex eodem axiomate intelligimus, 31. jus naturae non minus eſſe immutabile, quam ipſam rectam rationem, quae non poteſt non ſemper eadem ſuique ſimilis eſſe: adeoque 32. nec Deum, qui non poteſt, quod non vult, quidquam contra legem illam ſempiternam indulgere, multoque minus 33. ullum mortalium in illam quidquam ſibi imperii adrogare poſſe (*).

(*) Eleganter apud Lactant. *Inſtit. divin. VI,* 8. Cicero: *Huic legi nec obrogari fas eſt, neque derogari ex hac aliquid licet, neque tota abrogari poteſt. Nec vero aut per Senatum, aut per populum, ſolvi hac lege poſſumus. Neque eſt quaerendus explanator, aut interpres ejus alius. Nec erit alia lex Romae, alia Athenis, alia nunc, alia poſthac; ſed & omnes gentes, & omni tempore, una lex continebit, unuſque erit communis quaſi magiſter, & imperator omnium, Deus, ille legis hujus inventor, diſceptator, lator.* Neque huic veritati refragatur Ulpianus *l. 6. pr. D. de juſt. & jure*, quam legem alibi ſatis expoſuiſſe nobis videmur.

Ejus differentia a

§. XVIII. Nec difficile jam erit, concipere JURIS NATURALIS &

& civilis differentiam. Nam 34. illud ex recta ratione; hoc ex lege, ſive viva voce, ſive per ſcripturam promulgata, innoteſcit. 35. Illud tam late patet, ac ipſa recta ratio; hoc cuique civitati proprium eſt. *§.* 1. *&* 2. *Inſt. de jure nat. gent. & civ.* 36. Illud ad actiones naturâ bonas malaſque, internas ac externas; hoc ad indifferentes & externas, quatenus ſaluti populi cujuſque vel reipublicae attemperandae ſunt, (*) pertinet. jure civili.

(*) Cicero *de Invent. I, 38. Omnes leges ad commodum reipublicae referre oportet, & eas ex* UTILITATE COMMUNI, *non ex ſcriptione, quae in litteris eſt, interpretari. Ea enim virtute & ſapientia majores noſtri fuerunt, ut in legibus ſcribendis nihil ſibi aliud, niſi* SALUTEM *atque* UTILITATEM REIPUBLICAE *proponerent, neque enim ipſi, quod obeſſet, ſcribere volebant, & ſi ſcripſiſſent, quum eſſet intellectum, repudiatum iri legem, intelligebant. Nemo enim leges legum cauſſa ſalvas eſſe vult, ſed reipublicae.* Magnopere ergo falluntur, qui jus, quod naturale vocatur, ab utilitate profectum eſſe putant, veluti poſt Epicurum Horat. *Serm. I. 3.* cujus eſt πολυθρύλλητον illud:

Non natura poteſt juſto ſecernere iniquum:
Sola eſt UTILITAS JUSTI *prope* MATER *& aequi.*

Verum eſt, nihil jure naturali praecipere Deum, tamquam ens ſapientiſſimum optimumque, niſi quod ſit utile: at non ideo aliquid praecipit, quod illud utile ſit, ſed quod voluntati ſuae conveniat. Non ergo juſtum aliquid eſt, quia utile: ſed utile, quia juſtum eſt. Nam ὠφέλεια πρᾶξις κατὰ φύσιν, *emolumentum eſt omnis actio, naturae conſentanea*, ut eleganter obſervat Marcus Antoninus Imp. εἰς ἑαυτόν. *VII, 74.* Sed hunc errorem erudite profligarunt Grot. *proleg. jur. belli & pac. §. XVI.* Pufendorff. *de jure nat. & gent. II, 3. 10. &* 11. & illuſtriſſimus Sam. de Coccei. *de princip. jur. nat. & gent. ſect. II. §. IX. ſequ.*

§. XIX. Quamvis vero maxime inter ſe haec jura differant: nullum tamen dubium eſt, 37. quin jus naturae incredibilem utilitatem adferat iis, qui juri civili excolendo animum adpellunt, quum 38. & pleraque illius praecepta ipſum jus civile adoptet, iiſque acriora poenarum vincula injiciat, *l.* 1. *§.* 1. *D. de juſt. & jur. §. ult. Inſt. eod.* & 39. novas inde concluſiones eliciat, & 40. numquam a jure civili & ſtricto ſejungenda ſit naturalis aequitas, ne ſummum jus in ſummam evadat injuriam. Ejuſdem ſumma in jure civili utilitas.

§. XX. Porro ex eo cognoſcendi principio manifeſtum eſt, 41. hoc jure non alias res creatas regi, quam homines, quos ſolos rectae rationis praerogativa donavit ſummum Numen, ac proinde 42. manifeſto falſam eſſe definitionem Ulpiani: JUS NATURALE *eſſe, quod natura omnia animantia docuerit. l.* 1. *§.* 3. *D. de juſt. & jure.* (*). Bruta jure naturae non reguntur.

(*) Obſervavit hoc jam Heſiodus, cujus notiſſimus eſt locus *oper. & dier. v. 174. ſequ.*

Τόνδε γὰρ ἀνθρώποισι νόμον διέταξε Κρονίων.
Ἰχθύσι μὲν καὶ θηρσὶ καὶ οἰωνοῖς πετεηνοῖς,

Ἔσθεμεν ἀλλήλους, ἐπεὶ ου δίκη ἐςὶν ἐπ' αὐτοῖς.
Ἀνθρώποισι δ' ἔδωκε δίκην, ἣ πολλὸν ἀρίςη.

Namque hanc hominibus legem poſuit Saturnius.
Piſcibus quidem, & feris, & avibus volucribus,
Se mutuo ut devorent, quandoquidem JUSTITIA CARENT.
Hominibus autem dedit juſtitiam, quae multo optima eſt.

Neque rem expedivit Jac. Cujac. *in Not. prior. ad Inſtit. p.* 8. *Tom.* I. dum ſcripſit, *quae bruta faciunt incitatione naturali, ea ſi homines ratione faciant, jure gentium eos facere.* Sic enim non ideo aliquid erit juris naturae vel gentium, quod idem faciunt bruta animantia, ſed quod homines id faciunt, praelucente recta ratione.

Quid jus gentium.

§. XXI. Quum praeterea jus naturae eas complectatur leges, quae univerſo generi humano per rectam rationem ſunt promulgatae, (§. XII.) homines autem, vel ſinguli ſeorſum, vel, prout in certas ſocietates coaluerunt, conſiderari poſſint: 43. jus, quo ſingulorum actiones reguntur, NATURALE; quod, quid in ſocietatibus, & inter eas, juſtum injuſtumve ſit, praecipit, JUS GENTIUM vocamus, adeoque 44. eadem juris utriusque ſunt praecepta, eaedem leges, quin immo JUS GENTIUM eſt ipſum jus naturale, vitae hominis ſociali negotiiſque ſocietatum atque integrarum gentium adplicatum (*).

(*) Itaque latius patet JUS NATURALE, quam JUS GENTIUM. Nihil enim recta ratio inter omnes gentes conſtituit, quod non & ſinguli obſervare certa ratione teneantur. At ſunt quaedam juris naturae, quae non aeque commode adplicantur integris gentibus, e. g. jura matrimonii, patriae poteſtatis, cetera.

An a jure naturae diverſum ſit?

§. XXII. Ex quo colligimus, 45. jus naturae a jure gentium nec principio cognoſcendi, nec ipſis regulis, ſed ſolo objecto, differre: adeoque 46. rationem eos fugere, qui neſcio quod jus gentium, a jure naturae diverſum, ſibi fingunt. 47. JUS GENTIUM POSITIVUM vel SECUNDARIUM, quod veteres commenti ſunt, proprie huc non pertinere, quum nec a Deo conſtitutum, nec per rectam rationem promulgatum, nec univerſo generi humano commune, nec denique immutabile ſit (*).

(*) Pleraque, quae ad jus gentium poſitivum referuntur, vel ex ipſo jure naturae, vel ex moribus, vel ex lege aliqua, pluribus gentibus communi, oriuntur. Ita jura legatorum pleraque ex jure naturae recte explicantur. Multa quoque inter ſe ſervabant Graeci, quae barbari inſuper habebant, v. g. ut inducias darent victis ad cadavera tollenda. Poſtea mores Germanorum paene omnibus gentibus communes facti ſunt, uti recte obſervavit Grot. *de jure bel. & pac. II.* §. 1. 2. Denique & inter Chriſtianos mores quidam inoleverant, quorum apud poſteros vix manſit veſtigium. Leibnit. *Praefat. Cod. jur. gent. dipl. pag. VIII.* cujus & haec eſt elegantiſſima obſervatio, quod multa, quae

quae olim Pontifex Romanus veluti in communi gentium Chriſtianarum republica ſanxerit, pro jure Chriſtianarum gentium communi ſint habita. Quod elegante exemplo de uſu baliſtarum adverſus Chriſtianos ex *cap. un. X. de ſagittar.* illuſtrat Hert. *ad Puſendorff. de jure nat. & gent. Lib. II. Cap. III. §. XXIII. lit. c.*

§. XXIII. Itaque non inutile fuerit, jura haec, quum ad eamdem normam exigenda ſint, hoc libello conjungere, illa tamen, quum & objecto & adplicatione differant, ſimul in tractatione diſtinguere, & utrumque jus ſeorſum eo expendere ordine, ut *librum* opuſculi *priorem* JURI NATURAE, *poſteriorem* JURI GENTIUM deſtinemus. Partitio operis.

CAPUT II.

DE ACTIONUM HUMANARUM NATURA ATQUE INDOLE.

§. XXIV.

EX iis, quae hactenus de natura & conſtitutione juris naturae & gentium diximus, non obſcurum eſſe exiſtimamus, illud ad dirigendas HOMINUM ACTIONES pertinere, adeoque rem ipſam exigere, ut de earum natura atque indole paullo accuratius agamus. Tranſitio ad tractatum de actionibus humanis.

§. XXV. Varios in homine motus, variaſque contingere mutationes, ab ipſa rerum omnium magiſtra, experientia, ſatis ſuperque convincimur. Quum vero motus nullus ſine ſufficiente aliqua cauſſa motrice fieri atque intelligi poſſit: motus quoque omnes, quos in homine deprehendimus, cauſſam aliquam ſufficientem habere, eamque vel *in ipſo homine*, vel *extra eumdem* eſſe oportet. Motum ergo, cujus cauſſa ſufficiens in ipſo homine eſt, ACTIONEM; cujus cauſſa extra eumdem quaerenda eſt, PASSIONEM adpellamus. Quum vero motus iſte, quem ACTIONEM vocamus, vel in cogitatione conſiſtat, vel in corpore a voluntate producatur, prior ACTIONIS INTERNAE, poſterior EXTERNAE nomine venit. Quid actio & paſſio? Quid actio interna & externa?

§. XXVI. Paſſiones ergo quamvis non a nobis ipſis, ſed a cauſſa extra nos poſita, proficiſcantur, ac eatenus non ſint in poteſtate noſtra, ſed ſaepenumero & nobis invitis oriantur: aliquando tamen veluti repelli poſſunt, atque impediri, ſi inſtructi ſimus viribus ſufficientibus ad reſiſtendum cauſſae, extra nos poſitae, Paſſiones quotuplices?

 motum-

motumque hujuſmodi in nobis excitaturae. Contra ea etiam contingere poteſt, ut veluti adjuvemus hanc cauſſam motricem, extra nos poſitam, ut motum hunc in nobis tanto facilius ciere poſſit (*). Ex quo conſequitur, ut paſſiones aliae ſint IN NOSTRA POTESTATE, aliae NON SINT.

(*) Omnia haec exemplis luculentiſſimis facile poſſunt illuſtrari. Calefieri eſt paſſio. Ei aliquando reſiſtere non poſſumus, ſi aëre admodum calido iter facimus: aliquando poſſumus, ſi hieme procul a foco recedamus: aliquando illam veluti adjuvamus, quoties nempe propius accedimus ad ignem, ut tanto magis incaleſcamus. Calefieri ergo aliquando eſt in poteſtate noſtra, aliquando non eſt.

An & hae ſubſint directioni noſtrae?

§. XXVII. Quum ergo jus naturae circa actiones hominum liberas verſetur: (§. IV.) conſequens eſt, 1. ut illud non dirigat paſſiones, quae non ſunt in poteſtate noſtra: 2. ut, quamvis illud quaedam ſancire poſſit de paſſionibus, quatenus in poteſtate noſtra ſunt, non tamen tunc dirigat paſſiones, ſed actiones liberas, quibus reſiſtere vel ſubvenire poſſemus his paſſionibus, oſtendatque, quid nimirum ſit officii noſtri circa paſſiones illas vel impediendas, vel adjuvandas (*).

(*) Ita ſane irae, qua adficimur, leges praeſcribi non poſſunt: at actiones noſtras dirigere lex poteſt, ut ne irae fraena laxemus, ut reſiſtamus principiis, ne illam ad impetum pervenire patiamur, ut actionem, fervente hac animi perturbatione, ſuſpendamus, cetera. Haec omittentem quis neget adverſus legem peccare? Recte ergo, ſi quidquam aliud, obſervavit Cicero *Tuſc. Quaeſt. I. 3. animorum omnes morbos & perturbationes ex adſpernatione rationis evenire*, id eſt ex omiſſione eorum, quae agenda ſuadet recta ratio, ne vehementioribus illis animi commotionibus ſuccumbamus.

An circa illas verſetur jus naturae?

§. XXVIII. Itaque ſolas ACTIONES noſtras dirigit jus naturae. Quamvis vero hae omnes cauſſam ſufficientem in ipſo homine habeant: (§. XXV.) eadem tamen experientia docet, aliarum actionum nos nobis ſemper conſcios, eaſque in poteſtate ac arbitrio noſtro ſitas, alias ita eſſe comparatas, ut ex diſpoſitione quadam mechanica oriantur, ac proinde nec earum nobis conſcii ſemper ſimus, nec eaſdem in poteſtate noſtra habeamus (*).

(*) Sic *in poteſtate noſtra eſt*, ſtare, ſedere, an ambulare; loqui, an tacere; dare aliquid, an nobis retinere malimus. Et harum omnium actionum, dum eas edimus, *nobis conſcii* ſumus. Contra per nos non ſtat, quo minus cor per συστολὴν καὶ διαστολὴν, inteſtina motu periſtaltico, ſanguis per circulum moveantur. Quos motus ſaepe nec ſentimus, nec eos in nobis fieri, novimus. Paullo aliter hanc diſtinctionem accipiunt Stoici, quando τῶν ὄντων τὰ μὲν ἐφ' ἡμῖν, τὰ δὲ οὐκ ἐφ' ἡμῖν εἶναι, *quaedam* IN POTESTATE *noſtra* ESSE, quaedam NON ESSE, docent. Ad priora enim referunt opinionem, adpetitionem, deſiderium, averſationem, uno verbo, quaslibet noſtras actiones: ad poſte-

poſteriora corpus, poſſeſſionem, gloriam, principatum, quaecumque denique noſtra opera non ſunt. Epictet. *Enchirid. Cap. I.* Ac proinde rerum haec eſt diviſio, ſeu τῶν ὄντων, non actionum tantum.

Actiones vel humanae, vel naturales. Eas an dirigat jus naturae?

§. XXIX. Actiones, quarum nobis conſcii ſemper ſumus, quaeque in poteſtate noſtra ac arbitrio ſunt, HUMANAE vel MORALES; quarum nec conſcii noſtri ſumus, nec arbitri, PHYSICAE, vel NATURALES adpellantur. Quare illas LIBERAS, has NECESSARIAS eſſe, facile patet: atque inde merito infertur, 3. humanas vel morales tantum actiones a jure naturali dirigi, [§. IV.] 4. non naturales, niſi quatenus, ut has vel adjuvemus, vel turbemus ac impediamus, in noſtra poteſtate poſitum ſit [*].

(*) Quamvis enim, ut paullo ante diximus, in circulum ſanguinis, motumque cordis & inteſtinorum in ſe nihil nobis ſit arbitrii: experientia tamen docet, poſſe nos illos motus non modo medicamentis & temperantia adjuvare, verum etiam eoſdem, vel turbare ingluvie, vel ferro, venenis, aliiſque modis plane ſiſtere. Quis ergo dubitet, quin jus naturae prohibere poſſit, quidquid motus illos naturales, unaque ipſam vitam, turbat vel abrumpit? Animadverterunt hoc ipſi veteres philoſophi. Etſi enim plerique neſcio quid laudabile facere exiſtimabant eos, qui ultro ſibi manus inferrent violentas: eleganter tamen Democritus apud Plutarch. *de ſanit. tuenda p.* 135. Εἰ τὸ σῶμα δικάσαιτο τῇ ψυχῇ κακώσεως, οὐκ ἂν αὐτὴν ἀποφυγεῖν. *Si corpus animam damni injuria dati accuſaret, hanc, quin condemnetur, effugere non poſſe.*

Principia actionum humanarum, intellectus & voluntas.

§. XXX. Quum itaque actiones humanae, morales, liberae, ſint in poteſtate noſtra atque arbitrio, [§. XXIX.] in poteſtate autem noſtra ſit, quidquid a voluntate noſtra dirigitur; conſequens eſt, 5. ut actiones humanae, vel morales, ac liberae a *voluntate* noſtra dirigantur. Quumque nihil decernat voluntas, niſi ab intellectu ad adpetendum averſandumque excitata: [*] merito inde colligimus, 6. *intellectum* quoque ad edendas actiones humanas liberaſque concurrere, ac proinde 7. duo eſſe actionum humanarum ac liberarum principia, INTELLECTUM & VOLUNTATEM.

(*) Voluntas enim eſt facultas boniformis, adeoque ſemper adpetit bonum, malumque averſatur. (*Elem. phil. mor.* §. *XXIX.*) Hinc nihil poteſt velle, niſi quod intellectus illi tamquam bonum, juſtum, utile, repraeſentavit; nihil nolle, niſi quod idem intellectus illi tamquam malum, injuſtum, noxium, oſtendit. Recte Simplicius *ad Epict. Enchir. Cap. I. p.* 8. Δῆλον δὲ, ὅτι προηγεῖται μὲν ἡ πρόληψις, καὶ λογική τις οὖσα γνῶσις, καὶ ἀνθρώπῳ πρέπουσα. ὅταν δὲ περὶ κακοῦ ἢ ἀγαθοῦ ἡμετέρου ἀληθὴς ἢ δοκοῦσα ἡ πρόληψις ᾖ, ἀνακινεῖται πάντως ἔκκλισις ἢ ὄρεξις, ἐπακολουθεῖ δὲ ἡ ὁρμή. ὀρεχθῆναι γὰρ δεῖ πρῶτον ἢ ἀπαρεσθῆναι, καὶ οὕτως ὁρμῆσαι προσελθεῖν τῷ ὀρεκτῷ, ἢ ἀποστραφῆναι τὸ ἐκκλιτὸν, ὅπερ ἐναντίον ἐστὶ τῷ ὀρεκτῷ. *Conſtat autem,* OPINIONEM, *quae eſt cognitio quaedam, a ratione gubernata, dignaque homine, antecedere. Quae quum in eorum aliquo verſatur, quod nobis bonum malumve eſt; aut eſſe videtur, omnino* PROPENSIO *aut* AVERSATIO *commovetur,* ADPETITIO *ſequitur. Prius enim quam* adpe-

adpetas rem deſideratam, & amplectaris, aut eam declines, quae eſt rei deſideratae contraria, vel averſeris, animo propendeas aut abhorreas, oportet.

Quid intellectus?

§. XXXI. Intellectus eſt facultas mentis, res diſtincte percipiendi, dijudicandi, de iiſque recte ratiocinandi. Quae facultas quando imaginationis nomen adſumat, jam alibi, quantum ſatis eſt, diximus. (*Elem. phil. rat.* §. *XII. & XIII.*)

Sine ejus concurſu actio non eſt moralis.

§. XXXII. Quum ergo voluntas nihil poſſit adpetere vel averſari, niſi ab intellectu excitata: (§. XXX.) conſequens eſt, 8. ut nec actionem tamquam juſtam edere, vel tamquam injuſtam averſari poſſit, niſi intellectus, eam cum lege comparando, id eſt, ratiocinando, diſtincte perceperit, illam juſtam injuſtamve eſſe, utque adeo 9. circa actiones morales opus ſit ratiocinatione, qua earum juſtitiam injuſtitiamque diſtincte percipiamus (*).

(*) Hinc ſatis patet, jus naturae non dirigere actiones infantum, quos ipſe Deus negat diſcernere poſſe dextrum & ſiniſtrum, *Jon. IV*, 11. bonum & malum, eligenda & rejicienda: *Jeſ. VII. 16.* multoque minus actiones furioſorum, mente captorum, morbo inſanientium, qui de juſtitia injuſtitiaque actionum ratiocinari non poſſunt. Recte ergo Ariſtot. *magn. moral.* I. 34. *Quorum quis non eſt cauſſa, ſed ignorantia, ut delinquat: ob ea neutiquam injuſtus eſt. Eſt enimvero ejuſmodi ignorantia naturalis, veluti quum neſcii infantes patres caedunt. Haec nimirum naturalis inſcitia non facit, ut ab actione infantes dicantur injuſti. Ipſa ſiquidem haec faciendi cauſſa eſt inſcitiae, ideo ne injuſti quidem dicuntur.*

Inde conſcientia.

§. XXXIII. Ratiocinatio illa, vel facultas de juſtitia injuſtitiaque actionum noſtrarum ratiocinandi vocatur conscientia, cujus naturam variaſque ſpecies jam alibi explicavimus. (*Elem. philoſ. mor.* §. *XVIII. ſequ.*) Attamen & hic quaedam vel repetere, vel tamquam ſupplementa addere, noſtra vel maxime intereſt.

Quae vera eſt ratiocinatio vel ſyllogiſmus.

§. XXXIV. Quia ergo de juſtitia injuſtitiaque actionum noſtrarum ratiocinatur conſcientia, (§. XXXIII.) juſtae autem actiones vocantur contemplatione obligationis externae, ex lege ortae: (§. VII.) 10. conſcientiam comparare inter ſe oportet *legem* & *factum*, id eſt, duas propoſitiones, ex iiſque elicere tertiam. Quod quum fieri non poſſit, niſi per ſyllogiſmum: (*Elem. phil. rat.* §. *LXXVIII.*) conſequens eſt, 11. ut omnis conſcientiae ratiocinatio ſit ſyllogiſmus, eumque 12. ſemper abſolvant lex, actio propria, & sententia, tamquam tres hujus ſyllogiſmi propoſitiones (*).

(*) Ita comparata erat ratiocinatio Judae τοῦ παραδιδόντος: *Quisquis innocentem prodit ſanguinem, male agit. Id ego feci. Male ergo egi. Matth. XXVII. 4.* Ubi prima propoſitio manifeſto legem; altera ipſam Judae actionem, tertia sententiam complectitur. Nec aliud deprehendimus in mente noſtra, quoties ratiocinantem in nobis perſentiſcimus conſcientiam: ut adeo contra con-

conſciëntiam philoſophari videantur, qui conſcientiam pro vano ſacerdotum terriculamento cum Tolando venditant.

§. XXXV. Quum ergo conſcientiae ſyllogiſmus pro concluſione ſemper habeat ſententiam, (§. XXXIV.) ſententia autem omnis vel abſolvat, vel condemnet, prout actio legi vel convenit, vel adverſatur: 13. conſcientiam, a qua quis abſolvitur, BONAM; a qua condemnatur, MALAM vocamus (*). Quarum *illa* ſemper cum *fiducia* quadam, haec, quum tuta omnia timeat, cum *ſuſpicione* conjuncta eſt. Ejus diviſio in bonam & malam.

(*) Hinc Paullus Apoſtolus *Rom. II.* 15. actus conſcientiae vocat λογισμοὺς κατηγορούντων, ἢ καὶ ἀπολογουμένους, *cogitationes vel ratiocinationes* ACCUSANTES *vel* EXCUSANTES, itemque Joanni Apoſtolo, 1. *Epiſt. III.* 21. integri vitae ſceleriſque puri ſunt ὧν ἡ καρδία αὐτῶν μὴ καταγινώσκει, *quos cor ſuum non condemnat*, contra flagitiorum ſibi conſcii. *v.* 20. ὧν ἡ καρδία αὐτῶν καταγινώσκει, *quos cor ſuum condemnat.* Quin & poetae ita philoſophantur, e quorum numero Juvenalis *Sat. XIII. v.* 2. *ſequ.*

Prima haec eſt ultio, quod, ſe
JUDICE, *nemo nocens* ABSOLVITUR:
improba quamvis
Gratia fallaci Praetoris vicerit urna.

§. XXXVI. Ratiocinari porro poſſumus 14. de actionibus tum FUTURIS, tum PRAETERITIS, etiam perpetratis: ac proinde conſcientia de nondum edita vel futura actione ratiocinans, ANTECEDENS; de praeterita & jam perpetrata, CONSEQUENS adpellatur. In antecedentem & conſequentem.

§. XXXVII. Utroque caſu conſcientia actionem cum lege contendit. Quumque actionem futuram ad legem vel voluntatem Dei componere non ſtudeat, niſi cui eſt *incoctum generoſo pectus honeſto*, ſeu qui animum vera virtute praemunivit: *Elem. phil. mor.* §. *CCXVII.*) 15. conſcientia *antecedens* non niſi in iis, qui verae virtuti ſtudent, (*) 16. *conſequens* etiam in ſceleratiſſimis hominibus ſeſe exſerit. Sero enim ſapiunt & Phryges. In quibuſnam utraque reperiatur?

(*) Virtus ſemper conjuncta eſt cum ſtudio indefeſſo inquirendi in voluntatem DEI. (*Elem. phil. mor.* §. *CCXVIII.* 2.) Quo magis ergo quiſque profecit in virtute, eo illud ſtudium eſt ardentius. Atque inde fit, ut virtute ornati ſuper iis quoque actionibus futuris, quae aliis vel indifferentes, vel levioris videntur momenti, ſecum ratiocinentur, ac proinde iis tribuatur CONSCIENTIA TENERA, quae & tuta quaevis metuere aliquando videtur, haud abſimilis oculo, qui ne atomum quidem incidentem ſine ſenſu & dolore excipit. Eleganter Plutarch. *de profectu virt. ſent. p.* 85. Ἔτι τοίνυν πρόσλαβε τοῖς εἰρημένοις σημεῖον οὐ μικρὸν, εἰ βούλει, τὸ μηδὲν ἔτι μικρὸν ἡγεῖσθαι τῶν ἁμαρτανομένων, ἀλλ' ἐξευλαβεῖσθαι καὶ προσέχειν ἅπασιν. *Id quoque, ſi lubet, ad praedicta adjunge ſignum non exiguum, quod recte proficiens nullum jam peccatum* EXIGUUM *putat, ſed omnia ſtudioſe vitat & cavet.*

§. XXXVIII. Praeterea 16. quoties futuram actionem contendimus Eſt vel inſti-

gans, vel revocans, vel admonens.

dimus cum lege, toties eam vel *praeceptam* a Deo, vel *prohibitam*, vel *permiſſam* eſſe, deprehendimus. 17. Primo caſu conſcientia nos ad agendum exſtimulat: 18. altero a peccando revocat: 19. tertio prudenter, & adhibita in conſilium ratione, agendum eſſe, monet. Hinc 20. conſcientiam in INSTIGANTEM, REVOCANTEM & ADMONENTEM recte diviſeris (*).

(*) Ita Moſen & Zipporam conſcientia INSTIGABAT ad circumcidendum filium, quia iis in memoriam revocabat praeceptum divinum de circumciſione, *Exod. IV.* 24. Eadem conſcientia Davidem REVOCABAT a caede Nabalis, cujus jam ceperat conſilium, quia eum admonebat legis prohibitivae: *ne occidito.* 1. *Sam. XXV.* 32. *ſequ.* Denique conſcientia Paullum Apoſtolum ADMONEBAT, ne carne, quam Diis immolatam ſciret, veſceretur, & ut idem conſilium daret Corinthiis. Quamvis enim non ignoraret, Chriſtianos haud pollui cibo & potu: prudenter tamen agendum eſſe, monebat conſcientia, ne forte alii exemplo offenderentur. 1. *Cor.* X. 28. *ſequ.* Et huc pertinent aurea verba *v.* 20: Πάντα μοι ἔξεστιν, ἀλλ' οὐ πάντα συμφέρει· πάντα μοι ἔξεστιν, ἀλλ' οὐ πάντα οἰκοδομεῖ. *Omnia mihi licent, at non omnia proſunt. Omnia mihi licent, at non omnia aedificant.*

Conſcientia porro vel recta, vel erronea.

§. XXXIX. Quia porro conſcientia eſt ratiocinatio: (§. XXXIII.) 21. eadem, quae in ſyllogiſmum, etiam in conſcientiam cadunt. Hinc, 22. quemadmodum ratiocinatio, ita & conſcientia vel RECTA, vel ERRONEA eſt: & 23. ſicuti omnis ratiocinatio falſa vel in FORMA, vel in MATERIA, peccat: ita & conſcientia errat, ſive falſa lex, falſaeve actionis circumſtantiae praemittantur, ſive ipſae ratiocinandi regulae non obſerventur.

(*) Ut & hoc exemplis illuſtremus, in MATERIA errabant Judaei, dum ſe parentibus beneficia, ſalva religione, ſubtrahere poſſe exiſtimabant, modo, quae illis debebantur, Deo dicarent. Loco enim majoris propoſitionis praemittebant falſam legem, Ὃς ἂν εἴπῃ τῷ πατρὶ, ἢ τῇ μητρὶ, Δῶρον ὃ ἐὰν ἐξ ἐμοῦ ὠφεληθῇς. *Qui dicit patri aut matri, Donum eſt, quocumque a me juvari poſſes,* (eum inſontem fore.) *Matth.* XV. 5. *Marc. VII.* 11. In materia quoque errabat Abimelechus, dum ſe Saram, ſalva religione, in torum recepturum, ſperabat. Falſam enim ponebat facti περίστασιν, ſe cum innupta rem habiturum. *Geneſ.* XX. 2. Denique errorem in FORMA errabant Phariſaei, dum ex lege de ſabbatho eliciebant falſam concluſionem, quod omne opus, etiam quod vel imperioſa neceſſitas, vel caritas, & humanitas exigeret, eo die ſit intermittendum. *Matth.* XII. 10. *ſequ.*

Itemque vel certa, vel probabilis.

§. XL. Porro cum in aliis ratiocinationibus, tum maxime in conſcientia, contingit, ut modo ex certo aliquo principio, modo ex hypotheſi, probabili illa quidem, at hypotheſi tamen, ducatur argumentum. (*Elem. log. §. CXXX.*) Hinc 24. & conſcientia modo CERTA eſt, quoties nimirum ex certa atque indubia lege; modo PROBABILIS, quoties ex probabili aliorum ſententia ratiocina-

cinatur (*). Ex quo denuo conſequitur, 25. ut, quemadmodum plures ſunt gradus probabilitatis, (*Elem. log.* §. *CXXXVI. ſequ.*) ita & conſcientia modo magis, modo minus dici poſſit probabilis.

(*) Non ergo conſcientia PROBABILIS opponenda eſt RECTAE, quia & probabilis aliquando recta eſſe poteſt. At poteſt tamen eadem falſa eſſe, quia quum ratiocinando decipi aliquando poſſimus ſub ſpecie certitudinis per paralogiſmos, id multo magis fieri poteſt ſub ſpecie probabilitatis per ſophiſmata. *El. log.* §. *C. & CI.*) Ex quo conſequitur, ut lubricum admodum ſit dogma illud novorum caſuiſtarum de probabiliſmo, ſeu conſcientia probabili, a peccato excuſante, de quo Lud. Montalt. *Litt. ad provincial. Epiſt.V.* & Sam. Rachel. *Diſſ. de probabiliſmo.* Niſi enim pro norma actionum adſumere velis regulam Lesbiam: fieri non poteſt, ut ſatisfeciſſe tibi videaris officio, ſi agas ſecundum conſcientiam probabilem, quae nec *recta* ſemper, nec *certa*, nec *conſtans* eſt, (§. V.) maxime quum doctores illi probabilitatem ex aliorum opinionibus aeſtiment, Apoſtolus vero nos aliorum ſententia in re tanti momenti ſtare prohibeat, dum inculcat praeceptum: ἕκαστος ἐν τῷ ἰδίῳ νοῒ πληροφορείσθω. *Unuſquiſque in ſuo ſenſu plane certus eſto. Rom. XIV, 5.*

§. XLI. Quia vero, quod probabile eſt, aeque falſum, ac verum eſſe poteſt, (§. XL.) (*) evenit aliquando, 26. ut animo noſtro ſeſe in utramque partem objiciant argumenta probabilia, ac proinde de re nondum liquida amplius deliberandum eſſe cenſeamus. Ea conſcientia DUBIA; vel, ſi cura illa, *quae nos coquit, verſatque in pectore fixa*, paullo levioris momenti aliis videatur, SCRUPULOSA dici ſolet (*).

Quid conſcientia dubia & ſcrupuloſa.

(*) Non male quidem ipſam dubitationem, quae veluti in diverſa trahit animum, SCRUPULUM vocat celeberrimus Wolffius *Eth.* §. *LXXVI*: at vocabuli tamen notioni magis convenire videtur definitio noſtra. Eſt enim SCRUPULUS lapillus, minimae ille quidem molis, ſed qui, incidens in calceum, pedem miſere adfligit. Servius *ad Aen. VI. v. 236.* SCRUPUS *proprie eſt lapillus brevis, qui preſſus ſollicitudinem creat, unde etiam* SCRUPULUS *dictus.* Apuleius *ſcrupulum* opponit graviori ſollicitudini, quam *lanceam* vocare ſolet. Vid. Scip. Gentil. *ad Apuleii Apolog. p.* 150.

§. XLII. Praeterea contingere poteſt, 27. ut mens, pravis cupiditatibus in tranſverſum acta, ac veluti ſervitute oppreſſa, de actionibus vix libere ratiocinetur, ſed potius propenſionibus ſuis ſuffragari cogatur. (*Elem. phil. moral.* §. *XXIX.*) Quo ſit, 28. ut in hoc ſervili ſtatu ratiocinans conſcientia MINUS LIBERA; ea contra, quae ſe ex triſti illa ſervitute in libertatem vindicavit, LIBERA adpelletur. (*) Quam diſtinctionem accuratius explicavit Wolffius *Ethic.* §. *LXXXIV.*

Quid libera, & minus libera?

(*) Hinc παράδοξον Stoicorum: ὅτι μόνος ὁ σοφὸς ἐλεύθερος, καὶ πᾶς ἄφρων δοῦλος, *ſolum ſapientem liberum, & omnem ſtultum ſervum eſſe.* Cicero *Parad. V.*

V. Qui ſe per virtutem in libertatem vindicavit, is ſpernit calcatque vitia, magnoque animo clamat: *Non ſum imperata facturus, jugum non recipio: immo, quod majore virtute faciendum eſt, excutio. Non eſt molliendus animus. Si voluptati ceſſero, cedendum eſt dolori, cedendum labori, cedendum paupertati. Idem ſibi juris in me eſſe volet & ambitio & ira.* Seneca Epiſt. LI. Ad quae verba Lipſius *Manuduct. ad philoſ. Stoic. Lib. III. Diſſ. XII: Ecce,* inquit, *quot dominos ille jam effugit? adde libidinem, avaritiam, alia vitia: turbam habebis, ut vero nomine dicam, tyrannorum. Miſerum mancipium, qui his ſubjicitur! erectum & liberum, qui evaſit!* Quid vero libertatis ſupereſſe dixeris conſcientiae, cui tot vitia pravaeque cupiditates veluti nervos ac compedes injiciunt?

Quid dormitans, expergefacta, cauterio uſta?

§. XLIII. Nec minus ipſa experientia docemur, homines aliquando ſuis vitiis ita veluti indormiſcere, ut nullo miſeriae ſuae ſenſu adficiantur, neque amplius de juſtitia injuſtitiaque actionum ratiocinetur conſcientia. Quemadmodum itaque 29. illam tunc DORMITARE, vel, 30. ſi diuturna peccandi conſuetudine occalluit, quaſi CAUTERIO USTAM eſſe dicimus: (*) ita 31. eadem veluti EXPERGEFIERI videtur, ſi quando homo calamitatibus vel periculo aliquo excitatus, actiones ſuas expendit paullo accuratius, & de earum juſtitia injuſtitiaque incipit ratiocinari.

(*) Loquutio Paullina 1. *Tim. IV.* 2. eaque ἐμφατικωτάτη. Quemadmodum enim caro, uſta cauterio, omnem amittit ſenſum: ita mens, adſueta criminibus, non ſentit miſeriam, quam alii non ſine horrore contemplantur. Sic idem Apoſtolus *Epheſ. IV,* 19. homines hujuſmodi vocat ἀπηλγηκότας, quaſi *qui dedoluerint*: ubi notatu digniſſima ſunt, quae adnotavit Theod. Beza.

Quid tranquilla, remordens, irrequieta vel anxia?

§. XLIV. Sua quemque conſcientia aut condemnari aut abſolvi, jam ſupra nos dicere meminimus. (§. XXXV.) Quum vero abſolutio non poſſit cum ſumma animi voluptate; condemnatio cum maxima aegritudine atque acerbiſſimo dolore non eſſe conjuncta: conſequens eſt, 31. ut conſcientia bona, eaque certa, plerumque ſit TRANQUILLA; 32. mala REMORDENS, quam lanienam veteres Furiarum facibus aequiparare ſoliti ſunt: (*) ut denique 33. conſcientia dubia plerumque ſimul ſit IRREQUIETA & ANXIA, ut neſciat homo, quo ſe vertat. Enimvero illas adfectiones ad effectus potius conſcientiae, qui ſe in voluntate exſerunt, quam ad ipſam pertinere conſcientiam, facile unuſquiſque animadvertit.

(*) Ita Cicero *pro Sex. Roſc. Amer. Cap. XXIV.* Ceterum ipſi hi conſcientiae morſus argumento ſunt luculentiſſimo, rationem fugere eos, qui cum Tolando lanienam iſtam ex metu ſupplicii, a republica imminentis, oriri exiſtimant. Primo enim non privati tantum hiſce Furiis dies noctesque agitati ſunt, ſed & ii, quos vel naſcendi ſors, vel, faſtigium imperii omni ſupplicio exemerat, veluti Nero apud Sueton. *Cap. XXXIV.* Deinde ſi credere malis, hunc quoque ſibi timuiſſe a populo; non deſunt exempla eorum, qui morti proximi, quamvis nullo futuri metu angerentur, ſe tamen ob delicta quaedam occulta, neminique mortalium nota, vix ferre dolores conſcientiae, conqueſti ſunt:

ſunt: veluti Chilo Lacedaemonius, qui apud Gell. *Noct. Att. l.* 3. *Ego quidem certe*, inquit, *in hoc tempore non fallo me, nihil quidquam eſſe commiſſum a me, cujus memoria rei aliquid pariat aegritudinis, niſi profecto. illud unum.* Sed & Titi Caeſaris, jam animam agentis, dictum haud abſimile exſtat apud Sueton. *Tit. Cap. X.*

An pro actionum humanarum norma ſit conſcientia?

§. XLV. Ex quo facile intelligas, 34. quid de eorum ſententia ſentiendum ſit, qui, pro interna actionum humanarum norma ac regula habendam eſſe conſcientiam, exiſtimant. Si enim norma, niſi ſit recta, certa & conſtans, ſuum perdit officium: (§. V.) quis pro norma adſumeret ratiocinationem, quae aliquando *erronea*: (§. XXXIX.) aliquando *probabilis* tantum; (§. XL.) aliquando *dubia*; (§. XLI.) quin ſaepe pravis cupiditatibus oppreſſa eſt? (§. XLII.) Hinc 35. quamvis peccet omnino, qui agit contra certam vel probabilem conſcientiam: non tamen 36. ideo recte ſtatim & juſte agere dicendus eſt, qui ſe egiſſe contendit ſecundum conſcientiam (*).

(*) Non ipſa conſcientia norma eſt, ſed normam adplicat factis & ſpeciebus obvenientibus. Hinc tutius actio omittitur, cujus de pravitate nos convictos arbitramur, quam aliquid agitur, quod juſtum & bonum eſſe nobis ſine certa lege perſuadet conſcientia. Qui ergo conſcientiam erroneam ſequitur, eo ipſo, quod hanc potius, quam legiſlatoris voluntatem, ſequitur, peccat, aliquanto quidem excuſatius, quam qui agit contra conſcientiam, at peccat tamen. Quare ego quidem ſuffragari nolim ſententiae Limborchii, qui *Theol. Chriſt. Lib. V. Cap. II.* §. *VIII. ſequ.* etiam erroneam conſcientiam ſequendam eſſe contendit.

Conſcientia adhuc dubia actus cur ſuſpendendus?

§. XLVI. Ex quo porro colligimus, 37. dubia adhuc, & inter contrarias ſententias miſere fluctuante conſcientia, ſuſpendendam eſſe actionem tantiſper, dum res ad liquidum perducta ſit. Quod 38. merito defendimus contra Ger. Gottl. Titium *Obſervat. XIX. ad Puſend. de offic. hom. & civ. Lib. I. Cap. I. §. VI.* quod ſumma haec eſt hominis protervia, ſi tam obfirmato animo aliquid agat, ut parum laboret de exploranda voluntate divina, idem omnino acturus, ſi vel maxime, id ſibi a Deo interdictum eſſe, noverit (*).

(*) Adpoſite Cicero *de Offic. I*, 9. *Quocirca bene praecipiunt, qui vetant quidquam agere, quod dubites, aequum ſit, an iniquum. Aequitas enim lucet ipſa per ſe, dubitatio cogitationem ſignificat injuriae.* Id eſt, qui dubitans de aequitate actionis tamen agit, eo ipſo prodit animum injuriam faciendi Deo. Unde & Apoſtolus: ὁ δὲ διακρινόμενος ἐὰν φάγῃ, κατακέκριται, ὅτι οὐκ ἐκ πίστεως. *Qui ambigit, ſi ederit, condemnatus eſt, quia non edit ex fide. Rom. XIV*, 23.

Imbecillitates intellectus ignorantia & error.

§. XLVII. Itaque ex his, quae hactenus diximus, patet, 39. in adplicatione legis ad factum conſcientiae luminibus quam maxime officere IGNORANTIAM & ERROREM. Et per illam quidem ſimplicem cognitionis privationem; per hunc ſive ideam, ſive judicium,

ſive ratiocinationem, a rei natura diſcrepantem, intelligimus. IGNORARE enim aliquis rem dicitur, cujus nulla omnino idea animo obverſatur; ERRARE, qui rei ideam concepit, ſed vel ab objecto diſcrepantem, vel obſcuram, confuſam atque inadaequatam. Et tunc fieri nequit, quin error, in ideis admiſſus, in judicia, atque inde in ipſas ratiocinationes ſeſe diffundat.

An omnis error & ignorantia culpari mereatur.

§. XLVIII. At quum nec omnibus hominibus impoſita ſit obligatio veritates abſtruſiores, ac veluti in Arceſilai puteo demerſas, inveſtigandi, & rerum quarumdam ignoratio cum utilitate potius, quam detrimento, conjuncta eſſe videatur, (*) immo ſaepe ignorantes *imprudenteſque plus boni uno die faciant, quam ſcientes antea umquam:* Terent. *Hecyr. V,* 4. *v.* 39. *ſequ.* merito inde colligimus, 40. non omnem vel IGNORANTIAM, vel ERROREM, malum eſſe ac vituperabilem.

(*) Exemplo eſſe poteſt certorum ſcelerum, de quibus ne fari quidem licet, ignorantia, ſi tunc ignotorum nulla cupido eſt. Quis enim eam non pluribus exoptet, quum animum turpiſſimis cupiditatibus occludat, praeſtetque impervium? Sic ſane Scythas eo nomine laudat Juſtinus *Hiſtor. II.* 2. *quod in iis tanto plus profecerit* VITIORUM IGNORATIO, *quam in Graecis cognitio virtutis.* Nec minus majores noſtros miratur Quinctilianus *Declam. IV.* ubi de impuriſſimo agens flagitio: NIL *tale*, inquit, NOVERE *Germani, & ſanctius apud Oceanum vivitur.*

Quae ignorantia, ac quis error culpabilis ſit?

§. XLIX. At quum nihil decernat voluntas, niſi ab intellectu ad adpetendum averſandumque excitata, ac proinde intellectus quoque ad edendas actiones humanas liberaſque concurrat: (§. XXX, 6.) conſequens ſane eſt, 41. ut non abſint a reprehenſione, qui in principiorum boni ac mali, juſti injuſtique, quorum ſibi cognitionem facile comparare potuiſſent, turpiſſima ignoratione verſantur, vel circa illa errant, circa quae errorem, ſi intendiſſent nervos, facile potuiſſent evitare.

Ignorantia, vel vincibilis, vel invincibilis, vel voluntaria, vel involuntaria, vel efficax, vel concomitans.

§. L. Hinc variae ignorantiae atque erroris diviſiones. Quatenus enim primo ignorantiam evitare in noſtra poteſtate eſt, vel non eſt: eatenus vel VINCIBILIS, vel INVINCIBILIS adpellatur (*). Quatenus quis illius cauſſa eſt, vel non eſt: eatenus vel VOLUNTARIA eſt, vel INVOLUNTARIA. Denique, ſi quis aliquid egit, quod non fuiſſet acturus, niſi ignorantia menti caliginem offudiſſet: ignorantia illa EFFICAX vocari ſolet: CONCOMITANS vero, ſi quid factum eſt, quod factum fuiſſet, ſi vel maxime abfuiſſet ignorantia. Quamobrem prioris argumentum eſt poenitentia, poſterioris facti illius, etiam ex ignorantia admiſſi, adprobatio. Quae omnia ad errorem non minus, quam ignorantiam, pertinere, nemo non intelligit.

(*) Igno-

(*) Ignorantiam atque errorem INVINCIBILEM eſſe aiunt vel IN SE, *at non in ſua cauſſa*, vel IN SE ET SUA CAUSSA SIMUL. Sic enim ignorantia hominis temulenti *in ſe* quidem *invincibilis* eſt, quamdiu durat ſuavis illa inſania: *at non in ſua cauſſa*, quia homini licuiſſet non inſanire. Contra peccata furioſorum ex ignorantia *in ſe & ſua cauſſa invincibili* proficiſcuntur, quum nec ſciunt emota mente, quid agant, nec per eos omnino ſteterit, quo minus furerent. Vera ſunt haec omnia, nec uſu ſuo in doctrina de imputatione deſtituuntur: at prior tamen vix dici poteſt INVINCIBILIS, quum potuiſſet evitari, ſi mens non laeva fuiſſet. Rem optime explicat Ariſtoteles *Nicomacheor. III, 7.* dum legem memorans Pittaci, quae ebriis peccantibus duplicem poenam irrogari juſſerat, ſtatim ſubjicit: Τοῖς μεθύουσι διπλᾶ τὰ ἐπιτίμια· ἡ γὰρ ἀρχὴ ἐν αὐτοῖς· κύριος γὰρ τοῦ μὴ μεθυσθῆναι· τοῦτο δ' αἴτιον τῆς ἀγνοίας. *In ebrios duplex poena conſtituta eſt: principium enim in ipſis eſt. Nam ſitum in iis erat, ne ebrii fierent. Ebrietas autem cauſſa inſcientiae eſt.* De ipſa Pittaci lege videndi Diog. *Laërt. I. 67.* & Plutarch. *in Conviv. ſept. ſap. p. 155.*

§. LI. Progredimur ad alterum actionum humanarum liberarumque principium, VOLUNTATEM, (§. XXX.) quae eſt illa mentis noſtrae facultas, qua adpetimus bonum, malumque averſamur. Ut adeo veriſſimum ſit, intellectum circa verum & falſum; voluntatem circa bonum & malum occupari. Nam & veritatis non ob aliam cauſſam cupida eſt voluntas, quam quatenus bona eſt, nec falſum, quia falſum, ſed quia ſimul malum eſt, averſatur (*). Quid voluntas?

(*) Sic nemo ſanus praeſcire cupit calamitates ſibi imminentes, quia ſi vel maxime vera eſſet haec ſcientia, mentem tamen illa ante tempus vehementer excruciaret, & ſic bona videri non poſſet. Contra fabularum cupidiſſimi ſunt pueri, quamvis eas fictas eſſe ſubolfaciant, quia eas vel ad componendos mores, vel ad animum ſaltim oblectandum comparatas eſſe, intelligunt, eaſque proinde bonas eſſe exiſtimant.

§. LII. Ex ea ergo definitione colligimus, 42. non poſſe voluntatem quidquam adpetere, niſi quod ei tamquam bonum ab intellectu ſiſtitur: nec 43. averſari, niſi quod ei tamquam malum ab eodem repraeſentatur. 44. Quo magis quodque nobis bonum malumve videatur: eo vehementius nos illud adpetere vel averſari, ac proinde 45. contingere poſſe, ut minoris boni adpetitio vel minoris mali averſatio, propoſito majore malo bonove, cohibeatur. 46. Averſationem non in ſola adpetitionis privatione conſiſtere, ſed conjunctam eſſe cum aliquo poſitivo, (*) quod NOLUNTATEM vel RECLINATIONEM vocat V. C. Henr. Koehler. *Exerc. jur. nat. §. CLXVII. ſequ.* Ejus actus & natura.

(*) Quemadmodum JCti accurate diſtinguunt *non nolle* & *velle*: *l. 3. D. de reg. jur.* ita non minus diſcerni debent *non velle* vel *non adpetere*, & *nolle*, ſeu *averſari*. Multa ſane non vult ſapiens, a quibus tamen non omnino abhorret. Non adpetit immortalitatem, quam natura; non imperium, quod naſcendi ſors negavit: nec tamen res illas averſatur, ſed magnas ac praeclaras eſſe judicat.

cat. Non vult, quod non capit ejus conditio, quamvis ab eo non abhorreret, ſi caperet. Ita quamquam regnum nec voluit, nec adfectavit intentus operi diurno hortulumque ſterilibus herbis repurgans Abdolominus, illud tamen nec noluit, nec adſpernatus eſt, quum ſe regem ſalutari, regiaeque veſtis inſignibus exornari, animadverteret. Curt. *de geſt. Alex. IV*, 1.

Ejuſdem ſpontaneitas & libertas.

§. LIII. Nec minus ex ea definitione patet, 47. hominem, quod ad voluntatem attinet, non modo SPONTE, ſed & LIBERE agere. Quum enim SPONTANEITAS ſit facultas ſe ipſum dirigendi ad certum & antea cognitum finem, LIBERTAS vero facultas, ex duobus poſſibilibus alterutrum, prout e re videatur, eligendi: utramque facultatem menti noſtrae ineſſe, vel ab ipſa experientia docemur. Neque 48. obſtat, hominem, quem virtus nondum in veram libertatem vindicavit, ſuis adfectibus cupiditatibuſque adhuc ſervire. Eſſe enim haec obſtacula ita comparata, ut majore menti propoſito bono malove removeri ſuperarique poſſint, jam ſupra monuimus (*). (§. LII, 45.)

(*) Sic quantacumque in fure ſit contrectandae rei alienae cupiditas, ei tamen ille non ſuccumberet, ſi ſibi tanti criminis effecta, veluti ſquallorem carceris, ergaſtulum, flagra, equuleum, ipſam denique furcam, poneret ob oculos. Nec minus, qui voluptatibus atque otio magnopere delectantur, ad honeſtiora ſtudia ac diligentiam ſeſe illico inflammari ſentirent, ſi, adhibita in conſilium ratione, paullo expenderent accuratius, quanta ſit doctrinae ac ſapientiae praeſtantia, quanta utilitas, quam incredibilis ſuavitas, & quam irreparabile contra damnum cum inertia atque ignorantia conjunctum ſit. Rem omnem breviter exprimit Epictetus apud Arrian. I. 17. Τίς ὁρμὴν νικῆσαι δύναται; ἡ ἄλλη ὁρμή. Τίς δ᾽ ὄρεξιν καὶ ἔκκλισιν; ἡ ἄλλη ὄρεξις καὶ ἔκκλισις. *Ecquidnam adpetitionem vincere poteſt? Alia adpetitio. Ecquidnam inclinationem ac propenſionem? Profecto alia inclinatio ac propenſio.* Id quod eodem, quo nos uſi ſumus, furis exemplo illuſtrat Simplic. *ad Epictet. Enchir. Cap. I. p.* 22.

An eam impediat temperamentum.

§. LIV. Hinc 49. illi voluntatis humanae libertati non officit conſtitutio corporis, quam TEMPERAMENTUM vocant philoſophi. (*Elem. phil. mor. §. LI. ſequ.*) Quamvis enim mens a corpore diverſimode adficiatur, (*ibid. §. XLV.*) & ad certa vitia reddatur proclivior: iſta tamen determinatio non magis in coactione conſiſtit, quam homo cogitur ad prodeambulandum, dum eum ſudum coelumque ſerenius invitat. Quis enim negaverit, voluntatem omnia integra habere, illaſque verni ſolis blanditias non impedire, quo minus e duabus cauſſis, quarum una deambulationem ſuadet, altera diſſuadet, praegnantiori adſentiatur?

An adfectus & mores?

§. LV. Idem porro 50. dicendum videtur de ADFECTIBUS, id eſt, commotionibus voluntatis ex repraeſentatione boni malique ortis. Quamvis enim mens, quod ad primum motum attinet, paſſive ſe habeat: reliqua tamen in ejus poteſtate ſunt, puta, ut obſtet prin-

principiis, ne motum iſtum adprobet, nec primam animi incitationem ad impetum pervenire patiatur. Quod 51. & de MORIBUS, id eſt, propenſionibus, diuturna conſuetudine firmatis, repetendum videtur. Tametſi enim & hi paullatim veluti in naturam abeunt, *quam ſi expellas furca, tamen uſque recurret:* Horat. *Epiſt. I.* 10. *v.* 24. non tamen vel emendari non poſſunt, (*) vel non vinci ſaltim, ſi quis libertate ſua uti velit.

(*) Mores ſunt propenſiones & adfectus, diuturna conſuetudine firmati. (*Elem. philoſ. moral.* §. *LXIX.*) Quod diuturna conſuetudine adſcivimus, id procul dubio deſuetudine paullatim inumbrari atque aboleri poteſt, ſi ea in re tantum adhibere diligentiae velimus, quantam adhibuimus, dum illam primum contraximus. Quo pertinet elegans, quam jam Hertius ad Pufendorffium laudavit, ſententia Ariſtophanis *in Veſpis*.

Τὸ γὰρ ἀποστῆναι χαλεπὸν
Φύσεως, ἣν ἔχει τις ἀεί.
Καί τοι πολλοὶ ταῦτ' ἔπαθον
Ξυνόντες γνώμαις ἑτέρων
Μετεβάλλοντο τοὺς τρόπους.

Uſus quo fueris diu,
Mutare ingenium, grave eſt.
Multos invenias tamen,
Qui mores moniti ſuos
Mutarunt melioribus.

§. LVI. Denique 52. EXTERNA VIS tantum abeſt, ut libertate ſua privet voluntatem humanam, ut illa vel maxime argumento ſit, eam eſſe liberam. Quamvis enim fieri poſſit, ut aliquis vi prohibitus, quod vult, non agat: nulla tamen vi impediri poterit, quo minus, quod vult, velit, vel compelli, ut quod non vult, velit (*). Immo ſi intellectus bonum, quod actionem ſequitur, tamquam majus malo imminente, repraeſentet: nulla vis externa hominem ab eo, quod ſemel animo concepit, abſterrebit, eumque *nec civium ardor prava jubentium, nec vultus inſtantis tyranni mente quatiet ſolida.* Vid. illuſt. Wolffius *Metaphyſ.* §. *DXXII.* An vis externa?

(*) Id quoque obſervavit Epictetus apud *Arrian. I*, 17. Poſtquam enim adpetitionem non niſi alia adpetitione vinci poſſe docuit: ſtatim ſubjicit: Ἄν μοι, φησὶ, προσαγάγῃ θανάτου φόβον, ἀναγκάζει με· οὐ τὸ προσαγόμενον, ἀλλ' ὅτι δοκεῖ σοι κρεῖττον εἶναι ποιῆσαί τι τούτων, ἢ ἀποθανεῖν. Πάλιν οὖν τὸ σὸν δόγμα σε ἠνάγκασε, τουτέστι προαίρεσις προαίρεσιν. *At, inquiat quis, qui mihi mortis proponit metum, me cogit.* Profecto *non, quod imminet, in cauſſa eſt, ſed quia tibi ſatius videtur, aliquid eorum facere, quam mortem oppetere. Quare tua te opinio coëgit, id eſt, voluntas vicit voluntatem.*

§. LVII. Ex quo colligimus, 53. non rejiciendam eſſe diſtinctionem voluntatis ANTECEDENTIS & CONSEQUENTIS, quarum illa ſine contemplatione περιστάσεων, quae ſeſe tempore actionis exſerere poſſunt, decernit: haec actionem circumſtantiis, quae ſeſe tunc exſerunt, attemperare ſtatuit. Quare 54. voluntas conſequens ab antecedente diverſiſſima videtur, quum tamen utraque ſibi invicem non refragetur. Ita verum eſt, & pacem velle Deum; & Voluntas vel antecedens vel conſequens.

eum-

eumdem bellum, certis poſitis circumſtantiis, non improbare.

Actiones ſpontaneae, invitae, ultroneae, coactae, mixtae.

§. LVIII. Praeterea inde intelligitur, 55. SPONTANEAS eſſe actiones, quae proficiſcuntur ex mente, ſe ipſam ad certum finem, antea cognitum, determinante: 56. INVITAS, quae a mente ſe ipſam determinante non proveniunt. (§. LIII.) Porro 57. ſpontanearum alias ULTRONEAS eſſe, ad quas parandas nulla hominem neceſſitas extrinſecus impulit, alias 58. COACTAS, quas quis, tali urgente neceſſitate, patravit: (§. LVI.) nihil autem 59. cauſſae eſſe, cur addamus MIXTAS, quippe quae quum itidem, neceſſitate extrinſecus urgente, fiant, *coactis* quam commodiſſime accenſentur (*).

(*) MIXTAS actiones vocant, quas quidem patrare vult homo, ſed ita, ut eas omittere mallet, niſi urgeret neceſſitas. Tale quid animadvertimus in iis, qui jactum faciunt imminente naufragio, de quibus Lucret. *de rer. nat. Lib. II. v.* 277.

Jamne vides igitur, quamquam vis extima multos
Pellit, & invitos cogit procedere ſaepe,
Praecipiteſque rapit, tamen eſſe in pectore noſtro
Quiddam, quod contra pugnare obſtareque poſſit?

Enimvero idem in omni actione coacta contingit. Nulla enim vis externa tanta eſſe poteſt, ut nos adigat ad volendum, quod nolumus, vel quod volumus, averſandum: (§. LVI.) adeoque omnis actio coacta mixta omniſque mixta coacta eſt. Quis vero probaret diviſionem, cujus membra adeo non diſjuncta ſunt, ut potius unum de altero praedicetur? (*Elem. log.* §. *XLVII*, 2.)

Actiones invitae involuntariae, coactae voluntariae ſunt.

§. LIX. Hinc 60. verum quidem eſt, nullam actionem *invitam* eſſe voluntariam: (§. LVIII, 56.) at 61. negari nequit, voluntarias eſſe actiones *coactas*, quia, quamvis non agere mallemus, niſi nobis repraeſentaretur malum atrocius, voluntas tamen hanc actionem vere decernit. Ex quo porro conſequitur, 62. ut non male philoſophati ſint veteres jureconſulti, dum, COACTUM etiam VELLE, ſtatuerunt. *l.* 21. *§.* 5. *D. quod met. cauſſ.*

CAP. III.

DE NORMA ACTIONUM HUMANARUM, VEROQUE JURIS NATURALIS PRINCIPIO.

Qualem eſſe oporteat actionum humanarum normam?

§. LX.

NOn ita comparatam eſſe naturam hominis, ut actionum liberarum norma ac regula carere poſſit, jam ſupra a nobis demonſtratum eſt. (§. III. ſequ.) Ibidem vero oſtendimus, illam normam eſſe deſituram, neque functuram officio ſuo, niſi &

recta,

recta, *certa* ac *conſtans*, & cum *obligatione*, eaque non interna, ſed *externa*, conjuncta ſit. In talem vero normam, in quam hae virtutes omnes manifeſto cadant, jam paullo accuratius erit a nobis inquirendum (*).

(*) Nolim vero confundas NORMAM actionum humanarum, & PRINCIPIUM JURIS NATURALIS. Illa enim eſt principium, quod *eſſendi* vocant philoſophi, quodque nobis *principium obligationis* eſt. Per hoc intelligimus *cognoſcendi principium*. id eſt, propoſitionem quamdam, ex qua, ad quid obligati ſimus, illico appareat. Sunt haec & in rebuspublicis diverſa. Nam *principium obligationis*, quae civibus reipublicae omnibus incumbit, eſt voluntas ſummae in qualibet republica poteſtatis, eaque ſimul *norma* eſt, ad quam omnes & ſinguli actiones ſuas componere tenentur. At ſi quaeras, unde cognoſci atque intelligi poſſit illa ſummae poteſtatis voluntas? ad leges te omnes remittent, eaeque adeo unum & adaequatum erunt *cognoſcendi principium*.

§. LXI. Normam illam vel *in nobis* ipſis, vel *extra nos*, exſiſtere oportet. In nobis ſi reperiretur, illa non alia eſſe poſſet, quam vel intellectus ac conſcientia, vel ipſa voluntas noſtra. At neutra mentis facultas ſemper recta, neutra certa, neutra conſtans atque immutabilis eſt. Ergo nec alterutra, nec utraque, normae actionum humanarum officio recte fungetur. Ex quo ſane conſequitur, 1. ut norma illa actionum noſtrarum non in nobis, ſed extra nos, omnino quaerenda ſit. *Ea non in nobis, ſed extra nos quaerenda eſt.*

§. LXII. Extra nos cum aliae res creatae exſiſtunt, tum ipſe rerum omnium auctor DEUS. Quum vero quaeramus actionum humanarum normam cum obligatione externa conjunctam, (§. IX.) & per rectam rationem univerſo generi humano promulgatam, (§. XI.) obligatio vero externa in entis cujuſdam, cujus imperium agnoſcimus, voluntate conſiſtat, (§. IX. 10.) denique nullum ſit ens, cujus imperium magis agnoſcere teneamur, quam DEUS optimus maximus, (§. X.) iſque ſolus etiam per rectam rationem, cujus ipſe auctor eſt, aliquid promulgare poſſit: conſequens eſt, 2. ut ſola VOLUNTAS DEI ſit norma actionum humanarum, omniſque naturalis obligationis, quin & omnis juſtitiae principium (*). *Et quidem in voluntate Dei.*

(*) Incidimus itaque in ſententiam viri illuſtriſſimi, jam ſupra a nobis laudati, SAMUELIS A COCCEIIS, qui in laudatis diſſertationibus (§. X. *) hoc principium non ſolum ſolidiſſimis rationibus demonſtravit, ſed & ab adverſariorum ſtricturis erudite vindicavit, in primis *Diſſert. I. quaeſt. II. §. VI. ſequ.* ubi *§. XXXIV. p. 31. ſequ.* etiam veterum, idem ſentientium, teſtimonia quamplurima accumulat, quorum maxime notabilia ſunt Xenophontis, Sophoclis & Ciceronis, quae, quum diſſertationes illae doctiſſimae omnium manibus terantur, hic non repetimus.

Voluntas Dei norma eſt recta, certa, conſtans, & obligatoria.

§. LXIII. Neque dubitari poteſt, 3. quin haec norma RECTA ſit, quum nihil velle poſſit ens infinite bonum ac ſapiens, niſi quod vere bonum eſt: 4. quin eadem ſit CERTISSIMA, quum omnibus per rationem innoteſcat: 5. quin ſit CONSTANS, quia non magis mutari poteſt voluntas Dei, quam ipſe Deus, &, per quam illam promulgavit, recta ratio. Denique 6. quin ſit OBLIGATORIA, quum & Deo juſtiſſimae cauſſae ſint, obſequium a nobis exigendi, & nullae ſint hominibus rationes, cur ſe illius imperio ſubtrahere vel velint, vel poſſint. (§. X.) Ex quo ſimul patet, 7. non omnem Dei voluntatem, ſed obligatoriam tantum pro norma actionum humanarum eſſe habendam (*).

(*) Quam late pateat DEI VOLUNTAS, accuratius ab iis, qui theologiam naturalem tradunt, explicatur, inprimis a Ruardo Andala *Theol. nat. Part. II. Cap. VIII. §. VI. ſequ.* & celeb. Wolfſio *Theol. nat. Part. I. tot. Cap. III.* Sane quum voluntatis divinae objectum ſit primum ipſe Deus, dum perfectiones ſuas amat, adprobat, in iis adquieſcit, deinde univerſus mundus, quem vult eſſe, certis legibus moveri, conſervari, tum omnia reliqua contingentia, praeterita & futura: hic tantum intelligimus *voluntatem Dei circa actiones rerum creatarum intelligentium, vel edendas, vel omittendas*, eamque vocamus OBLIGATORIAM.

Eadem & lex dici poteſt ratione hominum.

§. LXIV. Quum vero VOLUNTAS DEI OBLIGATORIA, quam unicam actionum humanarum normam eſſe oſtendimus, ſit voluntas Dei circa actiones rerum creatarum intelligentium, vel edendas, vel omittendas: (§. LXIII.*) conſequens eſt, 8. ut ea contemplatione hominis recte etiam vocetur LEX DIVINA, quippe quae nihil aliud eſt, quam voluntas entis ſupremi, ſub comminatione poenae, vel propoſito praemio, certas actiones vel praecipientis, vel prohibentis. (§. IX. 11.) 9. Ut, quum & aliae leges divinae, per revelationem hominibus promulgatae, dentur, quas POSITIVAS vocant, hae, quia natura homini innoteſcunt, merito NATURALES adpellentur, & prout aliquid praecipiunt, vel prohibent, vel permittunt, in ADFIRMATIVAS, NEGATIVAS & PERMISSIVAS recte diſpeſcantur.

Ex voluntate Dei etiam divina juſtitia recte poteſt explicari?

§. LXV. Quumque haec divina voluntas, ſeu lex divina naturalis, omnis juſtitiae ſit fons & principium: (§. LXIII. 2.) ſequitur, 10. ut omnis actio, non modo humana, ſed & divina, huic voluntati divinae attemperata JUSTA ſit, ac proinde 11. male huic doctrinae opponatur, nullam fore Dei juſtitiam, ſi non aliud ſtatuatur juris naturae principium, quam Dei VOLUNTAS (*).

(*) Exprobrare hoc viro illuſtriſſimo, SAM. DE COCCEIIS, non dubitavit auctor *Obſervationum Hanoveranarum Obſ. VIII.* *Periculoſa etiam alia ex his dogmatibus conſequuntur, qualia a quibuſdam minus circumſpecte jam dudum ſunt jactata, veluti*

luti nullam eſſe ipſius Dei juſtitiam. Nam ſi jus eſt nihil aliud quam juſſum creatoris, vel ejus, qui potentia ſua cogere poteſt: manifeſtum eſt, in ipſo Deo juſtitiae rationes ceſſare, quum cogi nequeat, & poſſe eum jure damnare innocentem, beare ſceleratum. Quibus admiſſis, in juſtitiae conſideratione reſtabit timor Dei, amor ceſſabit. Enimvero quum Deus nihil velit, niſi quod aequum & juſtum eſt: quidni ex voluntate Dei explicari poſſet etiam divina juſtitia? Ceſſat quidem circa Deum ratio juſſus & coactionis, adeoque obligatio externa: ſed eadem & in ſummis imperantibus ceſſat, quod attinet ad leges ſuas. Quamvis enim illis obſtrictus non ſit princeps, cui ἀνυπεύθυνον eſt imperium: tamen eum dicimus JUSTUM, ſi ſuum cuique ſecundum leges ſuas tribuit. Quidni ergo & Deum ideo dicamus JUSTUM, quod hominibus jus ſuum ſecundum VOLUNTATEM, ſeu LEGEM SUAM tribuat? Homo ergo dicitur JUSTUS, qui VOLUNTATI DEI, per modum legis promulgatae, obſequium praeſtat. Deus vero JUSTUS eſt, quia ſecundum VOLUNTATEM SUAM ſine coactione & lege ſuum cuique tribuit. Nec periculum eſt, ne Deus damnet innocentem, ſceleratum beet. Ita enim non ageret ſecundum voluntatem ſuam, qua nihil vult, niſi quod juſtum, aequum, & perfectione ſua dignum eſt.

§. LXVI. In eo tamen 12. maximum diſcrimen inter DIVINAM & HUMANAM intercedit juſtitiam, quod quum in illa legis & coactionis ratio omnis ceſſet, (§. LXV. *) haec involvat rationem legis & coactionis, (§. LXIV. 8.) ac proinde 13. voluntas divina, quatenus hominibus pro actionum norma eſt, conjuncta ſit cum comminatione poenae, ſeu mali cujuſdam, iis a Deo repraeſentandi, qui voluntati ſuae non praeſtent obſequium. Quamvis 14. ea poena etiam poſitiva, (*) non, ut in legibus humanis, certa & definita, ſed plerumque indefinita ſit, Deuſque eam ſuae ſapientiae ac juſtitiae reſervarit. Differentia normae juſtitiae divinae & humanae.

(*) Qui omne malum paſſionis, quod malam ſequitur actionem, & cum hac connectitur, POENAM adpellitant, hi illam recte dividunt in NATURALEM & POSITIVAM. Clariſſ. Koehler. *Exercit. jur. natur. §. CCCLXII. ſequ.* Sed ſi per poenam intelligas malum paſſionis, quod ipſa lex divina peccantibus comminatur: poena poſitiva tantum poenae nomine κυρίως veniet. *Naturalem* & athei agnoſcunt: *poſitivam* non niſi ii, qui & exſiſtere Deum, & rerum humanarum curam gerere, ſtatuunt. Jam quamvis poena poſitiva definita non ſit: vel ipſa tamen recta ratio ſatis nos convincit, Deum non poſſe non hominibus & poenas, & praemia rependere, prout actiones voluntati ejus vel non attemperent, vel attemperent. Id enim ἀμέσως ex idea juſtitiae divinae fluit, & admiſſum eſt ab omnibus, qui in dubium non vocarunt divinam providentiam. Xenophon. Memorab. *Socr. I.4.16.* Οἴει δ' ἂν τοὺς θεοὺς τοῖς ἀνθρώποις δόξαν ἐμφῦσαι, ὡς ἱκανοί εἰσιν εὖ καὶ κακῶς ποιεῖν, εἰ μὴ δυνατοὶ ἦσαν; καὶ ἀνθρώπους ἐξαπατωμένους τὸν πάντα χρόνον οὐδέποτ' ἂν αἰσθέσθαι; *Num arbitraris, Deos hominibus opinionem inditurοs fuiſſe, quod & beneficiis & poenis afficere poſſint, ſi non revera id poſſent? & homines, perpetuo deceptos, horum nihil unquam ſenſiſſe?*

§. LXVII. At quum dubitari vix poſſit, quin norma actionum huma- Ut normam il-

Iam rite adplicemus, opus eſt certo jus naturae cognoſcendi principio.

humanarum non alia eſſe poſſit, quam voluntas, vel lex Dei: (§. LXIII.) jam porro merito quaeritur, quo pacto illam quam facillime cognoſcamus? Et ſane dum eam per rectam rationem univerſo humano generi promulgatam eſſe, omnes fatentur, (§. XI. 16.) recta vero ratio nobis eſt facultas ratiocinandi, veritateſque alias ex aliis per neceſſariam concludendi rationem eliciendi: (§. XV.) facile patet, 15. dari aliquam veritatem vel propoſitionem, ex qua per neceſſariam concludendi rationem, quid voluntati Dei conſentaneum, adeoque juſtum ſit, elici poſſit, adeoque 16. eſſe oportere commune aliquod ac generale jus naturae COGNOSCENDI PRINCIPIUM (*).

(*) Id quomodo ab ipſa norma differat, jam ſupra (§. LX. *) oſtendimus. Quum vero principii vocabulum latius acceperit illuſtriſſimus SAM. DE COCCEIIS, in λογομαχίαν abit, quidquid ei obvertit clariſſimus Jac. Frid. Ludovici. Quomodo enim illa voluntas Dei nobis innoteſcat, ipſe vir illuſtriſſimus *Diſſ. I. quaeſt. III.* oſtendere conatus eſt, adeoque manifeſto diſtinxit *voluntatem Dei*, tamquam normam & principium eſſendi, quod vocant, juris naturae, *a mediis intelligendi & probandi voluntatem Dei*, adeoque a principio cognoſcendi.

Idque verum, evidens, atque adaequatum eſſe oportet.

§. LXVIII. Quumque omne cognoſcendi principium ita comparatum eſſe oporteat, ut ſit VERUM, EVIDENS atque ADAEQUATUM: conſequens eſt, 17. ut & juris naturae principium debeat eſſe VERUM, ne ſi illud vel falſum ſit, vel in nuda fictione conſiſtat, tales etiam concluſiones ex illo eliciantur. 18. Ut idem EVIDENS eſſe oporteat, & 19. ita quidem, ut non modo a docto aliquo, ſed & a quolibet plebeio, quippe qui aeque, ac ille, ad obſequium juri naturali praeſtandum obſtrictus eſt, perſpici atque intelligi poſſit (*). Denique 19. ut eſſe debeat ADAEQUATUM, omniaque officia tum hominum, tum civium, non modo Chriſtianorum, ſed & a Chriſtiana pietate alienorum, inde prono alveo fluant.

(*) Quemadmodum ergo ſuſpectae ſunt juſto ſubtiliores exſiſtentiae DEI demonſtrationes, quia illa veritas ita comparata eſſe dicitur, ut & plebeius quiſque ad eam animo concipiendam obſtrictus ſit, ac proinde Apoſtolus eam palpando inveniri poſſe docet, quippe οὐ μακρὰν ἀπὸ ἑνὸς ἑκάστου ἡμῶν ὑπάρχοντα, *non longe abſentem ab unoquoque noſtrum*: *Act. XVII.* 27. ita vix ſuſpicione caret ſubtile nimis juris naturalis principium, quum ἀναπολόγητοι ſint omnes, etiam indocti, & ſubtiliori philoſophiae non adſueti, ſi contra jus naturae peccaverint.

Unde hoc principium

§. LXIX. Itaque 20. juris naturalis principium quaerere non poſſumus in convenientia actionum noſtrarum cum ſanctitate Dei: quia, ſi vel maxime largiamur, veram eſſe hanc propoſitionem,

ea

ea tamen nec evidens eſt, nec ita comparata, ut omnia officia vel hominum, vel civium, inde elici probarique poſſint (*).

non eſt in ſanctitate Dei quaerendum.

(*) Quam obſcura enim ſit ſanctitatis divinae idea, ſive eam in ſenſu theologico, ſive in juridico, accipias, jam oſtenderunt Sam. Pufendorff. *Specim. Controv.* IV. 4. Thomaſ. *Fundam. jur. nat. & gent.* I. 6. 11. *ſequ.* Et quam multa ſunt officia, quorum ἀρχέτυπον in Deo non reperimus? e. g. gratus animus erga benefactores, reverentia erga ſuperiores, redditio crediti, ſimilia.

Nec in ipſa actionum humanarum juſtitia vel injuſtitia.

§. LXX. Nec magis 21. ſufficit propoſitio, id, quod ſua natura juſtum eſt, eſſe faciendum, quod ſua natura injuſtum, fugiendum. Quamvis enim jam ſupra a nobis conceſſum ſit, actiones quaſdam in ſe ſuaque natura bonas, vel malas, & ad illas amplectendas, has fugiendas, hominem intrinſecus obligari: (§. VIII.) falſum tamen eſt, actionem illam intrinſecus & antecedenter ad legem juſtam eſſe (*) (§. VII.). Ut jam non dicamus, nec evidens eſſe hoc cognoſcendi principium, nec omnia hominis ac civis officia inde poſſe derivari.

(*) Ad actiones enim JUSTAS obligatione externa impellimur. (§. VII.) Obligatio externa conſiſtit in entis, cujus imperium agnoſcimus, quodque actiones quaſdam ſub comminatione poenae prohibeat praecipiatque, voluntate. (§. VIII.) 10. Quum vero talis voluntas ſit LEX: (§. IX. 11.) nulla actio juſta injuſtaque eſſe poteſt ſine lege, adeoque non datur actio, intrinſecus & antecedenter ad legem juſta, ſed, quia legi convenit, ideo juſta habetur, quemadmodum ideo injuſta eſt actio, quod legi refragatur, & hinc omne peccatum ἀνομία, ſeu *legis tranſgreſſio*, vocatur. 1. *Epiſt. Joann.* III. 4.

Nec in conſenſu omnium gentium.

§. LXXI. Nemo porro 22. temere ſuffragabitur viris doctis, a quibus gentium vel omnium, vel humaniorum, conſenſus pro principio juris naturalis habitus eſt. Nam nec *verum* eſt, id, in quo gentibus inter ſe convenit, etiam voluntati divinae convenire: (*) nec omnibus *evidens* eſt ille gentium conſenſus, quippe ex multis veterum & recentiorum ſcriptorum teſtimoniis colligendus, nec tam *adaequata* haec videri poteſt propoſitio, ut omnia hominum civiumque officia inde prono alveo fluant.

(*) Ita jus gentium voluntarium, quod vocat, probandum jam olim cenſuit Cic. *Tuſc. Diſp.* I. 13. *Omni in re conſenſio omnium gentium lex naturae putanda eſt.* Eidem principio poſtea permultum tribuit Grot. *de jure belli & pac. prolegom.* §. XL. ubi de modo probandi jus naturae & gentium ex inſtituto differens: *Uſus ſum*, inquit, *ad juris hujus probationem teſtimoniis philoſophorum, hiſtoricorum, poetarum, poſtremo & oratorum, non quod illis indiſcrete credendum ſit, (ſolent enim ſectae argumento cauſſae ſervire:) ſed quod, ubi multi, diverſis temporibus & locis, idem pro certo adfirmant, id ad cauſſam univerſalem referri debeat: quae in noſtris quaeſtionibus alia eſſe non poteſt, quam aut recta illatio, ex naturae principiis procedens, aut communis aliquis* con-

conſenſus. Illa jus naturae indicat, hic jus gentium. Enimvero in multis mirum gentium paene omnium conſenſum deprehendimus, quae nemo juris naturae vel gentium eſſe dixerit, veluti in πολυθεότητι, idololatria, ſacrificiis, latrociniis, extra cujuſque rempublicam licitis. κ. τ. λ. Deinde difficillime hic gentium conſenſus oſtenditur, ipſo fatente Grotio *l.* 1. 15. *Latinus autem patens eſt jus gentium, id eſt, quod gentium omnium, aut multarum, voluntate vim obligandi accepit. Multarum addidi, quia vix ullum jus reperitur, extra jus naturale, quod ipſum quoque gentium dici ſolet, omnibus gentibus commune. Immo ſaepe in una parte orbis terrarum eſt jus gentium, quod alibi non eſt, ut de captivitate ac poſtliminio ſuo loco dicemus.* Quam multa ergo ſunt officia, quae ex conſenſu gentium demonſtrari a nemine poſſunt?

Nec in ſeptem Noachi praeceptis.

§. LXXII. Quemadmodum vero, qui jus naturae vel gentium ex illa gentium conſenſione derivandum exiſtimant, non modo principium minus verum, inevidens ac inadaequatum adſumunt, ſed & ſimul μετάβασιν εἰς ἄλλο γένος committunt, dum jus naturae non ex ipſa natura, ſed ex gentium traditione, derivare conantur; ita 23. iiſdem vitiis laborare jus naturae & gentium Hebraeorum, quod ex praeceptis Noachi vel promanare, vel probari poſſe exiſtimant, jam ſupra, quantum ſatis eſt, oſtendimus. (§. XVI.)

Nec in jure omnium in omnia, vel ſtudio pacis externae.

§. LXXIII. Quid porro 24. dicamus de tota illa Tho. Hobbeſii philoſophia, quam tum in libello de Cive, tum in Leviathane, quem vocat, propoſuit? Dum enim vir ille doctus in ſtatuto naturali jus omnium in omnes eſſe docuit, nec *veram* poſuit propoſitionem, nec *evidentem*, nec *adaequatam*, quum officia erga Deum & ſeipſum inde deduci nullo modo poſſint. Immo hoc ipſo, dum ſe jus naturae hoc modo explicaturum promittit, illud plane ſuſtulit evertitque, ceu oſtendit celeb. Henr. Coccei. *Diſſ. de jure omn. in omnes.* Ex quo ſimul patet, 25. quid ſtatuendum ſit de altero principio, quaerendam eſſe pacem externam, ſi haberi poſſit, ſin id minus fieri poſſit, belli circumſpicienda eſſe auxilia. Nam & hic, veluti ſub ſipario, latitare Hobbeſium, nemo non intelligit (*).

(*) In primis vel maxime inevidens eſt hoc principium. Quid enim ſibi vult illa limitatio: *Si haberi poſſit?* Quam facile ea, quocumque modo explicata, abutentur homines litigioſi, ſeque pace, invito altero, frui non potuiſſe conquerentur? exemplo lupi, qui ſibi turbatam ab agno aquam, cauſſabatur. Phaedr. *Fab. I.* 1. Vere neſcio quis cecinit:

Sic nocet innocuo nocuus, cauſſamque nocendi
Invenit. Heu regnant qualibet arte lupi.

Obſervavit hoc illius principii vitium jam celeberrimus Thomaſ. in *Fundam. jur. nat. & gent. l. 6.* 18.

Nec in ſtatu integritatis.

§. LXXIV. Magna *veritatis* pietatiſque ſpecie blanditur 26. principium VAL. ALBERTI, theologi & philoſophi Lipſienſis, de ſtatu inte-

integritatis: quamvis ne id quidem *verum* eſſe, jam alii oſtenderint. Pufend. *Specim. controv. IV.* 12. & Thomaſ. *Juriſpr. divin. IV.* 40. *ſequ.* Sed ſi vel maxime largiamur, vere juris naturae eſſe, quae ſtatui illi primaevae integritatis conveniunt: quam *inevidens* non modo paganis, ſed & ipſis Chriſtianis, hoc ſit principium, nemo non intelligit. Denique quum ex illo principio explicari nequeat, quae ſint jura civitatis, belli, contractuum, ſimiliaque plurima, quibus fortaſſis in ſtatu illo feliciſſimo vix locus fuiſſet: quis *adaequatum* eſſe hoc principium dixerit?

(*) Quam pauca enim ſint, quae ſacrae litterae de imagine Dei ſtatuque integritatis inculcant, res ipſa docet. De iis quoque, quae nobis de eo ſtatu revelata ſunt, ipſi Chriſtiani, ex quo in ſectas diſceſſerunt, quam maxime inter ſe diſſentiunt. Quid dicamus de Judaeis? quid de paganis ipſis priſcis ac hodiernis? Servarunt illi fabulam de ſaeculo aureo, quam quidam ex traditione de ſtatu paradiſiaco natam exiſtimant. Hi aliis commentis, quae doctrinae Chriſtianae de imagine Dei quodammodo ſimilia ſunt, delectantur: de quibus erudite ſuo more diſſerit Petr. Dan. Huet. *Quaeſt. Alnetan. II.* 11. *p.* 172. Sed quum haec omnia non parum inter ſe diſcrepent, ſane nec Chriſtianus Judaeo vel pagano, nec hi Chriſtiano ulli perſuadebant, eſſe hoc vel illud juris naturae, quod ipſi ex traditionibus vel revelationibus ſuis de ſtatu integritatis vel paradiſiaco derivarunt. Opus ergo eſt principio Chriſtianis cum Judaeis & paganis communi, quod non aliud profecto eſſe poteſt, quam qua omnes mortales praeditos eſſe novimus, recta ratio.

§. LXXV. Mirifice non modo GROTIO & PUFENDORFFIO, ſed & veteribus pleriſque, (*) placuit principium ſocialitatis. Nec negari poteſt, quod infra ex inſtituto demonſtrabimus, homines jam ita eſſe comparatos, ut eos vivere oporteat ſocialiter. At 27. falſum tamen eſt, eſſe hoc totius juris naturae principium, *verum, evidens* atque *adaequatum*. Qua in re demonſtranda quum otium nobis jam fecerit vir illuſtriſſimus atque excellentiſſimus, SAM. DE COCCEIIS *de princ. jur. nat. diſſ. I. quaeſt. II.* §. *IX. ſequ.* id unum addimus, officia erga Deum & nos ipſos pleraque locum eſſe habitura, ſi vel maxime homo ſolus, & extra omnem ſocietatem humanam, in hoc terrarum orbe viveret. Nec in ſocialitate.

(*) Societatis cuſtodiam, tamquam verum juſtitiae fontem, juriſque naturalis principium jam olim laudarunt Cicero *de Legib. I.* 5. *de Offic. I.* 16. *ſequ.* Seneca *de Benefic. IV.* 18. Jamblich. *in Protrept. Cap. XX.* & alii, quorum teſtimonia accumularunt Pufend. *de jure nat. & gent. II.* 3. 15. & Jo. Henr. Boecler. *in Grot. prolegom. pag.* 48. *ſequ.* Quamvis vero in hoc principium & olim & noſtra memoria plures conſenſerint: inter eos tamen parum convenire animadvertimus de ratione, cur ad ſocietatis cuſtodiam obſtricti ſint homines, aliis homines natura duce ad illam ferri, aliis juſſu Dei O. M. illam colendam eſſe, aliis denique ipſam neceſſitatem homines ad vitam ſocialem compellere, ſtatuentibus.

§. LXXVI.

tum tanti nonnulli faciunt, ut eam demonſtrationem a priore vocare non dubitent, RUARD. ANDALA *Theol. nat. Part. I. Cap.* II. Spiritus illis eſt ſubſtantia cogitans, quemadmodum corpus ſubſtantia extenſa. At, dum ipſam ſpirituum eſſentiam quidam in cogitatione conſiſtere ſerio autumarunt, non potuit non occaſio ſubnaſci ſyſtematis occaſionalis, & ipſius Bekkerianiſmi (*).

(*) Dicendum hic de ſyſtemate occaſionali & MALEBRANCHIO, nec non de BALT. BEKKERI *Mundo faſcinato*, ejuſque libri fatis. Argumentum Carteſii pro exſiſtentia Dei jam ab ANSELMO, archiepiſcopo Cantuarienſi, qui anno CIↃCIX. deceſſit, inventum eſſe, obſervarunt HUET. *in Cenſura philoſ. Carteſ. p.* 204. BAILLET *in Vit. Carteſ. Tom. II. p. 536. ſeq.*

§. CXII.

Phyſica. In *phyſicis* trium generum elementa ponit, quae in infinitum extenſa diverſos vortices conſtituant, & ex parte in ſoles & planetas innumeros coaluerint, qui omnes vorticibus ſuis innatent. Syſtema mundi ipſi placet Copernicanum: ceterarum rerum naturalium adfectiones, motus, cauſſas ex rationibus mechanicis explicat, idque aliquando tanta ſollertia, ut omnino laudem mereatur. Nec tamen omnibus probavit ſententiam, quod animalia omnia praeter hominem, ſenſu careant meraeque ſint machinae, directore interno deſtitutae.

§. CXIII.

Moralia. *Moralem philoſophiam* vix attigit Carteſius, quamvis in libello *de paſſionibus animi* quaedam ſuppeditaverit principia, quibus deinde diſcipuli (*) etiam ſyſtema morale ſuperſtruxerunt. Sed dum adfectus intellectum adficere exiſtimant, dum ſummam felicitatem in recto tantum facultatum mentis uſu ponunt, dum virtutem parum commode deſcribunt: procul abeſſe videntur ab illa cognitione ſui ipſius, a quo omnem ſapientiam proficiſci oportet.

(*) Maxime a quibuſdam laudantur ARNOLDI GEULINX & PHILARETI *Ethicae.* Sed priorem non adeo procul abeſſe a Spinoziſmo, jam obſervavit THOMAS. in *Cautel. circa praecogn. jur. Cap. XIV.* §. *XXXIII. litt. y. p.* 225. *ſequ.*

§. CXIV.

Laus Carteſii. Itaque laude praecipua dignus eſt Carteſius, qui quamvis non ubique rem acu tetigerit, jugum tamen ſervitutis philoſophicae excuſſit, multaſque egregias obſervationes reliquit poſteris. Sed quemadmodum ipſe a ſectae ſtudio alieniſſimus fuit: ita, quod diſcipuli in ejus verba jurant, ei non magis imputandum eſt; (§. CIX.) quam quod quidam his principiis abuſi in varia opinionum portenta vel ſaltim in ſpeculationes oppido inanes inciderunt.

§. CXV.

An Spi- Nec calumnia caret, quod BENEDICTUM SPINOZAM ex Carteſii

ſui ſchola prodiiſſe exiſtimant. Quamvis enim ille Carteſii principia methodo mathematicâ demonſtrata dederit: pantheiſmum tamen ille non ex Carteſio didicit, ſed domi habuit, quos ſequeretur. (*)

Spinoziſmus ex philoſophia Carteſiana ortus ſit?

(*) Oſtendit hoc WAECHT. libello: *Spinoziſmus in Judaiſmo*, quamvis poſtea a ſe ipſo quodammodo diſſenſerit in *Elucid. Cabb. Cap. ult.*

§. CXVI.

MYSTICO-CHEMICI philoſophi in plures quidem familias abeunt. Nam THEOPHRASTUS PARACELSUS, *Fratres roſeae crucis, Rob. Fludd, Helmontii, Poiretus, Jac. Boehmius, Quir. Kuhlmannus* & alii, qui inter *theoſophos* nomina profitentur, quod ad concluſiones attinet, inter ſe parum conſentiunt. Vid. GODFR. ARNOLDI *Hiſt. theol. myſt.*

Philoſophi myſtico-chemici.

§. CXVII.

Quandoquidem vero id commune habent plerique, quod ex Deo omnia emanaſſe, & in Deum reditura credunt, quod mentem divinae eſſentiae particulam crepant, quod denique ad adflatus extraordinarios ſunt procliviores, & inſinuata myſteria, quin & ipſam χρυσοποιΐαν & medicinam univerſalem, jactant: non eſſe hanc philoſophiam publici ſaporis, nemo facile mirabitur. (*)

Eorum principia.

(*) Accedit, quod plerique, huic philoſophandi methodo adſueti, demum principia quaedam ſocietati humanae parum utilia adoptare ſolent, & univerſalem ſtatuum omnium emendationem non ſine bile adfectant.

§. CXVIII.

Fuere etiam ex philoſophis novis, qui de ſcientiis *practicis* perpoliendis cum cura cogitarunt. Et JURI quidem NATURAE permultum operae impendiſſe triumviros, HUGONEM GROTIUM, THOM. HOBBESIUM & SAM. PUFENDORFFIUM, (*) nemo ignorat. Eos & alii, at non eodem omnes ſucceſſu, imitati ſunt, veluti *Jo. Seldenus, Lamb. Velthuyſius, Chriſt. Thomaſius*, aliique plurimi.

Emendatores juris naturae.

(*) GROTIUS, HOBBESIUS & PUFENDORFFIUS jus naturale derivant ex principio ſocialitatis. In eo autem diſcrepant, quod quiſque horum ſuo utitur medio termino. Primus enim ſocialiter vivendum putat, quia id congruat ſanctitati divinae, HOBBESIUS, ne oriatur bellum omnium in omnes, PUFENDORFFIUS, quia id exigat voluntas divina.

§. CXIX.

Sic & POLITICAM alii excoluere, praecipue HERM. CONRINGIUS, JO. HENR. BOECLERUS, & reliqui, in primis Itali, ad excolendam hanc ſcientiam veluti a natura facti. Sed quum alii monarchiae nimium deferrent, alii eamdem odio plus

Nec non politices.

ſatio mali, cum percepta ex ejus infelicitate voluptate conjuncta. Itaque, 38. quod amamus, ex ejus praeſtantia & felicitate voluptatem capimus, eamque, quantum in nobis eſt, amplificare vel conſervare connitimur. 39. Quod contra odio proſequimur, id infeliciſſimum potius, quam felix ac beatum, eſſe cupimus.

Amor alteri aegre non facit.

§. LXXXI. Quum ergo quod amamus, ex ejus praeſtantia felicitateque voluptatem capiamus, (§. LXXX. 38.) per ſe patet, 40. amantem nihil aegre facere velle ei, quod amat: immo potius 41. dolorem inde concipere, ſi quis alius tale quid audeat. Quia enim qui aegre alicui facit, vel id fieri aequo animo patitur, voluptatem ex alterius infelicitate capit; voluptatem verò ex alterius infelicitate capere idem eſt, ac odiſſe, (§. LXXX.) denique ſimul amare, ſimul odiſſe, contradictionem involvunt, adeoque una conſiſtere non poſſunt: (*Elem. philoſ. rat.* §. *LXXI.*) conſequens eſt, ut & conſiſtere non poſſint amare aliquid, & eidem aegre facere, vel ut id fiat, aequo animo pati.

Inde amoris primus gradus, quem juſtitiae amorem vocamus.

§. LXXXII. Aegre alteri fit dupliciter, vel aliquid, quod eum infeliciorem, quam natura eſt, reddit, faciendo: vel felicitatem, quam jam habet, eidem intervertendo. Jam quum facientes aliquid, quod alterum reddit infeliciorem, quam natura eſt, ſit LAEDERE; intervertere alteri aliquid, quod jam ſibi juſte adquiſivit, & ad ejus felicitatem pertinet, SUUM ALICUI AUFERRE vel DENEGARE: ſequitur, 42. ut is quam maxime contra legem amoris peccet, qui alterum laedit, quodque ejus eſt, aufert, intervertit, ac denegat, 43. ut contra infimus ſit amoris gradus neminem laedere, & ſuum cuique vel tribuere, quod debetur, vel quod jam habet, relinquere: quem (*) amoris gradum nos quidem vocamus AMOREM JUSTITIAE.

(*) Animadvertit hoc Seneca, dum *Epiſt. XCV.* ait: *Quantulum eſt, ei* NON NOCERE, *cui debeas prodeſſe?* Qui alteri non nocet, tantum non ſceleratus eſt, nondum autem eo juſtitiae genere legi amoris ſatisfacit, quae, ut & proſimus aliis, jubet, adeoque de virtute gloriari non poteſt. Unde & illuſtris Leibnit. *in praef. Cod. jur. gent. diplom. p. VII.* tres ſtatuit juris naturae gradus: *jus ſtrictum*, quod neminem laedere, *aequitatem*, vel *caritatem*, quae ſuum cuique tribuere, & *pietatem*, quae omnem honeſtatem ſervare jubeat. At in gradu ſecundo ab eo diſceſſionem facimus, quia & is ſuum cuique tribuit, qui alteri, quod jure ſtricto debetur, tribuit, adeoque illud *ſuum cuique tribuere* non ad ſolam juſtitiam diſtributivam referendum videtur.

A quo differt alter gradus, quem amorem

§. LXXXIII. Deinde ex eo, quod amans ex alterius felicitate voluptatem capit, (§. LXXX.) conſequitur, 44. ut ei, quem amat, & illud libenter tribuat, quod jure ſtricto non debet, & tamen ad ejus felicitatem pertinere animadvertit, iſque multo ſubli-

mior

mior ſit amoris gradus, quem nos AMOREM HUMANITATIS & BENEFICENTIAE adpellamus (*). Quum vero facultatem, diſcernendi ea, quae ad noſtram aliorumque felicitatem pertinent, SAPIENTIAM vocemus: facile patet, 45. hunc amorem humanitatis ac beneficentiae directricem veluti habere debere ſapientiam. humanitatis & beneficentiae vocamus.

(*) Et ita quidem differunt HUMANITAS & BENEFICENTIA, quod ex illa aliquid ſine detrimento noſtro tribuamus alteri, quod ei profuturum animadvertimus, haec nos ſubigat, ut ne noſtris quidem rebus parcamus, ut utilitatem adferamus alteri, adeoque & cum detrimento noſtro alteri prodeſſe ſtudeamus. De priori Cicero *de offic. I. 16. Omnia communia hominum videntur ea, quae ſunt generis ejus, quod, ab Ennio poſitum in una re, transferri in multas poteſt:*

Homo, qui erranti comiter monſtrat viam,
Quaſi lumen de ſuo lumine accendat, facit:
Nihilominus ipſi luceat, quum illi accenderit.

Una ex re ſatis praecipit, ut, quidquid ſine detrimento poſſit commodari, id tribuatur vel ignoto. Ex quo ſunt illa communia: pati ab igne ignem capere, ſi qui velit: conſilium fidele deliberanti dare: quae ſunt iis utilia, qui accipiunt, danti non moleſta. De poſteriore Seneca totum librum compoſuit, quem *de beneficiis* inſcripſit.

§. LXXXIV. Ceterum quum, qui AMOREM JUSTITIAE alteri negat, ſit ſceleratus, contra, qui negat amorem HUMANITATIS & BENEFICENTIAE, tantum virtutes non praeſtet, (§. LXXXII.) ad virtutem vero cogi nemo poſſit, quum contra ſcelera poenis coërceri omnino oporteat: (§. IX.) facile patet, 46. ad AMOREM JUSTITIAE homines cogi poſſe, non autem 47. ad AMOREM HUMANITATIS ac BENEFICENTIAE. Quandoquidem vero obligatio, cum coactione conjuncta, PERFECTA; coactionis expers IMPERFECTA vocetur: (§. IX.) merito inde colligas, 48. ad *amorem juſtitiae perfecte*; ad amorem *humanitatis & beneficentiae imperfecte* tantum nos eſſe obligatos. Utriuſque amoris differentia ratione obligationis.

(*) Qui obligationi perfectae ſatisfaciunt, *ad legem boni eſſe* dicuntur Senecae. Id vero exiguum quid eſſe docet alibi: a ſapiente vero multo plus exigi, nempe ut amorem beneficentiae oſtendat, etiam ubi ſeſe nihil jure ſtricto debere noverit. *Multa*, inquit, *legem non habent, nec actionem, ad quae conſuetudo vitae humanae, lege omni valentior, dat aditum. Nulla lex jubet amicorum ſecreta non eloqui: nulla lex fidem etiam inimico praeſtare. Quae lex ad id praeſtandum nos, quod alicui promiſimus, alligat? Querar tamen cum eo, qui arcanum ſermonem non continuerit, & fidem datam, nec ſervatam, indignabor.* Sen. de benef. V, 21.

§. LXXXV. Quum porro AMOR ſemper adpetat bonum, (§. LXXX.) id vero, quod tamquam bonum amplectimur, vel ſit ens *perfectius*, vel *nobis aequale*, vel denique *inferius* ac minus praeſtans: primi generis amorem DEVOTIONIS vel OBEDIENTIAE, ſecundi AMICITIAE, tertii BENEVOLENTIAE vocamus. (*Elem. philoſ. moral. §. CC.*) Amor quomodo ratione objecti differat?

Quid amor devotionis, vel obedientiae, amicitiae & benevolentiae.

§. LXXXVI. Amor DEVOTIONIS vel OBEDIENTIAE eſt amor entis praeſtantioris perfectioriſque, cujus praeſtantia ac felicitate ita delectamur, ut illud ideo omni veneratione atque obſequio proſequendum cenſeamus. Amor AMICITIAE amor entis nobis aequalis, cujus felicitate aeque ac noſtra delectamur. Amor denique BENEVOLENTIAE amor entis inferioris atque imperfectioris, cujus felicitate ita delectamur, ut illam ſervare, & quantum in ens iſtud cadit, amplificare ſtudeamus.

Amoris devotionis & obedientiae indoles.

§. LXXXVII. Ex quibus definitionibus colligimus, 49. non poſſe nos aliquid amore devotionis vel obedientiae proſequi, niſi cujus de majore perfectione & ſuperioritate convicti ſimus. 50. Nec amorem hunc locum habiturum, niſi ens, quod illo amplectimur, ita comparatum ſit, ut amari a nobis velit. 51. Eum amorem ſemper cum ea veneratioue atque obedientia, quae ente illo ejuſque perfectionibus digna ſit, conjunctum eſſe debere (*).

(*) Eſt enim VENERATIO vel HONOR juſta perfectionum, quae alteri inſunt, aeſtimatio; OBEDIENTIA, proclivitas mentis ad ea omnia, quae alter tamquam ſuperior a nobis jure exigere poteſt, facienda, & quae fieri vetat, omittenda. Quum ergo & perfectionum & ſuperioritatis gradus quam plurimi ſint; etiam venerationis atque obedientiae totidem gradus eſſe, &, quo major eſt entis perfectio ac ſublimitas, eo majorem ei venerationem ac obedientiam exhiberi oportere, facile patet.

Itemque amoris amicitiae.

§. LXXXVIII. Praeterea inde patet, 52. amorem amicitiae ex aequalitate naſci. Aequalitas eſt vel NATURAE, vel PERFECTIONUM. Hinc, illa quidem poſita, 53. aequalia etiam amoris officia debentur: ac proinde 54. inter omnes natura aequales obtinere debent regulae incomparabiles, *Quod tibi non vis fieri, alteri non feceris:* nec non 55. *Quod vis tibi ab alio fieri, id alii feceris*, *Matth. VII*, 12. *Luc. VI*, 31. *Tob. IV*, 16. quorum prior amoris juſtitiae, poſterior humanitatis ac beneficentiae verum ac genuinum fundamentum eſt. Quia tamen, ſi vel maxime aequalis ſubjecti amantis & amati natura ſit, alterutrum tamen vel perfectius, vel imperfectius eſſe ſolet: 56. fieri poteſt, ut hominem, tamquam nobis natura aequalem, *amore amicitiae*, ſimulque, tamquam perfectiorem imperfectioremve, *amore* vel *devotionis & obedientiae*, vel *benevolentiae* proſequi teneamur (*).

(*) Sic quamvis princeps, tamquam ſuperior, venerationem atque obedientiam a nobis jure exigat; id tamen non prohibet, quo minus nobis officia, quae ex aequalitate naturae promanant, debeat, e. g. ut ne quem noſtrum injuria occidat, nec illi damnum det injuria, nec contumelia nihil tale meritum adficiat, denique ut id praeſtet, quod in Trajano laudat Plin. *Paneg. Cap. II. ut non minus hominem ſe, quam hominibus praeeſſe, meminerit.*

§. LXXXIX.

§. LXXXIX. Denique quum amor benevolentiae entis imperfectioris felicitatem, quanta in illud cadit, ſervare atque amplificare ſtudeat: (§. LXXXVI.) conſequens eſt, 57. ut nec ens inferius, illumve, cui in illud jus eſt, laedere, aut jus ei denegare debeamus: 58. Ut illi benefacere teneamur, ſed adhibita prudentia: adeoque 59. profuſio, & quidquid potius, quam liberalitas & beneficentia, exiſtimanda ſit, cui ratio non conſtat. Nec non amoris benevolentiae.

§. XC. Jam ſi entia, quae nos circumſtant, omnia paullo accuratius conſideremus: non niſi tria reperimus, quibus amoris quaedam officia praeſtare poſſimus, DEUM, rerum omnium conditorem, NOS IPSOS, qui nobis ſane ſumus proximi, ac denique ALIOS HOMINES, quos nobis natura aequales eſſe, animadvertimus. Quod enim ad ſpiritus, veluti angelos, attinet, eorum naturam ratio ſola non ita perſpectam habet, ut iis certa a nobis officia deberi, intelligat. Brutis vero cum hominibus nulla eſt juris communio, (*) adeoque ipſis nihil officii; ſed Deo tantum, eorum conditori, id debemus, ne rebus ab eo creatis perverſe utamur. Pufend. *de Jure nat. & gent. IV, 3. 6.* Quot ſint hujus amoris objecta?

(*) Illam enim juris communionem, ceu infra patebit, ex pacto eſſe oporteret. At obligationis ex pacto tum activae, tum paſſivae, bruta prorſus incapacia ſunt. Nec ſuffragari poſſumus Pythagoraeis & Porphyrio in libris περὶ ἀποχῆς, qui non ſolum ſenſum & memoriam, ſed & mentem ratione praeditam brutis tribuebant. Quatenus tamen homines adfectum quemdam in brutis animadvertunt, eatenus illis amorem quemdam benevolentiae reddunt, ut nec facultate ſua in illis occidendis abutantur, & commodiore eorum vita delectentur, ceu exemplo catellorum domeſticorum deprehendimus. Eleganter Plutarch. *in Catone maj. p. 339.* Καίτοι χρηστότητα τῆς δικαιοσύνης πλατύτερον τόπον ὁρῶμεν ἐπιλαμβάνουσαν. Νόμῳ μὲν γὰρ καὶ τῷ δικαίῳ πρὸς ἀνθρώπους μόνον χρῆσθαι πεφύκαμεν. πρὸς εὐεργεσίας δὲ καὶ χάριτας, ἔστιν ὅτε καὶ μέχρι τῶν ἀλόγων ζώων. ὥσπερ γὰρ ἐκ πηγῆς πλουσίας ἀποῤῥεῖ τῆς ἡμερότητος. καὶ γὰρ ἵππων ἀπειρηκότων ὑπὸ πόνου, τροφαὶ, καὶ κυνιδίων οὐ σκυλακίαι μόνον, ἀλλὰ καὶ γηροκομίαι τῷ χρηστῷ προσήκουσιν. *Atqui benignitati videmus, quam juſtitiae, latiorem patere campum. Lege enim & juſtitia uti erga ſolos homines valemus: beneficentiam & merita porrigimus nonnumquam & ad bruta animantia, quippe emanante, velut ex largo fonte, manſuetudine. Pertinent namque, equorum labore confectorum alimenta & canum non incunabula modo, ſed & ſenectutis cura ad mitem hominem.*

§. XCI. Quum vero DEUM optimum maximum aliter concipere non poſſimus, quam tamquam ens perfectiſſimum, a quo omnis noſtra pendet & exſiſtentia & conſervatio, cujuſque de perfectione & ſuperioritate, immo & de voluntate, ut a nobis ametur, convicti ſumus: (§. LXXXVII.) ſequitur 60. ut ei debeamus amorem DEVOTIONIS & OBEDIENTIAE: qui quum dignus ente perfectiſſimo eſſe debeat, 61. primum ſe nobis ſua ſponte offert axioma: DEUS Axioma primum de amore erga Deum.

TAM-

TAMQUAM ENS PERFECTISSIMUM, ET A QUO TOTI PENDEMUS, OMNIBUS ANIMI VIRIBUS, (*) COLENDUS, EIQUE PERFECTISSIMUM AC INTERNUM QUOQUE OBSEQUIUM PRAESTANDUM EST.

(*) Quum enim venerationem, qua ens ſuperius proſequimur, dignam illo eſſe oporteat: (§. LXXXVII.) non poſſumus non colligere, enti perfectiſſimo deberi venerationem ſummam. Quumque Deus non modo actiones externas, ſed & ipſum animum noſtrum, perſpectiſſimum habeat: ei nos non externa tantum venerationis ſigna, verum etiam animum venerabundum, praeſtare debere, ſatis patet. Et hic quidem eſt cultus ille vel amor, quem ſacrae litterae exigunt, ἐν ὅλῃ τῇ καρδίᾳ ἡμῶν, καὶ ἐν ὅλῃ τῇ ψυχῇ ἡμῶν, καὶ ἐν ὅλῃ τῇ διανοίᾳ ἡμῶν, *ex toto corde noſtro, ex tota anima noſtra, & ex tota mente noſtra, Math. XXII,* 37. vel, quod *Luc. X.* 27. additur, ἐξ ὅλης τῆς ἰσχύος ἡμῶν, *ex omnibus viribus noſtris.*

Axioma ſecundum de amore erga nos ipſos.

§. XCII. Nostrum ipsorum amor non poteſt aliter eſſe comparatus, quam ut perfectione ac felicitate noſtra delectemur. (§. LXXX.) Hinc ergo 62. ad perfectionem felicitatemque conſequendam, & pro virili conſervandam amplificandamque, obligamur. At quum quo ens eſt perfectius, eo majorem illi honorem atque obedientiam debeamus: (§. LXXXVII. *) 63. cavendum eſt, ne nos ipſos magis, quam Deum, amemus, atque ita in φιλαυτίαν pravam degeneret amor iſte noſtri immodicus. Ex quo 64. alterum fluit axioma: HOMO NIHIL EORUM, QUAE AD PERFECTIONEM FELICITATEMQUE ADSEQUENDAM, CONSERVANDAM, AMPLIFICANDAMQUE PERTINENT, PRAETERMITTERE TENETUR, (*) DUM ID SINE AMORIS DIVINI VIOLATIONE FIERI POSSIT.

(*) Nam Deus hominem obligat ad boni fruitionem: (§. LXXIX.) adeoque ad felicitatem adipiſcendam, conſervandam, amplificandamque. Quum vero aliquando plura ei bona repraeſententur, quorum unum altero praeſtantius eſt, (*Elem. phil. mor.* §. CXLIX. *ſequ.*) bonumque minus, quod nos fruitione majoris boni privat, pro malo habendum ſit: (*Ibid.* §. CLII, 12.) nemo non videt, Deum nos obligaſſe ad id, quod ex bonis pluribus ſit optimum, eligendum.

Axioma tertium de amore erga alios.

§. XCIII. Quandoquidem porro homines omnes nobis natura aequales ſunt, illa vero naturae aequalitas aequalia etiam amoris officia exigit: (§. LXXXVIII, 53.) conſequens eſt, 65. ut alterius felicitate non minus quidem, at non magis, quam noſtra, delectari, adeoque 66. eum perinde, ac nos ipſos; 67. nos ipſos vero non minus, quam proximum, amare teneamur. Unde 68. tertium axioma: HOMO HOMINEM NON MINUS, QUAM SEIPSUM TENETUR AMARE, NEC ALTERI, QUOD SIBI FIERI NON VULT, FACERE, CONTRA ILLI FACERE OMNIA, QUAE SIBI AB ALTERO FIERI CUPIT.

Princi-

§. XCIV. Ceterum genuinum hoc eſſe juris naturalis principium,

pium; comparatis, quae ſupra praemiſimus, principii cognoſcendi requiſitis, facile praeſtabimus. Nihil enim illo poteſt eſſe *verius*, quum ex ipſa voluntatis divinae, naturaeque humanae indole fluat, &, quo ego magnopere delector, in ipſis ſacris litteris praeſidium reperiat. Nihil *evidentius*, quum omnes, quae illud ingrediuntur, notiones ita ſint comparatae, ut ex ſola recta ratione etiam ab homine litterarum rudi, immo & a pagano cognoſci facillime poſſint. Nihil denique magis *adaequatum*, quum reipſa nos paullo poſt demonſtraturos putemus, nullum eſſe vel hominis, vel civis, officium, quod non ex his principiis, tamquam ex uberrimo limpidiſſimoque fonte, promanet.

pium hoc verum, evidens ac adaequatum eſt.

CAP. IV.

DE ADPLICATIONE HUJUS NORMAE AD ACTIONES, ET EMERGENTE INDE HARUM DIFFERENTIA.

§. XCV.

Viſa jam actionum humanarum liberarum indole, viſa itidem norma, ad quam illae exigendae ſint: proximum eſt, ut de ADPLICATIONE HUJUS NORMAE AD ACTIONES humanas & liberas quaedam adjiciamus. Adplicatio legis ad factum dicitur IMPUTATIO, ac proinde de imputatione potiſſimum hoc capite erit diſſerendum.

Connexio.

§. XCVI. Quum ergo IMPUTATIO ſit adplicatio legis ad factum, (§. LXXXV.) ea vero non aliter fieri poſſit, quam lege & facto, id eſt, duabus propoſitionibus, per ſyllogiſmum, inter ſe & cum tertia comparatis: conſequens eſt, 1. ut IMPUTATIO ſit ſyllogiſmus vel ratiocinatio, cujus majorem propoſitionem LEX, minorem ACTIO, concluſionem SENTENTIA abſolvit (*).

Imputatio ſit per comparationem legis & facti, adeoque per ratiocinationem,

(*) IMPUTARE proprie eſt aliquid in alterius rationes, vel expenſi tabulas referre. Sen. *Epiſt. VIII. Hoc non imputo in ſolutum de tuo tibi.* Quemadmodum ergo hoc ſit, comparatis inter ſe acceptis, & in rem alicujus expenſis: ita poſtea commodiſſimum viſum eſt hoc vocabulum ad exprimendam illam legis ad facta adplicationem, quae itidem ſit, inſtituta hujuſmodi comparatione. Sic quum apud Livium I, 26. ſororem occidiſſet Horatius, & quaeſtio oriretur, an lex de perduellione, ut ejus rei colligatis manibus velatoque capite vel intra pomoerium vel extra pomoerium verberati, ex arbore infelici ſuſpenderentur, ad atrocius illud ferocis juvenis factum ſit adplicanda? Duumviri judicandae perduellioni a Tullio Hoſtilio rege conſtituti, legem illam ad factum Horatii pertinere judicabant. Unde alter ex his: *P. Horati*, inquit, *tibi perduellionem judico. I, lictor, colliga manus.* Provocante vero Horatio, ejuſque pa-

trocinium

trocinium ipſo patre ſuſcipiente, populus reum abſolvit. Duumviri itaque ita ratiocinabantur, *Qui hominem ſciens dolo malo obtruncat, is, tamquam perduellis colligatis manibus, velatoque capite verberandus & ex arbore infelice ſuſpendendus eſt.* En LEGEM! *P. Horatius, ſororem gladio transfigens, hominem ſciens, dolo malo, obtruncavit.* En FACTUM! *Eſt ergo tamquam perduellis, colligatis manibus, velato capite verberandus, & ex arbore infelice ſuſpendendus.* En SENTENTIAM! At aliter rationes ſubducebat populus. Is enim, quum ſororem illam, Curiatii ſponſi caedem flebiliter lugentem, hoſtilem animum erga patriam oſtendiſſe exiſtimaret: abſolvens Horatium ita ratiocinabatur: *Qui hoſtem patriae occidit, ab eo, tamquam a perduelle, non eſt ſumendum ſupplicium.* En LEGEM! *P. Horatius ſororem occidens, hoſtem patriae occidit.* En FACTUM! *Ab eo ergo, tamquam a perduelle ſupplicium non eſt ſumendum.* En SENTENTIAM, & eam quidem abſolutoriam! Duumviri ergo factum illud *imputabant* P. Horatio; populus non *imputabat.*

Quomodo differat a conſcientia?

§. XCVII. Quandoquidem vero idem ſupra de CONSCIENTIA hominis obſervavimus, (§. XXXIV.) nec tamen haec eadem cum IMPUTATIONE eſt: 2. merito notamus diſcrimen, quod inter CONSCIENTIAM & IMPUTATIONEM intercedit. Quemadmodum enim illa eſt ratiocinatio de juſtitia vel injuſtitia actionum *propriarum*: ita haec de *alienis* ratiocinatur, legemque cum illis contendit. Priore caſu 3. ipſe ſibi quiſque judex eſt; poſteriore alius de actionibus noſtris judicat, eaſque cum lege contendit (*).

(*) Quum vero nec omnibus id officium incumbat, ut de aliorum actionibus judicent, & ea tamen ſit naturae humanae labes, ut plerique ſibi facile ignoſcant, nec de exploranda propria conſcientia admodum laborent, de aliorum vero naevis etiam leviſſimis illico urnam moveant: non mirum eſt, iſtud tamquam iniquum & improbum reprehendi non modo a Servatore *Matth. VII,* 1. *Luc. VI,* 37. ejuſque Apoſtolo, *Rom. II,* 1. *XIV,* 4. 1. *Cor. IV,* 5. verum etiam ab ipſis ſcriptoribus profanis, qui ſolam rectam rationem ducem ſequuntur. Hinc lepida illa fabula de duabus peris, quarum altera, propriis repleta vitiis, homini poſt tergum; altera, alienis gravis, ante pectus ſuſpenſa ſit, cui hanc interpretationem ſubjunxit Phaedrus *Fab. IV,* 9. *v.* 4.

Hac re videre noſtra mala non poſſumus:
Alii ſimul delinquunt, cenſores ſumus.

Similia veterum loca quamplurima Iſaac. Caſaub. *ad Perſ. p.* 340. & viri docti ad Phaedri illam fabellam collegerunt, quorum ſcrinia expilare nolumus.

Imputatur aliquid in foro vel divino, vel humano.

§. XCVIII. Quemadmodum vero quaelibet legis ad factum alienum adplicatio IMPUTATIONIS nomine venit: (§. XCVII.) ita 4. perinde eſt, ſive actio noſtra cum lege divina, ſive cum humana comparetur, itemque 5. ſive ipſe Deus, ſive homines, quorum ad officium id pertinet, legem facto adplicent. Priorem imputationem vocabulo, moraliſtis recepto, vocamus IMPUTATIONEM IN FORO DIVINO, poſteriorem IMPUTATIONEM IN FORO HUMANO. Inter utramque vero 6. permagnum illud diſcrimen intercedit, quod quum in hoc cogitationis poenam nemo patiatur, *l.* 18. *D. de poen.* Deus tam-

tamquam ens omniſcium, & quod obſequium etiam internum jure ſuo exigit, (§. XCI.) & cogitationes legi adverſas homini jure imputet.

(*) Viderunt hoc & veteres philoſophi, qui Deum non modo facta omnia hominum, ſed & cujuſvis cogitationes perſpicere docebant, veluti Thales Mileſius, Socrates, Platonici, Pythagoraei, & quicumque paullo ſublimius de Deo philoſophabantur. Eorum teſtimonia collegit Huet. *in Quaeſt. Alnetan. II, 2, 16. p. 111. ſequ.* Hinc facile patet, quam ipſi rectae rationi conſentanea ſit interpretatio legis Moſaicae, quam dedit Servator noſter *Matth. V, 22. 28.*

§. XCIX. Quum porro lex, quae factis hominum adplicatur, vel ſub comminatione poenae, vel propoſito praemio, aliquid praecipiat vel prohibeat: (§. LXIV.) inde merito colligimus, 7. IMPUTARE idem eſſe, ac declarare effectum, quem lex actioni adſignat, huic actioni competere. Effectus vero ille vocatur MERITUM, & POENA quidem, ſi effectus ille actioni a lege propoſitus malus: PRAEMIUM, ſi bonus ſit (*). *Et tunc declaratur, hominem vel praemium, vel poenam meruiſſe.*

(*) *Praemia* vero cum non debeat legiſlator, facile patet, actiones etiam juſtas in ſe non eſſe meritorias. Et huc pertinet inſignis Chriſti ſententia: *Omnia ſi feceritis, dicite: ſervi inutiles ſumus, quia quod facere debuimus, fecimus. Luc. XVII,* 10. Si tamen praemia promittit legiſlator, quod fecit Deus, dum leges naturae non ſui, ſed hominum cauſſa, praeſcripſit, eoſque quam feliciſſimos eſſe voluit: (§. LXXVIII, 32. 33.) tunc quidem meritum dici poſſunt praemia ratione imputationis, non ratione legiſlatoris, qui ex mera gratia illa propoſuit.

§. C. Itaque IMPUTATIO eſt ratiocinatio, qua factum alienum omneſque ejus circumſtantiae cum lege ſive divina, ſive humana, comparantur, actionemque illam effectum, a lege propoſitum, ſive bonum, ſive malum, mereri, vel non mereri, declaratur. Ex qua definitione porro colligimus, 8. non poſſe ad liquidum perduci, ſitne actio aliqua imputanda, nec ne, niſi & LEGEM, & ipſius FACTI CIRCUMSTANTIAS omnes, perſpectas habeamus, adeoque 9. unam ſaepe περίςασιν totam rem mutare. *Definitio imputationis, de eaque axiomata.*

§. CI. Quum ergo LEGEM perſpectam eſſe oporteat ei, qui de actionum imputatione recte judicare vel ratiocinari cupit: (§. C. 8.) conſequens eſt, 10. ut & certum eum eſſe oporteat, legem aliquam exſtare, & 11. totam illam legem recte intelligere, adeoque 12. ſi verbis brevioribus vel obſcurioribus concepta ſit, (*) eam rite INTERPRETARI, id eſt, mentem legiſlatoris ex ejus verbis aliiſque ſignis diſtincte repraeſentare debeat. *Ea ſupponit notitiam & interpretationem legis.*

(*) Itaque interpretatio ad jus naturae proprie non pertinet, ſed ad le-

 ges

ges poſitivas, ſive divinas, ſive humanas. Quum enim interpretatio juridica ſit diſtincta mentis legislatoris ex ejus verbis aliiſque ſignis repraeſentatio, (§. CI. 12.) jus naturae vero non verbis conceptum, ſed per ipſam rectam rationem promulgatum ſit: (§. XI. 16.) ſequitur ſane, ut ex verbis aliiſque ſignis mens ſumma legislatoris erui non poſſit, adeoque nec interpretationem illud jus admittat. Ipſa ſe ſine interprete ſatis intelligit recta ratio. Arrian. *Diſſ. Epict. I. 1. p. 4.* Ἡ δύναμις ἡ λογικὴ μόνη αὑτὴ καὶ αὑτὴν κατανοήσουσα παρείληπται, τίς τέ ἐστι, καὶ τί δύναται, καὶ πόσου ἀξία οὖσα ἐλήλυθε καὶ τὰς ἄλλας ἁπάσας. *Sola facultas ratiocinatrix, ipſa ſemet ipſam intelligens, adprehendit, quid ipſa ſit, & quid poſſit, & quanti ſit pretii, ſi ſe ceteris facultatibus adplicarit.*

Ejus fundamenta.

§. CII. Quandoquidem vero INTERPRES mentem legiſlatoris ex ejus verbis, aliiſque ſignis, diſtincte repraeſentat: conſequens eſt, 13. ut & ad propriam, & translatam verborum ſignificationem, & 14. ad eorumdem συναφὴν ſeu nexum cum iis, quae antecedunt vel conſequuntur, & 15. ad ipſius rei naturam atque indolem, & denique vel maxime 16. ad legiſlatoris finem ac rationem, quae illum ad ferendam legem impulit, attendendum ſit, adeoque 17. illi & ſapiant omnino, & mecum faciant, & Jove judicent aequo, qui rationem legis ejuſdem animam eſſe profitentur. (*) Vid. *praef. noſtra ad Elem. Pandect.*

(*) Exemplum inſigne, quo incredibilis hujus regulae utilitas oſtendi poteſt, ipſe Servator noſter dedit, dum reprehenſus a Judaeorum magiſtris, quod die ſabbathi opera caritatis neceſſitatiſque non intermittenda putaret, verum oſtendit fontem interpretandi legem de ſabbatho, & hinc dixit: Τὸ σάββατον διὰ τὸν ἄνθρωπον ἐγένετο, οὐχ ὁ ἄνθρωπος διὰ τὸ σάββατον. *Sabbatum hominis cauſſa factum, non homo ſabbati cauſſa. Marc. II: 27.* Ex qua ſane ratione legis manifeſto ac prono veluti alveo fluit, omnia opera, quae hominis veram tranquillitatem pietatemque eo die turbant, non autem quae ad ejus felicitatem ac conſervationem pertinent, eſſe prohibita. Tolle hanc legis rationem, unam atque adaequatam, & certiſſimum erit, in ipſis legis verbis nihil eſſe, ex quibus incomparabilem illam Chriſti doctrinam colligere potuiſſes.

Et variae ſpecies.

§. CIII. Quum porro ratio legis ejuſdem veluti anima ſit: (§. CII. 17.) conſequens eſt, 18. ut unica legis ratione prorſus & in univerſum ceſſante, etiam ipſam legem ceſſare oporteat: 19. Ut ſi ad certum caſum illa non quadret, ob rationem legis iſte a lege eximendus, idque fundamentum ſit INTERPRETATIONIS RESTRICTIVAE; ad quam & AEQUITATEM, id eſt, facultatem correctricem ejus, in quo lex propter univerſalitatem deficit, recte retuleris. Grot. *de Aequit. indulg. & facilit. Cap. I. n. 3.* 20. Ut, ſi in caſum aliquem verba non quadrant, ratio tamen legis illi adplicari omnino poſſit, inde emergat INTERPRETATIO EXTENSIVA: denique, ut, legis verbis ac ratione pari paſſu ambulantibus,

INTER-

INTERPRETATIONI tantum DECLARATIVAE locus ſit (*).

(*) Ita *reſtrictive* Chriſtus interpretatur legem de ſabbatho: extenſive legem de adulterio & homicidio. *Matth. V.* Quod quum non facerent Phariſaei, male de imputatione actionum ratiocinabantur. Hinc Apoſtolis, ſpicas ſabbato vellentibus, & ipſi Servatori, ſabbato ſananti, exprobrabant irreligioſum animum, eos vero, qui traditionibus Rabbinorum ſatisfaciebant, juſtos reputabant, ſi e. g. pocula diligenter eluerent, decimas penderent, ſtipem elargirentur pauperibus, inediam ſaepius ferrent, quamvis & aliis multo gravioribus peccatis ſeſe polluerent, & id ipſum faſtus cauſſa facerent.

§. CIV. Praeterea prout legem interpretatur vel ipſe *legiſlator*, vel *judex*, aliuſque, cujus ad officium pertinet, legem facto adplicare, vel *juriſperitus*: 21. eatenus illa interpretatio vel AUTHENTICA, vel USUALIS, vel DOCTRINALIS adpellatur, ubi primae fundamentum eſt *voluntas legiſlatoris*, alterius *uſus forenſis*, poſtremae adplicatio regularum interpretationis, quales paullo ante (§. CII.) expoſuimus (*).

Interpretationis authenticae, uſualis & doctrinalis differentia.

(*) Hujus quoque triplicis interpretationis exempla ipſae ſacrae litterae ſuppeditant. Sic quum Deus *Num. XXVII. 7.* legem condidiſſet, ut, non ſuperſtite agnato, bona paterna ad filium ἐπίκληρον devolverentur: ipſe ſummus ille legiſlator legi ſuae hoc poſtea adſtruxit interpretando, ut filia iſta ἐπίκληρος tribu ſua non enuberet. *Num. XXXVI, 5. 6.* Quod eſt exemplum interpretationis *authenticae*, quae ſaepe pro nova lege eſt. *Uſualis* exemplum habemus *Ruth. IV. 7.* ubi detractio calcei ejuſque projectio, quamvis initio tantum ad leviratum pertineret, *Deut. XXV. 7.* uſu forenſi & ad repudiationem hereditatis prolata dicitur, ubi erudita ſunt, quae de hoc uſu forenſi monuit Ant. Bynaeus *de Calc. Hebr. Libr. II. Cap. VII.* Denique *doctrinalis* interpretationis exemplum dedit Eſdras, de quo *Nehem. VIII. 13.*

§. CV. Quumque & facti circumſtantias omnes perſpectas habere deceat eum, qui de facti imputatione Jove aequo judicare velit, (§. C. 8.) praecipua vero circumſtantia ſit ipſa perſona agens: merito inde colligimus, 22. ei, qui actionis alicujus auctor vel cauſſa eſt, eam actionem jure imputari, contra 23. ceſſare imputationem, ſi quid factum, cujus ipſe faciens nec cauſſa, nec auctor eſt, praeterquam 24. quod aliquando & aliorum merita aliis imputantur: quam imputationem 25. vulgo EX GRATIA vocare, alterique EX MERITO vel DEBITO opponere ſolent (*). Pufendorff. *de jure nat. & gent. I. 9. 2.*

Imputatur actio ejus auctori vel cauſſae.

(*) Et haec *nobilitatis* gentilitiae, immo & aliquando *regnorum hereditariorum*, origo eſt. Sic apud Germanos *inſignis nobilitas, aut magna patrum merita Principis dignationem etiam adoleſcentulis adſignabant.* Tacit. *de morib. Germ. Cap. XIII.* Et de regnis hereditariis Polyb. *Hiſtor. VI. 5.* Αὐτὴ βασι-

λείας ἀληθινῆς ἀρχὴ καὶ γένεσις. οὐ γὰρ μόνον αὐτοῖς, ἀλλὰ καὶ τοῖς ἐκ τούτων, ἐπὶ πολὺ διαφυλάττουσι τὰς ἀρχάς, πεπεισμένοι, τοὺς ἐκ τοιούτων γεγονότας καὶ τραφέντας ὑπὸ τοιούτοις παραπλησίως ἕξειν καὶ τὰς προαιρέσεις. *Haec veri regni origo, hinc ortus. Non ſuum enim ipſis, ſed & ſoboli, per longum tempus imperium ſubditi conſervant, perſuaſi, talibus viris prognatos, & a talibus educatos animis quoque & voluntatibus pares eis futuros.*

An imputentur paſſiones, actiones naturales, eventus fortuiti, facta in furore, ſomno, ebrietate perpetrata?

§. CVI. Si ergo actio nulli imputatur, niſi ei, qui ejus cauſſa vel auctor eſt, (§. CV. 22.) homo vero cauſſa ullius actionis dici nequit, quae non humana eſt, id eſt, quae non praelucente intellectu decernenteque voluntate editur, (§. XXX. 7.) facile patet, 26. nec paſſiones actioneſque naturales, nec 27. eventus a ſola providentia divina profectos, nec 28. vitia corporis animique, nec 29. facta vel in furore atque inſania, vel 30. in ſomno, vel 31. in ebrietate perpetrata, cuiquam imputari, niſi quatenus per agentem ſtetit, quo minus hujuſmodi quid contingeret. (*) (§. XXVI. ſequ. XXIX. XLIX. ſequ.)

(*) Sic homini imputatur impudentia, ſi quis circa actiones naturales decori ſit negligens. Sic imputatur navarchae naufragium, ſi male gubernando navem, in cauſſa ſit, ut ea pereat, quum alioquin verum omnino ſit illud Taciti *Annal. XIV.* 3. *Quis adeo iniquus, ut ſceleri adſignet, quod venti & fluctus deliquerunt?* Sic & deformitas imputatur homini, qui naſum Veneri obtulit, quum alias vere & φιλοσοφικῶς Phaedrus *Fab. III.* 11. *v.* 6.

Sed quid fortunae, ſtulte, delictum arguis?
Id demum eſt homini turpe, quod meruit pati.

Multo magis ergo homini, cui a puero proficiendi fuit occaſio, ignorantia imputatur, quae non imputatur homini agreſti. Immo & ſomnia imputantur, quae quis diurnis actionibus ac cogitationibus vigilans veluti provocavit. De quibus ſomniis, quae veteres ἐνύπνια, teſte Macrobio *in ſomn. Scip. I,* 13. vocabant, recte Claudian. *in ſextum conſul. Honorii Aug. praefat. v.* 1.

Omnia, quae ſenſu volvuntur vota diurno,
Pectore ſopito, reddit amica quies.
Furto gaudet amans; permutat navita merces,
Et vigil elapſas quaerit avarus opes.

Quibus gemina plura teſtimonia ſuo more collegit Caſp. Barth. *in Notis p.* 714. *ſequ.* Denique & ebrietatem voluntariam, actioneſque in illo ſtatu perpetratas, imputari poſſe homini, adeo extra omnem dubitationis aleam poſitum eſt, ut vel verbum addere nolim.

An quae ex ignorantia & errore parata?

§. CVII. Quod ſpeciatim ad ignorantiam & errorem attinet, quum utraque intellectus imbecillitas vel INCULPABILIS ſit, vel CULPABILIS, (§. XLVIII. XLIX.) haec vel INVINCIBILIS, vel VINCIBILIS, itemque vel VOLUNTARIA, vel INVOLUNTARIA: (§. L.) ex eodem axiomate facile intelligitur, 32. ignorantiam *inculpabilem*, *invincibilem* & *involuntariam* nemini jure imputari: recte autem 33. imputari actionem ex ignorantia *culpabili*, *vincibili* & *voluntaria* ſuſceptam: idemque 34. & de

errore

errore eſſe tenendum: multoque minus 35. ſuam cuiquam ignorantiam vel errorem praeſidio eſſe poſſe, ſi actio ipſa illicita, vel non in loco temporeque, vel modo illicito, patrata ſit, quia tunc non modo per agentem ſtetit, quo minus in ignoratione verſaretur, vel ei error obreperet, verum etiam ille ad omittendam actionem omnino fuit obligatus (*).

(*) Non ergo Judae, ineunti Thamarem, ſcortum, praeſidio eſſe potuit ignorantia, quia in re illicita verſabatur. *Geneſ. XXXVIII.* 15. 16. Nec excuſatur, qui locô ac tempore non licito jaculis ludens, hominem ex ignorantia ferit, quia actio, nec loco, nec tempore, quo par erat, ſuſcepta, in ſe illicita eſt. §. 4. *Inſt. de leg. Aquil.* Nec denique injuria fit arborem juxta viam publicam vel vicinalem putanti, ſi ei caedes hominis imputetur, quam proclamando evitare potuiſſet. §. 5. *Inſt. eod.* Hinc tale quid facientes apud Romanos olim proclamare ſolitos: CAVE; apud Athenienſes, ΦΥΛΑΞΑΙ, oſtendit Theod. Marcil. *ad* §. 5. *Inſt. eod.* Parum ergo aequa eſt ſententia Areopagitarum apud Ariſtot. *Magn. moral. I.* 17. abſolventium feminam, quae adoleſcentem, oblato philtro, occiderat: διότι οὐκ ἐκ προνοίας. ἔδωκε μὲν γὰρ φιλίᾳ, διήμαρτε δὲ τούτου, *quod non conſulto & cogitato id feciſſet; amoris enim cauſſa dediſſe, verum a propoſito aberraſſe.* Quaſi non in ſe illicitum eſſet, philtrum conciliandi amoris cauſſa offerre. Quanto rectius vero Paullus noſter, *l.* 38. §. 5. *D. de poen. Qui abortionis aut amatorium poculum dant, etſi dolo non faciant, tamen quia mali exempli res eſt, humiliores in metallum, honeſtiores in inſulam, amiſſa parte bonorum, relegantur: quod ſi eo mulier aut homo perierit, ſummo ſupplicio adficiuntur?*

Speciatim ex errore juris & facti?

§. CVIII. Porro vel in *jure* erratur, quem errorem JURIS vocant, vel in *facto*, qui FACTI error dicitur. Ad hunc 36. pertinent regulae paullo ante expoſitae, (§. CVII.) quia facti circumſtantia & prudentiſſimos fugere, ac proinde error hujuſmodi *inculpabilis*, *invincibilis*, *involuntarius* eſſe poteſt. (§. CVII. 32.) Ille vero, 37. in *jure naturali* admiſſus, non excuſat, quia hoc jus unicuique per rectam rationem eſt promulgatum, niſi forte aetas, ſtupiditas, ipſiuſque juris illius ratio paullo ſubtilior, mitiorem ſententiam ſuadeat (*). Quod vero 38. ad *jus civile* attinet, illius ignorantia eatenus merito imputatur, quatenus illud & promulgatum eſt, & ita comparatum, ut in hominem hunc cadat ejus ſcientia.

(*) Quis enim juris naturae peritiam accuratiorem amarius exigat ab infantibus, infantiae proximis, ſurdis ac mutis, ſtupidis, inter bruta animantia educatis? Praeterea, quamvis jus naturae mentibus hominum veluti inſcriptum inſculptumque ſit: illud tamen non aliter cognoſcitur, quam per ratiocinationem de juſto injuſtoque. (§. XV. 24.) Jam quum quaedam juris naturalis praecepta ex principiis rectae rationis ἀμέσως fluant; alia plurium propoſitionum nexum, ac integram argumentorum veluti catenam exigant: nemo dubitaverit, prioris generis praecepta facile a quovis homine non pla-

ne

ne ſtupido ; poſterioris difficilius, nec niſi ab ingenio exercitatiore, intelligi. Hinc quamvis Romani inceſtum aliquem juris gentium eſſe faterentur : *l.* 38. §. 2. *D. ad L. Jul. de adult. l.* 68. *D. de rit. nupt.* aliquando tamen in feminis maſculiſque eum mitius cenſuerunt puniendum, veluti ſi poſt divortium privignus cum noverca coiiſſet. *l.* 38. §. 5. *D. ad L. Jul. de adult.* Cujus quidem rei non alia reddi poteſt ratio, quam quod non ἀμέσως, ſed operoſiore ſaltim ratiocinatione, inceſtus prohibitio ex juris naturae principiis derivatur.

An actiones invitae & coactae?

§. CIX. Quum vero & VOLUNTATEM hominis liberam ad actionem, cujus ipſe auctor & cauſſa dicendus ſit, concurrere oporteat, (§. XXX. 7.) INVITAE vero actiones ita comparatae ſint, ut a mente ſe ipſam determinante non proveniant : (§. LVIII. 56.) conſequens eſt, 39. ut nemini id, quod invitus fecit, poſſit imputari ; 40. Ut imputari contra poſſit, quod quis *ſponte*, multoque magis, 41. quod *ultro* fecit, immo & 42. quod quis *coactus* fecit, ſi jure ſuo uſus ſit is, qui illum coegit, non vero 43. ſi cui nullum jus cogendi fuerit, nec coacto, vi nondum adhibita, incubuerit obligatio aliquid faciendi (*).

(*) Quamvis enim & coactus velit : (§. LIX. 62.) tamen, quia correlata ſunt *jus* & *obligatio*, quae ſe mutuo ponunt & tollunt, (§. VII.) ac proinde deficiente *jure*, deficere etiam *obligationem* oportet : conſequens eſt, ut, ſi uni non ſit jus cogendi, nec alteri incumbat obligatio id praeſtandi, ad quod injuria coactus eſt. Hinc ratum eſt promiſſum debitoris moroſi, a magiſtratu, quamvis comminatione exſequutionis, extortum, quia magiſtratus, dum debitores moroſos ſolvere cogit, jure ſuo utitur : at ſi latro cogit viatorem, ut certam pecuniae ſummam promittat : quia latroni nullum cogendi jus eſt, in viatore quoque nulla poteſt eſſe obligatio id praeſtandi, quod quis coactus promiſit. Huc pertinet notiſſimum epigramma Martialis *Epigr. XI.* 59. *v.* 5.

Quid ſi me tonſor, dum curva novacula ſupra eſt,
Tunc libertatem divitiaſque roget ?
Promittam, nec enim rogat illo tempore tonſor,
Latro rogat : res eſt imperioſa timor.
Sed fuerit curva quum tuta novacula theca :
Frangam tonſori crura, manuſque ſimul.

An quae urgente temperamento, adfectu, conſuetudine, patrantur.

§. CX. At quum voluntatis libertatem nec temperamentum, nec adfectus, nec mores diuturna adſuetudine firmati, nec ipſa vis externa impediant : (§. LIV. ſequ.) facile patet, 44. nec corporis conſtitutionem, quam fere propenſio animi ſequitur, nec 45. animi perturbationes, quantumvis vehementiores, nec 46. conſuetudinem, quae fere in alteram naturam degeneravit, impedire, quo minus actio, inde orta, poſſit agenti imputari : quamvis 47. aliquando in foro humano commiſeratione dignus cenſeatur is, quem triſtior adfectus, juſtuſque dolor, in tranſverſum egit (*).

(*) Faci-

(*) Facilius enim, ceu aliquoties recte obſervavit Ariſtoteles, voluptati ac libidini, quam triſtiori adfectui, reſiſtit homo. Vid. *Nicomacheior. III.* 12. *III.* 15. *VII.* 7. *Magn. moral. II.* 6. Idem obſervavit M. Antonin. *εἰς ἑαυτὸν II.* 10. ut mireris, eundem Ariſtotelem, veluti ſui oblitum, *Lib. II. ad Nicom. Cap. II.* & a ſe ipſo diſſentientem, ſcribere: χαλεπώτερον εἶναι, ἡδονῇ μάχεσθαι ἢ θυμῷ. *Difficilius eſſe voluptati repugnare, quam irae*: quum tamen voluptate carere ſit malum tantum *privativum*, & id quidem plerumque adparens tantum, dolorem ſentire malum *poſitivum*, & ſaepe quidem verum. Quis non magis parricidium imputandum putet Neroni, quem nullus triſtior adfectus, ſed ſola protervia, animique vaecordia ad tantum ſcelus impulit, quam Oreſtae, qui cauſſam dicens cur Clytaemneſtram occiderit νῦν μὲν γὰρ, inquit, ἡ προδοῦσα λέκτρ' ἐμοῦ πατρὸς, τέθνηκεν. *Nunc enim, quae prodidit lectum mei patris, eſt interfecta.* Euripid. *Oreſt. v.* 937.

§. CXI. Ex quo porro non difficile intellectu fuerit, 48. quando excuſatione aliqua dignus ſit, qui fractus vi externa, cui & conſtantiſſimus animus facile cederet, aliquid commiſit, quod legi adverſatur? Si enim factum ita comparatum eſt, ut nullus favori neceſſitatis locus ſit: fruſtra praetenditur neceſſitas (*). Quibus vero caſibus omnis neceſſitatis favor ceſſet, paullo poſt accuratius diſquirere licebit. *An vi externa extortae*

(*) Sane ſi quid contra religionem & juſtitiam viro bono injungitur, tunc non cedendum eſſe cuicumque vi ac dolori, non modo ſacrae litterae docent, ſed & ipſi, quod mireris, ſcriptores pagani agnoſcunt, ex quibus Juvenalis *Sat. VIII. v.* 80.

Ambiguae ſi quando citabere teſtis,
Incertaeque rei: Phalaris licet imperat, ut ſis
Falſus, & admoto dictet perjuria tauro,
Summum crede nefas, animam praeferre dolori.
Et propter vitam vivendi perdere cauſſas.

§. CXII. Quoties intellectus & voluntas, & ipſe motus corporis phyſicus ad actionem concurrunt, toties is, qui illam patravit, vocatur CAUSSA actionis PHYSICA. Sin ſola mens, ſine motu corporis phyſico: CAUSSA MORALIS adpellatur. Quumque non alia ſint actionum humanarum principia, quam intellectus & voluntas: (§. XXX.) inde colligimus, 49. *cauſſae morali* actionem non minus imputari, quam *phyſicae*, ſi par utriuſque ad actionem concurſus ſit, 50. immo magis, quam phyſicae, ſi quis jubendo cogendoque alterum, cui in obſequio gloria relicta eſt, ad agendum induxerit, denique 51. minus, quam phyſicae, ſi quis conſilio tantum vel adprobatione concurrerit (*). *An & quomodo actio imputetur cauſſae morali?*

(*) Hinc omnino utiliſſima eſt diſtinctio V. C. Henr. Koehleri *Exerc. jur. nat.* §. *DVIII. ſeq.* inter voluntatem *efficacem*, ubi conatus ad producendum ſuſpendendumve actum ſufficit, & *ineſficacem*, ubi conatus ille non ſufficit. Quare ſi voluntas cauſſae moralis fuit efficax, actio merito imputatur, & quo magis minuſque efficax fuit, eo magis minuſve imputatur. Quis enim e. g.

dubitet, quin patri jubenti filium furari, hoc furtum magis imputetur: quam extraneo, vel jubenti, vel ſuadenti?

Perſonae agentis conditio, an quid faciat ad imputationem?

§. CXIII. Ad circumſtantiam perſonae, cujus in imputatione habetur ratio, (§. CV,) & qualitas, dignitas & conditio ejuſdem pertinet, ac proinde nemo dubitaverit, 52. quin, pluribus perſonis ad eamdem actionem concurrentibus, actio juſta minus, injuſta magis imputetur illi, quem cognatio, prudentia, officium, aetas, dignitas, (*) vel ad bene agendum inſtigare, vel a male agendo revocare debuiſſent, quam 53. homini extraneo, ſtupido, nullo ſpeciali vinculo obſtricto, puero, vel adoleſcenti, denique in nulla dignitate conſtituto.

(*) Sic quidquid boni fit cognato, id veteres vocabant *officium*; quod extraneo, *beneficium*. Seneca *de Benefic. III.* 18. Magis ergo hoc, quam illud, imputatur. Contra procul dubio patri illata injuria magis imputanda eſt filio, quem ipſa pietas ab iſto facinore revocare debebat, quam extraneo. Quis porro culpam quamcunque non magis imputet viro prudenti, & ejus rei perito, quam ſtupido & inexercitato; ſeni vel juſtae ſaltim aetatis viro, quam adoleſcentulo; theologo, quam rerum ſacrarum rudi; viro nobili, vel in eminentiore dignitate conſtituto; quam terrae filio, vel inhoneſtiori? Hieronym. *in Ezech. II. Grandis dignitas ſacerdotum: ſed major ruina, ſi peccant.* Salvian. *Lib. IV. de gubern. Dei p.* 118. *Criminoſior culpa eſt, ubi honeſtior ſtatus. Si honoratior eſt perſona peccantis, peccati quoque major invidia. Furtum in omni quidem eſt homine malum facinus, ſed damnabilius abſque dubio ſenator furatur, quam infima perſona.* Et paucis interjectis: *Atrocius ſub ſancti nominis profeſſione peccamus. Ubi ſublimior eſt praerogativa, major eſt culpa.* Et cui, quaeſo ignotum illud Juvenalis *Sat. VIII. v.*140.

Omne animi vitium tanto conſpectius in ſe
Crimen habet, quanto, qui peccat, major habetur.

Deficiente occaſione, omiſſio actionis non imputatur.

§. CXIV. Quum vero in imputatione non modo perſonae, ſed & reliquarum circumſtantiarum habenda ſit ratio: (§. C. 8.) iſte vero concurſus circumſtantiarum objecti, loci, temporis, viriumque ſufficientium, OCCASIO vocetur, ſine qua aliquid fieri a nemine poteſt: conſequens eſt, 54. ut non excuſetur quidem, quem ad peccandum invitat occaſio: (*) nec 55. qui occaſionem bene agendi ſocordia ſua amittit: at 56. nemini tamen imputanda ſit omiſſio actionis, ſi agendi occaſio defuerit.

(*) Nam & vitanda peccandi occaſio, & pugnandum colluctandumque erat cum vitiorum blandimentis. (*Elem. Phil. mor.* §. *CCXCI. & CCXCIII.*) Id qui non facit, in culpa eſt, ſi cupiditatibus ſuccubuerit. Eſt ergo actionis illius auctor & cauſſa, ac proinde illa ei jure imputatur. Miſera ergo excuſatio illa Chaereae apud Terent. *Eunuch.* III. 5. *v.* 56. *An ego occaſionem mihi oſtentatam, tantam, tam brevem, tam optatam, tam inſperatam, amitterem?* Occaſione enim ſe invitari ad peccandum paſſus fuerat. Contra quan-

ſit culpa occaſioni bene agendi manum non injiceret, elegante parabola de ſervis collybiſtis oſtendit Servator ſapientiſſimus *Matth. XXV*, 14. *ſequ.*

§. CXV. Multo minus itaque 57. omiſſio earum actionum, quae per rerum naturam, vel 58. per leges, bonoſque mores patrari non poſſunt, vel ſaltim, 59. ad quas edendas agens viribus deſtituitur, cuiquam recte imputantur: niſi 60. quatenus quis vel vires, quibus pollebat, ſua culpa detriverit, vel 61. ea, quae fieri non poſſe praeſciverat, temere vel ſciens dolo malo promiſerit (*).

Omiſſio impoſſibilium an & quando imputetur?

(*) Hinc facile patet, cur obaeratum, qui bona abligurivit, non excuſet indigentia, quia nimirum ſua culpa vires detrivit, & cur, qui alchymiſtarum ſapientiam jactans, viris principibus aureos montes promiſit, poſtea ubi fumum vendidiſſe deprehenditur, ſtellionatus damnetur, aeque ac ille, qui dolo malo theſauros promiſit, quale exemplum Ceſellii Baſſi eſt apud Tacit. *Annal.* XVI. 1.

§. CXVI. Ceterum actiones, ita comparatae cum norma, varias adſumunt denominationes. Si enim ſecundum omnes περιστάσεις rectae rationi, non cogenti, ſeu obligatiomi internae (§. VII.) conformes ſunt, BONAE; ſin vel in una alterave circumſtantia a recta ratione in unam alteramve partem deflectunt, MALAE adpellantur, ex iiſque definitionibus conſequitur, 62. ut actionem & *materialiter*, & *formaliter*, ceu loquuntur philoſophi, bonam eſſe oporteat, niſi *malis* debeat accenſeri (*).

Quae actiones bonae & malae?

(*) Hinc Phariſaeorum largitiones, jejunia, totaque vitae auſteritas non erant actiones bonae, quamvis materialiter rectae rationi conformes viderentur, quoniam non ex propoſito rectae rationi obſequendi, ſed ex faſtu & opinione meriti, tamquam ex fonte, promanabant. (*Elem. phil. mor.* §. CCXXI. 7.) Nimirum non bona tantum agenda ſunt, ſed & bene agendum, quid quid agas. Recte Philemon apud Stobaeum, *Serm.* IX. juſtum vocat,

Οὐδ' ὃς γε ταῦτα πάντα διατηρεῖ μόνον,
Ἀλλ' ὅς, τις ἄδολον γνησίαν τ' ἔχων φύσιν
Εἶναι δίκαιος, κ' οὐ δοκεῖν εἶναι θέλει.

Non, quisquis illa quolibet praeſtat modo,
Sed qui, doloſi neſcius fuci, integra
Probitate juſtus eſſe, non credi, ſtudet.

§. CXVII. Deinde, ſi actiones cum lege contendas: eae, quae legi per omnia conveniunt, JUSTAE; quae vel in una, vel altera circumſtantia, a lege diſcrepant, INJUSTAE, itemque PECCATA vocantur. Unde facile intelligis, 63. cur omne peccatum in ἀνομίᾳ conſiſtere, doceat Joannes 1. *Epiſt. III.* 4.

Quae juſtae & injuſtae?

§. CXVIII. Denique, quum lex, vel divina voluntas, nos ad *amorem* obſtringat, (§. LXXIX. 35.) *amor* vero alius ſit *juſtitiae*, alius *humanitatis & beneficentiae*: (§. LXXXII. ſequ.) 64. actio, amori juſtitiae per omnia conveniens, JUSTA; ab eodem vel minimum diſcrepans, INJUSTA; 65. quae ex amore humanitatis & bene-

Diſcrimen inter actiones juſtas & honeſtas, injuſtas &

juſtas & inhoneſtas.

beneficentiae proficiſcitur, HONESTA; quae eidem adverſatur, INHONESTA, TURPIS, itemque INHUMANA adpellatur. Ex quo etiam, 66. quid interſit inter JUSTITIAM EXPLETRICEM, & ATTRIBUTRICEM, facile intelligitur.

CAP. V.

DE OFFICIIS HOMINIS ERGA DEUM.

§. CXIX.

Tranſitio ad doctrinam de ipſis officiis.

QUae adhuc praemittenda duximus, ea ad principia diſciplinae pulcherrimae pertinent. Proximum eſt, ut ad ipſa, quae JUS NATURAE univerſo generi humano ſingulisque praeſcribit, OFFICIA progrediamur. Quod enim Graeci philoſophi τὸ δέον, & Stoici τὸ καθῆκον vocabant: id poſtea Tullius, hanc ſapientiae partem Latinis litteris illuſtraturus, non ſine delectu, adhibitoque amicorum conſilio, primus OFFICIUM adpellaſſe videtur (*).

(*) Stoicos *officium* vocaſſe τὸ καθῆκον, eamque doctrinam apud illos non poſtremam philoſophiae moralis partem conſtituiſſe, auctor eſt Diogenes Laërtius, qui non modo Stoicorum de officiis dogmata praecipua breviter & luculenter expoſuit *Lib. VII. ſegm.* 108. *ſequ.* verum paſſim laudavit eorum libros περὶ τοῦ καθήκοντος, veluti Zenonis, *Lib. VII*, 4. Cleanthis, *Cap. VII*, 175. Sphaeri, *Lib. VII*, 178. quemadmodum & Chryſippi librum ejuſdem argumenti memorat Plutarch. *de repugn. Stoic. p.* 1045. Panaetii Cicero *de offic. III*, 2. Poſidonii idem *ad Attic. XVI*, 11. Quorum exemplo quum & Cicero ſimilem librum Latine ſcripſiſſet: de Latina ſollicitus inſcriptione, ſubductis rationibus omnibus, non aliud vocabulum invenit commodius, quo τὸ καθῆκον Stoicorum exprimeret, quam OFFICIUM. Ita enim ille *ad Attic. XVI*, 6. *Quod de inſcriptione quaeris, non dubito, quin* καθῆκον *officium ſit, niſi quid tu aliud. Sed inſcriptio plenior* DE OFFICIIS.

Officii definitio.

§. CXX. Per OFFICIUM vero intelligimus actionem, ex obligatione ſive perfecta, ſive imperfecta, legibus conformandam. Nec per omnia probare poſſumus definitionem Stoicam, quod officium ſit ὃ πραχθὲν εὔλογόν τε ἴσχει ἀπολογισμὸν, *quod cur factum ſit, probabilis ratio reddi poſſit*, vel ὅσον λόγος αἱρεῖ ποιεῖν, *quae ratio facienda ſuaſerit.* (*) Laërt. *VII*, 107. 108. Cic. *de Fin. III*, 17.

(*) Quum enim nihil temere fiat, cujus non probabilis reddi poſſit ratio: quidquid fit, non modo ab hominibus, ſed & a brutis animantibus, id ad officium pertinebit. Et ita ſane rem intellexerunt ipſi Stoici, de quibus Laërt. *VII*, 107. τὸ καθῆκον φασὶν καὶ ἐπὶ τὰ φυτὰ, καὶ ζῶα διατείνειν· ὁρᾶσθαι γὰρ κἀπὶ τούτων καθήκοντα. *Officium autem pertingere aiunt ad plantas etiam & animantes. Notari namque & in his officia.* Itaque verum quidem eſt, rationem habere

bere oportere officium, ſed eam, quae hominem impellat ad agendum, vel omittendum, non bruta, id eſt, obligationem (§. VI.)

§. CXXI. Quum ergo officium ſit actio, legi conformanda: (§. CXX.) facile patet, 1. officium concipi non poſſe ſine lege, nec 2. officium facere, qui ſibi ipſe, quod nulla lex praecipit, imperat: 3. ceſſare aliquid eſſe officii, ſublata, quae illud antea praecipiebat, lege, ejuſque ratione: 4. ſi quando lex certis tantum perſonis praeſcripta ſit, ſaepe contingere, ut duorum, qui faciunt idem, alter officio ſatisfeciſſe, alter contra officium egiſſe, dicatur (*). Ejuſdem indoles.

(*) Operae pretium fuerit, has propoſitiones exemplis illuſtrare. Nemo dixerit, officium feciſſe Origenem, dum ipſe ſibi virilia ademit, ſive ferro in ſe ſaevierit, ut refert Hieronym. *Epiſt. LXV*, ſive, quod alii tradiderunt apud Epiphan. *Haer. LXIV*, 3. medicamentis ſeſe evirarit. Neque enim ulla lex divina eam in rem exſtat, ipſeque poſtea faſſus eſt Origenes, ſe male interpretatum eſſe locum *Matth. XIX*, 12. Vid. Huet. *Origeniana I*, 1. 13. *p.* 8. Nemo deinde negaverit, contra officium facturum Chriſtianum, qui vel circumciſionis legem accipere, vel Deum ſacrificiis propitiare velit, quamvis utrumque olim ad fidelium officium pertinueret. *Gal. III*, 23. 25. *IV*, 3. 4. 5. *V*, 2. *Col. II*, 20. *Hebr. IX*, 9. 10. Denique ſi quis occupet officium judicis, quem ſacro munere fungi oportebat, praeter officium agit, & ἀλλοτριοεπισκοπίας reus eſt, quum idem faciens judex, quod officii eſt, faciat, 1. *Petr. IV*, 15.

§. CXXII. Quumque obligatio, ex qua quiſque, quod officii eſt, facit, vel perfecta, vel imperfecta ſit: (§. CXX.) 5. OFFICIUM quoque aliud PERFECTUM, aliud IMPERFECTUM eſſe oportet, quorum illud ex obligatione perfecta, ſeu lege; hoc ex imperfecta, ſeu virtute proficiſcitur. (*) (§. IX, 10.) Diviſio in perfectum, & imperfectum.

(*) Sic officia PERFECTA ſunt, neminem laedere, ſervare pacta, damna data reſarcire, & ſimilia. IMPERFECTA, opis noſtrae indigis ſubvenire, ſtipem elargiri pauperibus, errantibus comiter monſtrare viam, rerum ſuarum incertis conſilium dare, & quae ſunt hujus generis alia. Vid. Cicero *de offic. III*, 12. *ſequ.*

§. CXXIII. Deinde quum norma officiorum ſit lex, (§. CXXI. 1. 2.) lex vero vel *divina* vel *humana* ſit, divina denique in *naturalem & poſitivam* diſpeſci poſſit: 6. totuplicia etiam erunt officia, quorum 7. illa, quae ad legis divinae naturalis normam componuntur, NATURALIA; 8. quae legi divinae poſitivae attemperantur, CHRISTIANA; 9. quae denique ex legis humanae praeſcripto praeſtantur, CIVILIA adpellare licebit (*). In naturale, Chriſtianum, & civile.

(*) E. g. NATURALIA officia ſunt, Deum religioſe colere, parentibus parere, vim atque injuriam a ſe propulſare, l. 2. l. 3. D. de juſt. & jure. Officia CHRISTIANA, ſe ipſum abnegare, crucem ferre, Chriſtum imitari. CIVILIA, tributa pendere, contra priſtinam formam non aedificare, ſollemnitates,

quas leges in ſingulis actibus exigunt, adhibere, tempora fatalia in lite forenſi obſervare, cetera.

In officium erga Deum, nos ipſos, & alios homines.

§. CXXIV. Denique praecipua officiorum diviſio ab ipſo objecto proficiſcitur. Quemadmodum enim tria ſunt, quibus certa officia debemus, entia, DEUS, NOS IPSI, & ALII HOMINES: (§. XC.) 10. ita totidem ſunt officiorum genera, quorum alia DEO O. M.; alia NOBIS IPSIS; alia ALIIS HOMINIBUS praeſtanda ſunt, de quibus jam ſuo ordine erit agendum.

Fundamentum officiorum erga Deum.

§. CXXV. Quod ad officia ERGA DEUM attinet, ea ex Dei perfectionibus infinitis eruenda eſſe, jam ſupra monuimus (§. LXXXVII, 51.) atque inde collegimus, eum non alio amore, quam DEVOTIONIS ac OBEDIENTIAE proſequendum, ac proinde, tamquam ens perfectiſſimum, a quo toti pendemus, omnibus animi viribus colendum, eique perfectiſſimum ac internum obſequium praeſtandum eſſe. (§. XCI, 61.)

Obligatio ad agnitionem Dei.

§. CXXVI. Quum ergo omnia, quae DEO O. M. debemus, officia ex infinitis ejus perfectionibus eruenda ſint: (§. CXXV.) conſequens eſt, 11. ut obſtrictus ſit homo ad notitiam Dei ejuſque perfectionum vivam non modo adquirendam, ſed & 12. quotidie magis magiſque amplificandam, & 13. ad majorem certitudinis atque evidentiae gradum evehendam. Quod quum fieri poſſit tum meditatione adſidua earum veritatum, quas ipſa recta ratio ſuggerit, tum rerum creatarum contemplatione, tum inſignium, quae quotidie animadvertere poſſumus, ſapientiae providentiaeque divinae argumentorum conſideratione adcuratiore: nemo non videt, 14. ad omnia haec nos eſſe omnino obligatos, 15. eoſque, qui haec cuivis obvia Deum inveſtigandi media negligunt, ſi ſanam mentem nacti ſint, in ignoratione; & ſi Deo ullam imperfectionem tribuant, in errore inexcuſabili, verſari. (*) (§. CVII, 33.)

(*) Hinc & Apoſtolus τὸ γνωςὸν τῦ θεῦ, id eſt, *quod de Deo cognoſci poteſt*, ipſis paganis manifeſtum eſſe teſtatur, quia τὰ ἀόρατα αὐτῦ ſeu *inviſibilia Dei* jam inde a mundi primordiis ex rebus creatis innumeriſque ſempiternae potentiae ac divinitatis argumentis intelligi ac perviderі potuerint, atque inde colligit, εἶναι αὐτὺς ἀναπολογήτυς, *eſſe illos* inexcuſabiles. *Rom.* I, 20. Et unde quaeſo ille gentium omnium de Deo ejuſque perfectionibus conſenſus, quem urgent Cicero *Quaeſt. Tuſc.* I, 13. *de nat. Deor.* II, 2. Maxim. Tyr. *Diſſ. Platon.* XXXVIII. Aelian. *Var. Hiſtor.* II, 31. Seneca *Epiſt.* CXVII? Quamvis enim conſentiens illa gentium opinio non ſit argumentum ἀποδεικτικὸν, Deum exſiſtere (§. LXXI, *) inde tamen luculenter demonſtratur, quod ſcripſerat Apoſtolus, φανερὸν εἶναι τὸ γνωςὸν τῦ θεῦ. Unde Cicero *de Nat. Deor.* II, 2. *ſi quis dubitet, an ſit Deus, ſe haud ſane intelligere*, ait, *cur non idem, ſol ſit, an nullus ſit, dubitet.*

Et rectas de eo e-

§. CXXVII. Ex eodem patet, 16. ad officium noſtrum pertinere.

nere, ut rectas de DEO ſententias habeamus, (*) eumque 17. & exſiſtere, & 18. rerum omnium auctorem ac conditorem eſſe, & 19. omnia ſua providentia regere ac conſervare, 20. rerum praecipue humanarum curam gerere, denique 21. eumdem eſſe ens SIMPLEX, AETERNUM, INDEPENDENS, INCOMPREHENSIBILE, OMNIPRAESENS, UNUM, INTELLIGENS, SAPIENTISSIMUM, PRAESCIUM, OMNISCIUM, LIBERRIME VOLENS, OMNIPOTENS, VERAX, JUSTUM ac OPTIMUM, (*Elem. philoſ. mor. §. CLXXXII. ſequ.*) non modo perſuaſi, ſed & certo convicti ſimus.

juſque perfectionibus ſententias.

(*) Recte Epictet. *Enchirid. Cap. XXXVII.* Τῆς περὶ τοὺς θεοὺς εὐσεβείας ἴσθι, ὅτι τὸ κυριώτατον ἐκεῖνό ἐστιν, ὀρθὰς ὑπολήψεις περὶ αὐτῶν ἔχειν, ὡς ὄντων, καὶ διοικούντων τὰ ὅλα καλῶς καὶ δικαίως. *Religionis erga Deos immortales praecipuum illud eſſe ſcito: rectas de iis habere opiniones, ut ſentias, & eſſe eos, & bene juſteque adminiſtrare univerſa.* Et ſane mirifice falluntur, qui ſolam probitatem vitaeque integritatem totam religionem abſolvere ſibi perſuadent, & perinde eſſe exiſtimant, quid quiſque de Deo & rebus divinis ſentiat. Quum enim omnia erga Deum officia ex ejus perfectionibus eruenda ſint: (§. CXXV.) qui fieri poteſt, ut quis Deum ea, qua par eſt, veneratione proſequatur, eique per omnia parendum eſſe, ſtatuat, qui vel ignorat ejus perfectiones, vel de iis perverſiſſimas ſententias imbibit? (§. XXX.)

Omnis impietas & blaſphemia inexcuſabilis.

§. CXXVIII. Qui Deum, ejuſque perfectiones, praefracte negat, IMPIUS; qui ei imperfectiones, a natura Dei abhorrentes, tribuit, vocabulo e ſacris litteris depromto, BLASPHEMUS adpellatur. Quum ergo & qui perfectiones Dei non agnoſcunt, quas cognoſcere poterant, in ignoratione; & qui ei ullam imperfectionem tribuunt, in errore inexcuſabili verſentur: nemo dubitabit, 22. quin omnis IMPIETAS & BLASPHEMIA ſit inexcuſabilis: & 23. quin IMPII ſint, ac ἀναπολόγητοι, qui Numen eſſe, vel illud univerſum hoc curare, obſtinato animo negant; 24. BLASPHEMI autem, quicumque paganorum cum Homero, aliiſque poëtis, plures Deos, eoſque inter ſe litigantes, adulteros, inceſtuoſos, quin & deformes, claudicantes, vulneribus confoſſos, & muliebriter ejulantes, finxerunt, & 25. tam abſurdas de Diis ſententias non modo verbis profeſſi ſunt, ſed & 26. ſimulacris horrendis, & 27. caerimoniis nefandis ac turpiſſimis, hominum oculis exponere non dubitarunt (*).

(*) Acriter merito hanc impietatem ac blaſphemiam paganis exprobrarunt ſcriptores Chriſtiani, apologiarum auctores, veluti Juſtinus Martyr, Athenagoras, Theophilus Antiochenus, Tatianus, Hermias, Tertullianus, Cyprianus, Minucius Felix, Arnobius, Lactantius, Euſebius, Julius Firmicus Maternus, & alii. Quin, quod magis mireris, & ipſi pagani prudentiores hanc ſuorum hominum inſaniam exagitarunt. Ne plura Luciani aliorumque veterum philoſophorum teſtimonia hic adcumulem, unum adſcribere juvabit

locum

locum Sophoclis, quem nobis ſervarunt Juſtinus Martyr *Paraeneſ. ad Graec. p.* 17. & *de monarchia Dei p.* 104. Euſeb. *Praepar. evang. p.* 348. & alii:

Εἷς ταῖς ἀληθείαισιν, εἷς ἐστὶν θεός,
Ὃς οὐρανόν τ' ἔτευξε, καὶ γαῖαν μακράν,
Πόντου τε χαροπὸν οἶδμα κἀνέμων βίας.
Θνητοὶ δὲ πολλοὶ καρδίαν πλανώμενοι,
Ἱδρυσάμεσθα πημάτων παρα ψυχὰς
Θεῶν ἀγάλματ' ἐκ λίθων ἢ χαλκέων,
Ἢ χρυσοτεύκτων, ἢ ἐλεφαντίνων τύπους.
Θυσίας τε τούτοις, καὶ καλὰς πανηγύρεις
Τεύχοντες, οὕτως εὐσεβεῖν νομίζομεν.

Unum profecto Numen, unus eſt Deus,
Qui condidit coelum & ſolum terrae patens,
Mariſque fluctus, vimque ventorum gravem.
Plerique noſtrum mente ſed capti, Deum
Simulacra nobis, ceu mali ſolatium,
Cum ſaxea atque acerna conſecravimus,
Tum & aureas eburneaſque imagines.
Has victimis placamus, Hi feſtos dies
Agimus: pios hoc eſſe nos rati modo.

Quis non miretur Sophoclem, idem ſuis exprobrantem, quod iiſdem poſtea exprobravit Apoſtolus *Rom. I,* 21. 22. 23.

Obligatio ad gloriam Dei provehendam.

§. CXXIX. Qui vivam perfectionum entis alicujus notitiam ſibi peperit, is non poteſt non iiſdem unice ac mirifice delectari. Quumque qui entis cujuſdam perfectionibus ipſi delectantur, nihil faciant reliqui, ut alii omnes illud eadem veneratione proſequantur, ad officium ſane noſtrum pertinet, 28. ut & alii, Dei ejuſque perfectionum ignari, tam praeclara doctrina imbuantur, & 29. errantes reducantur in viam, & 30. impii, quoad ejus fieri poteſt, ad concipiendam ſummi Numinis reverentiam ſolidis demonſtrationibus ac cohortationibus excitentur (*). Quod qui faciunt, ii 31. GLORIAM DEI, quantum in ipſis eſt, PROVEHERE vere dicuntur.

(*) *Demonſtrationibus* dicimus & *cohortationibus*, non poenis & ſuppliciis. Quum enim ignorantia & error ſint vitia non voluntatis, ſed intellectus: iis vero non alia medicina parata ſit, quam ut mens convincatur de veritate, ad eamque admittendam argumentis inflammetur: facile patet, eos nec ignorantibus prodeſſe, nec errantes in viam reducere, qui lege agi, ferrumque & flammas expediri jubent adverſus atheos, maxime quum jam inde ab antiquiſſimis temporibus plerumque atheorum vocabulo diffamati ſint σωφρόνως βεβιωκότες, καὶ καθεωρακότες ὀξύτερόν τι τῶν λοιπῶν ἀνθρώπων ἀμφὶ τοὺς θεοὺς πλάνην, *viri temperanter & modeſte viventes, & reliquis hominibus ad pervidendam vulgarem circa Deos impoſturam acutiores*, uti loquitur Clemens Alex. *in Protrept.* pluribuſque exemplis docuerunt viri docti, ut Aelian. *Var. Hiſt.* II, 31.

Itemque ad amorem Dei.

§. CXXX. Quia, cui perſpectae ſunt infinitae Dei perfectiones, is illis non poteſt non magnopere delectari, (§. CXXIX.) adpetitio vero boni, cum percepta ex ejus perfectione & felicitate delectatione conjuncta, AMOR vocatur: (§. LXXX.) conſequens eſt, 32. ut Deus ſit amandus. Et quum, quo major eſt entis perfectio vel ſublimitas, eo majorem illi amorem ac venerationem debeamus: (§. LXXXVII.*) 33. Deus amandus erit amore perfecti,

fectiſſimo, id eſt, uti ſcriptura monet, *ex toto corde, ex tota anima & ex omnibus viribus*, *Matth. XXII*, 37. *Luc. X*, 27. Quia denique & bonitas Dei inter ejus perfectiones, (§. CXXVII, 21.) Deus vero & *in ſe*, & *ratione hominis* bonus eſt: (*Elem. phil. mor. §. CLXXXIX.*) merito dixeris, 34. Deum ob utramque cauſſam amandum eſſe (*).

(*) Notum eſt, quid de amore Dei puro olim philoſophati ſint Epicurei & Sadducaei, & noſtra memoria quidam myſticae theologiae paullo ſtudioſiores, & in primis Franc. Salignac de Fenelon, Archiepiſcopus Cameracenſis, cujus libellus, inſcriptus *Explication des maximes des Saints ſur la vie intérieure*, occaſionem dedit controverſiae, cujus hiſtoriam jam alibi veluti in nucleo exhibuimus (*Elem. phil. mor.* §. *CXCIX.* *) Sed quis Deum aliter concipiat, quam tamquam ens aliis quoque rebus creatis bonum? Quam inanis ergo ſit illa de puro amore quaeſtio, immo quam periculoſa, jam oſtenderunt Leibnitius *in praeſ. prodromi & mantiſſae Codicis jur. gent. diplom.* & Wolff. *in den vernunftigen gedancken vom thun und laſſen des menſchen* §. *DCLXXXVIII.*

§. CXXXI. Inter perfectiones Dei etiam ſunt omnipraeſentia, & omniſcientia. (§. CXXVII.) Has ſibi ob oculos ponere non poteſt homo, 35. quin excitetur ad ſtudium indefeſſum, omnia, quae Deo placeant, agendi, omniaque, quae eidem diſpliceant, omittendi, quod ſtudium vocamus OBSEQUIUM erga Deum. Et quum ſimul Deum non poſſit ſibi non tamquam ens juſtiſſimum repraeſentare: 36. quam maxime ſollicitus erit, ne eum ulla re offendat, aut quidquam dicat faciatve, quod conjunctum ſit cum ejus ignominia, quove ejus indignationem adverſus ſe provocet. Quam ſollicitudinem vocamus TIMOREM DEI, & illum quidem FILIALEM, quia cum flagrantiſſimo amore eſt conjunctus. (*) (§. CXXX.) Nec non ad obſequium & timorem Dei.

(*) Itaque TIMOR FILIALIS cum amore; SERVILIS cum odio conjunctus, aut ſaltim ab amore ſejunctus eſt. Quum ergo ad hominis officium pertineat non ſolum timere Deum, verum etiam eundem flagrantiſſimo amore proſequi: (§. CXXX.) conſequens eſt, ut jus naturae exigat timorem FILIALEM, non SERVILEM, qui & in homines ſceleratiſſimos, quin & in malos genios, cadere poteſt.

§. CXXXII. Qui ſervili timore Deum metuit, is a timore Dei ſejungit amorem ejuſdem. (§. CXXXI. *) Quum vero amor in eo conſiſtat, quod Dei perfectionibus unice delectemur: (§. CXXX.) 37. is, qui Deum, cujus perfectiones non perſpicit, metuit, SUPERSTITIOSUS vocatur: (*) ex eoque conſequitur, 38. ut omnis ſuperſtitio, quippe quae ex timore ſervili proficiſcitur, (§. CXXXI.) viro probo ſit fugienda. Itemque ad vitandam ſuperſtitionem.

(*) Eſt ergo SUPERSTITIO timor Dei, qui non ex perfectionum divinarum contemplatione, ſed ex falſis de Deo conceptibus, proficiſcitur. Idemque voluit Theo-

Theophraſtus *Charact. p.* 47. dum ſuperſtitionem vocat, δειλίαν πρὸς τὸ δαιμόνιον, *meticuloſum erga Numen adfectum.* Per δειλίαν enim, teſte Caſaubono *in Not.* intelligit *metum alium ab eo, qui pios decet:* per τὸ δαιμόνιον *& deos, & daemones, & quidquid divinitatis eſſe particeps, male ſana* [illegible]*tavit antiquitas.* Quum vero metus tum abſurdus tum in interno adfectu conſiſtere, tum actionibus externis ſeſe prodere poſſit: priorem INTERNAM; poſteriorem EXTERNAM, ſeu CULTUM SUPERSTITIOSUM vocamus.

Ejuſque effectus. §. CXXXIII. Quum ergo omnis ſuperſtitio tum interna tum externa, viro probo cane pejus & angue ſit fugienda: (§. CXXXII.) 39. merito vir pius abhorret ab omni meticuloſo adfectu erga res creatas, itemque 40. ab erroribus, quibus quis ſibi Deum, tamquam ens avarum & donis facile placabile, ſiſtit, praeterea 41. a magia & divinationibus, 42. & cultibus fictitiis, denique 43. ab abſurda opinione, Deum ſolo cultu externo, quamvis ab omni amore ac timore ſejuncto, poſſe propitiari (*).

(*) Sunt haec praecipua capita, in quibus ſeſe exſerit ſuperſtitio, quippe ad quae reliqua ſuperſtitionis effecta omnia referri poſſunt. Vid. Budd. *de atheiſmo & ſuperſtit. Cap. VIII. & IX.* Unde facile patet, quam inanis ſit comparatio atheiſmi & ſuperſtitionis, quum utraque verae pietati erga Deum aeque adverſetur, ut idem vir doctiſſimus adverſus Petri Baelii ſententiam pluribus oſtendit *ibidem Cap. IV. §. V. p. 346. ſequ.* Nemo tamen negaverit, ex ſuperſtitione plurima maximaque incommoda redundare in rempublicam, ut non poſſis non mirari,

Quantum religio poſſit ſuaſiſſe malorum,

ſi per religionem intelligas timorem Dei ab omni recta ratione ſejunctum, id eſt, ſuperſtitionem. Quo in primis pertinet lectu digniſſima Juvenalis *Satyra XV.* Nam ſaepe contigit, quod ibi refert poëta *v. 33. ſequ.*

Inter finitimos vetus atque antiqua ſimultas,
Immortale odium, & nunquam ſanabile vulnus.
Ardet adhuc Ombos & Tentyra. Summus utrimque
Inde furor vulgo, quod numina vicinorum
Odit uterque locus, quum ſolos credat habendos
Eſſe Deos, quos ipſe colit.

Et ad fiduciam in Deo collocandam. §. CXXXIV. Praeterea, quum nemo de infinitis Dei perfectionibus poſſit cogitare, quin ejus omniſcientiam, ſapientiam, potentiam & bonitatem ſimul ſibi repraeſentet: (§. CXXVII.) fieri etiam non poteſt, 44. quin homo omnem fiduciam in Deo collocet, & 45. in ejus providentia unice adquieſcat, quin & 46. quaecumque Deus de ſe ſtatuerit, forti ac intrepido animo ferat, denique 47. nec, ſi bonis mala, vel malis bona eveniant, offendatur aut animum deſpondeat, ſed 48. & mala iſta ſibi aliiſque eſſe profutura, certo perſuaſus convictuſque ſit.

Cultus Dei inter- §. CXXXV. Et in his quidem ſimilibuſque officiis cultus Dei INTERNUS conſiſtit, per quem intelligimus amorem, timorem ac fidu-

fiduciam, quibus Deum pura mente proſequimur. Quandoquidem vero ita natura comparatum eſt, ut adfectus in actiones externas erumpat: vix ſincerus videretur cultus ille interior, niſi inde naſceretur EXTERNUS (*), qui in actionibus externis, ex amore, timore ac fiducia erga Deum profectis, conſiſtit. nus & externus;

(*) Equidem neceſſitatem cultus iſtius externi ex ratione poſſe demonſtrari, quidam negarunt, partim quod hoc cultu non indigeat Deus, ceu recte viderit Demonax, philoſophus apud Lucian. *in Demonacte p.* 86 [illegible] *Tomo* I. dum accuſatus impietatis, quod nullum umquam ſacrificium Minervae obtulerit: reſponderit: οὐδὲ γὰρ δεῖσθαι αὐτὴν τῶν παρ' ἐμοῦ θυσιῶν ὑπελάμβανον. *Neque enim illam oblatis a me ſacrificiis indigere, putabam:* partim quod ſocietas humana vitaeque tranquillitas, omiſſo cultu externo, non laedatur. Thomaſ. *Juriſpr. div. II*, 1. 11. *ſequ.* & *introd. in Ethic. III*, 37. *ſequ.* Sed nec cultu interno indiget Deus, quem tamen neceſſarium eſſe, nemo negaverit. Alterum vero argumentum facile corruit, ſi deſtruxeris πρῶτον illud ψεῦδος, quaſi nihil, niſi quod ex ſocialitate conſequitur, juris naturae ſit. (§. LXXV.) Conferri tamen meretur Hochſtetter. *Colleg. Pufendorff. Exerc. III*, 38.

§. CXXXVI. Quum ergo cultus Dei externus in actionibus externis ex amore, timore, ac fiducia erga Deum profectis conſiſtat, (§. CXXXV.) amor vero non poſſit non efficere, ut cujus perfectione & felicitate unice delectamur, eum quoque verbis celebremus: officii noſtri erit, 49. de Deo ſemper honorifice, & cum reverentia loqui, 50. alios ſermonibus & actionibus noſtris ad eumdem amorem accendere, 51. Deo hymnos canere, 52. nec ejus nomen temere jurando pejerandove, vel ſermonibus quibuſcumque futilibus, ignominia adficere. E xternus fluere debet ex amore Dei.

§. CXXXVII. Ex timore Dei, obſequioque, quod enti illi perfectiſſimo debemus, (§. CXXXI.) merito colligimus, 53. praeceptis ejus actiones noſtras etiam externas attemperandas, & 54. ſemper cogitandum eſſe, ubique praeſentem adeſſe Deum, ac ipſas cogitationes noſtras, nedum actiones externas, perſpicere (*). Ex quo prono alveo fluet praeceptum pulcherrimum, 55. cavendam eſſe omnem ſimulationem pietatis, quippe cum ſumma divini Numinis injuria ac contemtu conjunctam. Nec non ex timore Dei.

(*) Profeſſus eſt ſublimem illam doctrinam etiam Thales Mileſius, qui interrogatus a non nemine, εἰ λήθοι θεὸν ἄνθρωπος ἀδικῶν, *num lateat Deum homo injuſte agens?* reſpondit: ἀλλ' οὐδὲ διανοούμενος. *Immo ne cogitans quidem.* Clem. Alex. *Strom. V.* p. 594. Quis vero Deum praeſentem & ſpectantem omnia non reformidet? Eleganter Epictetus apud Arrian. I, 14. Ὡς ὅταν κλείσητε τὰς θύρας, καὶ σκότος ἔνδον ποιήσητε, μέμνησθε μηδέποτε λέγειν, ὅτι μόνοι ἐστὲ· οὐδὲ ἐστὲ, ἀλλ' ὁ θεὸς ἔνδον ἐστι. *Quamobrem, clauſis januis ac valvis, quum in tenebris conſederitis, nolite dicere, vos ſolos eſſe. Non enim eſtis. Non certe eſtis, ſed Deus intus eſt.* Magna ergo nobis incumbit neceſſitas pietatis, quippe de-

gentibus ſub oculis Dei, omnia cernentis.

Denique ex fiducia in Deo collocanda.

§. CXXXVIII. Denique qui fiduciam in Deo collocat, (§. CXXXIV.) numquam intermittet 56. caſtas preces fundere, nihilque 57. faciet libentius, quam ut, ſi occaſio fuerit, publice privatimque cum Deo, & de Deo, loquatur. Ea enim ſunt, quae de cultu Dei externo percipit recta ratio. Ad ritus vero quod attinet, quamvis 58. & ratio intelligat, non poſſe cultum publicum commode explicari, niſi certa loca, temporaque illi deſtinentur, & 59. tanti momenti negotium omnino exigat, ut omnia decore fiant: 60. ipſas tamen caerimonias illa nec praeſcribit, nec 61. improbat, ſi ita ſint comparatae, ut nobis in memoriam revocent ea, de quibus in cultu divino ſit cogitandum. *Cel. Wolff. vernunfft. gedancken vom thun und laſſen des menſch. §. CLXXVI. ſequ.*

CAPUT VI.

DE OFFICIIS HOMINIS ERGA SEIPSUM.

§. CXXXIX.

Homo obligatus eſt ad amandum ſeipſum.

PRaeter Deum optimum maximum nihil homini ſeipſo propius eſt, quippe cui ipſa natura tam tenerum ſui amorem impreſſit, ut iſtum emotae mentis eſſe exiſtimemus, qui adverſus ſeipſum odium concipit, ſibive male, quam bene, eſſe mavult. Nec injuſtus eſt ille SUI IPSIUS AMOR, dummodo ordinem non turbet. Eſt enim adfectus, quo quis perfectionibus ſuis ac felicitate delectatur, eaque bona conſervare, & magis magiſque quotidie amplificare ſtudet. Quum vero Deus voluerit, ut exſiſteremus, multaſque nobis perfectiones eximias dederit, quin & media ad veram felicitatem perveniendi nobis in promtu eſſe voluerit: voluit etiam procul dubio, ut conſervemur, noſtraſque perfectiones tueamur & amplificemus, veraque felicitate potiri ſtudeamus, eaque delectemur, id eſt, ut nos amemus. (§. XCII.)

Qualis iſte ſui ipſius amor?

§. CXL. Ex quo jam ſupra collegimus, (§. XCII. 64.) hominem nihil eorum, quae ad perfectionem, felicitatemque adſequendam, conſervandam, amplificandamque pertinent, praetermittere teneri, dum id ſine amoris divini violatione fieri poſſit (*).

(*) Itaque haec officia nobis non praeſtamus tantum, ut felices ſimus: (jam ſupra enim oſtendimus, falli eos, quibus *ſola eſt utilitas juſti probe mater & aequi*,) ſed quia id Dei a nobis exigit voluntas, ut perfectionibus & felicitati noſtrae

noſtrae ſtudeamus (§. *LXXVII. ſequ.*) Itaque ipſum, quod nobis debemus, officium conſiſtit in ſtudio perfectionis ac felicitatis noſtrae: non autem ſtudium illud eſt cauſſa, quae nos ad hoc officium impellit.

§. CXLI. Quum ergo ex Dei O. M. voluntate homo obſtrictus ſit ad ea omnia, quae ad perfectionem felicitatemque adſequendam, conſervandam, amplificandamque pertinent, (§. CXL.) & homo non ex ſola mente, ſed & ex corpore conſtet, & utraque ſubſtantia ejus eſſentiam abſolvat: (*Elem. phil. mor.* §. *XI.*) conſequens eſt 1. ut homo & MENTEM & CORPUS perficere, & 2. quia duae ſunt mentis facultates, INTELLECTUS & VOLUNTAS, (*Elem. phil. mor.* §. *XV.*) de utriuſque perfectionibus adſequendis, conſervandis, amplificandiſque ſollicitus eſſe debeat, adeoque 3. officia hominis erga ſeipſum partim ad totum HOMINEM perficiendum conſervandumque, partim ad INTELLECTUM, partim ad VOLUNTATEM, partim denique ad CORPUS, STATUMQUE HOMINIS EXTERNUM pertineant.

Quot ejus objecta?

(*) Obſervandum hoc contra Socratis aliorumque veterum principia, qui corpus non partem eſſe hominis, ſed ejus inſtrumentum tantum, res externas vero plane nihil ad hominem pertinere, exiſtimabant. Sic Simplicius *in prooem. comment. ad Epictet. p. 6.* Εἰ οὖν ὁ μὲν ἄνθρωπος ἄρχει τοῦ σώματος, τὸ δὲ σῶμα ἑαυτοῦ οὐκ ἄρχει, δῆλον, ὅτι οὐκ ἐστὶν ὁ ἄνθρωπος σῶμα, ἀλλ᾽ οὐδὲ τὸ συναμφότερον, διὰ τὴν αὐτὴν αἰτίαν. *Quod ſi homo corpori imperat, ipſum vero corpus ſibi non imperat, hominem corpus non eſſe, conſtat, ac ne utrumque quidem ſimul, eadem de cauſſa.* Et quibuſdam interjectis: Ὁ τοῦ σώματος ἐπιμελούμενος οὐκ ἀνθρώπου, οὐδὲ τῶν ὄντως ἡμῶν ἐπιμελεῖται, ἀλλὰ τοῦ ὀργάνου· ὁ δὲ περὶ χρήματα καὶ τὰ τοιαῦτα σπουδάζων, οὔτε ἀνθρώπου ἐπιμελεῖται, οὔτε ἀνθρώπου ὀργάνου, ἀλλὰ τῶν τοῦ ὀργάνου. *Qui corpus curat, non hominem, nec ea, quae ſunt hominis, curat, ſed inſtrumentum: qui vero pecuniae & id genus aliis rebus ſtudet, nec hominem curat, nec hominis inſtrumentum, ſed ea, quae ipſi inſtrumento ſerviunt.* Non ſine ſtrepitu talia jactabant veteres, quum ſint dogmata non modo falſa & ſtolida, ſed & peſtilentiſſima.

§. CXLII. Ex quibus porro colligimus, 4. non ſejungenda eſſe haec officia, adeoque 5. nec mentem, nec corpus negligi oportere: 6. ſi tamen contingat, ut utrique ſatisfieri non poſſit, ex pluribus bonis vel perfectionibus, quas ſimul adſequi non poſſumus, nos praeſtantiſſimam ac ſumme neceſſariam eligere, (§. XCIV. *) ac proinde, 7. quum mens corpore ſit multo praeſtantior, *Elem. philoſ. mor. §. XIII.*) perficiendae menti noſtrae tunc magis, quam corpori, ſtudere, at 8. neutram tamen noſtri partem plane negligere debere (*).

Officia erga ſeipſum non ſunt ſejungenda vel ſeparanda.

(*) Itaque contra officium faciunt, qui ita curant corpus, ut mentem obbruteſcere patiantur. Sed ii non magis ſatisfaciunt officio, qui doctrinae atque intellectus perficiendi ſtudio ita immorantur libris, ut iis immoriantur.

Neutrum ergo officium negligendum, quamvis ſi quis e. g. ſtudio theologico conſecratus, non tantum ſibi vel otii, vel ſumtuum ſupereſſe videat, ut ſtudia quaedam, quae theologum alioquin ornant, nec tamen abſciſſe ſunt neceſſaria, cum theologia conjungat, is omnino recte & ordine facere videatur, ſi id, quod praeſtantius eſt, minus praeſtanti, neceſſarium minus neceſſario praeferendum exiſtimet. Rem ſolide explicavit Cel. Wolff. *ibid.* §. *CCXXV. ſequ.*

Homo vitam ſervare ac mortem evitare tenetur.

§. CXLIII. Quod ad TOTUM HOMINEM attinet, ejus perfectio & felicitas in eo conſiſtit, ut unio mentis & corporis maneat ſalva, quia divulſis iſtis partibus, mens quidem, tamquam immortalis, ſuperſtes eſt. (*Elem. phil. mor.* §. *XIII.*) non autem homo. Quandoquidem vero homo VIVERE dicitur tantiſper, dum unio illa mentis & corporis ſalva eſt; MORI vero, ſimul ac partes illae eſſentiales a ſe invicem divelluntur: conſequens eſt, 9. ut homo ad vitam conſervandam, ac 10. proinde ad evitandam mortem, ac deſtructionem, omnino ſit obligatus, niſi 11. mens, de praeſtantiore bono per mortem conſequendo certa, mortem non quidem ultro eligat, ſed imminentem ſibi animo forti ac intrepido obeat. (*) (§. XCIV. *)

(*) Itaque inſaniiſſe dixeris Hegeſiam πεισιθάνατον, qui hominem ad conſciſcendam ſibi mortem obligatum eſſe, exiſtimabat, idque tanto argumentorum adparatu perſuadebat hominibus non magis ſanis, ut catervatim ſe in mare projicerent. Cic. *Tuſc. Quaeſt. I.* 34. *Valer. Max. VIII*, 9. Quum enim eum emotae mentis eſſe, merito judicemus, qui ſui ipſius concipit odium: (§. CXXXIX.) ea, quae ſomniavit fecitque ille Hegeſias,

Non ſani eſſe hominis, non ſanus juret Oreſtes,

maxime quum omnia referret ad voluptatem, nec futurae alicujus felicitatis ſpes atque exſpectatio vitam hanc illi acerbiorem mortemque ſuaviorem redderet. Contra nihil praeter officium optabat Apoſtolus, dum cupiebat diſſolvi, non martyres eo nomine erant reprehendendi, qui certa ſpe futurae gloriae freti, nullos cruciatus, nullumque ſupplicium pertimeſcebant, quia, quod malum minus nos majori malo ſubducit, bonique praeſtantioris reddit participes, potius bonum, quam malum eſt. (*Elem. phil. mor.* §. *CLII*, 12. juncto §. *CLI*, 8.)

Ac proinde mors voluntaria injuſta eſt.

§. CXLIV. Inde porro colligimus, 11. contra officium agere, qui ipſi ſibi violentas manus inferunt. Quod & aliis modis facile poteſt demonſtrari, veluti quod hujuſmodi actio naturae amoris & boni indoli repugnat, adeoque contradictionem involvit: (*Elem. philoſ. mor.* §. *CLIII.* *) quod mors hujuſmodi voluntaria non poteſt conſiſtere cum illa fiducia in Deo collocanda, mentiſque adquieſcentia in voluntate Dei, quas ſupra inter officia hominis erga Deum eſſe probavimus. (§. CXXXIV.) Sed adjicere jam juvabit hoc unum argumentum: Homo tenetur hominem amare, tamquam ſeipſum; ac proinde ſeipſum, tamquam alios homines.

nes. (§. XCIII. 65. 66.) Atqui amor juſtitiae non patitur, ut hominem occidamus. Idem ergo non patitur, ut nos ipſos occidamus (*).

(*) Aſt ita philoſophandum cum iis, qui ſcientes & prudentes in ſeipſos ſaeviunt: non cum iis, qui ex furore vel inſania ſibi inferunt manus. His actio, tam triſtis ne imputari quidem poteſt: (§. CVI, 29.) illis quum ſine cauſa tale quid feciſſe videri nequeant, vel conſcientia criminis, vel calamitatum, quibus excruciantur, magnitudo, vel metus dirae atque ignominioſae mortis conſilium tam truculentum extorquet. Quarum cauſſarum prima manifeſto non excuſat, quum ſuperſit medium, cum conſcientia redeundi in gratiam. Reliquae non deſtituuntur colore, quia ex duobus malis phyſicis merito minus videtur eligendum. (*Elem. phil. mor.* §. *CLII.* * 2.) Sed quum nec malum phyſicum ſit mors voluntaria, ſed morale, quod eligi non poteſt, & calamitas dolorque concipi vix poſſit, quem non adquieſcentia in voluntate Dei lenire poſſit ac debeat: quin & plerumque furor non poſtremus ſit, ne moriare, mori: Martial. *Epigr. II,* 80. ne his quidem caſibus dici poteſt, ſuae quemque vitae mortiſque eſſe arbitrum. Wolff. *philoſ. moral.* §. *CCCXL. ſequ.*

§. CXLV. Ex iiſdem axiomatibus, paullo ante (§. CXLIII.) explicatis, patet, 12. non minus contra officium facere, qui immodicis laboribus, vel 13. luxu & libidine, ſibi mortem accelerant, vel 14. valetudinem parum curant: quique 15. nec neceſſitate, nec officio urgente, pericula ultro adeunt, eaque ratione ipſi ſibi ſuo jumento malum arceſſunt *(*)*. Nec non vitae & valetudinis neglectus.

(*) Quiſquis enim actionis alicujus auctor vel cauſſa eſt, ei actio illa jure imputatur. (§. *CV,* 22.) Quis vero dubitet, quin mortis ſuae cauſſa ſit, qui ſe intolerabili labore excruciat? qui luxu & libidine vires corporis animique deterit proſternitque, qui valetudinis nullam habet rationem, periculis manifeſtiſſimis ſeſe praeter neceſſitatem objicit? Quum ergo vel in foro humano ex lege Cornelia ſicarius habeatur, non ſolum qui dolo malo occidit hominem, ſed & qui neci cauſſam praebuit: *l.* 16. §. 8. *D. de poen. l.* 1. *D. ad L. Cornel. de ſicar.* quis dubitet, quin multo magis in foro divino reus procidii futurus ſit, qui ſibi ipſe mortis cauſſam praebuit?

§. CXLVI. INTELLECTUS humani perfectio procul dubio in cognitione veri & boni conſiſtit. (*Hiſt. philoſ.* §. *I.*) Ad quam adſequendam, conſervandam, amplificandam, quum homo ſit obſtrictus: (§. CXL.) conſequens eſt, 16. ut unumquemque oporteat de adquirenda ſibi mentis perſpicacitate, facultateque verum & falſum, bonumque & malum diſcernendi laborare, 17. nullamque occaſionem ſive ex aliorum inſtitutione, ſive ex libris, ſive per experientiam, veritates utiles, praeceptaque de bono & malo (*) addiſcendi praetermittere, & 18. ſi forte ejus ſit conditionis, ut omnia, quae utilia eſſent, addiſcere non poſſit, eum vel ſaltim id, Officia hominis ratione intellectus. Cultura ejus omnibus communis.

quod optimum maximeque neceſſarium eſt, tanto accuratius veluti in numerato habere debere. (§. CXLII, 6.)

(*) Haec cognitio omnibus peraeque neceſſaria eſt, partim quod voluntas non poteſt adpetere, niſi quod intellectus ſibi, tamquam bonum, repraeſentavit, nec averſari, niſi quod illa tamquam malum agnovit. (§. XXX, 5.) partim quod imputantur actiones, etiam ex ignorantia admiſſae, quatenus legem & potuit & debuit homo perſpectam habere. (§. CVIII, 37. 38.) Recte ergo Sophocles *in Antigone v.* 1321. πολλῷ τὸ φρονεῖν εὐδαιμονίας πρῶτον ὑπάρχει. *Sapere ad beatitudinem praecipuum eſt.*

Et ſingulis propria.

§. CXLVII. Ex qua poſtrema propoſitione, (§. CXLVI,) 18. porro conſequitur, 19. ut, quemadmodum ad officia, adhuc recenſita, omnes peraeque obligati ſunt: ita 20. ſpeciatim quiſque ad eam intellectus culturam ſit obſtrictus, quae ejus indoli ingeniique viribus, nec non fini & vitae conditioni conveniat, ac proinde 21. ſuam quiſque indolem ſuaſque vires accurate exploratas habere debeat; 22. vix quippe excuſandus, ſi quod vitae genus, cui minus idoneus ſit, temere atque invita Minerva, vel ipſe eligere, vel 23. aliis in poteſtate ſua conſtitutis vel diſciplinae ſuae creditis obtrudere non dubitarit (*).

(*) Itaque cultura, ad quam obligati ſumus, intellectus alia GENERALIS eſt, ad quam omnes homines peraeque obligati ſunt, de qua §. CXLVI, alia SPECIALIS, ad quam ſinguli tenentur, de qua hoc §. CXLVII. Illius fundamentum eſt ratio, quam cum omnibus hominibus communem habemus, quamque pro virili perficere tenemur omnes: hujus vero cujuſque indoles, id eſt, vires judicii, intellectus & memoriae, quae quum non apud omnes eaedem, nec eodem gradu ſint: non omnes homines ad idem vitae genus idoneos eſſe, facile patet. Hinc porro colligimus, VOCATIONEM DIVINAM SPECIALEM, (ſi ab inſtinctu divino atque extraordinario diſcedamus,) nihil aliud eſſe, quam voluntatem Dei de certo vitae genere ab homine eligendo, per dotes animi ac corporis ei conceſſas declaratam. De qua Perſius *Sat. III, v.* 71.

Quem te Deus eſſe
Juſſit, & humana qua parte locatus es in re,
Diſce.

Officia ratione voluntatis.

§. CXLVIII. VOLUNTATIS perfectio conſiſtit in adpetitione & fruitione boni, malique averſatione. Quumque bonum non adpetamus, niſi cujus praeſtantiam intellectu praelucente perſpeximus, nec averſemur, niſi quod tamquam malum cognovimus: (§. XXX, 5.) ex eo quoque merito colligimus 22. non adquieſcendum nobis eſſe in qualicumque boni malique cognitione, ſed operam dandam, ut ea viva ſit, & efficax: 23.) Non modo bonum qualecumque eſſe adpetendum, ſed ex pluribus bonis praeſtantius magiſque neceſſarium; 24. immo ne malum quidem averſandum eſſe, quod nos majo-

majoris boni participes reddere poſſit: denique, 25. bonum ſummum prae aliis adpetendum, & reliquis bonis omnibus aequo animo carendum eſſe, ſi illo ſine his potiri non poſſimus (*).

(*) Hinc jam alibi oſtendimus, falli eos, qui ſummam felicitatem, ad quam in hac vita connitimur, in fruitione omnium bonorum conſiſtere exiſtimant: veluti Platonem apud Ciceronem *Quaeſt. Acad. I. 6.* Id enim cum non cadat in hominem, nec in hujus vitae conditionem: conſequens eſt, ut ſaltim ad adſequendum bonum ſummum ac praeſtantiſſimum, quod τὴν ἀγαθὴν μερίδα eleganter vocat Servator, *Luc. X*, 42. omne ſtudium conferre teneamur. (*Elem. phil. mor.* §. *CXXXIX. ſequ.*)

§. CXLIX. Praeterea, quum is, qui obligatus eſt ad finem, is & ad media ſit obligatus: conſequens eſt, 26. ut nihil eorum, quae recta ratio praeſcribit, ad ſummam felicitatem contendentibus, & quae alibi (*Elem. phil. mor. §. CCXLIX. ſequ.*) explicavimus pluribus, praetermittendum, ſed 27. de emendanda mente, 28. adfectibus ratione regendis, (*) 29. vitiis denique magis magiſque animo evellendis, dies noctesque ſerio cogitandum ſit. Voluntatis emendatio maxime neceſſaria.

(*) Saepe enim ſoli illi animi impetus hominem ita in tranſverſum agunt, ut fine ſuo excidat, & vel vera felicitate careat, vel triſtem ejuſdem faciat jacturam. Praeterea generatim non faciet umquam officium, quisquis adfectus non habet in poteſtate, quippe qui ita pervertunt diſtorquentque animi judicium, ut nihil recte & ordine fiat. (*Elem. phil. mor.* §. *XXXV.*) Papin. Stat. *Thebaid. Lib. X. v. 626.*

Ne fraenos animo permitte calenti:
Da ſpatium, tenuemque moram, male
cuncta miniſtrat
Impetus.

Nimirum *ratio ipſa, cui fraena traduntur, tamdiu potens eſt, quamdiu diducta eſt ab adfectibus. Si miſcuit ſe illis, & inquinavit, non poteſt continere, quos ſubmovere potuiſſet. Commota enim ſemel, & concuſſa mens ei ſervit, a quo impellitur* Seneca *de ira I, 7.*

§. CL. Supereſt corpus, cujus perfectio quum in eo conſiſtat, ut omnes ejus partes ad motus neceſſarios idoneae ſint: ex hoc quoque conſequitur, 30. ut obligati ſimus ad tuendam ſanitatem, ac proinde 31. & in cibo potuque capiendo, & 32. in laboribus, & 33. in exercendo corpore omnia ad tuendam valetudinem, agilitatemque, & vires tanto majores adquirendas, referre, (*) contra ea 34. omnem corporis deſtructionem & mutilationem membrorum a nobis, quantum fieri poteſt, amoliri teneamur. Obligatio ad corpus perficiendum conſervandumque.

(*) Sed hic quoque ſtatus quiſque ſui & conditionis rationem habere tenetur. Aliud enim robur, aliam agilitatem, dexteritatemque requirimus in pugile, quam in fabro: alia omnia in fabro, quam in milite, alia in milite, quam in viro docto. Ex quo patet, exercitationes quoque corporis non in omnes eaſdem cadere, adeoque prudentia hic opus eſſe, ut & finem quiſque ſuum ob oculos habeat, & media ſe digna eligat. Quin & aetas diſcrimen facit. Senex, ſi ſapit, *non vires deſiderat adoleſcentis, non plus, quam adoleſcens tauri aut*

ri aut elephant. ait Cicero *Cat. maj. Cap. IX.* Ac proinde & ſenis alia erit exercitatio, quam juvenis. Id. *ibid. Cap. XI. Pugnandum tamquam contra morbum, ſic contra ſenectutem. Habenda ratio valetudinis, utendum exercitationibus modicis, tantum cibi & potionis adhibendum, ut reficiantur vires, non opprimantur.* cetera.

Quatenus homo teneatur ad facultates quaerendas?

§. CLI. At fruſtra haec omnia urgentur, ſi quis ea paupertate prematur, ut ſibi nec ſalubrem victus rationem imperare, nec laboris modum ſuo arbitrio ſtatuere poſſit. Ac proinde 35. facile intelligitur, carere hominem non poſſe adparatu rerum, ad vitam ſtatumque ſuum decore tuendum neceſſariarum. Qui adparatus quum FACULTATUM vel, ſi adfluentior ſit, OPUM vel DIVITIARUM nomine veniat: conſequens eſt, 36. ut unuſquiſque obligatus ſit ad tantas facultates, quantas juſtis mediis parandi occaſio eſt, adquirendas, 37. juſteque adquiſitas conſervandas, & 38. prudenter diſpenſandas *(*)*.

(*) Non ergo ideo probamus AVARITIAM, vitiorum omnium peſtilentiſſimum pariter ac turpiſſimum. Avarus enim opes opum cauſſa quaerit, homo ſeipſum prudenter amans vitae decore agendae cauſſa. Illi nullum lucrum ſordet, nec medium ullum contrahendae pecuniae tam turpe ac injuſtum eſt, quo non utendum exiſtimet Euclio, cui ſemper, ſi non in ore, at in mente, eſt illud πολυθρύλλητον.

O cives, cives, quaerenda pecunia primum,
Virtus poſt nummos.

Hic non corradit opes, ſed occaſioni illas juſte adquirendi injicit manum. Denique quum avarus ſemper quaerat, & inventis miſer abſtineat, & timeat uti: multo aliter rationes componit vir ſapiens, cujus vox eſt illa Horatii *Epod. I. v.* 31.

Haud paravero,
Quod aut avarus ut Chremes terra premam,
Diſcinctus aut perdam ut nepos.

Prudenter ergo diſpenſat facultates, ne cogatur aliena quadra vivere, vel alios pecunia turpiter emungere, ne inimicis ſit ludibrio, ne creditores & improbi foeneratores limina ſua dies noctesque obſideant, ne deſit, quo amicos & indigos juvet, ne denique jam mortuus a liberis, ſua culpa mendicantibus, jure accuſetur. Quis vero haec ad boni viri officium pertinere neget?

Adeoque ad laborem & induſtriam.

§. CLII. Ex quo facile patet, 39. quum finis ſine mediis obtineri nequeat, nullum autem ſit medium, facultates neceſſarias ſibi parandi juſtius labore ac induſtria, unumquemque ad labores in eo, quod ſemel elegit, vitae genere forti animo obeundos, omnemque adhibendam diligentiam, eſſe obligatum, ac proinde 40. contra officium facere eum, qui ideo, quod vitam ocio tranſigit, cum ſumma inopia ac ignominioſa paupertate conflictatur, quum contra 41. nemini imputari poſſit paupertas, qui, quamvis nihil, quod ſuarum partium ſit, praetermittat, publica tamen vel privata calamitate fortunis evolvitur, (§. CVI. 27.) vel 42.

cui citra ſuam culpam nulla rem faciendi occaſio eſt. (*) (§. CXIV. 56.)

(*) Utrumque ergo ad boni viri pertinet officium, & occaſionem aliquid adquirendi non dimittere e manibus, & honeſtam paupertatem aequo animo ferre. Utrumque praeſtitit Jobus, qui & opes honeſtis mediis quaerere, & paupertatem ferre didicerat. Jungit utrumque officium & Horat. *Carm. III. 29. v.* 53. qui de fortuna volubili ſuo more conqueſtus:

Laudo, inquit, *manentem. Si celeres quatit*
Pennas: reſigno, quae dedit, & mea
Virtute me involvo, probamque
Pauperiem ſine dote quaero.

Itemque ad tuendam & amplificandam exiſtimationem.

§. CLIII. Quum porro homo nihil eorum, quae ad adſequendam, conſervandam, amplificandamque felicitatem pertinent, praetermittere teneatur: (§. CXL.) nemo ſane dubitabit, 43. quin ad felicitatem adſequendam, conſervandam, amplificandamque vel maxime pertineat EXISTIMATIO, quae in benigno aliorum de virtute ac perfectionibus noſtris judicio conſiſtit. Cujus enim de virtute & perfectione omnes bene ſentiunt: eum dignum felicitate judicant, ac proinde nihil eorum, quae ad illam adſequendam, conſervandam, amplificandamque pertinent, praetermittunt. Itaque *exiſtimatio* medium erit adſequendae, conſervandae, amplificandaeque felicitatis, ex eoque ſequitur, 44. ut uniuſcujuſque ſit, ſervire famae atque exiſtimationi, (*) & 45. publicis privatiſque in rebus, quae ratio praeſcribit, praeſtare, denique 46. eam non modo praeclaris actionibus tueri, ſed &, 47. ſi fieri poſſit, quotidie amplificare.

(*) Quum vero hoc & eorum ſit officium, qui nulla umquam turpi actione vel enormi facinore aliorum de ſe opinionem vel deminuerunt vel exſtinxerunt: quanto magis ad id obligatos dixeris eos, quorum fortaſſis adoleſcentia vituperatione & odio non caruit, ut hanc labem eluant virtute, ac proinde famae ſerviant? Exemplo eſſe poteſt Themiſtocles, de quo Cornelius Nep. *Cap. I. Quae contumelia non fregit eum, ſed erexit. Nam quum judicaſſet, ſine ſumma induſtria non poſſe eam exſtingui: totum ſe dedidit reipublicae, diligentius amicis* FAMAEque SERVIENS. -- *Quo factum eſt, ut brevi tempore illuſtraretur.* Sic Titum quoque Caeſarem, cujus animus in prima adoleſcentia veluti a ſeipſo exerraverat, pudore ignominiaeque metu a vitiis retractum eſſe, obſervat Sueton. *Tit. Cap. VII.* Alia exempla dabit Valer. Maxim. VI. 9. Macrob. *Saturn. II. 9.*

Et refellendas calumnias.

§. CLIV. Quumque uniuſcujuſque ad officium pertineat, famam atque exiſtimationem tueri, (§. CLIII. 46.) eam vero ſaepe deminuant aliorum CALUMNIAE, id eſt, mendaces de vitiis ac imperfectionibus noſtris ſermones: conſequens eſt, 48. ut nihil, quod ad calumnias reipſa & verbis refellendas pertinet, omittendum

ſit, 49. niſi forte illae tam putidae videantur, (*) 50. vel auctor tam levis ſit, ut eas generoſo contemtu vindicare praeſtet.

(*) Vocantur hae MANIFESTAE CALUMNIAE, quas qui verbis operoſe refellendas exiſtimat, nae is magno conatu maximas nugas agere velle videtur. Non magis illae virum bonum terrent, quam latratus catellorum. Et qui eas effutit, is non alterius, ſed ſuam, exiſtimationem turpiter evertit: Simplicius *Comment. ad Epictet. Cap. LXIV.* Οἷον, εἰ τὸ, εἰ ἡμέρα ἐστιν, ἥλιος ὑπὲρ γῆν ἐστιν, ψευδές τις ὑπολάβοι, οὐ τὸ συμπεπλεγμένον βέβλαπται. αὐτὸ γὰρ ἔχει τὴν ἑαυτοῦ ἀλήθειαν. ἀλλ' ὁ ἀπατηθεὶς περὶ αὐτοῦ οὕτω καὶ ὁ παρὰ τὸ καλῶς ἔχον λοιδορῶν σε ἢ κακοποιῶν, αὐτός ἐστιν ὁ βεβλαμμένος, σὺ δὲ οὐδὲ βέβλαψαι, οὐδὲ πέπονθάς τι κακόν: *Veluti: Si dies eſt, ſol ſuper terram verſatur. Hoc ſi quis falſum putet, non ipſum connexum damnum facit, cui ſua conſtat veritas, ſed is, qui falſum de eo ſentit. Sic etiam qui ſecus, ac decet, te conviciatur: aut male facit, ipſe eſt, cui noceatur, tibi vero ne nocitum quidem eſt, neque mali quidquam datum.* Aliud tamen dicendum de CALUMNIA SPECIOSA, id eſt, ea, quae cum aliqua probabilitate conjuncta eſt, & hinc non modo incautos, ſed & prudentiores, fallere poteſt. Hanc enim qui juſtis modis non reprimit, nec pudorem purgat, is diffidere cauſſae ſuae videbitur, ac proinde non ſatisfacit officio, quod exiſtimationem & famam, quae cum vita pari paſſu ambulat, pro virili tueri jubet.

An officia erga nos ipſos ob neceſſitatem praeferenda officiis erga Deum?

§. CLV. Quamvis vero juſtiſſimus hic ſui ipſius amor: nullum tamen dubium eſt, quin incidat in vitium, ſimul ac quis turbato amoris ordine, in ſeipſum vehementiore amore, quam in ens perfectiſſimum, puta DEUM, fertur. (§. XCII, 63.) Atque inde collegimus jam ſupra, (§. CXL.) tum demum juſtam rationem habere omnia haec officia erga nos ipſos, ſi ea cum amoris divini violatione non ſint conjuncta. Ex quo facile patet, 51. non ſemper verum eſſe, quod vulgo jactant, *neceſſitatem non habere legem.* (*)

(*) Ea regula nihil frequentius in ore hominum eſt, eaque ita vulgo utuntur, ac ſi ex tripode audita eſſet, & quaſi nihil ſit turpe & nefarium, quod excuſet neceſſitas. Euripid. *in fragm. ex Hippolyt. obtect.*

Ἐγώ γε φημὶ, καὶ νόμον γε μὴ σέβειν
Ἐν τοῖσι δεινοῖς, τῶν ἀναγκαίων πλέον.
Quoties periclum eſt, ex mea ſententia
Neceſſitati debet & lex cedere.

Claudian. *in Eutrop. Lib. II. v. 596.*

Suprema pericula ſemper
Dant veniam culpae.

Atqui ſi hoc abſciſſe verum eſſet: adverſus ſe ipſos graviter peccaſſent martyres, qui, inſuper habito illo neceſſitatis favore, nullo cruciatuum genere adduci ſe paſſi ſunt, ut aliquantulum turis flammae injicerent: nec minus ſtolide egiſſet Joſephus, qui vitae libertatiſque adire periculum, quam herae libidini ſervire maluit. Quin nemo ſanus vitio verteret militi fugam, ſi, imminente hoſte, cui ſe reſiſtere non poſſe animadvertit, ſtationem deſerere non dubitet. Plura exempla jam addere ſupervacuum eſſet, quum vel haec ſatis oſtendant, non uſquequaque veram ac ſolidam eſſe hanc regulam.

Favor neceſſitatis

§. CLVI. Quum ergo regula haec non ſemper, at aliquando tamen,

men, officio ſuo fungatur: (§. CLV, 51.) conſequens eſt, 52. ut diverſi caſus diſtinguendi ſint, quumque in hujuſmodi actione, quam nobis imperioſa neceſſitas extorſit, nulla circumſtantia alia rem variare poſſit, quam vel NECESSITAS ipſa, vel LEGIS natura, vel OFFICII, quod praetermittendum eſt, indoles: facile patet 53. haec tria paullo accuratius ac diſtinctius eſſe conſideranda, ſi, quatenus neceſſitas habeat legem, vel non habeat, explorare velimus.

quod habeat fundamentum.

§. CLVII. Per NECESSITATEM hic intelligimus ſtatum hominis, in quo legi ſine periculo ſuo parere non poteſt. Quod periculum, quoties ad ipſam vitam pertinet: neceſſitas erit EXTREMA, quoties ipſi vitae non imminet, pro magnitudine periculi MAJOR MINORVE adpellabitur. Ita & ABSOLUTA eſt neceſſitas, quae evitari nullo alio modo poteſt, quam violata lege: RESPECTIVA, quam alius quidem, at non hic homo, qui jam in illa verſatur, evitare poſſet.

Neceſſitas quid & quotuplex?

(*) Ita NECESSITAS EXTREMA imminebat martyribus, quibus aut diriſſimum ſubeundum ſupplicium, aut Chriſto maledicendum erat. Non vero extrema erat neceſſitas, qua Chriſtianos ad defectionem impellere conabatur Julianus ὁ παραβάτης, dum eos abs litterarum ſtudiis, honoribus, militia repellebat. ABSOLUTA erat neceſſitas, in qua verſabatur Daniel, beſtiis objiciendus, niſi preces miſiſſet: RESPECTIVA, quacum conflictabatur Davides, dum ei aut fame pereundum, aut panibus ſacris veſcendum erat. Alius enim, qui ſine praecipiti fuga iter feciſſet, facile procul dubio alium reperiſſet panem, quo expugnaſſet inediam.

§. CLVIII. Jam facile quiſque animadvertet, 54. in cenſum hic non modo venire neceſſitatem EXTREMAM, ſed & eam aliquando, in qua vita non periclitatur. Quum enim quaedam ſint calamitates ipſa morte acerbiores: quis dubitet, quin viro etiam conſtantiſſimo terrorem injicere poſſint dolores intolerabiles, orbitas oculorum, & ſimiles aerumnae? Praeterea quum, ubi effugium patet aliud, ex duobus malis phyſicis minimum eligendum ſit: (*Elem. phil. mor. §. CLII,* *) conſequens eſt, 55. ut abſoluta quidem neceſſitas favorem mereatur, (§. CLVII.) 56. reſpectiva tum demum, ſi quis non ſuo ſibi jumento hoc malum invenerit. (*)

Quae neceſſitas favorem mereatur?

(*) Si quis ſe ultro periculo offert, cauſſa eſt illius neceſſitatis, in qua verſatur, ac proinde ipſi eventus poteſt imputari. (§. CV. 22.) Cui actio imputatur, eum nihil excuſat, adeoque nec excuſabit neceſſitas, ſi per eum ſteterit, quo minus illa urgeretur. Hinc vix favorem meruit neceſſitas, in quam ſe conjecerat quidam; qui propoſitum adverſus Chriſtianos edictum diripuit conſciditque, ſtatimque productus non modo tortus, ſed & legitime coctus eſt, teſte Lactantio *de mort. perſequut. Cap. XIII.* Si ergo in his conſtitutus anguſtiis aliquid egiſſet adverſus honeſtatem & juſtitiam, tantum ut mortem & cruciatus ſubterfugeret, quis negaverit, eum male egiſſe? Exemplo eſſe

poteſt Quintus quidam, cujus in Epiſtola de martyrio Polycarpi meminit eccleſia Smyrnenſis, qui, quum ſponte ſe obtuliſſet martyrio, & alios ad idem faciendum perpuliſſet, viſis beſtiis, per genium Caeſaris juravit, nefandoque ſeſe polluit ſacrificio. Quare Smyrnaei graviter monent: Διὰ τοῦτο οὖν, ἀδελφοί, οὐκ ἐπαινοῦμεν τοὺς προσιόντας ἑαυτοῖς, ἐπειδὴ οὐχ οὕτως διδάσκει τὸ εὐαγγέλιον. *Nos itaque, fratres, non probamus eos, qui ultro accedunt, ac ſemet ipſos produnt, quum aliter praecipiatur in evangelio.* Similia habes apud Origenem *ad Jo. XI. 35. Tom. XXXI.*

Leges humanae & divinae adfirmativae admittunt exceptionem neceſſitatis.

§. CLIX. Lex porro quum vel DIVINA ſit, vel HUMANA, eaque vel AIENS, vel NEGANS, (§. LXIV, 9.) homo vero, etſi ſummus imperans, neminem obligare poſſit ad mortem gratis ſubeundam: conſequens eſt, 57. ut leges HUMANAE regulariter intelligendae ſint cum exceptione neceſſitatis (*). Idemque 58. dicendum videatur de DIVINIS AIENTIBUS vel ADFIRMATIVIS, quia nemini imputari poteſt omiſſio actionis, ſi agendi deſit occaſio, (§. CXIV, 56.) niſi forte 59. actionis intermiſſio ita ſit comparata, ut tendat in ſummi numinis injuriam, ſiquidem tunc lex ſimul concurrit negativa, quod nihil faciendum ſit in Dei ignominiam. (§. CXXXI, 36.) Quo referimus factum Danielis. *Dan. VI, 10.*

(*) Omnia haec liquida videntur. Homines dum ſe imperio civili ſubjecerunt, in imperantem contulerunt omnia, ſine quibus finis civitatum obtineri non poſſet. Hinc & jus vitae & necis ei conceſſerunt, at non promiſcue, quia id fini civitatis refragaretur, ſed tantum, ſi id exigat ſalus populi vel reipublicae. Itaque nec cives legibus ſuis obligare poteſt ad mortem gratis ſubeundam; ſed eo tantum caſu, ſi id exigat ſalus populi & reipublicae: adeoque ejus leges regulariter intelligendae ſunt cum exceptione neceſſitatis. Hinc eleganter Grotius *de jure belli & pac.* I, 4. 7. *n.* 2. *Ferri ab hominibus leges ſolent & debent cum ſenſu humanae imbecillitatis.*

Non autem leges divinae negantes, quae ad officia erga Deum & nos ipſos pertinent.

§. CLX. Contra ea quod ad leges divinas NEGANTES attinet, illae ad officia vel erga *ipſum Deum*, vel erga *nos ipſos*, vel erga *alios homines* nos obſtringunt. (§. XC. CXXIV.) Quae ad officia erga ipſum Deum pertinent, in ſe ita ſunt comparata, ut ſine ignominia Dei numquam intermitti poſſint. Quum vero ad ea omnia, quae cum ignominia ſummi Numinis conjuncta ſunt, omittenda ſimus obſtricti: (§. CXXXI, 36.) conſequens eſt, 60. ut nullus ſit tantus neceſſitatis favor, qui hominem, leges divinas negativas de officiis erga Deum violaturum, poſſet excuſare (*). Contra 61. ſi duo colliduntur officia erga nos ipſos, nihil tutius eſt, quam ut ex duobus malis phyſicis, quod minimum eſt, eligamus.

(*) Hinc factum ſuum excuſare non poteſt, qui quacumque neceſſitate adduci ſe paſſus eſt, ut in Deum eſſet blaſphemus, idolis ſacrificaret, perjuriove ſe pollueret. Quod & ipſi non negarunt ſcriptores profani, veluti Juvenalis,

lis, *Sat.* VIII.

Ambiguae ſi quando citabere teſtis
Incertaeque rei, Phalaris licet imperet, ut ſis
Falſus, & admoto dictet perjuria tauro,
Summum crede nefas, animam praeferre pudori,
Et propter vitam vivendi perdere cauſſas.

Quamvis vero excuſare ſe nequeunt, qui quid tale admiſerunt, neceſſitati ſuccumbentes: non tamen permittit humanae imbecillitatis ſenſus, ut eorum vicem non doleamus, quos a conſtante propoſito dimovit imperioſa hujuſmodi neceſſitas, quum noverimus, ipſi Petro, Chriſtum Servatorem neganti, datum eſſe veniam, quando eum facti poenituit. *Matth.* XXVI. 75.

Leges divinae aientes de officiis erga alios admittunt favorem neceſſitatis.

§. CLXI. 62. Quae ad officia erga alios homines pertinent, leges aientes, favorem neceſſitatis non reſpuere certiſſimum eſt, partim quod omiſſio actionis imputari non poteſt, ſi deeſt agendi occaſio, (§. CXIV, 56.) partim quod amoris leges nos non obligant, ut alterius felicitate magis, quam noſtra, delectemur, adeoque illum vehementius, quam nos ipſos, amemus. (§. XCIV, 65.) Et eatenus 63. verum eſt illud: *Proximus egomet ſum mihi.* (*)

(*) Sic e. g. lex divina non obligat quemquam, ut alium ſervet, ipſeque pereat, vel ut ipſe eſuriens, quod ſupereſt, panis fruſtulum alteri det. Id ne ipſa quidem ſanctiſſima lex amoris, quam ſacrae litterae Chriſtianis inculcant, exigit. 2. *Cor. VIII.* 13. Quare recte Seneca *de Benef. II.* 15. *Dabo egenti, ſed ut ipſe non egeam: ſuccurram perituro, ſed ut ipſe non peream.* Nec aliud in animo habuere ſcholaſtici doctores, dum finxerunt regulam: *Ordinata caritas incipit a ſe ipſa.*

Aut & negantes, ſi neceſſitas ſit a Deo?

§. CLXII. Porro NEGANTES leges de officiis erga alios objecta a Deo neceſſitate, vel cum officiis de conſervatione noſtri ipſius, vel de perfectione noſtra ac felicitate tuenda amplificandaque, colliduntur. Priore caſu, quum alterum non magis, quam nos, amare teneamur. (§. XCIV, 6.) 64. procul dubio, incumbente nobis neceſſitate, quaelibet honeſta ratio eſt expediendi ſalutem, dumne per nos ſteterit, quo minus durum illud neceſſitatis telum declinaremus, vel par ſit omnium conditio, quia aequalis adverſus aequalem nullo favore utitur: (§. CLVIII, 56.) poſteriore 65. ſatius eſt, nos perfectione aliqua vel felicitate carere, quam alterum perire, ut nos majore perfectione vel felicitate potiamur, (*).

(*) Nam perfectione aliqua vel felicitate carere malum eſt phyſicum, ſi per nos non ſtetit, ut illa potiremur. At perdere alterum, malum eſt morale, quod ſemper majus malo phyſico habendum eſt. Quum vero ex duobus malis phyſicis eligendum ſit minus, ac proinde ex concurrentibus malis phyſico & morali phyſicum: (*Elem. phil. mor.* §. *CLII.* *) non ſane peccabit, qui eo caſu cum aliquo detrimento ſuo alium conſervare periculumque ab eo amoliri cupiat. Hinc quamvis non reprehendendus ſit, qui in naufragio inhaerens tabulae, alterum eamdem, utrique non ſuffecturam, adprehenſurum depel-

depellit: inexcuſabilis tamen omnino videretur, qui ſpe majoris felicitatis, amicum proderet, quem ſalva religione prodere non poterat.

Si eadem ſit a malitia hominum?

§. CLXIII. Et haec juſtam habent rationem, ſi ipſius Dei O. M. providentia ἀμέσως contingat, ut in ea neceſſitate verſemur. (§. CLXII.) Nam ſi a malitia hominum eſt illa calamitas: aut id illi agunt, ut pereamus, aut ut neceſſitatem peccandi nobis imponant. Priore caſu, quum alium, nedum pravum, hominem vehementius, quam nos, amare non teneamur, (§. XCIV, 65.) 66. merito erit excuſandus, qui alium, quam ſe perire malit. Poſteriore 67. dira quaevis potius erunt ferenda, quam ut quidquam, quod cum ignominia Dei conjunctum ſit, admittamus. (*) (§. CXXXI, 6.)

(*) Hinc ſi vita noſtra incidat in inſidias telaque latronum: quaelibet honeſta ratio eſt expediendi ſalutem, quia nulla nos obligat ratio, ut latrones potius, quam nos ipſos, ſervemus. At male ſibi conſuluiſſet Joſephus, ſi vincula magis timuiſſet, quam adulterium, ad quod eum pellicere cupiebat uxor Potipharis. Latrones enim id agunt, ut pereamus: Potipharis uxor Joſepho neceſſitatem peccandi imponere cupiebat.

Monitum de adplicatione harum regularum ad caſus ſpeciales.

§. CLXIV. His obſervatis regulis, quarum pleraſque jam alii acute invenerunt, (*) non difficile erit, de variis ſpeciebus, quas PUFENDORFIUS & alii proponunt, judicare, quamvis, ſi recte ponas calculum, multi fingantur caſus, qui rariſſime contingunt: plures, ubi omnia uno temporis momento tranſiguntur, intra quod vix de juſtitia injuſtitiaque actionis ſuſcipiendae intermittendaeve quidquam, adhibita in conſilium ratione, ſtatuere liceat. Nimirum cuivis, qui extra teli jactum eſt, quid factu opus ſit, expenſis in utramque partem rationibus, judicare non adeo difficile eſt, quum illi, qui in praeſentiſſimo periculo verſatur, in arena capiendmu ſit conſilium. Ut non male de hujuſmodi caſibus uſurpare poſſis illud poëtae:

Facile omnes, quum valemus, recta conſilia aegrotis damus,
Tu, ſi hic eſſes, aliter ſentires.

Terent. *Andr. I,* 1. *v.* 9. Ergo hic multa Dei potius judicio ac miſericordiae relinquere, quam ad vivum omnia reſecare, praeſtiterit.

(*) Propoſuit jam has regulas, ſaltim pleraſque, Thomaſ. *Juriſpr. div. II.* 2. 143. *ſeqq.* non ex iiſdem tamen; quibus nos hic utimur, principiis derivatas. At poſtea idem eas ſequeſtratas e jure naturae, & regulam unam revocatam voluit: omnes leges habere tacitam exceptionem neceſſitatis. *Fundam. jur. nat. & gent. II.* 1. 29. †. Nobis nulla videtur ratio ſuadere, ut omittamus vel ſequeſtremus exceptiones, quas ex ipſa recta ratione fluere, ea, quae diximus, abunde oſtendunt.

An liceat abſcinde-

§. CLXV. Sic nemo dubitaverit, 68. quin neceſſitas excuſatura

ſit

ſit hominem, quem in eo articulo fortuna deprehendit, ut ei aut pereundum, aut membro aliquo carendum ſit, ſi enſe recidendum putet membrum, ne pars ſincera trahatur. Quum enim utrumque officium de ſervanda vita integritateque membrorum nobis ipſis debeamus, in his vero tutiſſimum ſit, ex duobus malis phyſicis id, quod minimum eſt, eligere, (§. CLX, 61.) denique minus omnino malum ſit, membro, quam vita, carere: quis neget, medium iſtud, vitam jactura membri alicujus redimendi, eſſe juſtiſſimum? (*)

re membrum vitae ſervandae cauſſa?

(*) At difficilior eſt quaeſtio, an haec ſit lex naturae praeceptiva, & is contra officium faciat, qui in ancipite iſto periculo conſtitutus mori malit, quam dolores, quibus ferendis ſe imparem exiſtimat, perſentiſcere? maxime quum non adeo certa ſpes ſit, quae de ſectione illa concipitur, & non minus multi, qui hos cruciatus mira conſtantia pertulerunt, perire, quam ſervari, ſoleant? Sane ſenectus, imbecillitas corporis, morbi indoles, medicorum diſſenſus, ipſiuſque chirurgi in hac encheireſi imperitia & ruditas, in tantillo temporis momento, facile ſubigent animum, ut medicinam illam ipſa morte acerbiorem putet, & ſine tam exquiſitis doloribus mori, quam incertam ſalutem intolerabili cruciatu redimere, malit. Quare hic moniti paullo ante dati (§. CLXIV.) memores, ἐπέχειν, & rem Dei judicio & miſericordiae committere, quam de hominis in tanta neceſſitate conſtituti conſcientia temere judicare malumus.

§. CLXVI. Nullum quoque dubium eſt, 69. quin, qui in extrema fame cibo quocumque, etiam carne mortuorum hominum, vitam miſere tolerarunt, excuſandi ſint: quum & hic collidantur bina officia, quae nobis ipſis debemus, ac proinde ex duobus malis phyſicis, morte, & alimentis, alioquin deteſtabilibus, minimum omnino eligendum videatur. (§. CLX, 61.) At 70. non excuſandus, qui alterum obtruncat, ut ejus carne paſtus miſeram vitam extendat: quia, quantacumque ſit longae inediae imperioſa neceſſitas, ea tamen jus non dat in vitam alterius, nec fas eſt, alteri eam eripere, ut ipſi conſervemur, quia par hic eſt utriuſque conditio ac neceſſitas. (*) (§. CLXII, 64.)

An carne humana veſci fas ſit in extrema fame?

(*) At quid ſi omnes, pari neceſſitate preſſi, in unius mactationem conſentientes rem ſorti committant? Quo pertinet caſus triſtiſſimus de ſeptem Britannis, quem ex Tulpii *Obſerv. medic.* *I.* 43. refert Caſp. Ziegler. *ad Grot. de jure belli & pac. II.* 1. 3. Nihil vero hic mutandum. Nemini enim in alterius vitam jus eſt. Et qui conſentit in caedem ſui ipſius, aeque peccat, ac qui ſe aliumve occidit. *Nec debuit quiſquam vitam ſuam tam vilipendere, ut ejus jactura alterius famem expleret. Nec reliqui etiam ideo in ſocium ſuum ſaevire debuerunt, ut ſtomacho ſuo conſulerent*: recte judicat Ziegler. *ibid. p.* 189. *ſequ.* Quibus non uſquequaque ſatisfeciſſe videtur Pufendorff. *de jure nat. & gent. II.* 6. 3.

§. CLXVII. Aliud dicendum, 71. ſi quis naufragus apprehenſa tabula, uni tantum ſuffectura, alterum, manus eidem injicientem,

An naufragis

alios, tabula ſemel adprehenſa, vel ſcapha ſemel occupata, dejicere liceat?

vi repellat, vel 72. aliqui in ſcapham inſilientes, reliquos, quos ſcapha ferre non poteſt, praecipitent. Utroque enim caſu non eſt par utriuſque conditio, quia qui tabulam adprehendit, quive jam ſcapham prius occuparunt, in poſſeſſione ſunt, ac proinde jure ſuo ab aliis, quamvis cum eodem periculo luctantibus, privari nequeunt. Et quis non minus eſſe malum animadvertit, aliquos perire, quam omnes, majus bonum paucos, quam nullum ſervari? (*)

(*) Ex quibus fundamentis & alter decidi poterit caſus de militibus, in caſtrum vel urbem munitam confugientibus, alioſque, paullo tardiores, excludentibus, ne hoſtes una irrumpant. Quale eſt factum Pandari, de quo Virgil. *Aen. IX. v. 722. ſeq.* aliorumque, de quibus Freinshem. *ad Curt. IV. 16. 8.* Ubi tamen prope diſpiciendum fuerit, extremane & abſoluta ſit neceſſitas, (§. CLVIII. 55.) an remotius adhuc periculum, & quod alia ratione, e. g. paucis hoſtibus admiſſis, & reliquis dimiſſo clathro ſubmotis, evitari poſſit. Inde merito collaudanda Darii, Alexandrum fugientis, humanitas, qui, ſuadentibus aliis, ut pontem Lyci fluminis reſcinderet, *malle ſe*, ait, *inſequentibus iter dare, quam auferre fugientibus.* Curt. *IV. 16.*

An carnificem excuſet neceſſitas, propoſita morte innocentem occidere juſſum?

§. CLXVIII. Nec 73. magis excuſarim carnificem, vel alium quemcunque, qui hominem innocentem, propoſito mortis ſupplicio, occidere juſſus, parendum exiſtimat, & imminentis ſupplicii periculum ad juſtam ſibi excuſationem ſufficere credit. A malitia enim hominis eſt illa calamitas, qui id agit, ut neceſſitatem peccandi imponat carnifici. Quo caſu dira quaevis potius ferenda, quam quidquam, quod cum ignominia Dei conjunctum ſit, admittendum. (*) (§. CLXIII, 67.)

(*) Accedit, quod nihil agendum ſit contra certam conſcientiam: (§. XLV. 35.) hic vero ponatur ſpecies, quod carnifex certo ſciat, ſaeviendum ſibi eſſe in innoxium caput. Quis ergo eum admiſſi criminis abſolveret? Nec rem conficit diſtinctio Puſendorffii, utrum ſpiculatori haec caedes imputetur tamquam actio propria an mera alieni facti exſequutio. Quamvis enim ille poſteriore caſu caedem carnifici illi non magis imputari poſſe exiſtimet, quam gladio aut ſecuri: *Jur. nat. & gent. I. 5. 9. VIII. 1. 5. 6.* multum tamen intereſſe arbitramur inter gladium vel ſecurem, tamquam res inanimatas, & hominem ratione praeditum, cui tam injuſtam exſequuturo ſententiam, ipſa conſcientia reclamat.

An fugienti obſtantem proterere liceat?

§. CLXIX. Contra ea 74. recte quis, imminente innocenti morte, fuga ſibi conſulturus, alium ſibi obſtantem ſubmovet, quamvis ſe ei damnum illaturum ſuſpicetur. Sive enim alter ex malitia iter fugienti intercludat: neceſſitas eſt a malitia hominis, iſque id agit, ut fugiens pereat. Sive non nocendi conſilio obſtet: ab ipſius Dei providentia haec neceſſitas fugienti objicitur. Utroque vero caſu quaelibet honeſta ratio eſt expediendae ſalutis. (*) (§. CLXIII, 66. CLXII, 64.)

(*) Nihil

(*) Nihil ergo moramur diſſenſum Alberti, *Comp. Jur. Nat. orthod. conform. Cap. III. §. XVII. ſequ.* Argumentum enim, quo fretus in alia omnia ſibi eundum exiſtimat, quod in ſtatu integritatis occidere innocentem nefas fuerit, plane eſt ἀπροσδιόνυσον, quia nec principium juris naturalis in ſtatu integritatis quaerendum eſt, (§. LXXIV.) nec in eo ſtatu ullum concipi poteſt periculum, quod hac triſti fuga fuiſſet evitandum.

§. CLXX. Idem dicendum videtur de caſibus 75. ſi quis res alienas in extrema neceſſitate, famis vel frigoris expellendi cauſſa, contrectet: (*) 76. vel ſi homines in extremo naufragii periculo jactum alienarum mercium faciant. Quemadmodum enim priore caſu neceſſitas eſt a malitia hominum, id agentium, ut famelicus, vel frigore obrigeſcens, omni humana ope deſtitutus pereat: (§. CLXIII. 66.) ita poſteriore inter duo mala phyſica eligitur minus, dum homines, imminente naufragio, vident, aut ſibi cum rebus pereundum, aut mercium alienarum, a ſe jactandarum, aeſtimationem eſſe praeſtandam. (§. CLX. 61.)

An in extrema neceſſitate res alienas contrectare vel perdere?

(*) Qui hic diſſentiunt, iis furti vocabulum imponit, quod tam grave exiſtimant eſſe peccatum, ut nulla neceſſitate urgente quis ad illud compelli debeat. Sed quum ne homicidium quidem in caſu neceſſitatis, puta in moderamine inculpatae tutelae, pro crimine imputent: cur magis imputarent furtum? Praeterea quis furtum ſine dolo malo, immo ſine animo lucrum faciendi concipit? Denique quum paucarum rerum alienarum, quas ſurripere juſſit imperioſa longae inediae neceſſitas, aeſtimatio facile praeſtari poſſit ab hominibus, etiam mendicis, ubi ſe periculo expedierint: quis vitio illis vertat, quod non perire, quam rem aeſtimabilem animo reſtituendi, domino intervertere maluerint. Add. *cap. 3. X. de furt.*

§. CLXXI. Sed talia innumera vel fingi, vel in ipſis rerum argumentis occurrere poſſunt, ex quibus quaedam vere ſunt ἄπορα, & de quibus facile in utramque partem diſputari poſſit. Sed ne obliti videamur ejus, quam ipſi paullo ante dedimus, admonitionis, (§. CLXIV.) plura addere jam nolumus, iis hanc curam relinquentes, qui ſibi in ipſam hominum conſcientiam ſumunt imperium.

Concluſio capitis.

Cap. VII.

DE OFFICIIS ERGA ALIOS ABSOLUTIS, ET PERFECTIS,

SPECIATIM

DE NEMINE LAEDENDO.

§. CLXXII.

Officiorum erga alios fundamentum.

PRogredimur jam ad OFFICIA ERGA ALIOS HOMINES, quorum fundamentum jam ſupra in eo poſitum eſſe animadvertimus, quod homo homini natura AEQUALIS, ac proinde eatenus amore amicitiae ſit proſequendus. (§. LXXXV. & LXXXVIII.) Quumque aequalitas naturae aequalia etiam officia exigat: inde collegimus, HOMINEM HOMINEM NON MINUS, QUAM SEIPSUM TENERI AMARE. (§. XCIII.)

Ea vel perfecta, vel imperfecta.

§. CLXXIII. Deinde amoris hujus duos eſſe gradus, oſtendimus, quorum alterum JUSTITIAE, alterum HUMANITATIS & BENEFICENTIAE adpellavimus. (§. LXXXII. ſequ.) Quum vero prior in eo conſiſtat, ut nihil, quod infeliciorem alium faciat, agamus, ac proinde neminem laedamus, & cuique, quod ſuum eſt, tribuamus; poſterior, ut alterius perfectionem & felicitatem pro virili provehere atque amplificare ſtudeamus, illique tribuamus & ea, quae jure ſtricto & perfecto non debemus: (§. cit.) conſequens eſt, 1. ut & officia, quae alteri debemus, alia ſint *juſtitiae*, quae PERFECTA; alia *humanitatis & beneficentiae*, quae IMPERFECTA vocamus.

Eorum definitiones.

§. CLXXIV. Itaque OFFICIA PERFECTA ſunt, ad quae homo perfecte, & per modum coactionis, obligatus eſt, puta ut neminem laedat, & cuique, quod ſuum eſt, tribuat. IMPERFECTA, ad quae imperfecte ſine coactione, & ex ipſa virtute, obligamur, puta, ut alterius perfectionem ac felicitatem aeque, ac noſtram, pro virili amplificare ſtudeamus. (*) (§. LXXXIV.)

(*) Itaque officia PERFECTA nobis neceſſitatem imponunt, ne alterum imperfectiorem infelicioremque reddamus: IMPERFECTA monent, nos nondum verae virtutis laudem adſequutos, niſi & alios perfectiores ac feliciores reddere, pro virili annitamur. Ea officia jam veteres jureconſulti accurate diſtinxerunt, veluti Paullus, dum *quaedam voluntatis, & officii magis, quam neceſſitatis, eſſe*, ſcripſit. *l.* 17. §. 3. *D. commodati.* Adde locum Senecae, quem attulimus ſupra §. LXXXIV.*

Alia item abſoluta, alia hypothetica.

§. CLXXV. Quandoquidem igitur, quod ad OFFICIA PERFECTA attinet, illa in eo poſita ſunt, ut NEMINEM LAEDAMUS, & CUIQUE, QUOD SUUM EST, TRIBUAMUS, (§. CLXXIV.) laedere autem eſt alterum infeliciorem, quam natura eſt, reddere, (§. LXXXII.) SUUM denique aliquis dicere poteſt, quod juſte adquiſivit: (§. cit.) ſequitur ſane, 2. ut obligatio ad neminem laedendum ſit *connata*; ad ſuum cuique tribuendum, *adquiſita*. Unde prius officium ABSOLUTUM; poſterius, quod ſuum cuique tribui jubet, HYPOTHETICUM vocamus. (*)

(*) Itaque ABSOLUTUM officium nobis eſt, quod homo ab homine exigere poteſt nullo poſito jure, quod per factum aliquod adquiſiverit: HYPOTHETICUM, quod, demum poſito aliquo jure per factum adquiſito, exigitur. Sic homo ab homine jure exigit, ne occidatur, nullumque ideo ponit factum, quo ſibi hoc jus adquiſiverit. At non poſſet quiſquam jure conqueri de rebus ſibi ab altero praereptis, niſi jus aliquod circa illa res, veluti dominium, facto adquiſiviſſet. Itaque *neminem occide* eſt officium abſolutum; *furari noli* officium hypotheticum. Quod diſcrimen ſi non neglexiſſet ὁ πάνυ Salmaſius, *de uſur. Cap. IX.* facile intellexiſſet, non fugiſſe rationem jureconſultos, qui *furtum admittere naturali jure prohibitum eſſe*, contendunt. *l.* 1. §. 3. *D. de ſurt.* §. 1. *Inſt. de obl. quae ex delict.*

Quo ordine de his agendum?

§. CLXXVI. Quumque porro jus, quod circa rem aliquam adquiſivimus, vel ex DOMINIO, vel ex PACTO ſeu CONVENTIONE proficiſcatur: conſequens eſt, 3. ut omnia officia HYPOTHETICA, vel ex DOMINIO, vel ex PACTO naſcantur, adeoque 4. is commodiſſimus futurus ſit tractationis noſtrae ordo, ut primum de officiis PERFECTIS ABSOLUTIS, deinde de IMPERFECTIS, tum porro de HYPOTHETICIS, quae ex DOMINIO, ac denique de iis, quae ex PACTO oriuntur, paullo accuratius agamus. *Imperfecta* enim *hypotheticis* ideo praemittenda putavimus, quia homines, frigeſcente demum atque oblangueſcente humanitate, invecto dominio, pactiſque interpoſitis, conſulere ſibi coeperunt.

Homo hominem, ut ſibi aequalem, tractare debet.

§. CLXXVII. Primo ergo omnium ponendum eſt, hominem homini eſſe natura aequalem, [§. CLXXII.] iiſdem quippe cum altero partibus eſſentialibus conſtantem. Et quamvis alteri prae altero perfectio aliqua veluti ſortito obtigerit: diverſos tamen perfectionis gradus nihil mutare circa hominis eſſentiam, ſed unum aeque eſſe hominem, ac alterum. Ex quo ſequitur, 5. ut alter alterum, tamquam aeque hominem tractare, nec in rebus, quae pluribus jure perfecto competunt, prae aliis praerogativam ſine juſta cauſſa adfectare, adeoque 6. quod ſibi fieri non vult, nec alteri facere teneatur. (*) [§. LXXXVIII. 54.]

(*) Haec regula tam eſt rectae rationi conſentanea, ut eam nec pagani ignorarint. Saltim eam ſententiam in deliciis fuiſſe Alexandro Severo Imp. auctor eſt Ael. Lampridius, *Cap. LI. Clamabatque ſaepius, quod a quibuſdam, ſive Judaeis, ſive Chriſtianis audierat & tenebat, idque per praeconem, quum aliquem emendaret, dici jubebat:* QUOD TIBI FIERI NON VIS, ALTERI NE FECERIS. *Quam ſententiam uſque adeo dilexit, ut & in palatio, & in publicis operibus, praeſcribi juberet.* Probabile eſt, quod obſervavit Lampridius, Alexandrum hanc ſententiam a Chriſtianis accepiſſe. In ſenſu enim aiente totidem verbis habetur *Matth. VII. 17. Luc. VI. 31.* At inde non ſequitur, ut non & ratio eam veritatem perſpicere potuerit. Similia enim ſunt apud Simplicium *ad Epictet. Enchirid. Cap. XXXVII.*

Ac proinde nemo laedendus.

§. CLXXVIII. Quum ergo quod nobis fieri nolumus, nec alteri facere debeamus, (§. CLXXVII, 6.) nemo vero noſtrum perfectione ac felicitate ſua, quam in natura habet, vel juſte adquiſivit, ab alio privari, vel res ſuas deteriores reddi, id eſt, LAEDI velit: (§. LXXXII.) conſequens eſt, 7. ut & nos neminem imperfectiorem vel infeliciorem reddere, adeoque 8. & neminem laedere debeamus. Et quia ad felicitatem noſtram ac perfectionem non modo CORPUS, ſed & MENS praecipue, pertinet: 9. ad utramque hominis partem pertinere hoc praeceptum, quin 10. laeſionem mentis tanto eſſe corporis laeſione graviorem, quanto mens ipſa corpore praeſtantior eſt, (*Elem. phil. mor. §. XIV.*) facile intelligitur. (*)

(*) Hinc graviter Epictetus invehitur in eos, qui id tantum damnum reputant, quo corpori rebuſve ſuis aliquid decedit, non illud, quo mens redditur deterior. Ὅπου τι, inquit, *σωματικὸν ἐλάττωμα εἰς κλῆσιν, ἐκεῖ ἡ βλάβη· ὅπου εἰς τὴν προαίρεσιν, οὐδεμία βλάβη· οὔτε γὰρ τὴν κεφαλὴν ἀλγεῖ ὁ ἐξαπατηθεὶς, ἢ ἀδικήσας, οὔτε τὸν ὀφθαλμὸν, οὔτε τὸν ἰσχίον, οὔτε τὸν ἀγρὸν ἀπολλύει. ἡμεῖς δ' ἄλλο οὐδὲν ἐθέλομεν, ἢ ταῦτα· τὴν προαίρεσιν δὲ πότερον αἰδήμονα καὶ πιστὴν ἕξομεν, ἢ ἀναίσχυντον, καὶ ἄπιστον οὐδ' ἐγγὺς διαφερόμεθα. Ubicumque in his, quae ad corpus pertinent, poſſeſſionibus aliquid damni acceperimus, illico jacturam nos feciſſe arbitramur: ſed in voluntatis propoſito quum detrimenta nobis eveniunt, nihilominus tamen, damnum nos accepiſſe nullum, cenſemus: quandoquidem ei, qui corrumpit alterum, aut corrumpitur, nec caput dolet, nec oculus, nec coxa, ſed nec fundum amittit, atqui aliud nihil volumus, quam iſta. Inter nos vero diſceptatio nulla eſt, ne mediocris quidem, utrum ſatius ſit, voluntatem habere pudicam, & fidelem, an vero impudicam, & infidelem.* Arrian. *Diſſ. Epict. II. 10.*

Nemo occidendus, nullius ſanitati ac corpori damnum inferendum.

§. CLXXIX. Totius hominis perfectio ac felicitas conſiſtit in VITA, id eſt, in unione mentis & corporis, (§. CXLIII.) quae quidem perfectio inter eas, quas a natura accepit, praeſtantiſſima, & reliquarum veluti fulcrum ac fundamentum eſt. Quum ergo alterum perfectione ac felicitate, quam a natura accepit, privare nefas ſit, (§. CLXXVIII, 7.) nec nos ab altero vita privari velimus: per ſe patet, (§. CLXXVIII, 6.) 11. officii noſtri eſſe, nec alium occidere, vel 12. ejus ſanitati detrimentum inferre, vel 13. mortis

aut

aut morbi cauſſam dare, vel 14. eum citra jus, aut occidendi animo, periculo exponere. (*)

(*) Neque enim magis peccat, qui hominem, in quem ſibi nihil imperii eſt, periculis objicit, quam qui jure atque imperio ſuo ita abutitur, ut alterum, quem perire cupit, eo conſilio exponat periculo. Sunt talia exempla apud Polyb. *I. 9.* Diod. Sic. *Bibl. XIV.* 73. *XIX.* 48. Juſtin. *Hiſt. XII.* 5. Curt. *VII.* 2. immo in ipſis ſacris litteris, 2. *Sam. XI.* 15. ubi & ſequente *Cap. XII.* 9. ideo homicidium Davidi exprobratur a Nathane, quod Uriam eo animo, ut periret, in perículoſiſſima ſtatione collocari juſſiſſet. Add. Pufend. *de jure nat. & gent. VIII.* 2. 4.

Niſi neceſſitas ipſa uti nos cogat moderamine inculpatae tutelae.

§. CLXXX. Attamen, quum nemo teneatur alterum magis, quam ſeipſum, amare, (§. XCIV, 65.) & ſaepe contingat, ut aut alicui ipſi, aut alteri, pereundum ſit: conſequens eſt, 15. ut eo caſu, ſi quis nos adgrediatur, in ancipiti illo periculo quaelibet ſit honeſta ratio expediendae ſalutis, (§. CLXIII, 66.) adeoque 16. & cum caede repellere adgreſſorem liceat, dumne quis 17. limites juſtae defenſionis excedat.

Ejus limites.

§. CLXXXI. Quinam vero ſint juſtae defenſionis limites, nemini erit obſcurum, qui abſolutam praecipue neceſſitatem, id eſt, nullo alio modo evitabilem, (§. CLVIII.) favorem mereri, meminerit. Ex hoc enim conſequitur, 18. ut tum demum moderamini inculpatae tutelae ſit locus, ſi quis in abſoluta neceſſitate, vel reſpectiva quidem, ſed in quam ſua culpa non inciderit, verſetur. (§. CLVIII, 55. 56.) 19. Ut defunctus omni periculo, nullo amplius defenſionis jure gaudeat. 20. Ut qui vel ſine adgreſſoris laeſione, vel leviore malo adgreſſori repraeſentato, periculum evitare poteſt, ei jus non ſit, ad caedem temere provolandi, (*) quum ex duobus malis phyſicis id, quod minimum eſt, malum eligendum eſſe, vel ipſa recta ratio nos doceat. (*Elem. philoſ. mor. §. CLII.* *)

(*) Homo obligatus ſemper eſt, ad eligendum id, quod eſt optimum. (§. XCII. *) Optimum ergo quum ſit medium, quo facillime ac tutiſſime finem noſtrum obtinemus: obligatos nos eſſe oportet ad medium facillimum tutiſſimumque expediendae ſalutis, adeoque ad evitandam alterius caedem, ſi aliud ſuperſit periculo nos expediendi medium. Recte Theocrit. *Eidill. XXIII.* Ὀλίγῳ τοι ἔοικε κακῷ μέγα νεῖκος ἀναιρεῖν. *Par eſt, exiguo malo magnam litem tollere.*

Adverſus quos eo uti poſſimus?

§. CLXXXII. His vero obſervatis principiis evidentiſſimis, nihil facilius eſt, quam ad quaeſtiones omnes, quae de hoc moderamine inculpatae tutelae incidere poſſunt, reſpondere. Si enim quaeras, adverſus quos eo uti liceat? recte reſpondebis, 21. adverſus omnes, per quos in periculum illud ſine tua culpa adductus ſis: (§. LXXXI, 18.) adeoque 22. & adverſus furioſos, mente captos, itemque

temque 23. eos, qui alium invadere parantes, te per errorem invaſerint. Uti enim praeclare obſervavit Grotius *de jure belli & pac. II,* 1. 3. jus defenſionis hic non naſcitur ex peccato atque injuſtitia ejus; a quo intentatur periculum, ſed a jure noſtro periculum nobis intentatum propulſandi quovis modo, nec alterius vitam eo caſu propriae ſaluti anteponendi. (*)

(*) Et huc pertinet fabula Oedipi, qui patrem ſe adgredientem invadentemque tuendi ſui cauſſa ignarus occiderat, quod factum ita purgat apud Sophoclem *in Oedipo Colon. v.* 1032.

Ἓν γάρ μ' ἄμειψαι μοῦνον, ὧν σ' ἀνιςορῶ·
Εἴ τις σὲ τὸν δίκαιον αὐτίκ' ἐνθάδε
Κτείνει παραςὰς, πότερα πυνθάνοι ἂν εἰ
Πατήρ σ' ὁ καίνων, ἢ τίνοι ἂν εὐθέως;
Δοκῶ μὲν, εἴπερ ζῆν φιλεῖς, τὸν αἴτιον
Τίνοι ἂν ὐδὲ τοὔνδικον περιβλέποις.
Τοιαῦτα μέντοι κἀυτὸς εἰσέβην κακὰ,
Θεῶν ἀγόντων, οἷς ἐγὼ ὐδὲ τὴν πατρὸς
Ψυχὴν ἂν οἶμαι ζῶσαν ἀντειπεῖν ἐμοί.

Unum enim reſponde mihi, quod te interrogo.
Si quis te, virum juſtum, ſtatim hic
Opprimens occidere vellet: quaereresne,
Utrum pater is eſſet, qui te occideret, an vero ſtatim ulciſcereris?
Exiſtimo, ſiquidem vitam, amares auctorem caedis
Ulciſcereris, neque, quid juſtum, circumſpiceres.
In talia mala & ego incidi,
Diis impellentibus, de quibus ne quidem patris
Anima, ſi reviviſcat, mihi contradictura eſſet.

Spatium ejus in libertate naturali.

§. CLXXXIII. Nec minus inde diſces, quamdiu illud jus ſeſe adverſus invaſorem defendendi duret? Recte enim hic diſtinguunt doctores inter eos, qui in ſtatu naturali nulli magiſtratui, a quo defendi poſſent, ſubjecti vivunt, & qui cum aliis in civitatem coaluerunt. Quum enim in libertate illa naturali nemo ſit, a quo nobis de injuria caveri poſſit: 24. defendendi jus non poteſt non incipere ab eo tempore, quo in periculo eſſe coepimus, & durare tamdiu, quoad extra periculi aleam ſimus conſtituti. (§. CLXXXI, 18.19.) Quandoquidem vero periculum noſtrum incipit a tempore, quo alter hoſtilem animum adverſus nos oſtendit, & tantiſper durat, dum illum animum hoſtilem nondum depoſuit: 25. tamdiu etiam durare jus defendendi, manifeſtum eſt. (*)

(*) Atque hoc eſt fundamentum, quo univerſum jus belli nititur, ut alteri, qui hoſtilem adverſus nos animum manifeſto prodit, omneſque aequas pacis conditiones pertinaciter reſpuit, mala intentare tamdiu poſſimus, donec depoſito hoſtili animo nobiſcum redierit in gratiam. Qua de re infra ſuo loco plura erunt dicenda.

Et in ſtatu civili.

§. CLXXXIV. Quum contra in ſtatu civili, civis, qui hoſtilem animum adverſus civem prodit, minas ſpargit, inſidiaſve alteri ſtruit, a magiſtratu poſſit coërceri: conſequens eſt, 26. ut civis nec inſidiantem ſibi alterum opprimere, nec 27. periculo defunctus,

vin-

vindictam, quam a ſuperiore ſperare poteſt, vi & armis petere poſſit, adeoque 28. tempus inculpatae defenſionis expediendae anguſtis admodum finibus circumſcriptum, cum ipſo periculo incipiat, nec duret diutius, quam ipſum periculum. (*)

(*) Et ita recte jureconſulti violentam defenſionem quidem permittunt, ſed non niſi in continenti. Ulpianus *l. 3. §. 9. D. de vi & vi arm. Eum igitur, qui cum armis venit, poſſumus armis repellere, ſed hoc confeſtim, non* EX INTERVALLO. Et alibi expreſſioribus verbis concedit Paullus, ut, qui lapidem, quum aliter ſe tueri non poſſet, in irruentem projeciſſet: non teneretur lege Aquillia, *dum id tuendi dumtaxat, non etiam* ULCISCENDI *cauſſa factum ſit. l. 45. §. 4. D. ad leg. Aquill.*

§. CLXXXV. Praeterea ex his principiis (§. CLXXXI, 20.) facile intelliges, 29. non licere ei defenſionem ad caedem uſque adgreſſoris porrigere, qui de ejus impetu praemonitus, aut eumdem in tempore conſpicatus, domi ſe continere, aut 30. in tutiorem locum ſeſe recipere, aut 31. vulnere, vel mutilatione aliqua ejuſdem impetum cohibere poteſt, (*) quamvis 32. ad fugam, ipſo jam fervente conflictu, capeſſendam, ob anceps illius periculum, nemo omnino obſtrictus videatur, niſi forte tutum ipſi pateat perfugium. Pufendorff. *de jure nat. & gent. II. 5. 13.* Ubi tamen denuo monendum, 33. quum in ſtatu civili tam breve ſit defenſionis tempus, ut in tanta animi perturbatione omnes evadendi vias circumſpicere non liceat, merito non omnia tam amare exigenda, ac veluti ad vivum reſecanda eſſe. Modus violentae defenſionis.

(*) Multo minus ergo quis ad vim & caedem jure provolat, ſi alter ab adgreſſione deſiſtit, oſtenditque, ſe cum adverſario in gratiam redire velle. Unde recte Ariſtides *in Leuctric. I.* obſervat, *Thebanis ad aequa omnia paratis, Lacedaemoniis vero ultro tendentibus, bonam cauſſam ab his ad illos tranſiiſſe.* Vid. Grot. *de J. B. & P. II.* 1. 18. Pufend. *de jur. nat. & gent. II. 5. 19.*

§. CLXXXVI. Denique inde non minus intelligi poſſe videtur, pro quibus rebus quis ad violentam illam defenſionem ſeſe accingere poſſit? Quum enim quaedam ſint calamitates, quae homini aliquando ipſa morte videntur acerbiores, nec extrema tantum neceſſitas, ſed & ea, quam ſalva vita ferre poſſumus, favorem mereatur: (§. CLVIII, 54.) conſequens eſt, 34. ut, quae pro vita, eadem pro ſanitate, nec non 35. pro integritate corporis, immo & 36. pro pudicitia tuenda, (*) nec non 37. pro magiſtratuum, parentum, liberorum, amicorum, ſed & omnium aliorum, quos in periculo conſtitutos eſſe animadvertimus, defenſione ſint permiſſa. Pro quibus rebus ſit licita?

(*) At hic multi diſſentiunt, veluti Auguſtinus *de libero arbitrio I. 5.* Thomaſ. *Jurisp. div. II. 2. 114.* Buddeus *Theol. moral. Part. II. Cap. III. Sect. III. §. XX.*

§. *XX.* * ex ea ratione, quod pudicitia, tamquam virtus animi, eripi aut vi extorqueri nemini poſſit. Sed quamvis pudicitia mentis ſatis in tuto ſit: attamen honeſtae virgini ac matronae non atrocior ulla videri poteſt injuria, quam ſtuprum violentum, maxime quum alteri prolem ex ſe excitare cogatur, & caſtitatis etiam externae jactura ſit irreparabilis. Quare recte Quinctilian. *Declam. CCCXLIX.* *Puellam uſque in eam injuriam traxiſti, qua nihil gravius bella habent.* Quis ergo vitio vertat honeſtae feminae, ſi tam atrocem & intolerabilem injuriam etiam cum ſtupratoris interitu a ſe amoliri conetur?

An & pro honore & exiſtimatione tuenda?

§. CLXXXVII. Paullo difficilior quaeſtio eſt, an & is, qui pro honore atque exiſtimatione tuenda, e. g. pro amolienda alapa, ad caedem provolavit, moderamine inculpatae tutelae uſus eſſe videatur? At quamvis nihil, ſi a vita diſceſſeris, exiſtimatione ſit praeſtabilius, & hinc ſint, qui hic quoque locum eſſe violentae defenſioni, exiſtiment: (vid. Grot. *de jure belli & pac. II,* 1, 10.) tamen, quia ſolum periculum vitam aliaque, quae cum vita pari paſſu ambulant, amittendi jus nobis det utendi inculpatae tutelae moderamine, (§. CLXXXVI.) exiſtimatio vero & honor propter injuriam non amittitur, immo potius in ſtatu civili non deſunt legitima injuriam vindicandi media: non poſſumus non 38. eorum ſuffragari ſententiae, qui hic ceſſare jus violentae defenſionis prudenter cenſent.

Nemo laedendus ratione intellectus.

§. CLXXXVIII. Quum porro officium erga alios abſolutum de nemine laedendo ad MENTEM non minus, quam ad corpus, pertineat, (§. CLXXVIII, 9.) & mentis facultates ſint INTELLECTUS & VOLUNTAS: quod ad priorem attinet, nemo temere negaverit, 39. eum graviter laedere alterum, qui juvenem, vel alium minus acutum, mendaciis ac ſophiſmatibus in errorem inducit, 40. eumdem a veritate avertit, 41. praejudicatiſque opinionibus imbuit, immo & is, 42. qui vel taedioſa docendi ratione, vel adfectata ſeveritate efficit, ut ſuae diſciplinae traditus ab omni veritatis ac ſapientiae ſtudio abhorreat [*].

(*) Ita graviter omnino Maximilianum I. Imp. laeſit Petrus, poſtea Novae civitatis antiſtes, de quo Cuſpinian. p. 602. *Uti vero habilis per aetatem ad litteras addiſcendas fuit Maximilianus, magiſtro Petro traditus, aliquot annis cum nobilium quorumdam filiis contubernalibus Latinas didicit litteras. Sed quum ejus praeceptor, ſolis dialecticis argutiis doctus, ſophiſmata illi inculcare vellet, ad quae capeſſenda aptus non erat: ſaepius atrociter verberatus ab eo, magis ipſe verberandus, quum verbera ſervos deceant, non liberos, tandem effecit, ut litteras magis odio haberet quam diligeret.* Manſit etiam alta mente repoſtum, quantum detrimenti hoc ipſo ceperit. Idem enim auctor eſt Cuſpinianus, idemtidem de hoc fato ſuo graviter conqueſtum eſſe Maximilianum, & aliquando inter prandendum, multis adſtantibus, dixiſſe: *Si hodie praeceptor meus viveret Petrus, quamquam multa praeceptoribus debeamus, efficerem, ut ſe inſtituiſſe me poeniteret.* Add. Ger. a Roo *Lib. VIII. p.* 288.

§. CLXXXIX.

§. CLXXXIX. Quumque non minus gravis ſit laeſio VOLUNTATIS, quae CORRUPTIONIS nomine venit: conſequens eſt, 43. ut contra officium faciant, qui alterum corrumpunt, 44. ad voluptates, libidines, aliaque vitia pelliciunt, 45. & vel verbis minus honeſtis, vel 46. exemplis turpibus, animum deteriorem reddunt, vel denique, 47. quum eum a vitiis prohibere, & in viam reducere poſſint debeantque, id vel plane non, vel non ea, qua par eſt, animi contentione faciunt, ſed, 48. quantum in ipſis eſt, peccantem adjuvare ſtudent (*). Nec ratione voluntatis.

(*) Quam gravis & haec ſit laeſio, ſatis intellexit Dionyſius, tyrannus Siculus, qui quum aegre facere cuperet Dioni, quem in Peloponneſo malum comparare, ſibique bellum facere conari, audiverat, *filium ejus ſic educari juſſit, ut indulgendo turpiſſimis imbueretur cupiditatibus. Quamobrem puero, priuſquam pubes eſſet, ſcorta adducebantur, vino epuliſque obruebatur, neque ullum tempus ſobrio relinquebatur. Is deinde uſque eo vitae ſtatum commutatum ferre non potuit, poſtquam in patriam rediit pater, (namque adpoſiti erant cuſtodes, qui eum a priſtino victu deducerent) ut ſe de ſuperiore parte aedium dejecerit, atque ita interierit!* Corn. Nep. *Dion. Cap. IV.* Non ignota eadem ars Romanis adverſus hoſtes ſuos, aut dubiae fidei amicos, ceu docent exempla apud Tacit. *Hiſtor. IV, 64. Agric. XXI, 1.* Immo arcanum hoc tyrannicum eſſe, obſervat Forſtner. *in Taciti Annal. Lib. I.* Utinam inde demum hunc fructum caperet aetas cerea in vitium flecti, monitoribus aſpera, nullos ſe habere hoſtes magis infenſos, quam eos, a quibus a veris virtutibus abducta ad mollem & luxurioſam vitam pellicitur: quin ſe tyrannis ſervire, dum ſe ab illis corrumpi patitur?

§. CXC. CORPUS porro alterius quum non magis, quam mentem, laedere deceat: (§. CLXXVIII. 9.) nefas ſane eſt, 49. alterum verberibus, plagis, aliiſque injuriis adficere, 50. vulnera infligere, 51. membris eorumve parte quem mutilare, 52. corpus alterius inedia, vinculis, tormentis, injuria excruciare, res, quibus ei ad conſervandam ſuaviterque tranſigendam vitam opus eſt, eripere, intervertere, deterioreſque reddere, & ſi qua alia ſunt, quibus uſus corporis, quod ſanum & integrum aliquis a natura acceperat, alterius dolo vel culpa redditur deterior. Quum enim ab his omnibus nos natura adeo abhorreamus, ut mors nobis minus, quam hae injuriae, acerba videri ſoleat: ſane, quod fieri nobis nolumus, nec aliis faciendum eſſe, ſatis unuſquiſque intelligit (*). Nec ratione corporis.

(*) Et hinc eſſe videtur, quod pleraeque antiquae leges poenam talionis iis proponerent, qui membrum alterius rupiſſent. Vid. *Exod. XXI, 25. Lev. XXIV, 50.* Gell. *Noct. Att. XX, 3.* Diod. Sic. *Bibl. XII, 17.* Quamvis enim vix probabile ſit, vel apud Hebraeos, vel apud Romanos, juri illi talionis κατὰ τὸ ῥητὸν locum fuiſſe: Joſeph. *Antiq. Jud. IV, 7.* Gell. *ibid.* eo ipſo tamen, juſtiſſimum eſſe, oſtenderunt legiſlatores ſapientiſſimi, illi, quod nolit, fieri, qui alteri, quod ſibi fieri noluiſſet, fecerit.

Nec ratione exiſtimationis.

§. CXCI. Quod ad ſtatum hominis attinet, ad hoc caput praecipue pertinet primo EXISTIMATIO, tum SIMPLEX, qua quis pro non malo habetur, tum INTENSIVA, qua ob merita prae aliis gaudet. De opibus enim & facultatibus, quia ſine dominis concipi non poſſunt, infra demum erit dicendi locus. Quum vero, quod ad famam atque exiſtimationem attinet, aliquis laedi non poſſit niſi per CALUMNIAS, (§. CLIV.) & dicta factaque, ad contumeliam & ignominiam alicujus comparata, quae INJURIAS vocamus: 53. ab utriſque abſtinendum eſſe, eò minus obſcurum eſt, quo aegrius eas ferre ſolemus, ab aliis illatas (*).

(*) Hinc rectè Simplicius ad Epicteti Enchirid. *Cap. XXXVIII. p.* 247. injurias & contumelias vocat παρὰ φύσιν οὔσας διαθέσεις τῆς ψυχῆς, καὶ νόσους καὶ αἴσχη καὶ κακίας τῆς ψυχῆς, *adfectiones animae, naturae contrarias, quin morbos, probra, & vitium animarum.* Quod vero naturae mentis contrarium & in ſe malum eſt: illud conſentaneum eſſe non poteſt juri naturae, quod nos ad bonum obligat. (§. LXXVIII.)

Nec ratione pudicitiae.

§. CXCII. Deinde & ratione PUDICITIAE laedi poteſt hominis ſtatus, quia, illa ſive blanditiis ſollicitata, ſive vi proſtrata, & exiſtimatio detrimentum capit, & ipſae turbantur familiae. Quum ergo nemo laedendus ſit: (§. CLXXVIII. 8.) facile patet, 54. nullius pudicitiae ſtruendas eſſe inſidias, 55. omniaque ſtupra, tum violenta, tum 56. voluntaria, (*) multoque magis 57. adulteria, & 58. reliquas nefandas ac intolerabiles injurias juri naturae omnino repugnare.

(*) Quamvis enim hic ceſſare videtur axioma: *Quod tibi non vis fieri, alteri non feceris*, quum uterque conſentiat, adeoque id, quod fit, ſibi fieri velit: primo tamen generatim nemo ſibi quidquam vult fieri, quo fiat infelicior. Infelicior vero fit, qui ad voluptates, libidines, aliaque vitia pellicitur, adeoque ratione voluntatis laeditur. (§. CLXXXIX.) Deinde plerumque laeduntur & alii, veluti parentes, ſponſi, cognati, ac ſaltim, quod ad hos attinet, manifeſto ſtuprator violat axioma illud juris naturae praecipuum: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* Denique qui ſtuprum feminae perſuadet, is eam corrumpit. Quum vero nos, ſi ſapimus, corrumpi nolimus: nec feminam illam corrumpere licet. Tantum ergo abeſt, ut excuſanda ſit illa alienae pudicitiae ſollicitatio, ut eam quidam legiſlatores gravius puniendam exiſtimarint, quam ſtuprum violentum, *quod eos, qui vim faciunt, odio haberi cenſuerunt, ab illis, quibus vis illata eſt: quum qui ſe inſinuando perſuadent, adeo animos pervertant, ut aliorum uxores ſibi reddant benevolentiores, quam maritis, & univerſam domum ſuae faciant poteſtatis, liberoſque reddant incertos, maritorumne ſint, an adulterorum.* Lyſias *Orat. I.*

Laedi aliquis poteſt cogitando,

§. CXCIII. Ex his vero, quae adhuc diximus, ſatis intelligitur, 59. laedi aliquem poſſe actionibus tum *internis*, puta COGITATIONIBUS, ad alterius laeſionem comparatis, tum *externis*, veluti

luti GESTIBUS, VERBIS, & FACTIS. (§. XVIII. 36.) Hinc ſatis patet, 60. etiam odium, contemtum, invidiam, aliaque animi vitia juri naturae adverſari (*). 61. Abſtinendum quoque eſſe a geſtibus, ex quibus odium, contemtus, invidia elucent, quique alterius animum perturbare poſſunt. 62. Multo graviſſimam in foro humano eſſe laeſionem, quae in verbis factiſque conſiſtit. geſtibus, verbis & factis.

(*) Quia auctor juris naturae eſt Deus καρδιογνώστης, ſane non minus ejus voluntatem violat, qui quid contra legis ſuae praeſcriptum cogitat, quam qui illam verbis factiſque tranſgreditur: ac proinde jam ſupra jus naturae ad actiones internas non minus, quam ad externas, pertinere obſervavimus. (§. XVIII, 36.) Deinde quum juris naturae genuinum principium ſit AMOR. (§. LXXIX, 37.) is vero non primario in actione externa, ſed in adpetitione boni, cum percepta ex alterius perfectione & felicitate delectatione conjuncta, conſiſtat: (§. LXXX.) non poteſt non juri naturae repugnare etiam odium alterius, adeoque averſatio cum percepta ex alterius infelicitate atque imperfectione delectatione conjuncta, quamvis illa interna ſit, & in ſola cogitatione conſiſtat. Hinc Servator noſter, optimus legis divinae, tum naturalis, tum poſitivae, interpres, & actiones internas legi adverſas damnat. *Matth.* V. 22. 28. Et haec iis opponenda duximus, qui jus naturae & gentium tantum ad actiones externas pertinere exiſtimant.

§. CXCIV. Quum vero & VERBIS, ſeu SERMONE, laedi alter poſſit: (§. CXCIII. 62.) operae pretium fuerit, de officiis circa SERMONEM agere paullo accuratius. Tanta nimirum erga nos eſt providi numinis clementia, ut non modo mentem nobis dederit, quae percipere, judicare, ratiocinari, adpetere item & averſari poſſit, ſuarumque cogitationum ſibi ſit conſcia, ſed & facultatem cum aliis communicandi animi ſenſa, ut & hi, quid cogitemus, velimus, nolimus, non ignorent. Quamvis vero & bruta animantia hinnitu, rugitu, murmure, boatu, latratu, ſimilive ſono incondito animi ſenſa & adfectus obſcure & confuſe prodere videamus: (*) homini tamen id praeterea divinitus datum eſt, ut, quid cogitet, clare & diſtincte eloqui, de eoque alterum certiorem reddere poſſit. Sermonem homo prae brutis peculiarem habet.

(*) Sic canis alio ſono iram, alio dolorem, alio φιλανθρωπίαν, alio alios adfectus prodit: at quid ſpeciatim cogitet, nec clare diſtincteque exprimit, nec ullo ſono exprimere poteſt, quum tamen & canes, & pleraque animalia perfectiora iiſdem paene organis loquendi, quibus homo gaudet, inſtructa ſint. Quin quo imperfectius eſt animal, eo minus ullum ſonum, quo animi ſenſa indicet, edit, veluti piſces, cochleae, oſtreae. Unde non potuiſſet Pythagoras magis cordatioribus omnibus debere ludibrium, quam dum ſe brutorum ſermonem non modo intelligere, verum etiam cum iiſdem colloqui poſſe, jactavit, ſeque hoc ipſo vel fanatici ingenii hominem, vel inſignem impoſtorem eſſe, oſtendit. Vid. Jamblich. *vit. Pythag.* *Cap. XIII.*

§. CXCV. Quandoquidem ergo id, quod circa ſermonem prae Quid ſermo?

brutis peculiare habemus, in clara & diſtincta cogitationum noſtrarum communicatione cum aliis conſiſtit: (§. CXCIII.) experientia porro docet, id nos conſequi per ſonos articulatos, (*) id eſt, per ſonos, per organa loquelae tam diverſimode modificatos, ut diverſae inde voces, quibus res omnes, earumque modos, ſtatum, actiones & paſſiones denominare placuit, emergant. Quare SERMO eſt ſonus articulatus, quo animi noſtri ſenſa cum aliis clare & diſtincte communicamus.

(*) At ingenium humanum in eo non adquievit, quod rebus omnibus certa ac diſtincta nomina impoſuit, ſed & alia invenit ſigna, quibus loco ſermonis uteremur, ſi non eſſet eo utendi occaſio. Sic enim invenimus modum, & cum abſentibus animi noſtri ſenſa per figuras litterarum, ita diſtincte communicandi, ut verba noſtra non audiant, ſed viſu percipiant. Quod ſane tam ſtupendum eſt εὕρημα, ut quidam id ipſi Deo tribuere non dubitent. Eſt & modus veluti colloquendi per digitos, quem in Turcia ab elinguibus inventum, magnatibus ibi admodum familiarem eſſe, refert Ricaut *tableau de l'Empire Ottomanique Cap. VII. p.* 12. Ut jam non dicam de *oculiloquio* & *pediloquio*, de quibus ſingulares exſtant Molleri Altorffenſis *diſſertationes.* Haec omnia quamvis SERMONIS nomen non mereantur, tamen ſunt loco ſermonis, ac proinde, quod circa ſermonem, idem & circa haec ſigna, juſtum eſt.

Quomodo eo utendum ſit? §. CXCVI. Ex qua definitione ſatis patet, 63. ſermonem nobis nec Dei, nec brutorum, 64. ſed noſtri aliorumque hominum cauſſa datum eſſe, ac proinde 65. Deum velle, ut eo animi ſenſa, quatenus id amor, quem nobis imperavit, exigit, cum aliis communicemus, (*) adeoque 66. ut ne ſermone quidem noſtro alios laedamus, ſed 67. noſtris aliorumque commodis etiam ſermone noſtro pro virili ſerviamus.

(*) Recte nimirum ratiocinamur, ſermonem non Dei cauſſa nobis datum eſſe, quia Deus omnes cogitationes noſtras, & ſine ullo ſermone noſtro intelligat; nec brutorum cauſſa, quae ſermonem noſtrum non tamquam ſermonem, ſed tamquam alia, quibus adſueta ſunt, ſigna percipiunt: adeoque nihil ſupereſſe, quam ut nos ſermocinandi facultatem noſtri aliorumque hominum cauſſa primario accepiſſe ſtatuamus. Noſtri cauſſa, non ut nobiscum cogitationes noſtras communicemus, quippe quarum jam tum nobis ſumus conſcii, ſed ut alios reddamus certiores, quid nobis fieri velimus, & qua in re alios nobis utiles eſſe velimus. Aliorum cauſſa, ut & his, quae ſcire eorum intereſt, &, quid illis utile futurum ſit, indicare poſſimus. Quum ergo alii amandi ſint aeque ac nos ipſi, & quod nobis fieri nolumus, id nec aliis faciendum ſit: conſequens ſane eſt, ut neminem ſermone noſtro laedere, aliis vero pro virili prodeſſe teneamur.

Verborum notione recepta utendum. §. CXCVII. Quum ergo ad animi ſenſa cum aliis communicanda comparatus ſit ſermo, (§. CXCVI. 65.) idque fiat per ſonos articulatos, quibus res omnes, earumque modos, ſtatum, actiones, paſſioneſque denominare placuit: (§. CXCV.) conſequens eſt,

68.

68. ut colloquuturi verbis non aliam, quam quae ſemel placuit, notionem tribuere, vel 69. ſi verbo inſolito, aut notione minus vulgari utantur, mentem ſuam accurate explicare teneantur, nec 70. aegre ferre poſſint, ſi ceteroquin verba eo ſenſu, qui ſemel inter linguae peritos obtinet, vel hoc tempore receptus eſt, accipiantur, ſi id verborum συναφὴ aliaeque circumſtantiae ferant.

§. CXCVIII. Quumque Deus velit, ut ſermone animi ſenſa, quatenus id amor exigit, cum aliis communicemus, (§. CXCVI. 65.) amor vero hic non patiatur, ut alterum ſermone noſtro laedamus, (ib. 66.) denique laedere ſit, aliquid perfectionis felicitatiſve alteri detrahere: (§. LXXXII.) ſequitur ſane, 71. ut nihil, cujus notitiam jure perfecto imperfectove (*) a nobis exigere alter poteſt, tacere: 72. nihil, quod falſum eſt, eo caſu eloqui, neque 73. quemquam ſermone in errorem inducere, vel ei ullum detrimentum adferre debeamus. *Nemo ſermone laedendus.*

(*) *Jus perfectum* eſt correlatum obligationis perfectae, *imperfectum* imperfectae. Prius exigit, ut neminem laedamus, ſuumque cuivis tribuamus: (§. CLXXIV.) adeoque toties veritatem jure perfecto a nobis exigere quis poteſt, quoties, illa diſſimulata, vel converſa in mendacium, vel adulterata ſaltim, a nobis laederetur: vel quoties ex pacto, ipſiuſve negotii, quod nobis cum illo intercedit, natura id illi debemus, ut veritatem eloquamur. Quumque poſterius nos ex virtute obliget ad alterius perfectionem ac felicitatem, aeque, ac noſtram, pro virili amplificandam: facile patet, toties nos teneri ad veritatem aperte & ſine diſſimulatione eloquendam, quoties alterius perfectionem felicitatemque ſermone noſtro amplificare licet. Jus ergo alterius perfectum laedit, qui ſciens, alteri inſidias a percuſſore ſtrui, id diſſimulat, vel illi plane perſuadet, percuſſorem, tamquam amicum, ſalutandi cauſſa acceſſurum, itemque, qui ſuſcepta rerum alienarum cuſtodia, fures adeſſe ſciens diſſimulat, vel eos tamquam viatores apud ſe divertere, mentitur. Jus imperfectum alteri intervertit, qui erranti altero, negat, ſibi rectam viam notam eſſe, vel ei plane viam aliam monſtrat.

§. CXCIX. Qui tacet id, cujus notitiam alter jure perfecto vel imperfecto ab eo exigere poteſt, is DISSIMULAT. Qui eo caſu eloquitur aliquid, quod falſum eſt, ut alteri detrimentum inferat, is MENTITUR. Qui denique alterum, cui mali quid facere cupit, in errorem inducit, eum DECIPERE alterum dicimus. Ex quibus definitionibus, cum ſuperiore paragrapho comparatis, liquido patet, 74. tum diſſimulationem, qualem deſcripſimus, tum 75. mendacium omne, tum 76. deceptionem, juri naturae ac gentium repugnare. *Laedere poſſumus alterum diſſimulatione, mendacio, deceptione.*

§. CC. Attamen quum ita comparatus ſit, quem aliis debemus, amor, ut hos non majore, quam nos ipſos, ſed pari amore proſequi teneamur: (§. XCIV. 65.) conſequens eſt, 77. ut tacere liceat, ſi ſermo noſter alteri non profuturus, nobis vero aliiſve detrimentum aliquod adlaturus ſit. 78. Ut & falſi quid dicere, & *Quando vel tacere, vel falſum dicere, vel ambigue*

loqui liceat?

79. ſermone ambiguo uti non ſit nefas, 80. ſi alteri nullum jus ſit, veritatem a nobis exigendi, (§. CXCVIII.) 81. vel nos ſermone aperto ei, cui honeſte non poſſumus non reſpondere, nihil commodi, nobis vero aliiſve multum detrimenti eſſemus adlaturi, vel ſi denique 82. hujuſmodi ſermone ad alterum non modo nihil detrimenti, ſed & haud parum utilitatis, ſit redundaturum (*).

(*) Sic ſane nemo vitio verterit mercatori, ſi a curioſo interrogatus, quam dives ſit, taceat, vel alio ſermonem inflectat, per *n.* 77. Nec magis reprehenſione videbitur dignus imperator, qui hoſtem vel ſparſo falſo rumore vel fama ambigua, decepit, quia hoſti nullum neque perfectum, neque imperfectum jus eſt, veritatem ab hoſte, tamquam hoſte, exigendi, *per n.* 78. 79. 80. Porro Athanaſii potius prudentiam laudaveris, quam accuſes dolum, quod ſe fugientem perſequentes ambiguo ſermone ita detinuit, ut cum Athanaſio ſe colloqui non intelligerent. Theodorit. *Hiſt. eccl. III*, 8. Sine periculo enim tacere non poterat, & ſermo apertus perſequentibus nihil utilitatis; Athanaſio multum detrimenti attuliſſet, *per n.* 81. Denique nemo dubitat, non agere contra officium, qui, ſi id vel docentis conditio, vel captus auditoris exigere videatur, fabulis, fictionibus, parabolis, ſymbolis & aenigmatibus alios meliores reddere & veritatem ſub hoc vehiculo aliis ingerere ſtudent, quum his proſint, nemini vero eo ipſo noceant *per nu.* 82.

Quid taciturnitas, falſiloquium, fictio?

§. CCI. Ex quo colligimus merito, 83. injuſtam eſſe omnem DISSIMULATIONEM, (§. CXCIX. 74.) non omnem TACITURNITATEM, per quam intelligimus reticentiam ejus, ad quod aperiendum alteri, nec perfecte nec imperfecte obligamur. (§. CC. 77.) 84. Injuſtum eſſe omne MENDACIUM, (§. CXCIX. 75.) non omne FALSILOQUIUM. (§. CC. 78. ſequ.) 85. Injuſtam eſſe DECEPTIONEM alterius, (§. CXCIX. 76.) non autem SERMONEM ACUTUM & FICTUM, (§. CC. 79. ſequ.) adeoque 86. haec omnia, niſi judicio noſtro decipi velimus, accurate eſſe diſtinguenda. (*).

(*) Apud Graecos quodammodo ambiguum eſt vocabulum ψεῦδος, quod & *mendacium* & *falſiloquium* ſignificare poteſt. Pro mendacio enim accepit Demoſthenes, dicere ſolitus, οὐδὲν εἶναι, ὅ, τι μεῖζον ἂν ἀδικήσειέ τις, ἢ ψευδῆ λέγων, *nullam eſſe rem, qua gravius quis laedere poſſit, quam dicendis mendaciis.* Pro falſiloquio Chariclea, cujus fertur apophthegma: καλόν ποτε εἶναι τὸ ψεῦδος, ὅταν ὠφελοῦν τοὺς λέγοντας, μηδὲν καταβλάπτῃ τοὺς ἀκούοντας. *Bonum eſſe aliquando falſiloquium, quum videlicet, ita juvet eo utentes, ut interim audientes non laedat.* Heliod. *Aethiop. Lib. I. Cap. III. p.* 52. At non ita ἐκ τῶν μέσων eſt vocabulum mendacium, quod, quum ſemper turpe atque deteſtabile vitium notet, a falſiloquio merito diſtinguitur. Quod & de reliquis, quae hic conjunximus, vocabulis eſt obſervandum.

Quid veritas &

§. CCII. Idem obſervandum de VERITATE & VERACITAE. Quum enim is VERAX dicatur, qui veritatem ſine diſſimulatione elo-

eloquitur, quoties alteri eam ex nobis intelligendi perfectum imperfectumve jus eſt: conſequens eſt, 87. ut VERACITAS ſemper in laude ponenda ſit; contra 88. indifferens videatur, & mala non minus, ac bona eſſe poſſit VERITAS, quippe quae in convenientia verborum ſignorumque externorum cum cogitationibus mentis conſiſtit, (*Elem. philoſ. ration.* §. *XCIV.*) ſiquidem 89. is non ſemper facit officium, qui omnes cogitationes ſuas aperit (*). veracitas?

(*) Notum illud Syracidis, *ſapienti os in corde, ſtulto cor in ore eſſe.* Vera ergo dicit dives, qui theſauros ſuos furi prodit, nec tamen ideo ejus virtutem & veracitatem quiſquam laudaverit: quum contra illi mendacium exprobrari non poſſit, ſi expiſcante fure, tacuerit, aut ſermonem alio inflexerit. (§. CC. *) Hinc illa Simonidis: μηδέποτε μὲν αὐτῷ μεταμελῆσαι σιγήσαντι, φθεγξαμένῳ δὲ πολλάκις, *nunquam ſe poenituiſſe ſilentii, ſermonis ſaepenumero.* Nec non hoc Thaletis: Οὐ τὰ πολλὰ ἔπη φρονίμην ἀποφαίνεσθαι δόξαν, *non multa verba prudentis animi indicium eſſe.* Et quae ſunt his ſimilia.

§. CCIII. Sermo, quo nos veritatem eloqui, vel falſi nihil dicere, ſerio confirmamus, dicitur ADSEVERATIO. Adſeverationem, quae fit invocato Deo, tamquam vindice, JUSJURANDUM vocamus. Denique ſermo, quo alteri fauſta quaevis a Deo precamur, BENEDICTIO, quo dira quaevis adprecamur, MALEDICTIO, quo quis, exaeſtuante ira, capiti ſuo diras imprecatur, EXSECRATIO ſolet adpellari. Quid adſeveratio, jusjurandum, benedictio, maledictio, exſecratio?

§. CCIV. Quum ergo, qui aliquid adſeverat, ſerio confirmet, ſe verum eloqui, nec falſum dicere, (§. CCIII.) id vero nemo ſanus faciat, niſi qui ſuſpicatur, pellucere mendacium, qualis ſuſpicio conſcientiae malae indicium eſt: (§. XXXV.) 90. nemo prudens adſeverationibus temere & praeter neceſſitatem, ſed 91. tum demum utetur, ſi quis alter ſine cauſa in dubium vocat ea, quae dicit, & 92. nec aliter eum convincere poteſt, & 93. ejus tamen intereſt, ſibi fidem haberi. Ex quo porro colligimus, 94. tanto magis eum agere contra officium, qui multis graviſſimiſque adſeverationibus ad laedendum decipiendumque alterum utitur (*). Quando uti liceat adſeverationibus?

(*) Quum enim alterum circumvenire & decipere, in ſe turpe ac contra officium ſit: (§. CXCIX, 76.) quid turpius atque injuſtius poſſet excogitari, quam decipere per adſeverationes? Et huc pertinet Romanorum formula: UTI INTER BONOS BENE AGIER OPORTET, UTI NE PROPTER TE FIDEMVE TUAM CAPTUS FRAUDATUSVE SIEM. Cic. *de offic.* III, 16. Turpe enim eſt alterum capere & defraudare, & multo turpiſſimum *capere & fraudare per fidem ſuam.* Unde & famoſum fuiſſe judicium fiduciae, obſervat V. C. Franc. Car. Conradi *de pacto fiduc.* Exerc. II. §. IV.

§. CCV. Quumque, cujus perfectione & felicitate delectamur, ei fauſta quaevis non minus, ac nobis ipſis, contingere velimus: Quando benedictionibus?

95.

An & maledictionibus & exſecrationibus? 95. non iniquum ſane erit, alteri bene dicere, eique fauſta quaevis adprecari, dum id fiat ſerio, & ex amore, non ex conſuetudine, & veluti dicis tantum cauſſa (*). Contra ea 96. quum odium ſpirent maledictiones, eas eſſe injuſtiſſimas, niſi cum miſericordia quis alteri denunciet, quae ejus furfuris hominibus ipſe Deus jam interminatus ſit. Denique 97. exſecrationes, quippe & amori ſui ipſius adverſas, & ex deſperatione & ira immodica, profectas, numquam eſſe excuſandas: neque hic, dum ex recta ratione rem aeſtimamus, in cenſum venire debere exempla quaedam heroica, quorum conſideratio ad aliam cathedram videtur pertinere.

(*) Itaque pleraeque fauſtae acclamationes, quae ex variis cauſſis occini ſolent illuſtribus ac potentioribus viris, in adulationes abeunt. Immo aliquando ſunt tamquam venenum, melle conditum, quoties eum, cui bene precantur, periiſſe mallent, vel vitae ejus ac fortunae ſtruunt inſidias. Haec omnia quum non ex amore, ſed odio, proficiſcantur, contra jus naturae eſſe, nemo negaverit.

Jurisjurandi quis ſit uſus? §. CCVI. Quod ad JUSJURANDUM attinet, quum per illud intelligatur adſeveratio, Deo, tamquam vindice invocato, facta, (§. CCIII.) & ne ipſa quidem ſimplice adſeveratione temere & promiſcue utatur vir bonus: (§. CCIV.) 98. multo minus temere & ſine neceſſitate utetur jurejurando, ſed 99. tum demum, quando id vel a ſuperiore, veluti judice, vel ab alio deferatur, ſiquidem tunc vel ipſe amor exigit, ut alterum de veritate reddamus certiorem, eique ſuſpicionem metumque falſitatis eximamus. Id vero 100. locum habet in omni jurejurando, adeoque 101. ne opus quidem eſt tot diviſionibus in jusjurandum PROMISSORIUM, & ADSERTORIUM, & hujus in TESTIMONIALE & LITIS DECISORIUM, (*) quum eaedem ubique regulae obtineant.

(*) Accedit, quod ſi rem expendamus paullo accuratius, omne jusjurandum ſit *promiſſorium.* Quiſquis enim jurat, ſive ſuperiore, ſive adverſario deferente, ille promittit, ſe veritatem eloquuturum bona fide. Ceterum id intereſſe aiunt inter PROMISSORIUM & ADSERTORIUM, quod illud ſuper facto futuro; hoc ſuper praeterito praeſtetur, quod poſterius, ſiquidem de facto alieno juratur, TESTIMONIALE; ſi de proprio, LITIS DECISORIUM, & quidem, ſi a judice defertur, ſuper facto ipſo, vel SUPPLETORIUM vel PURGATORIUM; utrumque vero NECESSARIUM, ſi ſuper quantitate obligationis, JUSJURANDUM IN LITEM; ſi ſuper conſcientia litigatoris, JUSJURANDUM MALITIAE vel CALUMNIAE, denique ſi pars parti jusjurandum extra judicium defert, VOLUNTARIUM, ſin in judicio, JUDICIALE vocari ſolet. Enimvero haec ex juriſprudentia magis Romana, quam ex naturali eſſe, vel inde patet, quod aliae gentes, veluti Hebraei & Graeci, eas diviſiones non agnoverunt. Vid. Codex Talmudicus משנה *Tom. IV. edit. Surenhuſ.* Maimonid. *de jurejurando*, editus a Diethmaro *Lugd. Bat. MDCCVI.* Selden. *de Synedr. Hebr.* II, 11. Jac. Lydius *de juramento,*

ramento. Quibus addi poſſunt, quae Petitus aliique antiquitatum ſcriptores, de uſu forenſi jurisjurandi apud Graecos paſſim commentati ſunt.

Qui & quomodo jurare debeant?

§. CCVII. Quumque a jurantibus Deus, tamquam vindex, invocetur: (§. CCIII.) conſequens eſt, 102. ut in ludibrium abeat jusjurandum athei, nec leviter peccet, qui homini ejus commatis jusjurandum defert. 103. Ut jusjurandum tum quod ad formulas, tum quod ad ritus attinet, cujuſvis religioni ſit attemperandum, (*) adeoque ne jurisjurandi quidem nomen mereatur adſeveratio per res, quarum nulla mentem vincit religio. 104. Ut perjurii merito det poenas, qui per falſos Deos pejeravit, immo 105. & atheus, qui, diſſimulato atheiſmo, per Deum pejeravit, tamquam qui alios decepit, jure puniatur.

(*) Modo formula hujuſmodi non ſimul tendat in ignominiam veri Dei, quippe quum actiones hujuſmodi ne neceſſitas quidem extrema excuſet. (§. CLX, *60.*) Hinc experientia docet, jusjurandum, Judaeo delatum, ejus religioni attemperari, quia formula illa nihil complectitur, quod in Dei veritatisve Chriſtianae ignominiam vergat. Contra dubitarim ego, an excuſandus ſit judex Chriſtianus qui Mahumedanum apud ſe jurare jubeat *per Mahumedem, maximum unius Dei prophetam*, maxime, quum non ſit talis Mahumedanorum religio, ut praeſtito per verum Deum, caeli terraeque conditorem, jurejurando non aeque ad eloquendam veritatem adſtringantur, ac ſi ſimul impoſtoris illius faciant mentionem.

Cujus ex mente interpretandum ſit jusjurandum?

§. CCVIII. Ex eo porro, quod non ultro & temere, ſed, deferente altero, jurandum eſt, (§. CCVI. 99.) colligimus, 106. jusjurandum praeſtari in gratiam non jurantis, ſed deferentis, adeoque 107. illud ex ejus, non ex jurantis, mente atque intentione eſſe explicandum, ac proinde 108. abſurdiſſimas eſſe cavillationes illas, vel reſervationes mentales, quas vocant, quibus homines improbi jurisjurandi vim eludere conantur: 109. abſurdiſſimas etiam interpretationes eorum, qui turpia vel abſona poſtulant ab iis, qui ultro jurarunt, alterum repulſam a ſe non laturum. (*)

(*) Quamvis multipliciter peccet, qui ſe tali jurejurando obſtringit, primo quod ultro ac praeter neceſſitatem, & nemine deferente, jurat: (§. CCVI, *98. 99.*) deinde, quod in anteceſſum promittit, alterum non laturum repulſam, quum nondum praeſcire poſſit, qualia petiturus ſit alter: denique quod hoc ipſo ſe ſine neceſſitate vel perjurii, vel temerarii jurisjurandi periculo exponit: non tamen hujuſmodi jurejurando quiſquam obſtringitur, ad id, quod juratus promiſit, praeſtandum, ſi quid alter, quod factu impoſſibile, turpe, atque iniquum ſit, petat. Quum enim ſibi ipſe detulerit jusjurandum; illud procul dubio ex ejus tantum mente ac conſilio erit interpretandum. (§. CCVIII, 107.) Nemo vero, cui ſana mens eſt, ſeſe ad ea, quae vel per naturam, vel per legem fieri non poſſunt, obſtringere velle creditur. Peccavit ergo Herodes *Matth. XIV.* dum filiae ſaltatriei jurejurando temerario promiſit, ſe, quidquid eſſet petitura, daturum;

turum; at multo graviore ſe ſcelere obſtrinxit, dum ei petenti Joannis caput indulgere non dubitavit.

Effectus ejus & nata inde obligatio.

§. CCIX. Ceterum quum jusjurandum ſit adſeveratio, cum invocatione Dei, tamquam vindicis, conjuncta: (§. CCIII.) conſequens eſt, (§. CXXXI. 36.) 110. ut quiſque obligatus ſit ad jusjurandum religioſe ſervandum. 111. Ut cavillationibus jurijurando non ſatisfiat (*). Ut tamen 112. legi cedere debeat obligatio jurisjurandi, adeoque 113. illud nullam obligationem producat, ſi quis ſe eo ad rem turpem, legibuſve prohibitam, devinxerit, quamvis, 114. ſi legibus directe non refragetur jurata promiſſio, omnino quis teneatur, niſi dolo alterius malo deceptus, vel vi injuſta adactus, jurarit. (§. CVII. & CVIII. 43.) Ex quo denique patet, 115. quid ſtatuendum ſit de canoniſtarum axiomate; *omne jusjurandum eſſe ſervandum, quod ſine ſempiternae beatitudinis detrimento ſervari poſſit.*

(*) Eſt vero *ſatisfactio per* CAVILLATIONEM, ſi quis verbis, non menti deferentis ſatisfacit. Quod quam impium ſit, facile patet. Qui per cavillationem ſatisfacit jurijurando, is alterum decipit. Decipere alterum in ſe injuſtum eſt, (§. CXCIX, *76.*) & multo quidem injuſtius, ſi quis invocato ſummo numine, tamquam vindice, decipiat. Hinc vere perjurium admiſit Hatto, archiepiſcopus Moguntinus, dum Alberto Bambergenſi pollicitus, ſe eum ſalvum reducturum in caſtellum, ſimulata fame, reduxit ad capiendum jentaculum, exſolutum ſe eo ipſo ratus jurisjurandi religione. Otto Friſing. *Chron. VI,* 15. Marian. Scot. *ad ann.* DCCCCVIII. Miratur hanc *Archipraeſulis verſutiam* Ditmarus Merſeb. *Lib. I. ineunte*, & recte miratur, quum ne Romani quidem ſine cenſura ac nota dimiſerint captivum, qui ſimili jurejurando aſtuve hoſtes deceperat. Gell. *Noct. Att. VII.* 18. De eo recte Cic. *de offic. III,* 32. *Liberatum ſe eſſe jurejurando interpretabatur. Non recte. Fraus enim adſtringit, non diſſolvit perjurium. Fuit igitur ſtulta calliditas, perverſe imitata prudentiam. Itaque decrevit Senatus, ut ille veterator & callidus vinctus ad Annibalem duceretur.*

Qui laeſit, tenetur ad ſatisfactionem.

§. CCX. Sic ſatis demonſtraſſe nobis videmur, neminem nec verbis, nec factis, nec ipſa cogitatione, eſſe laedendum. Quum vero, quicumque alterum infeliciorem reddit, LAEDERE dicatur: is vero vel maxime alterum reddat infelicem, qui, quod ei intulit, damnum non reſarcit: conſequens eſt, 116. ut, qui damnum dedit, ad illud reſarciendum ſatisfaciendumque omnino ſit obligatus. 117. Ut, qui ſatisfactionem illam alteri denegat, novam illi injuriam inferre, ac denuo illum laedere recte dicatur (*). 118. Ut ſi plures damnum dederint, circa ſatisfactionem idem obſervandum ſit, quod ſupra de imputatione actionis a pluribus perpetratae diximus. (§. CXII. ſequ.)

(*) Obligationem hanc ad ſatisfactionem Ariſtoteles *Ethic. ad Nicom. V,* 2. ex contractu involuntario; Puſendorfſius *de jure nat. & gent. III,* 1. 2. ex eo derivat,

derivat, quod fruſtranea futura eſſet lex de nemine laedendo, niſi ſimul vellet legiſlator, ut damnum reſarciretur. At nos ex ipſo LAESIONIS conceptu id officium elicimus. Non enim magis imperfectiores nos atque infeliciores reddit, qui quid nobis, quod noſtrum eſt, intercipit & aufert, quam qui, quod intercepit & abſtulit, non reſtituit, vel alio modo non ſatisfacit. Quum ergo nemo ſit laedendus: nec reparatio damni vel ſatisfactio erit deneganda.

Quid ſatisfactio & quotuplex?

§. CCXI. Per SATISFACTIONEM hic intelligimus praeſtationem ejus, quod lex a laedente exigit. Duo autem lex quaevis perfecta exigit, I. ut, quia facto ſuo quis alteri damnum dedit, id reſarciatur (*). II. Ut, quia & ipſe legiſlator per denegatum obſequium laeſus eſt, malum aliquod paſſionis ferat, quisquis alteri contra legem damnum intulit. Quamobrem 119. *ſatisfactio* ſemper & poenam, & reparationem damni, ſuo ambitu complectitur. Grot. *de jure belli & pac. II.* 17. 22. & 120. una alteram vel ideo non tollit, quod vitioſitas actus, ob quam poena irrogatur, & damnum, quod reſarciendum eſt, in omni delicto, ſemper conjuncta ſunt. Sed de POENA alibi erit dicendi locus.

(*) Si damnum nullius facto illatum eſt, nemo etiam ad ſatisfactionem eſt obligatus, neque caſus, a ſola providentia divina profectus, ulli mortalium poteſt imputari (§. CVI, 27.) Et inde ſequitur, ut, ſi quis in rebus ſuis tale damnum paſſus ſit, eum dominus ferre teneatur. Quod enim nemini imputare poſſumus: id ipſi ferre cogimur. Caſum ergo, qui nemini imputari poteſt, ipſe dominus ferre cogitur.

Quomodo praeſtanda?

§. CCXII. DAMNUM porro datum aut ita comparatum eſt, ut res omnis in priſtinum locum reſtitui poſſit, aut ut factum infectum fieri nequeat. Priore ergo caſu 121. res ipſa exigit, ut res omnino in priorem ſtatum reſtituatur, ſimulque 122. damnum, quod laeſus hoc ipſo, quod eum re ſua carere oportuit, & 123. quod pro recuperanda illa impenſas facere coactus eſt, ſenſit, reſarciatur. Poſteriore, 124. ut aequa aeſtimatione in tantum, quantum fieri poteſt, laeſo praeſtetur indemnitas, & 125. ea in re non modo veri pretii, ſed & adfectionis ratio merito habeatur. Quod exemplis homicidii, vulnerationis, mutilationis, adulterii, ſtupri, ſimiliumque criminum illuſtrat Pufendorffius *de jure nat. & gent. III.* 1. 7. *ſequ.*

Cap. VIII.

DE OFFICIIS ERGA ALIOS IMPERFECTIS.

§. CCXIII.

Connexionis ratio.

ITa ſatis nobis demonſtraſſe videmur, neminem eſſe laedendum: quin & oſtendiſſe, in quo conſiſtat alterius laeſio. Jam ergo proximum eſſet, ut, quomodo ſuum cuique tribuendum ſit, eadem induſtria explicaremus, (§. CLXXV.) niſi haec officia HYPOTHETICA ita eſſent comparata, ut ſine imperfectorum natura & indole intelligi nequeant. (§. CLXXVI.) Quare conſultiſſimum fuerit, tractationem hanc praemittere, attamen id iterum iterumque monere, ne ὕστερον πρότερον, i. e. crimen, aevi noſtri Rhadamanthis capitale, ſcientes dolo malo perpetraſſe videamur.

Officiorum imperfectorum fundamentum & diviſio.

§. CCXIV. Fons horum officiorum omnium eſt AMOR HUMANITATIS vel BENEFICENTIAE, (§. LXXXIV.) quo ei, quem amamus, & id libenter tribuimus, quod ei non debemus jure ſtricto, & quod tamen ad ejus felicitatem pertinere animadvertimus. Quum vero HUMANITAS nos ſine detrimento; BENEFICENTIA & cum detrimento aliis prodeſſe jubeat: (§. LXXXIII. *) I. OFFICIA etiam IMPERFECTA duorum generum eſſe, & in officia HUMANITATIS vel INNOXIAE UTILITATIS & BENEFICENTIAE, recte diſpeſci, patet. Utraque, ob multarum rerum neceſſariarum indigentiam, tam ſunt neceſſaria, ut homines ſine iis vitam ſuaviter & commode traducere non poſſint.

De iis axiomata.

§. CCXV. Quum ergo & horum officiorum non alia eſſe poſſit norma, quam noſtri ipſius amor, adeoque alios amare teneamur, tamquam nos ipſos: (§. XCIII. 66.) conſequens eſt, 3. ut quod nobis fieri ab aliis volumus, id & aliis facere teneamur. (§. LXXXVIII. 55.) Unde & ſupra, dum certum principium, ad quod omnia, quae aliis hominibus praeſtanda ſint, officia referri poſſint, praemiſimus, invenimus regulam: HOMO HOMINEM NON MINUS, QUAM SEIPSUM, TENETUR AMARE, NEC ALTERI, QUOD SIBI NON VULT, FACERE; (unde officia perfecta deduximus,) CONTRA ILLA FACERE OMNIA, QUAE SIBI AB ALTERO FIERI CUPIT. (§. XCIII. 68.) Unde officia omnia *imperfecta*, tum *humanitatis*, tum *beneficentiae* prono alveo fluere, res ipſa docebit.

§. CCXVI.

Obligatio ad officia, quae ſine detrimento praeſtantur.

§. CCXVI. Primo itaque nemo ſibi vult ea denegari, quae alter ſine detrimento ſuo praeſtare poteſt. Ergo & alteri quiſque talia liberaliter praeſtare tenetur. Inhumaniſſimum ergo dixeris merito, 4. qui alterum, quum poſſit, ope & conſilio non juvat, vel ejus res non ſervat pro virili, 5. errantem non revocat in viam, 6. ſitienti aquam profluentem, 7. algenti ignem; aeſtu languenti umbram, negat, vel 8. aliquid ab altero cum ejus incommodo exigit, quod facilius & ſine ſuo alteriuſque detrimento conſequi poſſet. Quin 9. adeo levis ac tralatitia eſt haec benignitas, ut ſaepe per leges vel conſuetudines officia haec imperfecta in perfecta tranſire videamus (*).

(*) Sic legibus cautum fuerat apud Athenienſes, ut diris devoveretur, quiſquis erranti non monſtraſſet viam. Hinc ſententia Diphili: ἀγνοεῖς, ἐν ταῖς ἀραῖς, ὅτι ἐστιν, εἴ τις μὴ φράσοι τὴν ὀρθὴν ὁδόν; *An neſcis, quod in exſecrationibus quoque ſit, ſi quis rectam viam non oſtenderit?* Sic legibus quoque Romani caverant, ut quis alterum actione compellere poſſet ad rem exhibendam, qui ſibi nec ex pacto ullo, nec ex delicto, eſſet obligatus. Ad conſuetudinem vero provocat Latona apud Ovid. *Metamorph. VI. v. 349.*

Quid prohibetis aquas? uſus communis aquarum eſt.

Et Seneca *Controv. I, 1. Iniquum eſt, collapſis manum non porrigere. Commune hoc jus generis humani eſt.* Commune jus, id eſt, conſuetudo, communi omnium gentium conſenſu recepta.

Nec non ad ea, quibus abundamus.

§. CCXVII. Ejuſdem prope innoxiae utilitatis eſt 10. praeſtatio rerum, quarum tanta nobis adfluentia eſt, ut eas ſine notabili aliquo detrimento cum aliis poſſimus communicare, itemque 11. earum rerum, quae alioquin apud nos eſſent perituræ, in aliorum utilitatem diſpenſatio: ut adeo 12. & illi valde inhumani ſint, qui res tales corrumpunt, flammis abſumunt, in mare projiciunt, in terra clam defodiunt, tantum ut nemo aliorum inde aliquid capiat utilitatis (*).

(*) Eſt & haec ſatis tralatitia humanitas, & veluti alter ejus gradus. Quemadmodum vero, qui cuiquam haec officia denegant, valde inhumani ſunt: ita iniqui actionum ſuarum aeſtimatores videntur, qui ideo maximas ſibi gratias deberi exiſtimant. Terent. *Andr. II, 1. v. 31. Neutiquam officium liberi eſſe hominis puto, quum is nihil promereat, poſtulare, id gratiae adponi ſibi.* Quis vero magnam rem praeſtitiſſe hoſpiti dixerit Calabrum, de quo Horat. *Epiſt. I, 7. v. 14.*

Quo more piris veſci Calaber jubet hoſpes.
Tu me feciſti locupletem. Veſcere ſodes.
Jam ſatis eſt. At tu quantumvis tolle.
Benigne.
Non invisa feres pueris munuſcula parvis.
Tam teneor dono, quam ſi dimittor onuſtus.
Ut libet: haec porcis hodie comedenda relinques.
Prodigus & ſtultus donat, quae ſpernit & odit.

Perquam inhumanus eſt, qui talia aliis indigentibus negat: non multo plus quam inhumanus, qui dum ea offert, tam beneficus ſibi videtur, ut ideo alterum ſibi perpetuo obſtrictum habere debeat.

Quid ſi noxia nobis futura ſit humanitas?

§. CCXVIII. At quum talia aliis praeſtare teneamur ex amore, quo nos alios proſequi jubet Deus O. M. (§. CCXV.) nemo vero alterum ſe ipſo magis amare teneatur: (§. XCIII. 65.) conſequens eſt, 13. ut, ſi his officiis nobis ipſis, vel amicis, nos obfuturos eſſe, praevideamus, ea jure aliis denegemus. Quod quum vel maxime contingere poſſit in ſtatu naturali, ubi nullus nos tutos praeſtat magiſtratus, ſi hoſtibus manifeſtis prodeſſe hoc modo non dubitemus: facile reddi poteſt ratio, 14. cur in ſtatu naturali hoſti, quatenus hoſtili erga nos animo eſt, etiam innoxiae utilitatis officia jure denegemus, 15. contra in ſtatu civili eo obtentu nemo temere ſine reprehenſione utatur (*).

(*) Sic in bello hoſtes jure prohibemus aquatione, jure item corrumpimus commeatum, ne illis, nos invaſuris, utilitatem praeſtet. Sed haec omnia eatenus jure fiunt, quatenus hoſtilli in nos ſunt animo. Alioquin enim, ſi nobis obeſſe non poſſunt, omnino humanitatis inſignem ferunt laudem, qui & hoſtes, e. g. captivos, vel morbo decumbentes, ſine inſigni detrimento ſuo juvant. Quumque in ſtatu civili non temere nobis nocere poſſit hoſtis, quem ſaltim magiſtratus auctoritas in ordinem cogere poteſt: inhumanus omnino eſt, qui & hoſti, immo & ſcelerato homini, has innoxiae utilitatis res ſubtrahit, quum hic miſereri oporteat οὐ τὸν τρόπον, ἀλλὰ τὸν ἄνθρωπον, εἰ μὴ τὸν ἄνθρωπον, ἀλλὰ τὸ ἀνθρώπινον, *non mores, ſed hominem, vel ſi non hominem, at ſaltim humanitatem*, uti recte vidit Ariſtoteles *apud Diogen. Laërt. V, 21.* Quare vix excuſanda eſt inhumanitas Athenienſium, qui Socratis accuſatores ita averſati ſunt, ut nec ignem iis accenderent, nec interrogantibus reſponderent, neque in balneo aqua uterentur eadem, donec illi odii impatientia ſeſe ſuſpenderent. Plutarch. *de invid. & od. p. 538.*

Humanitas & inimicis debetur.

§. CCXIX. Immo potius, quum amor, ex quo haec officia proficiſcuntur, non ob alterius merita, ſed ob aequalitatem naturae, debeatur: (§. LXXXVIII.) facile patet, 16. & inimicis, non denegandas eſſe res, quibus abundamus, & quae ſine detrimento noſtro praeſtari poſſunt, quin 17. tanto ſplendidiorem fore hanc humanitatem, quanto minus illa cum ſpe aliqua inſignem gratiam ab hoſtibus ineundi conjuncta eſt (*).

(*) Novimus haec Chriſtianis inculcari *Matth. V, 45. Luc. VI, 35.* iiſdemque ob oculos poni exemplum ipſius Patris coeleſtis, *qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, & pluit ſuper juſtos & injuſtos.* At ejuſdem veritatis ipſam rectam rationem, conſiderata humanae naturae aequalitate, non eſſe ignaram vel inde patet, quod Socrates ex inſtituto profligavit vulgarem ſententiam, *amicis bene faciendum, male inimicis:* teſte Themiſtio *Orat. ad Valent. de bello victis.* Et quid excellentius ab homine, experte ſacrarum litterarum, ſcribi potuit, quam illud Hieroclis *in aur. Pythag. carm. p. 69.* Διὸ καὶ λέγεται ὀρθῶς, ὡς οὐδεὶς ἔχθρος τῷ σπουδαίῳ· καὶ μόνος ὁ ἀγαθὸς αὐτῷ φίλος. εἰ μὲν γὰρ τὸν ἀγαθὸν φιλεῖ, οὐδὲ τὸν κακὸν ἐχθρὸν τίθεται. εἰ δὲ τὸν ἀρετῇ κεκοσμημένον ζηλεῖ πρὸς κοινωνίαν, τὸν ἀγαθὸν ἐκ πάντων ἐκλέγεται, μιμούμενος καὶ ἐν τοῖς φιλίας μέτροις τὸν θεόν, ὃς μισεῖ μὲν οὐδένα ἀνθρώπων,

ἀνθρώπων, τὸν δὲ ἀγαθὸν διαφερόντως ἀσπάζεται. *Unde ſit etiam, ut recte dicatur, virum bonum odiſſe neminem, ſolumque bonum & amicum exſiſtere. Quum enim bonum diligit, non eum, qui malus ſit, putat inimicum. Sin autem virtute praeditum quaerit ad ſocietatem, ex omnibus eum deligit, qui probus ſit, atque in amicitiae legibus Deum ipſum imitatur, qui nullum quidem ſolet odiſſe, ſed eum potiſſimum, qui bonus eſt, amplecti & diligere.*

§. CCXX. At quum tamen amor ille humanitatis, ex quo haec officia, tamquam ex fonte limpidiſſimo, promanant, directricem veluti habeat ſapientiam, (§. LXXXIII. 45.) ſapientia vero ſit facultas ea, quae ad noſtram aliorumque felicitatem pertinent, diſcernendi: (§. eod.) inde colligimus, 18. non ſolum perſonarum, ſed & neceſſitatis, qua alter premitur, habendam eſſe rationem, adeoque 19. in pari cauſſa, ſi omnibus non poſſit ſatisfieri, plus humanitatis deberi viro bono, quam ſcelerato, 20. plus amico, quam inimico, 21. plus cognato & neceſſario, quam extraneo; (*) 22. plus denique ei, qui magis, quam qui minus opis noſtrae indiget. Et eatenus recte illuſtris LEIBNITIUS, juſtitiam *amorem ſapientis* eſſe, ſtatuit. Obſervandi tamen gradus neceſſitudinis.

(*) Hinc & Pythagoras certos amoris hujus gradus diſtinxit *in aureo carm. v. 4. ſequ.*

Τούς τε γονεῖς τίμα, τούς τ᾽ ἄγχιστ᾽ ἐκγεγαῶτας·
Τῶν δ᾽ ἄλλων ἀρετῇ ποιοῦ φίλον, ὅστις ἄριστος.

Inde parentis honos ſequitor: tum ſanguinis ordo:
Poſt alii ſunto, virtus ut maxima, amici.

Quam Pythagorae ſententiam praeclare, uti ſolet, interpretatur Hierocles *p. 49. ſequ.*

§. CCXXI. Sublimior eſt amoris gradus, quem ſupra BENEFICENTIAE vocavimus, (§. CCXIV.) quia amor ille ita comparatus eſt, ut nos & cum aliquo detrimento aliis pro virili prodeſſe jubeat. Quum enim, quae nobis fieri cupimus, ea & aliis facere teneamur, (§. LXXXVIII. 55.) & ſaepenumero incidant caſus, ut infeliciſſimi nobis videremur, niſi alii nobis, quae deſunt, liberaliter elargirentur, tunc vero nemo temere ſit, quin illa ſibi praeſtari cupiat: conſequens eſt, 23. ut his caſibus aliis & cum detrimento ea, quae illis deeſſe animadvertimus, liberaliter elargiamur (*). Obligatio ad beneficentiam.

(*) ELARGIRI vero dicimur, non quod commodamus, vel pro certa mercede concedimus, ſed quod alteri ſine ſpe vel reſtitutionis, vel retributionis, damus. Itaque ſi rem do, ut recipiam, vel, ut ſaltim mercedem feram: actus hic incidit in contractum. Sin do ſine ſpe reſtitutionis vel retributionis: vera haec beneficentia vel largitas eſt. Seneca *de Benef. VI, 14. Illos ex toto praeteribo, quorum mercenarium beneficium eſt, quod qui dat, non computat, cui, ſed quanti daturus ſit, quod undique in ſe converſum eſt. Vendit mihi aliquis frumentum, vivere non poſſum, niſi emero: ſed non debeo vitam, quia emi. Nec quam neceſſa-*

rium

rium fuerit, aeſtimo, ſine quo victurus non fui: ſed quam gratuitum, quod non habuiſſem, niſi emiſſem, in quo mercator non cogitavit, quantum auxilii adlaturus eſſet mihi, ſed quantum lucrum ſibi. Quod emi, non debeo. Quamvis vero hamata non eſſe oporteat beneficia: nemo tamen benefacit alteri, quin hunc ſibi ad amorem mutuum devincire velit. Ac proinde alter, qui beneficia accipit, eo ipſo ſe tacite ad mutuum amorem omnino obſtringit.

Quid beneficentia? quid officioſitas?

§. CCXXII. Itaque BENEFICIUM eſt, res vel actio, alteri profutura, quam ei ſine ſpe reſtitutionis aut retributionis praeſtamus. Studium vero alteri talia praeſtandi BENEFICENTIAM vocamus: quemadmodum ſtudium & promtitudinem, alteri ea cum obligatione reſtitutionis vel compenſationis praeſtandi, quae ipſi proſunt, OFFICIOSITATEM adpellavit. Sidon. Apollin. *Carm. XXIII. v.* 478. Quamvis vero ea, quae ita praeſtantur, *beneficiorum* nomine non veniant: magni tamen fieri omnino debent, & grato animo accipienda ſunt, ſi vel majoris ſint, quam ut mercedem admittant, vel ab eo, quem ad id praeſtandum non obligat officii ratio, praeſtentur (*).

(*) Vidit & hoc Seneca *ibid. Cap. XV. Iſto modo*, inquit, *ne medico quidquam debere te, niſi mercedulam, dices: nec praeceptori, quia aliquid numeraveris. Atqui omnium horum apud nos magna caritas, magna reverentia eſt. Adverſus hoc reſpondetur, quaedam pluris eſſe, quam emuntur. Emis a medico rem inaeſtimabilem, vitam ac valetudinem bonam: a bonarum artium praeceptore ſtudia liberalia, & animi cultum. Itaque his non rei pretium, ſed operae, ſolvitur, quod deſerviunt, quod a rebus ſuis avocati nobis vacant. Mercedem non meriti, ſed occupationis ſuae, ferunt.* Poſtea tamen & aliam rationem, cur & iis, qui talia praeſtant, gratum animum debeamus, reddit, dum Cap. XVI. iſta ſubjungit. *Quid ergo? quare medico & praeceptori plus quiddam debeo, nec adverſus illos mercede defungor? Quia ex medico & praeceptore in amicum tranſeunt, & nos non arte, quam vendunt, obligant, ſed benigna & familiari voluntate.*

Beneficentia proficiſci debet ex voluntate aliis utilitatem adferendi.

§. CCXXIII. Quum ergo beneficentia ſit ſtudium ea, quae alteri profutura animadvertimus, praeſtandi, (§. CCXXII.) nemo non videt, 24. ejus virtutis laudem ſibi fruſtra adrogare eos, qui, ut ille ſervulus Terentianus, *Hecyr. V,* 4. *v.* 39. plus ſaepe boni ignorantes imprudenteſque faciunt, quam ſcientes antea umquam: (§. XLVIII.) vel 25. qui conſilio nocendi alteri benefaciunt, vel 26. non alia ratione ad benefaciendum excitantur, quam quod id beneficium ſibi magis, quam aliis, profuturum exiſtiment. Ex quo porro patet, 27. in dijudicandis beneficiis animum magis & conſilium benefactoris, quam ipſum actum atque effectum, eſſe aeſtimandum (*).

(*) Ut exemplis illuſtremus has concluſiones: nemo dixerit, beneficio adfici alterum, cui rei ignari litteras, boni quid nunciantes, tradidimus: nec quem quis commendat, tantum ut alio loco ſit, ipſeque vacua dominetur in aula, nec

nec qui arbores ſuae voluptatis cauſſa plantavit, ſi umbra earum & vicinus, praeter ejus animi ſententiam fruatur. Huc pertinet elegans *fabella* Phaedri *I*, 22. de muſtela, ab homine prehenſa, quae, quum inſtantem effugere cupiens necem, rogaret, ut ſibi parceretur, quum moleſtis muribus purget domum, triſte hoc tulerit reſponſum:

Faceres, ſi cauſſa mei:
Gratum eſſet, & dediſſem veniam ſupplici,
Nunc quia laboras, ut fruaris reliquiis,
Quae ſint roſuri, ſimul & ipſos devores,
Noli imputare vanum beneficium mihi.

Hoc enim, ipſo interpretante Phaedro, *in ſe dictum debent illi agnoſcere, quorum privata ſervit utilitas ſibi, & meritum inane jactant imprudentibus.*

§. CCXXIV. Quumque ex amore haec beneficia proficiſci debeant, iſque ſemper conjunctus ſit cum ſapientia: (§. LXXXIII. 45.) facile patet, 28. profuſionem, & quidvis potius, quam liberalitatem, eſſe, cui ratio non conſtat: nec 29. beneficiorum vocabulo digna videri, quaecumque ex ambitione magis & jactantia, quam ex amore, vel 30. non indigis, ſed opulentioribus, (*) immo 31. indignis potius, quam viris bonis, vel quae denique, 32. turbato illo neceſſitudinum ordine, de quo ſupra quaedam monuimus, (§. CCXX.) praeſtantur. Beneficia tamen ſapienter diſpenſanda.

(*) Praeterquam enim quod haec beneficia praeripiuntur indigis: plerumque etiam ſunt hamata & captatoria, ac proinde eo quoque nomine merito indigna ſunt beneficiorum vocabulo. *Matth. V*, 46. 47. *Luc. VI*, 32. *ſequ.* Praeterea apud opulentiores, quidquid iis beneficii praeſtiteris, nec gratum eſt, nec beneficii rationem habet. Hinc riſiſſe Alexandrum M. novimus beneficium, quum illi jus civitatis offerrent Corinthii, quamvis ſe id, praeter Herculem & Alexandrum, nemini dediſſe gloriarentur. Seneca *de Benef. I*, 13. Fieri tamen poteſt, ut hujuſmodi beneficia excuſent officium, beneficiorum ab aliquo antea perceptorum memoria, immo & civitatis, in qua verſamur, mores, ac proinde Romae, nemo vitio clienti vertere potuiſſet hujuſmodi liberalitatem, quia jus illud patronatus, a Romulo inſtitutum, exigebat etiam, ut patronis benefacerent clientes. Dionyſ. Halic. *Lib. II. p.* 84. Plutarch. *Romul. p.* 24. Polyb. *Hiſt. VI. p.* 459. Nec magis Perſae, Regi ſuo offerentes dona & munera, ullius reprehenſionem jure incurrebant, quum lex exſtaret, πάντας βασιλεῖ κατὰ τὴν αὐτῶ δύναμιν ἕκαστον προσκομίζειν, *ut omnes Perſae Regi, ſinguli pro ſuis facultatibus, munera offerrent.* Aelian. *Var. Hiſt. I*, 31. *ſequ.*

§. CCXXV. Praeterea ex eo, quod prodeſſe alteri debeant beneficia, (§. CCXXII.) non abs re colligere nobis videmur, 33. beneficia attemperanda eſſe cujuſvis conditioni & neceſſitatibus: adeoque 34. non eſſe beneficia, quae alteri nullam adferunt utilitatem, 35. multoque minus id nomen mereri, quae cum manifeſto alterius detrimento, vel ſaltim 36. cum maximo incommodo, conjuncta ſunt (*). Et alterius neceſſitati & conditioni attemperanda.

(*) Hinc beneficus non eſt, qui famelico gemmam, ſitienti veſtem pretioſam, aegroto epulum offert, *per n.* 33. Nec minus id nomen meretur Beſſus,

ſus, qui catenas aureas Dario injecit. Curt. *Lib. V. Cap. XII. per nu.* 34. 35. Denique Romanus ille, ſervatus inter proſcriptos, ac deinde perpetuo circumductus ludibrioque habitus, recte exprobravit benefactori ſuo, *nihil ſe illi debere, ſi ſervaverit, ut haberet, quem oſtenderet.* Seneca *de Beneſ. II,* 11. *per n.* 36.

Nec minus diſtinguendi gradus neceſſitudinis.

§. CCXXVI. Quemadmodum vero amor ille humanitatis & beneficentiae, qui nos ad beneficia aliis praeſtanda inflammat, ne quidem inimicos negligi patitur: (§. CCXIX. 16.) ita facile unuſquiſque intelliget, 37. multo magis amandos eſſe, qui nobis, quantum in ipſis fuit, beneficia praeſtiterunt: adeoque 38. eos eſſe peſſimos mortalium, ipſiſque brutis ferociores, qui ſe ne beneficiis quidem ad concipiendum noſtri amorem moveri patiuntur: quin 39. eoſdem eo eſſe injuſtiores, quo minus negari poteſt, eos, acceptando beneficia, ſe ad mutuum benefactorum amorem obſtrinxiſſe. (§. CCXXI. *).

Obligatio ad gratitudinem.

§. CCXXVII. Amor erga benefactores vocatur GRATUS ANIMUS, vulgo GRATITUDO. Quamobrem quum unuſquiſque ad amandum eum, a quo beneficiis ornatus eſt, obſtrictus ſit: (§. CCXXVI, 37.) conſequens eſt, 40. ut unuſquiſque etiam obſtrictus ſit ad gratum animum benefactoribus quavis ratione oſtendendum: 41. id tamen officium imperfectum eſſe, adeoque 42. nec quemquam ad illud alteri exhibendum cogi, nec 43. ingratum actione forenſi conveniri poſſe, (*) niſi leges civiles ejuſmodi actionem diſerte invexerint. Quale quid de Perſis tradidit Xenophon *Cyropaed. I,* 2. 7. *p.* 9. *edit. Oxon.*

(*) Equidem vulgo diſtinguunt inter ingratitudinem SIMPLICEM, cujus vitii reus eſt, qui benefactori non benefacit, & PRAEGNANTEM, ſi quis beneficia malefactis atque injuriis penſat. Et illam quidem extra legum civilium poenas, hanc poena digniſſimam eſſe ſtatuit Puſendorff. *de jure nat. & gent. III,* 3, 17. Sed ſi dicendum quod res eſt, hoc quoque caſu non in ingratum animadvertitur, ſed in injurioſum, quippe poenas daturum, etiamſi homini, nullis ſibi beneficiis cognito, intuliſſet injuriam. Quamvis facile largiamur, eo gravius merito haberi delictum, cum turpiſſimo iſto animi ingrati vitio conjunctum. Sic ſane gravius merito animadvertitur in eos, qui in parentes, educatores, patronos, quam qui in extraneos, fuere injurii.

De ea regulae.

§. CCXXVIII. Quandoquidem vero gratitudo eſt amor erga benefactorem: (§. CCXXVII.) conſequens eſt, 44. ut, delectari unumquemque benefactoris ſui perfectione & felicitate, & 45. ejus benevolentiam verbis ornare & praedicare, quin & 46. beneficia beneficiis, non iiſdem quidem ſemper, at beneficiis tamen, & officiis, quantum fieri poteſt, plurimis penſare oporteat: ac proinde, 47. ut deſint vires, tamen & voluntatem gratum oſtendendi animum magnopere eſſe laudandam.

§. CCXXIX.

§. CCXXIX. Denique quum & cum detrimento noſtro prodeſſe, & ſine ſpe reſtitutionis ac retributionis benefacere aliis teneamur: (§. CCXXI, 23.) conſequens eſt, 48. ut multo minus alteri denegare debeamus, quae ſibi ille, certam reſtitutionem & retributionem ſpondens, praeſtari petit, adeoque 49. unuſquiſque obligatus ſit ad ſtudium illud alteri gratificandi, quod ſupra OFFICIOSITATEM vocavimus, (§. CCXXII.) dummodo 50. non manifeſtum ſit, illam alios juvandi promtitudinem cum periculo ac detrimento noſtro non fore conjunctam. (§. XCIII. 65.) Obligatio ad officioſitatem.

CAP. IX.

DE OFFICIIS ERGA ALIOS HYPOTHETICIS, ET PRIMO QUIDEM, CIRCA DOMINII ADQUISITIONEM ORIGINARIAM.

§. CCXXX.

QUae hactenus diſſeruimus, ea partim ad amorem JUSTITIAE, partim ad eum, quem ſupra HUMANITATIS & BENEFICENTIAE amorem adpellavimus, (§. LXXXIV.) pertinent. Ex hoc officia *imperfecta*, de quibus ſuperiore capite diſſeruimus; ex illo *perfecta*, tamquam ex fonte, promanant. *Perfecta* in eo conſiſtere diximus, ut primum neminem laedamus, (quod officium ABSOTUTUM vocavimus,) deinde, ut ſuum cuique tribuamus, quod nobis officium HYPOTHETICUM eſt. Quum igitur de illo *Cap. VII.* actum ſit, de hoc jam erit eadem cura exponendum. Connexio.

§. CCXXXI. SUUM proprie quisque vocat, quod in DOMINIO ſuo eſt. DOMINIUM vero vocamus jus, ſeu facultatem, alios uſu rei alicujus excludendi (*). Ipſam detentionem rei, cujus uſu alios excludere ſtatuimus, POSSESSIONEM adpellare mos eſt. Ceterum jus nobis vindicamus, aut omnes praeter nos, aut exceptis quibuſdam aliis perſonis, reliquas omnes uſu alicujus rei excludendi. Priore caſu res in PROPRIETATE; poſteriore in COMMUNIONE POSITIVA eſſe dicitur, quae vel AEQUALIS eſt, quando aequale omnibus jus in re communi competit, vel INAEQUALIS, quando alter altero plus minuſve juris in illa habet. Itemque vel PERFECTA, quando omnibus in re communi jus perfectum eſt, vel IMPERFECTA, quando nemini tale jus perfectum eſt, qualis eſt inter milites exercitus, quibus certae pecuniae ſummae praemium a principe deſtinatum. Si nec uni, nec pluribus, jus animuſve eſt, alios uſu rei, nondum Quid ſuum? dominium, poſſeſſio, proprietas, communio.

ab ullo poſſeſſae, excludendi: res in COMMUNIONE NEGATIVA eſt, quae ſola dominio opponitur, quia tunc res in nullius dominio eſt conſtituta.

(*) In hac ſola facultate, uſu alicujus rei alios excludendi, dominium conſiſtere palam eſt. Omnia enim reliqua dominii effecta, quae alias in definitione dominii enumerari ſolent, ita ſeparari poſſunt a dominio, ut nihilominus quis maneat dominus. Sic e. g. *facultatem, omnem ex re utilitatem percipiendi*, conſtituto uſufructu a proprietate ſeparari, animadvertimus, ſalvo dominio. *Facultatem libere de re diſponendi* non competere pupillis, notum ac pervulgatum eſt. Et hos tamen dominos rerum ſuarum eſſe, nemo negaverit. Unde Seneca *de Benef. VII*, 12. *Non eſt argumentum, ideo aliquid tuum non eſſe, quia vendere non potes, quia conſumere, quia mutare in deterius, aut melius. Tuum enim eſt etiam, quod ſub certa lege tuum eſt.* Denique & *facultatem vindicandi* rem commodatam vel depoſitam a tertio poſſeſſore, domino ademtam eſſe obſervamus, multis locis, ubi obtinet juris regula: *Hand muſs hand vvahren.* Quum ergo definitionem id duntaxat ingredi debeat, quod ad rei eſſentiam ita pertinet, ut abeſſe nequeat, ſublata vero *facultate alios rei uſu excludendi* illico quis dominus eſſe deſinat: dubitari nequit, quin haec ſola dominii definitionem abſolvat. Idque velle exiſtimo Arrianum *diſſert. Epict. II*, 2. dum dominum definit, τὸν τῶν ὑπ' ἄλλων σπουδαζομένων ἢ ἐκκλινομένων ἔχοντα ἐξουσίαν, *qui, quae alii expetenda fugiendaque cenſent, in poteſtate habet.*

Jus hominum in res creatas.

§. CCXXXII. Jam quum ipſa ratio nos convincat, Deum condidiſſe homines: (§. CXXVII, 18. ſequ.) eumdem ſane voluiſſe etiam, ut exſiſterent, manifeſtum eſt. Quumque qui finem cupit, is & media velle videatur: conſequens eſt, 1. ut homines rebus omnibus, ad conſervandam eorum exſiſtentiam neceſſariis, quas haec tellus producit, uti frui voluerit. Praeterea quum Deus hominem, animal praeſtantiſſimum, inſigni prae reliquis amore proſequatur: (*Phil. mor. elem. §. CLXXX[illegible]*) dubitari profecto non poteſt, 2. quin & felicitate ac perfectione noſtra delectetur, (§. LXXX.) adeoque & iis nos frui velit, quae vitam noſtram reddant perfectiorem, feliciorem, ac ſuaviorem, dummodo 3. rebus creatis non abutamur. (*) (§. XC.)

(*) Dubitatum eſt a quibuſdam, an & brutis, quae ſine dolore deſtrui, uſibuſque humanis adhiberi nequeunt, uti liceat ad vitam conſervandam? Idque haud pauci negarunt, quod & injuriam his animantibus fieri exiſtimarent, & brutorum non uſus, ſed abuſus eſſe videretur, ſi quis, ut carne eorum veſcatur, ea jugulare non dubitet: maxime quum & ſine feralibus iſtis epulis vitam conſervare poſſent homines. Addunt alii, eſum carnis & minus ſalubrem eſſe, & homines efferatos reddere, idque in primis urſiſſe novimus Pythagoram, & poſtea Porphyrium *in libris περὶ ἀποχῆς.* Vid. Scheffer. *de philoſ. Italica Cap. XIV.* Sed 1. tota illa hypotheſis, quod injuria & brutis inferri poſſit, nititur alio errore de tranſmigratione animarum, ſeu κοινῷ δικαίῳ ψυχῆς, *communi, quod nobiſcum habeant, animae jure*, uti vocavit Pythagoras apud Diog. Laërt. *VIII*, 13. quod explicaturus Empedocles apud eumdem Laërt. *VIII*, 77.

Ἤδη

Ἤδη γάρ ποτ' ἐγὼ γενόμην κοῦρός τε κόρη τε,
Θάμνος τ' οἰωνός τε, καὶ ἐξ ἁλὸς ἔμπυρος ἰχθύς.
Nam, memini, fueram quondam puer, atque puella,
Plantaque, & ignitus piſcis, pernixque volucris.

Add. Jamblich. *vit. Pythag. XXIV. nu.* 108. Porphyr. *vit. Pythag. p.* 188. *ſequ.* Sed falſum eſt, ullam nobis cum brutis eſſe juris communionem, (§. XC.) atque hinc falſum etiam, brutis fieri injuriam, 2. Non ideo abſtinendum eſt a rebus, quia iis carere poſſumus, quia Deus nos non modo eſſe, ſed ſuaviter vivere cupit. Nec is uſus abuſus eſt, qui Dei voluntati non refragatur. Denique 3. inſalubritas illa, quam urgent, nec ſatis probata eſt, & procul dubio non a moderato carnis uſu, ſed ab ingluvie, & rerum creatarum abuſu, quem & ipſi damnamus, proficiſcitur.

Initio omnia in communione negativa fuerunt.

§. CCXXXIII. Quum ergo Deus omnia, quae ad conſervandam ſuaviterque tranſigendam vitam humanam pertinent, utenda fruendaque dederit hominibus: (§. CCXXXII.) procul dubio etiam voluit, 4. ut nullus earum uſu ab ullo excluderetur: adeoque 5. ex intentione Dei initio rerum omnia in negativa communione, adeoque 6. vere in nullius dominio fuerunt conſtituta. (*) (§. CCXXXI.)

(*) Atque ita primaevam hominum conditionem deſcribunt non modo ſacrae litterae, *Geneſ. I, 28. 29.* verum etiam poëtae, qui & eo nomine laudarunt ſaeculum aureum, quod illo tempore, ut ait Virgil. *Georg. I, v.* 125.
Nulli ſubigebant arva coloni,
Nec ſignare quidem, aut partiri limite campum
Fas erat: in medium quaerebant: ipſaque tellus
Omnia liberius, nullo poſcente, ferebat.
Negant ergo, tum ullos agrorum fines, ullos limites fuiſſe, rebus adhuc in medio poſitis, ac univerſi humani generis uſibus ita relictis, ut nullus earum uſu excludi potuerit.

Sed ab ea diſcedere licuit, urgente neceſſitate.

§. CCXXXIV. Quod ipſe Deus voluit, id voluit ſapientiſſime, ac proinde illud ſine ſumma neceſſitate mutari ab hominibus non debuit. Quum vero & leges divinae adfirmativae, qualis eſt illa, ut res omnes creatae veluti in medio poſitae omnium uſibus pateant, exceptionem ob neceſſitatem admittant, (§. CLIX, 58.) in cenſum autem hic veniat non modo extrema neceſſitas, ſed & illa, quae efficit, ut vitam ſuaviter ac commode tranſigere non poſſimus: (§. CLVIII, 54. §. CCXXXII, 2.) conſequens eſt, 6. ut, urgente neceſſitate, homines a negativa illa communione diſcedere, adeoque 7. dominium, quod communioni illi opponitur, (§. CCXXXI.) introducere omnino potuerint.

Quae neceſſitas homines coegerit

§. CCXXXV. Jam facile quidem patet, ſi intra paucos ſtetiſſet humanum genus, nulla circa primaevam illam ac negativam rerum omnium communionem mutatione opus fuiſſe futurum, ſufficiente quippe omnibus naturae ubertate, ad vitam ſi non ſuaviter, at

cognita veritate, alias inde eliciat, ac denique, quod bonum ſibi fore judicavit, ſive materiale illud, ſive immateriale ac incorporeum ſit, appetat, quod malum, averſetur.

§. XI.

Ejus partes eſſentiales. Quae experientia ſatis nos convincit, hominem conſtare ex MENTE & CORPORE, id eſt, ex ſubſtantia cogitante, & altera in longum, latum, profundum extenſa. Quumque ſe invicem tamquam amicis utantur: utramque eſſe oportet partem eſſentialem, nec corpus habendum pro mentis ergaſtulo (*).

[*] Notandum hoc contra barbaros, Pythagoreos, Socraticos, Stoicos, qui vel corpus carcerem mentis eſſe ſomniabant, vel cauſſam ſaltem mali omnem imputabant corpori, [H. §. XXVIII], mentem ſolam hominis eſſentiam ingredi exiſtimantes. Quis vero carcerem amat? quis eo tamquam inſtrumento utitur?

§. XII.

Mentis immaterialitas. Quumque *mens* cogitet, (§. XI.) cogitare autem ſit res percipere, ſuarumque perceptionum conſcientiam habere, ea vero adfectio in nullum corpus quantumvis ſubtile, cadat (*): eam ſane IMMATERIALEM, adeoque SPIRITUM, id eſt, ens ſimplex eſſe, recte colligimus.

[*] Quum enim corpus ſit ſubſtantia extenſa; omnes ejus adfectiones a partium figura, diſpoſitione, motu pendent. At quocumque modo tibi concipias vel figuram, vel diſpoſitionem, vel motum partium corporis, numquam concipies cogitationem, ergo corpus non cogitare, merito colligimus. Add. BAELII *Dictionaire hiſtorique & critique*, ſub voce *Lucrece*.

§. XIII.

Et immortalitas. Quia autem mens eſt ſpiritus, ſpiritus ens ſimplex, & ex nullis elementis compoſitum: (§. XII.) illa quoque diſſolvi ſua natura (*) non poteſt, ſed ſemper manet ſubſtantia cogitans, & ſuarum perceptionum ſibi conſcia. (§. XI.) & hinc merito INDESTRUCTIBILIS & IMMORTALIS judicatur, quantumvis corpus diſſolvatur in ſuas partes.

[*] Deum autem velle mentem deſtruere vel in nihilum redigere, nullo nobis argumento innoteſcit.

§. XIV.

Dignitas mentis prae corpore. Si porro mens immortalis eſt, corpus mortale, (§. XIII.) & utrumque tamen ad hominis eſſentiam pertinet: (§. XI.) multo praeſtantiorem mentem corpore, adeoque de vera ejus felicitate magis, quam de hujus conditione, cogitandum, nec tamen in hoc ſaeviendum eſſe, facile patet (*).

[*] Quare errant, qui cum Pythagoreis, Socrate, Stoicis, corpus animi ergaſ-

deprimunt. [§. XI. *] nec minus tamen errant, qui illud cum Ariſtippo ipſi menti putant praeferendum, [H. §. II. I.] LAERT. II, 90.

§. XV.

Mens autem & res varias cognoſcit, & cognitas appetit vel averſatur. Eam ergo facultatem, qua res immateriales & abſtractas percipit, dijudicatque, & de iis ratiocinatur, vocamus INTELLECTUM; qua vero ideas rerum materialium olim perceptas retinet, revocat, componit, diſcernit, IMAGINATIONEM. Eiuſdem facultates, ut intellectus & imaginatio.

§. XVI.

Eodem modo facultas mentis, quae bonum materiae expers appetit, malum averſatur, VOLUNTAS, quae in res materiales, quas bonas judicat, fertur, vel ab iis refugit, APPETITUS SENSITIVUS dicitur. Item voluntas & adpetitus ſenſitivus.

§. XVII.

Quum *intellectus* percipiat, judicet, ratiocinetur, & quidem de rebus immaterialibus & abſtractis, *imaginatio* de materialibus, hae autem ſenſus diverſimode adficere poſſint: conſequens eſt, ut *intellectus* apud omnes idem, *imaginatio* hominum diverſorum ſaepe diverſiſſima ſit (*). Intellectus & imaginationis diverſa natura.

[*] Hinc omnes homines, modo ſana ratione utantur, concipiunt, figuram includi non poſſe duabus lineis, virtutem eſſe honeſtam, corpus conſtare partibus: at non omnes judicant, hanc muſicam eſſe ſuavem, puellam illam eſſe formoſam, cibum illum eſſe ſaporis eximii.

§. XVIII.

Quoties mens ratiocinatur de actionibus propriis, &, utrum legi conveniant nec ne, diſquirit (*), haec intellectus operatio adpellatur CONSCIENTIA. Quid conſcientia?

[*] Eſt ergo conſcientia vere ſyllogiſmus, cujus in *majore* propoſitione *lex*, in *minore factum*, in concluſione *ſententia* occurrit. Hinc quo reſpectu *norma actionum*, *accuſatrix*, *teſtis*, *judex* vocari ſoleat, facile patet. Nec magis dubitari poterit, quin errorem ridiculum committant, qui cum TOLANDO & aliis conſcientiam pro terriculamento, plebi a clericis objecto, venditant.

§. XIX.

Quum ergo vel de *factis praeteritis* vel *de futuris* ratiocinemur: illo caſu conſcientia CONSEQUENS, hoc ANTECEDENS vocatur. Haec ſapientibus propria; illa ſapientibus cum ſtultis communis eſt. Ea vel antecedens, vel conſequens.

§. XX.

Si quis deinde ita ratiocinatur, ut rem ad liquidum perducat, conſcientia CERTA; ſi ex hypotheſi aliquid infert, PROBABILIS; Item vel certa, vel

nem ex juſtitia, tamquam ex fonte, promanaſſe, tradit Iamblich. *vit. Pythag. ſegm.* CLXVII. Refrigeſcente itaque virtute, pietate, juſtitia, etiam communioni non eſſe locum, facile unuſquiſque intelligit.

Qui ſint modi adquirendi originarii?

§. CCXXXIX. Ex quo ſimul patet, quomodo invecta ſit rerum proprietas, & quot ſint modi illam in certa re adquirendi. Res enim vel adhuc *extra dominium* eſt, vel jam *in alterius dominio* conſtituta. Si prius: tunc modos adquirendi cum Grotio vocamus ORIGINARIOS, quibus quum vel ſubſtantiam, in nullius dominio conſtitutam, adquiramus, vel quae ei quacumque ratione accedunt, incrementa: priorem adquiſitionem OCCUPATIONEM, poſteriorem ACCESSIONEM adpellamus.

Quinam derivativi?

§. CCXL. Sin res jam in alterius dominio ſunt: tunc vel in plurium *communione* ſunt, vel in *proprietate* ſingulorum. (§. CCXXXI.) Priore caſu res communes in proprietatem rediguntur per DIVISIONEM & CESSIONEM; poſteriore per TRADITIONEM. Neque ullus eſt dominium adquirendi modus DERIVATIVUS, quin ad hos paucos quam commodiſſime referri poſſit.

Quid occupatio? quid res nullius?

§. CCXLI, OCCUPATIO eſt adprehenſio poſſeſſionis rerum nullius. NULLIUS vero eſſe dicuntur res, in quibus vel nemini umquam alios uſu iſtarum excludendi jus fuit, vel de quarum ſaltim domino nihil certi conſtare poteſt, vel in quibus denique poſſeſſor ſeſe ultro jure alios uſu earum excludendi abdicavit, quae PRO DERELICTO HABITAE dicuntur. Quum ergo in rebus nullius nulli ſit jus, alios earum uſu excludendi: (§. CCXXXI.) conſequens eſt,
17. ut quae nullius ſunt, merito cedant occupantibus, nec tamen
18. id intelligendum ſit de rebus amiſſis, furtim vel vi ſurreptis, imminente naufragio jactis, per bruta ablatis, quae neutro ſenſu res nullius dici poſſunt, quum & habuerint antea dominos, & hi dominio ſuo ſeſe ultro numquam abdicarint. (*)

(*) Hinc recte de piſcibus, a ſe in mari captis, philoſophatur Gripus piſcator apud Plautum *Rud. IV, 3. v.* 32. dum ſuos illos factos contendit, quod a nemine eorum uſu jure excludi poſſit:

Ecquem eſſe dices mari piſcem meum?
Quos quum capio, ſiquidem cepi, mei ſunt: habeo pro meis:
Nec MANU ADSERUNTUR, *neque illic partem quiſquam poſtulat.*
In foro palam omnes vendo pro meis venalibus.

At peſſime ille ſibi ex eadem ratione vindicat vidulum, naufragio amiſſum, & a ſe mari extractum, dum ait:

In manu non eſt mea,
Ubi demiſi rete atque hamum, quidquid haeſit, extraho.
Meum, quod rete atque hami nacti ſunt, meum potiſſimum eſt.

Cui recte *v.* 42. obvertit Trachalio?

Quid ais, impudens,
Auſus etiam comparare vidulum cum piſcibus?
Eadem tandem res videtur?

§. CCXLII. Quumque occupatio ſit adprehenſio poſſeſſionis rerum nullius, (§. CCXLI.) poſſeſſio vero detentio rei, cujus uſu alios excludere ſtatuimus: (§. CCXXXI.) facile patet, 19. occupationem animo & corpore ſimul fieri, & 20. nec ſolum animum ſufficere ad rem occupandam, ſi alius ſuo jure uti velit, nec 20. ſolam adprehenſionem ſine animo alios uſu rei excludendi: ſaepe tamen 21. tacita hominum conventione pro adprehenſione haberi declarationem animi ſibi rem habendi, cum ſignis quibuſdam, in ſenſus incurrentibus, conjunctam (*). Occupatio fit animo & corpore ſimul.

(*) Sic adprehendiſſe videtur praedii poſſeſſionem, qui vacua poſſeſſione, non quidem ſingulas glebas circumambulaverit, *l.* 3. §. 1. *l.* 48. *D.* & *l.* 2. *C. de adqu. vel amitt. poſſ.* ſed titulum adfixerit, feſtucam e janua, caeſpitem ex agro, ramuſculum ex arbore exciderit, ſimulque teſtatum praeſentibus fecerit, ſe id animo praedium ſibi tamquam ſuum habendi facere. Quum vero ex conventione tacita haec ſigna effectum habeant: ea ſane non ſunt arbitraria, adeoque is, qui jaculum immiſit urbi a civibus deſertae, non magis videtur occupaſſe urbem, quam venator feram, quam jaculo petitam, nec occidit, nec vulneravit. Atque inde decidi poterit lis Andriorum & Chalcidenſium, de Acantho occupata inter ſe decertantium, illis urgentibus legati ſui ſollertiam, qui quum ſe curſu a legato Chalcidenſium ſuperari animadverteret, jaculum portae prior infixerit: his contra nitentibus, urbeſque jaculis occupari, negantibus, adeoque Acanthum ſibi vel ideo vindicantibus, quod a legato ſuo prius eſſet introita. Hiſtoriam habes apud Plutarchum *Quaeſt. Graec. XXX.*

§. CCXLIII. Quum porro omnia, quae nondum in ullius dominio ſunt, poſſint occupari: (§. CCXLI, 17.) perinde profecto erit, ſive toti terrarum tractus, dominio vacui, a pluribus; ſive res ſingulares a ſingulis occupentur. Et priorem quidem occupationem PER UNIVERSITATEM; poſteriorem PER FUNDOS fieri, ait Grotius *de jure belli & pac. II,* 2. 4. Quia vero, qui totum occupavit, ſingulas quoque partes occupaſſe cenſetur: conſequens eſt, 22. ut in tractu terrae, a pluribus, veluti populo, per univerſitatem occupato, nihil omnino ſit nullius, ſed omnia, quae illius ambitu continentur, ſi a ſingulis occupata non ſint, ad populum univerſum, vel ad ejus rectorem, pertinere merito dicantur (*). Et quidem vel per univerſitatem, vel per fundos.

(*) Hinc in aliquo terrae tractu ſinguli poſſunt res ſingulares tamquam ſibi proprias poſſidere, quum tamen totum territorium ſit populi vel reipublicae. Dio Chryſoſt. *in Rhodiaca XXXI.* ἡ χώρα τῆς πόλεως, ἀλλ᾽ οὐδὲν ἧττον τῶν κεκτημένων ἕκαστος κύριός ἐστι τῶν ἑαυτοῦ. *Territorium eſt civitatis: at nihilominus tamen poſſidentium quiſque rerum ſuarum dominus eſt.* Plura eam in rem veterum loca adcumulavit Grotius *de jure belli & pac. II,* 3. 4.

§. CCXLIV. Hinc nemo negaverit, 23. VENATIONEM, PISCATIONEM, AUCUPIUM eſſe ſpecies occupationis, non modo in lo- An ferae, piſces, vo-

lucres ſint res nullius. cis deſertis & dominio vacuis, verum etiam 24. in territoriis jam occupatis, ſicubi tanta ſit ferarum, piſcium aut volucrum multitudo, ut ſufficere omnibus videantur: (§. CCXXXV, 9.) at 25. non injuria tamen populum, ſi qua juſta cauſſa id ſuadere videatur, (*) haec animalia omnia, tamquam ἀδέσποτα, ſibi vindicare, (§. CCXLIII, 24.) vel 26. eadem ſummo imperanti, tamquam ἐξαίρετόν τι, adſignare: eoque facto, 27. illum adverſus amorem juſtitiae agere, qui ſibi jus venandi, jam ab alio adquiſitum, temere adrogare non dubitet.

(*) Plures hujuſmodi cauſſas, quamvis parum idoneas, adcumulavit Pufendorff. *de jure nat. & gent. IV, 6, 6.* Maximi momenti eſt illa, quod ferae, piſces & volucres non tam inexhauſti ubique uſus ſunt, ut non metuendus ſit tot ſpecierum interitus, ſi venandi jus omnibus promiſcue concederetur. (§. CCXXXV, 8.) Ex quo ſimul intelligere licet, cur nuſquam terrarum homines venari & occidere prohibeantur animalia rapacia, truculenta, & humano generi noxia, quin alicubi praemia auferant, qui, oblatis eorum unguibus vel capitibus, fidem faciant magiſtratibus, ſe hujuſmodi animalibus purgaſſe provinciam.

In quibus animalibus venationi ſit locus? §. CCXLV. Ubicumque vero cuiquam venandi jus eſt: ipſa recta ratio ſatis unumquemque docebit, 28. venationem non pertinere ad animalia manſueta, quippe in dominio conſtituta, nec 29. ad manſuefacta, quamdiu illa dominus poſſidet, vel animo recuperandi perſequitur, vel, ſe ea derelinquere nolle, luculentis quibuſdam ſignis oſtendit (*). Immo 30. ne ad feras quidem beſtias, vivariis, piſcinis, alveariis, incluſas, ſed 31. ad eas, quae, ut eleganter ſcribit Cajus, *terra, mari, caelo capiuntur. l. 1. §. 1. D. de adqu. rer. dom.*

(*) Sic vix venationis obtentu excuſabitur, qui cervum, crepundiis ornatum, quantumvis fugitivum, ceperit, ſi de domino conſtet. Nec magis ferendum putem, qui dominum, perſequentem examen, area ſua excludit, ut illo ipſe potiatur, licet id juſtum viſum fuerit jureconſultis Romanorum. §. 14. *Inſt. de rer. diviſion.* Quamvis enim domino ſit facultas, alios uſu rei ſuae excludendi: is tamen, qui ſua repetiturus aedes noſtras ingreditur, non re noſtra utitur, ſed ſuam repetit. Et qui magis juſtum ſit, examen ſuum perſequentem aedibus & area excludere, quam domo abigere vicinum, gallinas turbatas, & in aream noſtram avolantes, repetiturum? Itaque aequiſſima lex Platonis *Lib. IX. de legibus: Si aliena examina quis perſequitur, atque aera pulſans apes delectatione ad ſe trahit: damnum reſarciat.*

Quando animalia fiant capientium? §. CCXLVI. Ceterum quum in occupatione praeter animum alios uſu rei excludendi, opus etiam ſit adprehenſione corporali: (§. CCXLII, 19.) conſequens eſt, 31. ut non ſufficiat ſola vulneratio ferae beſtiae, multoque minus 32. animus, illam, ex vulnere

re caſuram, ſibi vindicandi, ſed 33. praeterea requiratur, ut ipſa a venante, eam perſequente, vel viva capiatur laqueis, canibus, aliiſque inſtrumentis venatoriis, vel jaculis conficiatur: 34. neutro autem facto, unicuique jus ſit, vulneratam ab alio capiendi occidendive, quippe in nullius adhuc proprietatem ac dominium reductam (*).

(*) Sed ea in re magna ſemper fuerunt ſententiarum divortia, & hinc leges gentium diverſiſſimae. De Trebatii aliorumque jurisconſultorum diſſenſu videnda eſt, *l.* 5. *D. de adquir. rer. dom.* Lex Salica *tit. XXXV.* §. *I.* ſ. *ſeqq.* ne excitatam quidem ab alterius canibus feram ab alio impune intercipi patitur. Lex Langob. *Lib. I. tit. XXII* §. *IV. & VI.* hoc caſu capienti armum cum ſeptem coſtis, reliquam praedam vulneranti addicit. Has ſimileſque veterum leges collegit Puſend. *ibid. IV*, *6.* 10.

§. CCXLVII. Occupationis alteram ſpeciem vulgo dicunt OCCUPATIONEM BELLICAM, qua perſonas aeque ac res hoſtium, juſto bello captas, ipſo gentium jure capientium fieri contendunt, *l.* 1. *§.* 1. *D. de adqu. vel amitt. poſſ.* Enimvero quemadmodum occupationi locus eſt tantum in rebus nullius, (*§.* CCXLI, 17.) res vero hoſtiles non aliter, quam per fictionem, (*) perſonae vero liberae ne per fictionem quidem pro rebus nullius haberi poſſunt: (*§.* LXVIII, 17.) ita 34. occupationem bellicam nec ad modos adquirendi originarios, nec 35. ad occupationem pertinere, ſed 36. ex alio fonte, puta ex ipſo belli jure, derivandam eſſe; facile intelligitur. An huc pertineat occupatio bellica?

(*) Equidem Pufend. *de jur. nat. & gent. IV, 6.* 14. hanc fictionem ita explicat: *In bello res hoſtium in ordine ad alium hoſtem redduntur, veluti dominio vacuae: non quod hoſtes per bellum ipſo jure rerum ſuarum domini eſſe deſinant, ſed quia illorum dominium non obſtat hoſti, quo minus eas res auferre, ſibique habere poſſit.* Sed ubi res redduntur veluti dominio vacuae, ibi nemini eſt jus alios earum uſu excludendi. (§. CCXXXI.) Hoſti autem ſalvum ſemper eſt jus, hoſtem uſu rerum ſuarum excludendi, nec ulli facit injuriam, dum pro ſervandis rebus ſuis, tamquam pro aris & focis, pugnet. Quis ergo, ejus res dominio vacuas eſſe, dixerit? Quae quum ita ſint: hoſtis res ſuas ab hoſte captas amittit, non quod jus ipſi deeſt excludendi hoſtem, ſed quod viribus, quibus hoſtis reprimi poſſet, deſtituitur.

§. CCXLVIII. Rectius huc refertur INVENTIO, quippe quae & ipſa in adprehenſione rerum nullius conſiſtit. Itaque nullum quidem eſt dubium, 37. quin res, in nullius adhuc redactae dominium, vel pro derelictis habitae; inventori cedant, qui eas cum animo ſibi habendi primus adprehendit, ac proinde 38. juri naturali non conſentanea ſit lex Stagiritatum, Biblienſium & Athenienſium: ἃ μὴ ἔθου, μὴ ἀνέλῃ: *Quae non poſuiſti, ne tolle*, niſi de rebus amiſſis intelli- Inventio rerum nullius.

intelligatur. Aelian. *Var. Hiſt. III*, 45. *IV*, 1. Diog. Laërt. *I*, 57. nec minus 39. errent ii, qui rem inventam inventori, eique, qui eam tolli viderit, communem eſſe exiſtimant: (*) attamen 40. id jus non producendum ſit ad res, quas populus ſibi jure occupationis, per univerſitatem factae, vindicavit, vel 41. ſummo imperanti, tamquam ἐξαίρετόν τι, ceſſit. Quod eum jure potuiſſe, ſupra jam vidimus. (§. CCXLIII, 23.)

(*) Inoleverat olim mos, id, quod ab aliquo inveniretur, in commune poſcendi: quod fiebat formula IN COMMUNE, vel apud Graecos κοινὸς Ἑρμῆς, itemque κοινὸν τῷ Ἑρμῇ. De qua formula praeter Eraſmum *in adagiis* plura monent viri docti ad Phaedr. *Fab. V*, *6. v.* 3. Add. Plaut. *Rudent. IV*, *3. v.* 72. *ſequ.* At quum, quae nullius ſunt, cedant occupanti, (§. CCXLI, 17.) nec in ejuſmodi rebus ulli ſit jus, alium uſu earum excludendi: (§. CCXXXI.) is denique, qui ſolis oculis rem uſurpavit, nec adprehendit tamen, occupaſſe non dicatur: (§. CCXLII, 20.) hunc etiam partem praedae poſcere non poſſe, niſi id leges civiles vel mores ac conſuetudines alicujus provinciae permittant, facile adparet.

Et pro derelictis habitarum, veluti theſauri.

§. CCXLIX. Nec minus inde patet, 42. inventori cedere res, ab hominibus ſanae mentis ſuique juris animo abdicandi dominium abjectas, adeoque 43. & ſparſa miſſilia, immo & 44. THESAUROS, quorum de prioribus dominis nullo certo argumento vel indicio conſtat, caſu fortuito inventos, niſi 45. & hos ſibi vindicet populus vel ſummus princeps. (§. CCXLIII, 23.) Qua de re varias gentium leges recenſuerunt Grot. *de jure belli & pac. II*, 8. 7. Pufend. *IV*, *6.* 13. & ibi Hertius. Eu. Otto *ad §.* 29. *Inſt. de rer. diviſ.* 46. Merito tamen rationem etiam habendam domini ſoli, utpote quem fructus ex ſolo ſuo quoſcumque percipere, aequum eſt, (*) ac proinde 47. recte, & plane ex regulis aequitatis naturalis unum ſemiſſem theſauri, caſu fortuito reperti, inventori, alterum domino ſoli adjudicaſſe Hadrianum Spartian. *in Hadriano Cap. XVIII. §.* 39. *Inſt. de rer. diviſ.*

(*) Quod adeo verum eſt, ut hunc quaedam gentes inventori plane praeferendum putarint, veluti Hebraei, *Matth. XIII*, 44. Selden. *de jure nat. & gent. ſec. diſcipl. Hebr. VI*, 4. Syri, Graeci, quin & ex ipſis Romanis haud pauci. Philoſtr. *Vit. Apollon. Tom. II*, 39. *de vit. Sophiſt. II*, 2. Plaut. *Trinum. I*, 2. *v.* 141. *l.* 67. D. *de rei vind.* Ubi tamen inventori pars cedit, nihil intereſſe videtur, mercede conductus quis terram noſtram foderit, an operas nobis haud locarit. Quamvis enim mercenarii nobis operis conductis adquirant: id tamen juſtam habere rationem non videtur, ſi quis operas nobis non ad inveſtigandos theſauros, ſed ad cellam excavandam, vel ſimile opus, locarit. V. A. Corn. van Bynkersh. *obſ. II*, 4.

Acceſſio quid &

§. CCL. Alter modus adquirendi dominium originarius eſt ACCESSIO,

cessio, per quam jus ea, quae ſubſtantiae, nobis adquiſitae, accedunt, incrementa ſimiliter nobis vindicandi intelligimus. Incrementum vero quum res noſtrae capiant vel ipſius naturae beneficio, vel induſtria noſtra, vel natura induſtriaque noſtra ſimul: acceſſio a jureconſultis accuratioribus in NATURALEM, INDUSTRIALEM, & MIXTAM recte diſpeſcitur (*). quotuplex?

(*) Sic *naturae* ſolius beneficio debemus foeturam animalium, alluvionem, novam inſulam, alveum derelictum. *Induſtriae* noſtrae novam ſpeciem, rem rei noſtrae adjunctam, adplumbatam, adferruminatam, intextam, adfuſam vel admixtam, ſcripturam chartae noſtrae, picturam tabulae noſtrae illitam. Denique meſſem & auctumni dotes partim ubertati ſoli coelique clementiae, partim culturae noſtrae, adeoque & *naturae* beneficio, & induſtriae noſtrae imputamus, ac proinde primi generis acceſſiones NATURALES; ſecundi INDUSTRIALES, tertii MIXTAS merito adpellamus. Quae enim a nonnullis additur, FORTUITA ad occupationem rerum nullius rectius refertur.

§. CCLI. Quod ad NATURALEM acceſſionem attinet, vel tale res noſtra capit incrementum, cujus de origine & priore domino nullo certo argumento conſtat, vel aliquid, quod jam in alterius dominio eſt, rei noſtrae accedit. Priore caſu, quum res illa, cujus de domino nihil certi conſtare poteſt, pro re nullius merito habeatur, (§. CCXLI.) nihil obſtat, 48. quo minus hujuſmodi incrementum cedat in acceſſionem rei noſtrae, cui acceſſit, adeoque nobis adquiratur. At poſteriore caſu res habet dominum, qui alios uſu rei ſuae jure excludit: (§. CCXXXI.) atque inde merito inferimus, 49. hujuſmodi rem, rei noſtrae quacumque ratione adjunctam, nobis non magis adquiri, quam ſi ventus vehementior veſtes lineas, a Titio in horto ſuo expanſas, in aream noſtram projecerit (*). Fundamenta acceſſionis naturalis.

(*) Nulla ſane fingi poteſt ratio, quamobrem prior dominus, de quo ſatis conſtat, dominio rei ſuae, adhuc exſtantis ac ſuperſtitis, excidere debeat, quum nec ſuo ſe dominio umquam abdicarit, nec illud facto ullo in alterum tranſtulerit, nec ob ſolam calamitatem dominio ſuo quiſquam jure privetur. Si quis ergo dominus manet rei, alterius rei caſu quocumque adjunctae: iſti procul dubio adhuc jus eſt, alterum rei ſuae uſu excludendi, (§. CCXXXI.) adeoque, illo invito, huic adquiri non poſſe dominium, manifeſtum eſt.

§. CCLII. Ex his vero evidentiſſimis principiis (§. CCLI, 48. ſequ.) jam porro colligimus, 50. PARTUM, cujus de origine non liquido conſtat, (quod plerumque fit in animalibus, immo & in hominibus, extra legitimum matrimonium natis,) ventrem tamquam acceſſorium ſequi, idque *legi naturae* non abſurde tribuere Ulpianum, *l.* 24. *D. de ſtatu hom.* Id tamen 51. vix aequum videtur, ſi de utroque parente conſtet, (*) niſi forte 52. ad procreanda ani- Specialim de foetura animalium.

malia communibus ſumtibus alatur dignioris ſexus animal, veluti bos communis; vel 53. dominus equum admiſſarium vel bovem pro certa mercede vicinis locare ſoleat.

(*) Hinc ſaltim in ſervis hoc caſu paſſim obtinet partitio vernarum, ita ut primus domino ventris, alter domino ſervi patris cedat & ſic ſervilem ſobolem ambo domini per vices partiantur. Diximus ea de re *Elem. Jur. Germ. I, 1.* 30. ubi id jus & apud Wiſigothos & apud Alamannos, & apud Boios obtinuiſſe, ex *lege Wiſigoth. X. 1. 17.* Goldaſti *rer. Alam. Tom. II. charta II.* & Aventin. *Annal. Boic. Lib. VII, 14. 23. p. 708.* oſtendimus.

De novis inſulis, ſive natis, ſive factis.

§. CCLIII. Nec minus facile erit intellectu, ad quem pertineat nova INSULA, ſive in mari, ſive in flumine nata. Quum enim de dominio particularum terrae, quae demum in inſulam coalerunt, conſtare non poſſit: (§. CCLI, 48.) conſequens eſt, 54. ut inſula cedat in acceſſionem maris vel fluminis, (*) ac proinde 55. ſi mare vel flumen in nullius dominio eſt, inſula quoque ſit nullius, ac proinde cedat occupantibus: 56. ſin vero, quod plerumque fit, vel mare, vel flumen ad populum, ejuſve rectorem pertinet: (§. CCXLIII, 23.) is quoque inſulam illam merito ſibi vindicet. Denique cum res, cujus de dominio certo conſtat, non poſſit ulli per acceſſionem adquiri: (§. CCLI, 49.) fieri non poteſt, 57. ut dominus amittat agrum, quem flumen ſuperius divergens, & inferius alveo ſuo junctum, in inſulae formam redegit. Quod & JCti agnoverunt, *l. 7. §. 4. l. 30. §. 2. D. de adqu. rer. dom.*

(*) Itaque nulla ratio eſt, cur vicinis praediis, & quidem vel in utraque ripa, ſi inſula in medio flumine nata ſit, vel in alterutra, cui propior eſt, accreſcere debeat nova inſula: quod tamen pleriſque JCtis placuiſſe novimus, §. 22. *Inſt. de rer. diviſ. l. 7. §. 3. l. 29. l. 30. §. 1. D. de adqu. rer. dom.* Particulae enim terrae a cujus praedio avulſae ſint, non conſtat: & magis probabile eſt, eas ab agris ſuperioribus, quam a vicinis avulſas eſſe. Quin aliquando ipſum flumen particulas, quae deinde in inſulam coaleſcunt, e fundo abraſas, ſecum vehit, teſte Seneca *natur. quaeſt. IV, 9.* Sed fuit haec ſententia Caſſii Longini, quam deinde ſectatores ejus, tamquam ex compacto probarunt. Aggen Urbic. *de limit. agr. p. 57.* Eam vero more ſuo exploſerunt Proculiani, quorum anteſignanus, Labeo apud Paullum *l. 65. §. 4. D. de adquir. rer. dom. Si id*, inquit, *quod in publico innatum aut aedificatum eſt, publicum eſt: inſula quoque, quae in flumine* PUBLICO *nata eſt*, PUBLICA *eſſe debet.*

Nec non de alluvione & vi fluminis.

§. CCLIV. Nec alia ALLUVIONUM, & terrae VI FLUMINIS avulſae, ratio eſt. Quemadmodum enim, quod ad priorem attinet, de origine particularum, agro noſtro paullatim adjectarum, certi quid conſtare non poteſt: (§. CCLI, 48.) ita nullum eſt dubium, 58. quin id, quod agris noſtris hoc modo accedit, nobis; 59. quod agro publico, viaeve publicae adjicitur, publico cedere debeat. (*)

Contra

Contra ea quum in vi fluminis de domino terrae avulſae ſatis conſtet: (§. CCLI, 49.) 60. ea jure naturali circa dominium nihil mutari, palam eſt, 61. niſi forte dominus terram hoc modo avulſam pro derelicta habere malit. Quod in civitatibus ex intermiſſa per tempus legitimum vindicatione colligi ſolet, §. 21. *Inſt. de rer. diviſ. l.* 7. §. 2. *D. de adqu. rer. dom.*

(*) Et hoc fundamento nititur jureconſultorum & agrimenſorum diſtinctio inter agros *arcifinios*, qui non aliis, quam naturalibus, limitibus finiuntur, & *limitatos*, qui ad certum perticarum pedumque numerum adſignantur, *l.* 16. *D. de adqu. rer. dom. l.* 1. §. 6. *D. de flumin.* De qua agrorum differentia vid. Iſidor. *Orig. XI*, 13. *Auctores de limitib. p.* 293. *edit. Guil. Goeſii*, Jo. Fr. Gronov. *ad Grot. de jure belli & pac. II*, 3. 16. *nu.* 1. Quidquid enim inter agros limitatos & flumen interjacet, id vel publicum, vel alicui privato proprium eſſe, nemo non intelligit. Neutro autem caſu agro limitato aliquid accedit.

§. CCLV. Denique quod ad ALVEI MUTATIONEM attinet, ſi alveus derelictus, quantum conſtat, in nullius antea dominio fuit, ille 62. non poteſt vicinis, qui utrimque praedia habent, pro modo praediorum adquiri, ut viſum eſt jureconſultis Romanis, *l.* 7. §. 5. *D. de adqu. rer. dom.* ſed, quia de fluminis, cujus pars eſt alveus, dominio ſatis certo conſtat, (§. CCLI, 49.) 63. ille, tamquam pars fluminis ejuſdem erit, cujus flumen fuit: quemadmodum 64. ex eadem ratione novus alveus, iterum derelictus, proculdubio non minus manet priorum dominorum, quam 65. ager INUNDATUS, ſi deinde aqua receſſerit (*). In alvei mutatione & inundatione.

(*) Aliud dixeris, ſi perpetua ſit inundatio, ut jam mare ſit, ubi Troja fuit. Tunc enim res extincta videtur, quae nullum nobis uſum praeſtat, nec praeſtare umquam poteſt. Non entis vero, ejuſque, quod *nullum* hominibus uſum praeſtat, *nullum* eſt dominium, nulla proprietas. (§. CCXXXV, 10.) Ex quo ſane conſequitur, ut duriſſima ſit eorum conditio, a quibus ob agros, mari vel flumine jam pridem abſorptos, tributa, vectigalia & penſiones exiguntur, niſi forte culpa & negligentia ſua in reſtituendis aggeribus meruerint, ut ita mulctentur, quamvis & haec poena ſatis immodica, immo duriſſima videatur. Quis enim tributis ac penſionibus oneret res, in quibus proprietas, uſusfructus, poſſeſſio, & iter amiſſa ſunt? *l.* 23. *D. quib. mod. uſusfr. amitt. l.* 3. §. 17. *l.* 30. §. 3. *D. de adqu. poſſeſſ. l.* 1. §. 9. *D. de itin. actuque priv.*

§. CCLVI. Progredimur ad acceſſionem INDUSTRIALEM & MIXTAM, de qua ſubtiliter admodum philoſophati ſunt jureconſulti. Nos ita ſtatuimus: Si res utriuſque voluntate junctae ſint, ne dubitari quidem poteſt, quin uterque fiat dominus pro rata, adeoque communio poſitiva inducatur. (§. CCXXXI.) At hic de acceſſione, quae altero inviſo facta, loquimur. Hic quum domino jus ſit, omnes rei uſu excludere: (§. CCXXXI.) proculdubio etiam prohibere De acceſſione induſtriali axioma primum.

hibere poteſt, quo minus quidquam rei ſuae, ſe invito jungatur. Quum vero quod jungitur rei noſtrae, vel eam inutilem aut deteriorem ſaltim, vel meliorem, praeſtantioremque reddat; is vero, qui res noſtras deteriores reddit, nos laedat: (§. CLXXVIII.) conſequens eſt, 66. ut, qui res noſtras quacumque acceſſione induſtriali deteriores vel plane inutiles reddidit, is, accepta re corrupta, ad omne damnum nobis reſarciendum, quin, ſi dolo malo tale quid fecerit, ſimul ad poenam (§. CCXI, 119. ſequ.) teneatur.

Axiomata, ſecundum & tertium.

§. CCLVII. Sin res acceſſione quacumque induſtriali ab alio meliores praeſtantioreſque redditae ſunt: tunc multum intereſſe videtur, poſſintne res ſibi invicem junctae, ſine notabili diſpendio ſeparari, an non poſſint. Priore caſu, quum utriuſque materiae vel rei domino jus ſit, alterum uſu rei ſuae excludendi, (§. CCXXXI.) id vero aliter exitum habere non poſſit, quam rebus ſeparatis: conſequens eſt, 67. ut eo caſu res junctae ſtatim ſeparandae, ſuumque cuique tribuendum ſit: 68. poſteriore autem caſu res junctae alterutri addicantur, condemnando ſimul ad aeſtimationem rei alienae alteri, quem re ſua carere oportet, (*) poenamque, ſi in mala fide ſit, praeſtandam. (§. CCXI, 119. ſequ.)

(*) Quisquis enim res alterius, quibus illi ad conſervandam ſuaviterque tranſigendam vitam opus eſt, intervertit, is nos laedit. (§. CXC, 52.) Qui nos laedit, ad ſatisfactionem tenetur. (§. CCX.) Ea, quum eo caſu, ubi factum infectum fieri nequit, in praeſtanda juſta rei aeſtimatione conſiſtat: (§. CCXII, 124.) conſequens eſt, ut is, qui alterius rem intervertere, ſibique habere cupit, juſtam ejus aeſtimationem praeſtare teneatur. Unde ſimul aequiſſimam eſſe patet regulam πολυθρύλλητον, *neminem debere cum alterius damno ſine ratione locupletiorem fieri velle.*

Nec non quartum & ſequentia.

§. CCLVIII. Quum vero poſteriore caſu res junctae alterutri addicendae ſint: (§. CCLVII, 68.) conſequens eſt, ut cauſſam juſtam, cur alteruter alteri praeferendus ſit, eſſe oporteat. (§. CLXXVII, 5.) Ea vero quum non alia eſſe poſſit, quam alterutrius rei praeſtantia, quam ſaepius raritate & adfectione, quam uſu, aeſtimamus: merito inde colligimus, 69. non ſemper procedere regulam: *acceſſorium ſequi ſuum principale*: cujus abſurditatem in pictura ipſe Juſtinianus, & ante eum Caius, agnovit, §. 34. *Inſt. de rer. diviſ. l.* 9. §. 2. *D. de adqu. rer. dom.* ſed 70. res junctas addicendas eſſe illi, cujus res ob raritatem, adfectionem, operas, curam, & culturam majus pretium admittunt, (*) eumque 71. alteri ad praeſtandam aeſtimationem damnandum, 72. niſi ei tanti non ſit res ſua, ut non pretium recipere, quam offerre alteri, malit.

(*) Veteres juriſconſultos hic non certa aliqua ratione naturali niti, & hinc diverſis admodum viis incedere, jam obſervavit V. C. Jo. Barbeyrac. *ad*

Puſen-

Pufendorff. de offic. hom. & civ. I, 12. 7. Primus confuſa diſtinguere, ac in ordinem redigere conatus eſt vir acris & recti judicii, Chriſt. Thomaſ. diſſertatione ſingulari, *de pretio adfectionis in res fungibiles non cadente, Hal. MDCCI, 4.* ubi ad eadem principia *Cap. III. §. XXXVIII. ſequ.* doctrinas juris Romani de acceſſione induſtriali accurate examinavit.

§. CCLIX. Hinc facile patet, quid ſentiendum ſit de SPECIFICATIONE, qua nova forma in alterius materiam introducitur. Quum enim plerumque in materiam nulla cadat adfectio, in formam, ob artificium, vel maxime cadat: (§. CCLVIII, 70.) 73. nova ſpecies merito addicenda fuerit ſpecificanti, (*) ad juſtam tamen pretii aeſtimationem, & ſi ſciens dolo malo id fecerit, in poenam condemnando: (§. CCLVI, 66.) Thomaſ. *diſſert. laudata Cap. III. §. XLIII. ſequ.* quamvis 74. ex eadem ratione omnino praeferendus materiae dominus, ſi haec rarior, & pluris ſit quam forma, quae alterius opera acceſſit: e. g. ſi quis ex alterius electro, vel aere Corinthiaco, ſignum vel vas confecerit, iſque tunc 75. obligatus ſit ad mercedem pro opera, ſi ſpecificans in bona fide fuerit, praeſtandam. Quid juſtum ſit circa ſpecificationem.

(*) Nihil ergo ſolidi ineſt diſtinctioni, qua rem impeditiſſimam expedire voluit Juſtinianus §. 25. *Inſt. de rer. diviſ.* poſſitne videlicet nova ſpecies ad materiam reduci, nec ne. Nulla enim eſt idonea ratio, cur priore caſu dominus materiae, poſteriori ſpecificans praeferendus ſit, maxime quum ſaepe materia, demta forma, parum magni momenti futura ſit. Vid. Pufend. *de jure nat. & gent. IV, 7. 10.* Immo aliquando centuplo plus pretii ineſt ſpeciei, quam materiae, ex qua illa confecta eſt. Quis vero tunc domino materiae ſpeciem ideo addiceret, quod ad priorem materiam reduci poſſit? At quum facilius praeſtetur aeſtimatio tabularum, quam ipſius navis, ex illis confectae, quis ideo tabularum domino navem adjudicet, quod haec ad priorem materiam reduci poſſit? Sane hoc caſu, ſi navis vetus alterius *tabulis* refecta ſit, principium noſtrum ſequitur Julianus *l. 61. D. de rei vind.* quamvis procul dubio res in priorem formam reduci poſſit, etiamſi nova navis ex alienis tabulis facta ſit; *l. 26. pr. D. de adquir. rer. dom.*

§. CCLX. Deinde acceſſionis induſtrialis ſpecies haud poſtrema eſt ADJUNCTIO, quando rei noſtrae aliena, ſive per incluſionem, ſive per adferruminationem, adplumbaturamve, ſive per intexturam, inaedificationem, ſcripturam, picturamque adjungitur. Et quidem, quum INCLUSIO ita plerumque ſit comparata, ut res junctae facile, & citra notabile diſpendium, ſeparari poſſint, eo vero caſu res ſeparari, & ſuam cuique tribui, aequum ſit: (§. CCLVII, 67.) nulla profecto ratio eſt, 76. cur non illi, cujus auro gemma incluſa eſt, aurum; domino gemmae gemma reddi debeat. Nec 77. de adferruminatione, adplumbatura, & intextura aliter ſentiendum videtur, ſi res citra notabile diſpendium ſeparari poſſint: alias 78. merito prae- Circa adjunctionem & ſpeciatim incluſionem, adferruminationem, adplumbaturam, intexturam.

praeferri jungentem exiſtimamus, quia alterius materia raro pretium aliquod adfectionis admittit (*). (§. CCLVIII, 70.)

(*) Accedit, quod ſaepe incommodum futurum ſit domino materiae, ſi eam cum acceſſione retinere, pretiumque rei adjunctae ſolvere jubeatur, maxime ſi re iſta ob ſtatum, aetatem aliaſque circumſtantias uti non poſſit, e. g. ſi quis plebeii veſti latum clavum, vel plurimum auri adſuiſſet. Res ſane tunc, quod ad uſum attinet, vere deterior, id eſt, illi inutilis facta eſt. Qui vero res noſtras quacumque acceſſione induſtriali deteriores, vel plane inutiles reddidit, is, accepta re corrupta, ad omne damnum nobis reſarciendum, quin, ſi dolo malo tale quid fecerit, ſimul ad poenam tenetur. (§. CCLVI, *66.*)

Circa inaedificationem.

§. CCLXI. Si quis ex aliena materia in ſuo ſolo bona fide AEDIFICAVIT, & totum aedificium ex tignis ligneis conſtat: 79. nulla eſt ratio, cur, errore paullo maturius animadverſo, ſolvi non poſſint tigna juncta, dominoque reddi. (*) (§. CCLVII, 67.) Sin ex ſolido lapide quis aedificarit, vel tigna exemta inutilia futura eſſent domino: 80. aequiſſimum erit, ut aedificator, ſi juſtam aeſtimationem materiae, poenamque inſuper ob dolum malum praeſtiterit, dominium aedificii conſequatur. (§. CCLVII, 68. §. CCLVIII, 70.) Sin quis aliena materia in ſuo ſolo aedificarit, 81. aedificium, quod ſine notabili diſpendio ſolvi poteſt, itidem diſſolvendum: (§. CCLVII, 67.) vel 82. domino ſoli, quod pretium adfectionis admittit, erit adjudicandum, (§. CCLVIII, 70.) niſi 83. aedificium plane inutile futurum eſſet domino ſoli, quo caſu aedificans, aedificio ſibi retento, ſoli aeſtimationem, & ſi in mala fide ſit, poenam praeſtare tenebitur, (§. CCLVI, 66.)

(*) Ratio enim, cur tignum junctum ſolvi vetuerint decemviri, ne ſcilicet urbes ruinis deformentur, *l. 6. D. ad exhib. l. 7. §. 10. D. de adqu. rer. dom. l. 1. D. de tigno juncto*, mere civilis eſt, & in recta ratione praeſidium plane nullum reperit. Hinc multae gentes, quae non ſolido lapide, ſed trabibus tabuliſque ad exſtruenda aedificia utebantur, aedificium hoc ſimilibuſque caſibus dirui tignaque avehi non modo ſiverunt, ſed & legibus praeceperunt. Vid. *Jus prov. Sax. II, 53.* & quae ea de re monuimus in *Elem. jur. Germ. II, 3. 66.* Quibus jam addimus diſpoſitionem *legis Langob. I, 27. 1.*

Circa ſcripturam & picturam.

§. CCLXII. Minus difficilis eſt quaeſtio de SCRIPTURA & PICTURA. Quum enim ea, in quae nulla cadit adfectio, alteri, in cujus rem illa cadit, relinquenda ſint, (§. CCLVIII, 70.) & in ſcripturam picturamque adfectio plerumque, in tabulam & chartam numquam cadat: conſequens eſt, 84. ut ſcripturae tunc charta, & picturae tabula cedere debeat, ſi ſcribens pingenſque earum aeſtimationem praeſtare velit (*). Et ſi vel maxime nec ſcriptura, nec pictura adfectionem admittat, veluti ſi quis chartae meae res nugatorias

rias inſcripſerit, vel in tabula mea cucurbitas pinxerit: 85. nihilominus tamen & hoc caſu ſcriptor, pictorque ineptus, re ſibi accepta, ad pretium chartae tabulaeve praeſtandum tenebitur, ob axioma primum. (§. CCLVI, 66.)

(*) Mirum ergo eſt, jureconſultos Romanos, quorum quidam id in pictura obſervarunt, non idem obſervaſſe in ſcriptura. Quaſi magis ferendum ſit, ſcripturam viri docti cedere in acceſſionem viliſſimae chartae, quam Apellis aut Parrhaſii abſolutiſſimum opus cedere in acceſſionem viliſſimae tabulae. Praeterea dum inaedificationi ſcripturam comparant jureconſulti: §. 23. *Inſt. de rer. div. iſ. l. 9. D. de adqu. rer. dom.* itidem merito quaeſiveris, cur non eidem comparationi locus ſit in pictura? itemque quae ſimilitudo fingi poſſit ſoli, cui alter aedificium, me invito, impoſuit, & chartae, cui aliquid inſcripſit? Illo aegre, immo ſaepenumero non ſine maximo diſpendio caremus: hanc nihili facimus, ſi vel aeſtimationem, vel tantumdem chartarum ejuſdem bonitatis, recipiamus. Poëtica haec eſt ſimilitudo, a forma ſcribendi deſumta, ob quam & Latini ſcriptores EXARARE LITTERAS pro *ſcribere* dixerunt. Sed hujuſmodi ſimilitudo duarum rerum, non ſtatim debet eaſdem circa utramque deciſiones in juriſprudentia producere.

§. CCLXIII. Denique, quod ad CONFUSIONEM materiarum liquidarum, & COMMIXTIONEM ſiccarum attinet, quamvis de utriuſque diſcrimine ſubtiliter admodum diſputent jureconſulti, *l.* 23. §. 5. *D. de rei vind.* res tamen eodem redit. Si enim 86. res utriuſque voluntate vel confuſae vel commixtae ſunt: materia communis, ac proinde inter utrumque pro quantitate qualitateque materiae dividenda erit. (§. CCLVI.) Sin, altero invito, facta ſit confuſio vel commixtio: tunc 87. materia nullius uſus confundenti miſcentive erit adjudicanda, iſque damnandus alteri ad aeſtimationem poenamve, ſi in dolo malo verſatus ſit, praeſtandam. (§. CCLVI, 66.) Si tamen 88. alter partem materiae, quam pretium accipere malit, nullum eſt dubium, quin communionem, in quam initio invitus incidit, adprobet, eique adeo pars rata materiae communis denegari nequeat (*). Circa confuſionem & commixtionem.

(*) Nam & ſubſequuta adprobatio pro conſenſu eſt, quamvis minus, quam juſſus & conſenſus, imputetur (§. CXII, 51.) Hinc, ſi ex fortuita confuſione vel συγχύσει metallorum noſtrorum & aurifabri inſignis prodiiſſet materia, quale fuit, quod olim poſt incendium Corinthiacum primum viſum aiunt, aes Corinthiacum: nihil profecto nobis obſtare crediderim, quo minus partem ex materia communi petamus. Quum enim communis futura eſſet, ſi nobis conſentientibus eſſet conflata, (§. CCLVI.) adprobatio autem pro conſenſu ſit: (§. CXII, 51.) nulla profecto ratio eſt, cur non & ob adprobationem fiat communis, ut partem pro rata nobis poſſimus vindicare.

§. CCLXIV. Denique nec aliis principiis opus eſt circa SATIONEM & PLANTATIONEM, quas ſupra ad ACCESSIONES MIXTAS retulimus, Circa acceſſiones mixtas.

ſationem & planta ſionem.

tulimus. (§. CCL.) Nam 89. plantae & arbores, antequam coaluerunt, procul dubio citra notabile diſpendium ſeparari; adeoque a domino, jure vindicari poſſunt. (§. CCLVII, 67.) Contra 90. illae, quae jam coaluerunt, nec non 91. ſementa in agro ſparſa quum commode ſeparari a fundo non poſſint, nec tamen pretium adfectionis admittant, domino ſoli adquiruntur, praeſtita aeſtimatione tum arborum ſeminumve, tum impenſarum in culturam factarum, (§. CCLVIII, 70. ſequ.) niſi 92. poſteriore caſu ſoli dominus meſſem pro juſta penſione ei, qui agrum ſuum conſevit, relinquere malit. (*)

(*) Cujus rei juſtas ac idoneas cauſſas habere poteſt dominus agri. Ut ecce, ſi agrum alter male coluerit, maleque conſeverit, ut meſſem parum uberem exſpectare liceat. Tunc ſane domino inutilis eſſe poſſet meſſis, adeoque pro illo militaret axioma primum. (§. CCLVI, 66.)

Circa fructus arboris in confinio poſitae.

§. CCLXV. Poſtremo, quod ad ARBOREM in confinio poſitam attinet, is qui illam plantat, in id conſentit, ut ramorum pars ſuper vicini aream propendeat: & vicinus, qui, dum alterum uſu areae ſuae excludere poſſet, id non facit, itidem in id conſentit. Quum ergo acceſſio, utriuſque conſenſu facta, rem reddat communem: (§. CCLVI.) conſequens eſt, 93. ut arbor talis ſit utrique communis, pro indiviſo quidem, quamdiu ſtat in confinio, pro diviſo, ſimul ac eruta eſt, ac proinde 94. priore caſu fructus & folia, 95. poſteriore ipſa ligna pro rata inter utrumque vicinum merito dividantur (*).

(*) Hanc ſimplicitatem majores noſtri praetulerunt juris Romani ſubtilitatibus de alimentis, quae per radices attrahant arbores, ipſamque paullatim mutent earum ſubſtantiam, *l. 26.* §. *1. D. de adqu. rer. dom.* Germanicae enim originis gentes magis ramorum, quam radicum, habuiſſe rationem, oſtendimus in *Elem. jur. Germ. II, 3. 69.*

CAP. X.

DE DERIVATIVIS DOMINII ADQUISITIONIBUS, QUAE VIVO PRIORE DOMINO FIUNT.

§. CCLXVI.

Tranſitio ad adquiſitiones derivativas.

SEmel adquiſito dominio, aliquando mutatio quaedam contingit, ut alius in re quadam adquirat vel proprietatem, vel dominium, quum antea horum nihil haberet. Has ADQUISITIONES nos ſupra DERIVATIVAS appellavimus. (§. CCXL.) Jam quum res, in

qua

qua proprietatem adquirimus, antea *communis*; in qua dominium primum conſequimur, antea alicui *propria* fuerit: quoties ex re communi partem noſtram accipimus propriam, toties DIVISIONEM, quoties totam ſoli adquirimus, CESSIONEM; (*) quoties denique res alterius propria, eo volente, in noſtrum dominium tranſit, TRADITIONEM fieri dicimus.

(*) Paullo latius quidem alias patet vocaculi CESSIONIS notio, ut omnem juris vel actionis tranſlationem in alterum ſignificet. Enimvero quum tunc fere ſub *traditione* comprehendi poſſit, hic paullo arctioribus limitibus circumſcribimus ſignificationem vocabuli, ut ſit *tranſlatio juris ac dominii, pluribus communis, in unum ex ſociis, reliquorum conſenſu, facta.* Hinc ſi e. g. coheredes nomen aliquod hereditarium totum in unum ex coheredibus tranſcribunt, CESSISSE illi hoc nomen dicuntur.

Per eas fit alienatio vel necessaria, vel voluntaria, vel pura, vel conditionalis.

§. CCLXVII. Omnibus his caſibus id, quod antea noſtrum fuit, vel totum, vel pro parte, noſtrum eſſe deſinit, & in alterius dominium vel proprietatem tranſit: id quod vocamus ALIENATIONEM, eaque, ſi ex anteriore adquirentis jure proficiſcitur, NECESSARIA; ſi de novo, conſentiente utriuſque voluntate, decernitur, VOLUNTARIA adpellatur (*). Utraque vero efficit, ut alius in alterius locum, adeoque & in jus circa illam rem, & onera cum illa conjuncta ſuccedat. Sic & alienatio, quae a nulla circumſtantia ſuſpendit tranſlationem dominii, PURA; quae ſuſpendit, CONDITIONALIS dicitur.

(*) Sic e. g. neceſſaria eſt alienatio rei communis, quae fit, ſocio ad diviſionem provocante, quia ſocio, urgenti diviſionem, in ea jam antea jus fuit. Neceſſaria item alienatio rei alicui oppignoratae, quippe quae itidem fit ob jus creditori in illa re antea conſtitutum. Contra voluntaria eſt alienatio aedium, quas is, qui alibi lares poſiturus eſt, vendit, & in quibus nemini omnino quidquam juris eſt. Ita explicanda eſt diviſio, quam & Romana juriſprudentia agnoſcit, *l.* 1. *D. de fund. dot. l.* 2. §. 1. *D. de rebus eorum, qui ſub tut. l.* 13. *l.* 14. *D. fam. erciſc.* & alibi paſſim.

Eaque vel in praeſens, vel in futurum.

§. CCLXVIII. Quum ergo voluntaria alienatio aliter, quam utroque conſentiente, fieri ac intelligi non poſſit: conſentire vero liceat in alienationem tum PRAESENTEM, ut dominium noſtrum in alterum, vivis nobis, transferatur, tum FUTURAM, ut quis poſt fata demum noſtra poſſeſſionem rerum noſtrarum omnino conſequatur; denique ille conſenſus in futuram alienationem vel VERUS ſit, vel ex FINE & INTENTIONE hominis colligatur: (*) ex priore ſucceſſio teſtamentaria; ex poſteriore inteſtatorum derivari ſolet. Jam de alienatione *praeſente*, ſequente capite de *futura* erit diſſerendum.

(*) Ad alienationem ergo futuram referimus eam, quando poſt mortem demum bonorum noſtrorum poſſeſſio ad heredes omnino devolvitur. Id ſi fit, nobis vivis id VERE volentibus, voluntas haec vocatur *teſtamentum*, ipſaque ſucceſſio *teſtamentaria* audit. Sin ex fine atque intentione morientis colligitur, illum hereditatem in hos potius, quam in alios translatam voluiſſe, eſt haec *ſucceſſio ab inteſtato*. Jam utrique ſucceſſioni obſtare videtur, quod nemo poſſit aliquid velle in illud tempus, quo velle amplius nequeat, nec alienationem fieri hoc modo poſſe a vivo, quia nec jus nec dominium in heredes vivus transferat, nec a mortuo, quia hic, quod ipſe non habeat, in alium transferre nequeat. Unde & teſtamenti factionem juris naturalis eſſe negant plures viri doctiſſimi, veluti Merill. *Obſ. VI*, 25. Thomaſ. *Not. ad tit. Inſt. de teſt. ord. p.* 173. Gotofr. de Coccei. *diſſ. de teſtam. princ. Part. I.* §. *XXII. ſequ.* Quorum argumenta ſi *verae* morientium voluntati, i. e. teſtamentis, obſtant, multo magis obſtabunt praeſumtae, ex qua ſucceſſionem ab inteſtato repetunt, adeoque tota illa, quam hic inculcamus, ALIENATIO FUTURA ἀνῄεξυλον erit. Sed uti facile largimur, haec argumenta penitus evertere teſtamenti factionem, qualis jure Romano prodita eſt: Vid. *exerc. noſtr. de teſtam. jure Germ. arct. lim. circumſcripta* §. *III.* ita non obſtant diſpoſitionibus de futura ſucceſſione omnibus. Et de his vero quouſque ſecundum rectam rationem porrigantur, capite ſequente dicemus.

Quid diviſio, & cur ad eam cuivis provocare liceat?

§. CCLXIX. Ad proprietatem a communione fit tranſitus per DIVISIONEM, (§. CCLXVI.) quae eſt adſignatio partis, cuivis ſociorum ex toto poſitive communi competentis. Quum enim ſocius uſu rei communis alios omnes, praeter ſocios excludere poſſit: (§. CCXXXI.) conſequens eſt, 1. ut unuſquiſque ſociorum uſum rei, pro parte ad ſe pertinente, petere, adeoque 2. ad diviſionem provocare poſſit; quin ut 3. eo minus audiendi ſint reliqui, hanc diviſionem impedituri, quo minus praeſenti generis humani conditioni convenit poſitiva communio (*) (§. CCXXXVIII.)

(*) Quum enim communio illa conſiſtere tantum poſſit inter homines eximia virtute praeditos, ac proinde refrigeſcente caritate ac juſtitia, ſtatim una oblangueſcere illam oporteat: (§. CCXXXVIII. *) qui fieri poſſet, ut noſtris temporibus diu duraret communio? Quis ſociorum non invidet ſocio? quis rem communem tam diligenter curat, ac propriam? quis non alterum, aliquid, in rem communem quod ſit, acturum, non impedit? quis reliquis partem lucri intervertere non ſtudet? Inde mille jurgia, ceu ex inſtituto adverſus communionem Platonicam demonſtravit Ariſtot. *Polit. II*, 2. Ut adeo recte Romani ſocietatem ac communionem matrem dixerint diſcordiarum, ac proinde cuivis ſociorum dederint facultatem ad diviſionem provocandi, *l.* 77. §. 2. *D. de legat.* 2.

Quomodo fiat, ſive res dividua, ſive individua ſit?

§. CCLXX. Res porro communis vel DIVIDUA eſt facile; vel INDIVIDUA, quae vel ob rei naturam, vel legibus aut moribus obſtantibus, in partes ſcindi non poteſt. Provocante ergo ſocio ad diviſionem rei, ſua natura *dividuae*, 4. nihil eſt aequius, quam ut tot

tot fiant partes, quot ſunt ſocii, reſque ſorti diviſoriae committatur. *Individua* autem res 5. vel uni ſociorum, qui ſolvendo eſt, plurimumve licitatur, quemve aetas, vel ſors reliquis praetulit, relinquenda, ceteriſque praeſtita aeſtimatione, ſatisfaciendum, vel 6. optimis conditionibus vendenda, pretiumque inter ſingulos pro rata dividendum, vel 7. ejus denique uſus ſingulis per vices concedendus eſt. (*)

(*) Sic ſorti rem in dividunda Palaeſtina commiſiſſe novimus Hebraeos, eamque in partes ſcidiſſe, quod provincia ratione tribuum eſſet dividua. Contra inter fratres coheredes ſaepe contingit, ut unus praedium individuum, vel volentibus reliquis, vel ſorte adjudicante, certo pretio emat, & ex reliquis partem quiſque pretii accipiat. Quin eodem caſu ſaepe contingit, ut ſi nullus coheredum tam ſit bene numatus, ut reliquis ſatisfacere poſſe videatur, praedium extraneo optimis conditionibus vendant, pretiumque inter ſe dividant. Denique alternum rei communis uſum, quem alicubi vocant *die Mutſchirung*, aliquando fratribus illuſtribus placuiſſe, obſervant Diether. in *Contin. Theſauri Beſold. voce Mutſchirung. p.* 417. Wehner. *Obſ. pract. ibid. p.* 370. Exemplum inſigne in domo Saxonica habes apud Muller. *in Saechſſ. annal. p.* 203.

§. CCLXXI. Ceterum, quum in re communi vel par omnium jus ſit, vel alter altero plus minuſve juris habere ſoleat: (§. CCXXXI.) facile patet, 8. diviſionem vel AEQUALEM vel INAEQUALEM eſſe, & 9. in priore omnes ad partes aequales, 10. in poſteriore ad inaequales vocari. Quia vero ipſa naturalis hominum aequalitas id ab unoquoque exigit, ne in iis, quae jure perfecto pluribus competunt, prae altero praerogativam ſine juſta cauſſa adfectet: (§. CLXXVII, 5.) nemo non intelligit, 11. diviſionem in dubio in aequales partes fieri debere, nec 11. *) quemquam ſibi poſcere debere praecipuum, niſi jus ſuum luculenter probare poſſit (*).

Aequalitas quando obſervanda in diviſione rerum perfecte communium?

(*) Tale jus poſcendi ἐξαίρετόν τι poteſt alicui competere ex lege, ex pacto, & ex ultima prioris poſſeſſoris voluntate, non autem ex majore vi & potentia, quam tamen, tamquam juſtam praerogativae inter dividentes cauſſam, admittere videtur Hobbeſius, *de cive III*, 15. *ſequ.* quamque ipſe ſatis incommode vocat *ſortem naturalem*. Enimvero ſic nulla foret ratio, cur non aequiſſima dici poſſit diviſio a leone facta apud Phaedr. *Fab. I*, 5. qui praedam partiturus inter venationis ſocios:

Ego, inquit, *primam tollo, nominor quia leo:*
Secundam, quia ſum fortis, tribuetis mihi:
Tum, quia plus valeo, me ſequetur tertia:
Malo adficietur, ſi quis quartam tetigerit.
Sic totam praedam ſola improbitas abſtulit.

Hanc diviſionem quiſquis aequam & juſtam dixerit: nae illum & Hobbeſii ſortem naturalem probaturum, confidimus.

§. CCLXXII. Sed hae quidem regulae ad communionem PERFECTAM.

An & in diviſione

terum imperfecte communium eſt obſervanda?

FECTAM pertinent. Praeter illam & IMPERFECTA datur, quoties nulli ſociorum jure communi jus perfectum eſt. (§. CCXXXI.) Quum vero ita res ex alterius benevolentia pluribus fiat communis: conſequens eſt, 12. ut nunc in hujus arbitrio ſit, aequales partes facere, an 13. pro qualitate meriti uni plus, alteri minus tribuere malit, (*) injuſtiſſimaque proinde 14. ſit querela ejus, qui alterum minoris meriti hominem ſibi aequiparatum eſſe, clamat, *Matth. XX*, 12. vel 15. qui ipſe ſibi de ſuis meritis judicium temere adrogat, vel 16. beneficia, uni vel alteri conceſſa, ad exemplum trahenda, exiſtimat.

(*) Et haec eſt illa *juſtitia diſtributiva* vel διανεμητικὴ, comes earum virtutum, quae aliis hominibus utilitatem adferunt, ut liberalitatis, miſericordiae, providentiae rectricis. Grot. *de jure belli & pac. I*, 1. 8. 1. qui & hanc juſtitiam non ſemper obſervare proportionem comparatam, quam geometricam vocant, adeoque hanc Ariſtotelis doctrinam eſſe ex eorum genere, quae ſaepe locum habent, non ſemper, recte obſervat *n. II.* Nec Grotii ſententiam evertit Pufend. *de jure nat. & gent. I, 79.* quippe qui loquitur de diſtributione eorum, quae pluribus bene merentibus jure perfecto, veluti ex pacto vel promiſſo, debentur. Tunc verum omnino eſt, quod ſcribit Arrian. *Epict. III*, 17. *Νόμος οὗτος φυσικὸς, τὸν κρείττονα τοῦ χείρονος πλέον ἔχειν, ἐν ᾧ κρείττων ἐστιν. Ea naturae lex eſt, meliorem in eo, quo ſit melior, meliore conditione eſſe illo, qui ſit deterior.* At in iis, quae ex ſola benevolentia proficiſcuntur, vix haec naturae lex urgeri poteſt: nec de injuria conqueri poterant veterani, quos idem Hadrianus ſe invicem in balneo defricare juſſerat, qui aliquot diebus ante, unum ex illis, membra marmoribus atterentem, ſervis & ſumtibus donaverat, Spartian. *Hadr. Cap. XVII*, quia beneficia non ſunt ad exemplum trahenda.

Quid ceſſio rei communis?

§. CCLXXIII. Si res communis uni ſociorum a reliquis tota attribuitur, ea vocatur CESSIO. Quare, quum ita unus in reliquorum omnium locum ſuccedat: conſequens eſt, 17. ut & in eorumdem jura circa eam rem, nec non 18. in onera & incommoda, cum illa conjuncta, ſuccedat. (§. CCLXXII.) Quin ex eodem recte intulerunt jureconſulti Romani, 19. eaſdem omnino exceptiones opponi poſſe ceſſionario, quibus adverſus cedentem locus fuiſſet futurus. *l. 5. C. de hered. vel act. vend.*

Obligatio ſociorum ad evictionem ſocio praeſtandum.

§. CCLXXIV. Quum denique, ſive *dividatur* res communis, ſive uni ſociorum tota *cedatur*, id videatur agi, ut ii, qui rem per diviſionem vel ceſſionem accipiunt, ejus dominium, adeoque facultatem, alios rei iſtius uſu excludendi, conſequantur: (§. CCXXXI.) per ſe patet, 20. utroque caſu ſocios efficere debere, ut ei, in quem res tranſlata eſt, illam habere liceat, adeoque 21. illos huic ad praeſtandam evictionem, &, 22. ſi ab alio jure & ſine culpa poſſeſſoris evicta ſit, ad omne damnum reſarciendum obſtrictos

ſtrictos eſſe, 23. dummodo ſuas portiones ſalvas habeant, & 24. alteri res titulo oneroſo obvenerit (*).

(*) Ita doctrina de EVICTIONIBUS, quae & in traditionibus locum invenit, ex ipſa aequitate naturali fluit, quamvis ei multa, non tam de novo adſtruxerit, quam illuſtrationis cauſſa addiderit jus civile, quae ad ejus formam, & effectum pertinent, e. g. dum requirit, ut quis ſuo nomine rem in alterum tranſtulerit, ut poſſeſſor litem auctori in tempore denunciarit, ut res ex cauſſa contractum antecedente, & quidem non ſi majore, ſed jure, evicta ſit, cetera. Haec omnia enim ex iiſdem, quae praemiſimus, principiis prono alveo fluere, nemo non intelligit.

§. CCLXXV. Progredimur ad TRADITIONEM, qua dominus, qui jus & animum alienandi habet, dominium in alium, illud ex juſta cauſſa accipientem, transfert. *Dominium*, dico. Quamvis enim jus Romanorum ipſam rem, ejuſque poſſeſſionem, transferri jubeat, nec prius ullum fere jus in illa re naſci patiatur: *l.* 20. *C. de pact.* vix tamen probabile eſt, hanc ſubtilitatem probare jus naturae & gentium, (*) uti recte obſervant Grot. *de jure belli & pac. II,* 6. 1. 2. *II,* 8. 25. & Pufendorff. *de jure nat. & gent. IV,* 9. 6. quum, ipſis fatentibus jureconſultis, *nihil tam conveniens ſit naturali aequitati, quam voluntatem domini, volentis rem ſuam in alium transferre, ratam haberi.* §. 40. *Inſt. de rer. diviſ. l.* 9. *D. de adqu. rer. dom.* Ex quo colligimus, 25. omnem voluntatem domini de dominio rei ſuae in alterum transferendo, ſive expreſſe declaratam, ſive ex certis ſignis elicitam, pro traditione eſſe, dominiumque in alterum valide transferre. Traditio quid? & an ad transferendum dominium neceſſaria?

(*) Immo ne ipſi quidem Romani id olim promiſcue exegiſſe videntur. Traditio enim erat tantum rerum nec mancipi, Ulpian. *Tit. XIX,* 7. veluti praediorum provincialium. Simplic. *inter rei agrar. ſcript. p.* 76. Res mancipi plene alienabantur per aes & libram, ita, ut facto nexu & mancipio illico tranſiret dominium. Varro *de lingua Lat. IV.* Ex eo ergo tempore demum inter Romanos hoc jus invaluit, ut dominium ſine traditione, vel poſſeſſionis datione non tranſiret, ex quo rerum mancipi & nec mancipi, dominiique Quiritarii & bonitarii diſcrimen ſuſtulit Juſtinianus, *l. un. C. de nudo jure Quirit. toll.* & *l. un. C. de uſucap. transform.*

§. CCLXXVI. Quum ergo omnis voluntas domini de dominio rei ſuae in alterum transferendo pro traditione ſit, dominiumque in alterum valide transferat: (§. CCLXXV, 25.) conſequens eſt, ut 26. perinde ſit, ſive quis abſens rem verbis litteriſve intervenientibus, ſive 27. praeſens de manu in manum, ſive 28. per inductionem in rem, ſive 29. per longam brevemque manum, ſive 30. adhibito certo ſymbolo, inter homines alicujus provinciae recepto, (§. CCXLII, 21.) tradat. (*) 31. Ut nihil obſtet, quo minus Quomodo fiat.

& jus ſive traditione, ſive quaſi traditione in alium transferri poſſit.

(*) Equidem traditio illa ſymbolica ne ipſis quidem Romanis erat ignota, ceu patet ex *l.* 1. §. *pen. D. de adqu. poſſ. l.* 9. §. 6. *D. de adqu. rer. dom. l.* 74. *D. de contr. emt.* At multo acutiores hac in re fuerunt Germanicae originis gentes, quae in traditionibus & inveſtituris res fere quaſcumque pro arbitrio, at praecipue tamen feſtucam, baculum, culmum, caeſpitem, arbuſculam, chirothecam, & ſimiles res adhibebant. Vid. *Elem.* noſtra *jur. Germ. II,* 3. 74. *ſequ.* Quo & SCOTATIO Danica pertinet, *c.* 2. *X. de conſuet.* de qua ex inſtituto Struuch. *Amoen. jur. can. ecl. V.* & *Gundlingiana Part. VII. diſſ. IV.*

Quis per eam transferre poſſit dominium?

§. CCLXXVII. Quum vero dominus tantum tradere poſſit, qui jus alienandi habet: (§. CCLXXV.) conſequens eſt, 32. ut nullus futurus ſit effectus traditionis, ab eo factae, qui vel propter legem, vel ob conventionem, vel aliam quamcumque cauſſam, alienare nequit, 33. multoque minus valitura ſit traditio, a non domino facta, quum, quod quiſque jus non habet, illud in alium transferre nequeat (*). 34. Ut contra perinde ſit, ſive ipſe dominus rem tradat, ſive ejus voluntate, mandato vel adprobatione alius.

(*) Attamen hujuſmodi traditio alteri ignoranti facta, hunc facit bonae fidei poſſeſſorem, donec verus dominus ſuperveniens rem ſuam vindicet. Hunc vero, quid circa rem reſtituendam obſervare, quos fructus retinere, quosve reſtituere oporteat: multis repertis regulis, oſtendere conantur Grot. *de jure belli & pac. II,* 10. Puſendorff. *de jur. nat. & gent. IV,* 13. 6. *ſequ.* Nos infra ſuo loco ea de re agemus ex inſtituto, (§. CCCXII. ſequ.) & omnia redire oſtendemus ad duas regulas: I. Bonae fidei poſſeſſorem tantiſper, dum de vero domino *non conſtat*, loco domini eſſe, ac proinde iiſdem juribus uti, quibus dominus uteretur. II. Supervenienti domino eumdem rem exſtantem una cum fructibus exſtantibus, &, ſi res non exſtet, tantum, in quantum factus ſit locupletior, reſtituere teneri.

Traditione non ex omni cauſſa transfertur dominium.

§. CCLXXVIII. Quumque ex juſta cauſſa fieri alienationem oporteat: (§. CCLXXV.) ipſa res unumquemque monebit, 35. intelligi cauſſam, quae ad transferendum dominium ſufficiat, adeoque 36. non tranſire dominium, ſi cui res ex commodato, depoſito, locato tradatur, multo minus 37. ſi tradatur precario, vel ex alio titulo, pro tradentis arbitrio revocabili. 38. Imo ne quamlibet quidem juſtam cauſſam ſufficere, ſi is, cui res traditur, alteri ex pacto non ſatisfecerit (*).

(*) Ubi enim ita ſit alienatio, ut alter aliquid praeſtet: ibi *conditionalis* eſt alienatio. Quae quum translationem dominii ſuſpendat: (§. CCLXVII.) conſequens eſt, ut, altero non praeſtante id, quod promiſit, non transferatur dominium, adeoque invalida ſit traditio. Hinc Romani venditas res traditasque non aliter emtori adquiri ſtatuebant, quam ſoluto pretio, vel ſatisfactione alio modo praeſtita. §. 41. *Inſt. de rer. diviſ.* Hinc illa Varronis *de re ruſt. II,* 2. *Grex venditus dominum non mutat, niſi ſit aes adnumeratum.* Quinctiliani *Decl. CCCXXXVII*

Quo

Quo jure vindicare potes eam rem, cujus pretium non dediſti? Tertull. *de poeniten-tia Cap. VI. Ineptum eſt, pretium non exhibere: ad mercem manum emittere.*

§. CCLXXIX. Praeterea traditurum rem ſuam, id animo alienandi transferendique dominii facere debere, diximus. (§.CCLXXV.) Ex quo patet, 39. nullam eſſe traditionem, ab infantibus, furioſis, mente captis, ſimilibuſque perſonis, quae, quid rei geratur, non intelligere praeſumuntur, factam: nec 40. per eam tranſire dominium, ſi dominus commodandi, deponendi, oppignorandi ſimilive conſilio rem alicui dederit: quin 41. poſſe ſibi unumquemque in re ſua jus aliquod, quod non transferatur, excipere ac reſervare, eoque caſu 42. tantum tranſmitti, quantum is, qui alienat, tranſmittere voluit. Nec ſemper quis eo animo & conſilio rem tradit.

§. CCLXXX. Ex quo facile intelligitur, 43. unde natum ſit DOMINIUM MINUS PLENUM. Quum enim per illud nihil aliud intelligamus, quam dominium, cujus effectus inter duos dominos inaequaliter diviſi ſunt: admodum probabile eſt, illius originem repetendam eſſe a traditione cum exceptione, vel reſervatione partis cujuſdam dominii facta. Quo facto, 44. binos dominos ejuſdem rei eſſe oportet, quorum alteri 45. jus adquiritur, utilitatem omnem ex re percipiendi, alioſque fructuum utilitatumque uſu & perceptione excludendi; alteri 46. facultas vel circa diſpoſitionem de illa re concurrendi, vel aliquid exigendi, ex quo de agnitione dominii conſtet, naſcitur (*). Origo dominii minus pleni.

(*) Poſterius *dominii minus pleni* genus jureconſulti medii aevi vocarunt DIRECTUM, prius UTILE: minus eleganter quidem, ſed vocabulis jam ſemel in ſchola ac foro receptis. Unde iis repudium dare intempeſtivum videretur. Poſſes tamen alterum dominum SUPERIOREM vel MAJOREM, alterum INFERIOREM vel MINOREM vocare, exemplo Romanorum, qui patrem familias *herum majorem*; filiosfamilias *heros minores* adpellabant. Plaut. *Capt. III, 5. v. 50. Trinum. II, 2. 53. Aſinar. II, 2. 66.*

§. CCLXXXI. Quum ita comparatum ſit dominium utile, ut major dominus ſibi facultatem aliquam, vel circa diſpoſitionem concurrendi, vel aliquid, ex quo de agnitione dominii conſtet, exigendi, reſervet: (§. CCLXXX. 46.) conſequens eſt, 47. ut, quamvis innumera eſſe poſſint dominii minus pleni genera, & 48. res hic praecipue redeat ad conventionem partium: tamen 49. ſi quis ſibi a poſſeſſore rei traditae ſtipuletur fidelitatem, & ſervitia, & ne res ſine ſuo conſenſu alienetur, inde naſcatur FEUDUM; 50. ſi canonem annuum, in agnitionem dominii ſolvendum, JUS EMPHYTEUTICUM; (*) ſi denique 51. ſolarium, pro ſuperficie in ſolo, nobis reſervato, praeſtandum, JUS SUPERFICIEI: quae praecipua & Ejus variae ſpecies.

apud pleraſque gentes notiſſima ſunt dominii utilis genera.

(*) JURIS EMPHYTEUTICARII exemplum *Geneſ. XLVII, 26. ſequ.* reperit Joſephus *Antiqu. Jud. II, 7.* quamvis agros Aegyptiorum cenſuales potius factos eſſe, exiſtimet Hert. *ad Pufend. jus nat. & gent. IV, 8. 3.* Sed ſi in eo ponit diſcrimen agrorum emphyteuticorum & cenſiticorum, quod in illis poſſeſſori utile; in his plenum dominium competat: luculenter ſane probari poteſt, dominii partem competiiſſe Pharaonibus. Eo enim pertinent verba Joſephi patriarchiae *Gen. XLVII, 23. Vos hodie agroſque veſtros Pharaoni emi.* JURIS SUPERFICIARII exemplum illuſtre atque inſigne eſt apud Juſtin. *hiſt. XVIII, 5.* De FEUDORUM origine certant viri docti, & adhuc ſub judice lis eſt, quamvis commune Europaeis fere omnibus factum ſit hoc inſtitutum. Ceterum multa alia eſſe apud originis Germ. gentes dominii minus pleni genera, oſtendimus in *Elem. jur. Germ. II, 2. 33. ſequ.*

Quid ſervitus, quidque circa eam juſtum?

§. CCLXXXII. Si 52. non res ipſa ejuſve dominium, ſed uſus aliquis, traditur, ei, qui hunc accipit, in re aliena adquiritur SERVITUS, & quidem 53. ſi is uſus ad utentis perſonam vitamque reſtringitur, PERSONALIS, ſin 54. ipſi utentis praedio, adeoque & omnibus in illo ſucceſſoribus, ejus conceditur, REALIS vel PRAEDIALIS. Quum ergo omnibus his caſibus tantum juris transferatur, quantum transferri is, qui alienavit, voluit: (§. CCLXXIX, 42.) ſequitur, 55. ut & hic res redeat ad conventionem partium, adeoque 56. juris mere poſitivi ſint tantum non omnia, quae juris auctores de ſervitutibus ſatis ſubtiliter conſtituerunt (*).

(*) Quo pertinent doctrinae notiſſimae, quod ſervitus conſiſtat in patiendo vel non faciendo, non in faciendo: quod ſit individua, quod cauſſam ejus eſſe oporteat perpetuam, quod, quia utendum fruendum ſit ſalva rei ſubſtantia, uſusfructus ne in area quidem ſubſiſtat: quod inſigne ſit diſcrimen inter uſumfructum, uſum, habitationem, operas ſervorum, quod quaedam hujuſmodi jura non uſu & capitis deminutione amittantur, quaedam non amittantur. Omnia enim haec ita comparata ſunt, ut nec recta ratio ea abſciſſe exigat, nec quidquam obſtet, quo minus pactis & conventionibus mutari aliterque definiri poſſint.

Quid jus pignoris & hypothecae, quidque circa utrumque juſtum ſit?

§. CCLXXXIII. Aliquando res ita traditur a domino creditori, ut ſalvum quidem tradenti ſit dominium, creditor tamen rem in ſecuritatem crediti poſſideat: tunc 57. conſtitui dicitur JUS PIGNORIS, vel 58. ſi id ea fiat lege, ut creditor ſimul utilitatem ex pignore fructuoſo percipiat in vicem uſurarum, JUS ANTICHRETICUM. Denique 59. ſi creditori jus pignoris in re quadam ſine traditione conſtituitur: id HYPOTHECAM vocamus. Quemadmodum ergo 60. prioribus caſibus creditori fas eſt, rem oppignoratam, non ſoluto debito, non modo retinere, verum etiam 61. diſtrahere, & ex pretio, quae ſibi debentur, deducere: ita 62. poſteriore eidem in hypotheca poſſeſſionem in ſecuritatem crediti perſequi, & illam tunc itidem, uſque dum nomen expungatur, retinere, vel diſtrahere licet.

§. CCLXXXIV.

§. CCLXXXIV. Denique traditione rei dominium transferri diximus in accipientem. (§. CCLXXV.) ACCIPERE vero aliquid videmur vel VERE, quoties conſenſum noſtrum, quod rem traditam noſtram fieri velimus, vel verbis, vel factis teſtamur, vel ex PRAESUMTIONE, quoties ex ipſa rei indole non poteſt non judicari, alterum rem, quam quis traditurus eſt, non adſpernaturum. Similiter & TRADI res poteſt, voluntate transferendi vel expreſſe declarata, vel ex certis ſignis elicita. (§. CCLXXV, 25.) Quale certiſſimum ſignum in primis ſuggerit finis & intentio ejus, qui quid adquiſivit, adquiſitumque tanta cura ſervavit ac tuitus eſt (*). Quomodo traditione dominium tranſeat in accipientem.

(*) Adquirentium vero ſuaque magna cura adminiſtrantium hominum finis atque intentio ſemper eſt, non modo ne ſibi quid deſit, ſed & ut ſuis bene ſit, maxime ſe mortuis, & nulla re amplius indigentibus. Unde Euripides *in Medea v.* 1089.

Οἷσι δὲ τέκνων ἐςὶν ἐν οἴκοις
Γλυκερὸν βλάςημ᾽, ἐσορῶ μελέτῃ
Κατατρυχομένους τὸν ἅπαντα χρόνον.
Πρῶτον μὲν, ὅπως θρέψουσι καλῶς,
Βίοτόν θ᾽ ὁπόθεν λείψουσι τέκνοις.
Sed quibus in aedibus eſt liberorum
Dulce germen, eos video curis
Confici omni tempore,
Primum quidem, quo pacto bene ipſos educent,
Et unde VICTUM *relinquant liberis.*

Et *in Iphigen. in Aulide v.* 917.

Δεινὸν τὸ τίκτειν, καὶ φέρει φίλτρον μέγα,
Πᾶσίν τε κοινὸν, ὥσθ᾽ ὑπερκάμνειν τέκνων.
Res eſt vehemens parere, & adfert ingens deſiderium:
Communeque omnibus eſt, ut LABORENT PRO LIBERIS.

Si liberi deſint, reliquis cognatis, neceſſariis ac amicis nos magis conſultum velle, quam extraneis, ipſa experientia ſatis ſuperque docet.

§. CCLXXXV. Quum itaque cuivis, rerum ſuarum domino, liceat, eaſdem in alios transferre, (§. CCLXXV.) eaque tranſlatio fieri poſſit quibuſcumque conditionibus: (§. CCLXVII.) conſequens eſt, 63. ut fieri etiam poſſit ea lege, ut alter quidem dominium, at poſſeſſionem uſumque demum poſt tradentis mortem conſequatur. Quae quidem voluntas, quum & vere declarari, & ex fine adquirentis, tamquam ſigno certiſſimo, elici poſſit, neutro vero caſu vera & expreſſa alterius acceptione opus ſit: (§. CCLXXXIV.) 64. priore caſu illa TESTAMENTI vel ULTIMAE VOLUNTATIS nomine venit; 65. poſteriore SUCCESSIONIS AB INTESTATO genuinum ac ſolidiſſimum fundamentum eſt. De utraque jam ex inſtituto erit agendum. Tranſitio ad ſucceſſionem ex teſtamento & ab inteſtato.

Cap. XI.

DE DERIVATIVIS ADQUISITIONIBUS PER SUCCESSIONEM EX DISPOSITIONE DEFUNCTI, ET AB INTESTATO.

§. CCLXXXVI.

Quid jureconſultis teſtamentum?

Testamentum ex conceptu jureconſultorum eſt ſolemnis declaratio voluntatis de univerſa hereditate, omnique jure, quod teſtator tempore mortis habiturus eſt, poſt ejus mortem in alium tranſituro. Ideoque vivo teſtatore nihil juris in heredem tranſit, immo ne ſpes quidem tam certa, ut ea decollari non poſſit: ſed teſtatori, dum anima eſt, prius conſilium damnare, reſciſſiſque ac ruptis prioribus tabulis, vel novas facere, vel inteſtato decedere licet (*).

(*) Hinc notiſſima juris axiomata: voluntatem hominis eſſe ambulatoriam uſque ad mortem: ultimas tantum ceras ratas eſſe debere, quae morte firmantur; vel, uti Quinctil. *Decl. CCCVIII.* loquitur, *illud tantum valere teſtamentum, poſt quod nullum teſtamentum ſit*: ac proinde neminem paganum cum duobus teſtamentis decedere poſſe, & quae ſunt ejus generis alia, *l.* 4. *D. de alim. leg. l.* 32. §. 2. *D. de donat. int. vir. & ux.* Quin eo uſque porrigitur haec teſtamentum mutandi licentia, ut illam nec clauſula derogatoria, nec adjecto prioribus tabulis jurejurando, ſibi adimere poſſe teſtatorem, contendant. *l. ult. D. de leg.* 2. Grot. *de jure belli & pac. II,* 13. 19. Leyſer. *Medit. ad Pand. ſpec. XLIII, n. VI. & VII.*

Tale non eſſe juris naturae probatur argumento primo.

§. CCLXXXVII. Enimvero hujuſmodi teſtamentum non eſſe juris naturae, facile unuſquiſque intelligit. Quamvis enim ſollemnitates actui tam ſerio, totque expoſito hominum fraudibus, adhiberi, facile patiatur recta ratio: contradictionem tamen implicare videtur, hominem aliquid velle in illud tempus, quo velle non poſſit, & dominium rerum ſuarum tum demum in alium tranſlatum cupere, quando ipſe non amplius earum ſit dominus. Quod ſane tam a recta ratione alienum eſt, ut ipſi Romani non niſi meris fictionibus (*) tantam contradictionem tolli poſſe, faterentur.

(*) Quum enim nec teſtator, de rebus ſuis diſponens, aliquid cum haerede agat, nec heredi, quando adquirit, cum teſtatore quidquam ſit negotii, adeoque neutro caſu jus aliquod ab illo ad hunc tranſire poſſit: plura fingenda fuerunt a jureconſultis, in fingendo ingenioſiſſimis, ut ἀσύστατα haec conſiſtere quodammodo viderentur. Hinc fingebant, idem eſſe momentum teſtamentifactionis cum momento mortis: idem quoque eſſe momentum mortis cum momento

mento aditionis, quippe quod per ſictionem ad momentum illud mortis retrotrahebant, *l.* 1. *C. de ſacroſ. eccl. l.* 54. *D. de adqu. vel amitt. hered. l.* 193. *D. de reg. jur.* Porro hereditatem jacentem non eſſe nullius, ſed defuncti perſonam repraeſentare, §. 2. *Inſt. de hered. inſt. l.* 31. §. *ult. D. eod. l.* 34. *D. de adqu. rer. dom.* Ant. Dadin. Alteſerra *de fict. jur. tract. IV. Cap. II. p.* 143. illuſtr. Jo. Gottofr. a Coccei. *de teſtam. princ. Part. I.* §. *XXIV. ſequ.*

§. CCLXXXVIII. Accedit, quod vix excogitari poſſit ratio, cur ſuperſtites mortuorum voluntatem pro lege habere teneantur, maxime, quum horum, quaecumque eorum ſit conditio, vix intereſſe poſſit Dio an Theon eorum bonis fruatur. (*) immo ſaepe ex odio atque invidia magis, quam ex vero amore, proficiſcantur ſuprema illa morientium judicia, ut mortuorum ſaltim his caſibus magis intereſſe videatur, exitum non habere voluntates ſuas, quam illas a ſuperſtitibus religioſe ſervari. Vid. Diſſ. noſtr. *de teſtamentifact. jure Germ. arct. lim. circumſcr.* §. *V.* Itemque ſecundo.

(*) Hinc eleganter Seneca *de Benef. IV*, 11. *Non quidquam cura ſanctiore componimus, quam* QUOD AD NOS NON PERTINET. Quemadmodum enim graviſſimus hic auctor ſuprema illa hominum judicia ad homines pertinere negat, ita eodem ſenſu Quinctil. *Decl. CCCVIII.* illa vocat *voluntatem ultra mortem.* Quum ergo jura ne vivum quidē alteri quidquam ſtipulari patiantur, niſi ſtipulantis interſit: §. 4. *Inſt. de inutil. ſtip.* qui, quaeſo, fieri potuit, ut iidem Romanorum jureconſulti ratas eſſe vellent voluntates mortuorum de bonis tertio alicui concedendis, quum mortuorum non intereſſet? Immortales equidem eſſe hominum mentes, (quod urgere animadvertimus celeberrimum G. G. Leibnit. *nov. method. juriſpr. p.* 56.) facile largimur, ſed inde non ſequitur, ut mentes, corporum vinculis exſolutae, rerum olim ſuarum dominium retineant, multo minus, ut ulla rerum illarum cura tangantur:

Id cinerem & Manes credis curare ſepultos?

Virgil. *Aeneid. IV*, *v.* 92.

§. CCLXXXIX. Quum ergo jus naturae vix probet teſtamenti factionem, qualem adhuc ex principiis juris Romani deſcripſimus, i. e. ut eam eleganter definit Ulpianus *Tit. XX*, 1. *mentis noſtrae juſtam conteſtationem, in id ſollemniter factam, ut poſt mortem noſtram valeat:* (§. CCLXXXVI. ſequ.) conſequens eſt, 1. ut & ſimiles aliarum gentium mores non magis probet, adeoque 2. & Graecorum, barbarorumque teſtamenta ejuſdem generis non magis ſint juris naturae ac gentium, quam illa Romanorum; (*) ac proinde 3. nulla paene gens magis ſimplicitati juris naturalis adcommodarit mores ſuos, quam Germani, *apud quos heredes ſucceſſoreſque ſui cuique liberi, &* NULLUM TESTAMENTUM. Tacit. *de mor. Germ. Cap. XX.* Quod & de reliquarum gentium teſtamentis dicendum.

(*) Similem enim teſtamentifactionem, quae in voluntate unilaterali conſiſtit, & qua de eo, quod poſt mortem demum fieri debeat, diſponitur, etiam apud Athenienſes deprehendimus a temporibus Solonis: Plutarch. *in Solone p.*

ne p. 90. apud Lacedaemonios a temporibus Epitadei ephori: Plutarch. *in Aegid. & Cleom. p. 797.* & apud alios Graecos, quos hac in re unum idemque omnes ſtatuere, tradit *Iſocrat. in Aeginet. p.* 778. Exſtant & teſtamenta ſimilia Aegyptiorum, veluti Ptolemaei, Regis, apud Caeſarem *de bello civ. III*, 20. Hirt. *de bello Alex. Cap. V.* Attali, Regis Pergamenorum, de quo Flor. *Hiſt. II*, 20. Hieronis Siculi, de quo Lin. *XXIV*, 4. denique ipſorum Hebraeorum, de quorum teſtamentifactione videndus Selden. *de ſucceſſ. ad leg. Hebr. Cap. XXIV.* Sed eam non eſſe antiquam, verum magiſtrorum interpretamentis originem debere, cum aliis argumentis, tum & eo potiſſimum probari poteſt, quod ne vocabulum quidem, quo teſtamentum deſignarent, in ſua lingua repererint, ac proinde illud Graece adpellare coacti ſint דייתיקי, id eſt, *διαθήκην*. Vid. Diſſ. noſtr. *de teſtamentif. jure Germ. arct. lim. circumſcr.* §. *VI.*

Nec non de teſtamento, quod Grotius commentus eſt.

§. CCXC. Quae quum ita ſint, aliam plane TESTAMENTI definitionem commentus eſt Grotius *de jure belli & pac. II, 6, §. ult.* illudque eſſe ait *alienationem in mortis eventum, ante eam revocabilem, retento interim jure poſſidendi ac fruendi.* Sed uti ea definitio non quadrat illi rei, quam vulgo teſtamentum adpellamus, ſed multis modis falſa eſt: Ziegl. *ad Grot. II, 6. fin.* Pufend. *de jure nat. & gent. IV*, 10. 2. Illuſtr. Jo. Gottfr. de Coccei. *ibid. §. IV. ſeq.* ita non ſequitur, 4. ut ideo juris naturae ſit teſtamentifactio, quia illud jus non improbet alienationem in mortis eventum, ante eam revocabilem, cum retentione poſſeſſionis & uſusfructus conjunctam.

Qualis diſpoſitio de hereditate jure naturae licita?

§. CCXCI. Attamen quum argumenta, quae adhuc explicavimus, omnia teſtamentifactionem quidem Romanam penitus evertant, at non proinde obſtent diſpoſitionibus omnibus de futura ſucceſſione: (§. CCLXVIII. *) merito jam quaeritur, quaenam illae ſint, quae jure naturae adprobentur? Reſponſum cape. Non aliae, quam pacta, quibus vel homines morientes ipſam poſſeſſionem cum dominio rerum ſuarum in alios transferunt, vel ſani illis jus ſuccedendi in caſum mortis attribuunt. Quum enim, quod noſtrum eſt, non modo in praeſens, ſed & in futurum alienare liceat: (§. CCLXVIII.) 5. licebit etiam de ſubſtantia noſtra, ſive in praeſens, ſive in futurum mortis eventum, in alterum transferenda, paciſci (*).

(*) Et hinc antiquiſſimi mortalium vix aliter de bonis ſuis, quam hoc modo, diſponebant. Sic Abraamus, liberis deſtitutus, bona ſua deſtinaverat Eleaſari, procuratori ſuo, *Geneſ. XV*, 3. procul dubio per mortis cauſſa donationem, ſeu pactum aliud ſucceſſorium. Idem deinde, mortua Sara uxore, ſuſceptis e Kethura liberis, partem bonorum ſuorum vivus & ſanus per donationem inter vivos contulit, reliqua omnia Iſaaco dedit. *Gen. XXV*, 5. 6. Sed & Cyrum, morientem, praeſenti Cambyſi, filio natu majori, regnum, alteri natu minori, Tanaoxari, Medorum, Armeniorum & Caduſiorum ſatrapias tradidiſſe,

didiſſe, refert Xenoph. *Cyrop.VIII, 7, 3.* Diviſionis & donationis, inter liberos a parentibus, imminente morte factae, mentionem fieri videmus *Gen. XLVIII,* 22. *Deut. XXI.*16. 17. 1. *Reg.I,* 35.*Syrac. XXXIII.* 24. & apud Francos huc pertinent exempla apud Marculf. *Form. I.* 12. *II,* 7.

§. CCXCII. Quum ergo cuilibet liceat de ſubſtantia ſua in alium ſive in praeſens, ſive in futurum mortis eventum transferenda paciſci: (§. CCXCI, 5.) conſequens eſt, 6. ut nihil cauſſae ſit, cur juri naturae refragari exiſtimemus pacta ſucceſſoria (*). 7. Ut potius illa jure optimo maximo valere debeant, ſive reciproca ſint, ſive ex uno tantum latere obligatoria: itemque 8. ſive adquiſitiva, ſive conſervativa, ſive renunciativa: nam 9. diſpoſitiva paciſcentes quidem, non vero eum, cujus de hereditate diſponitur, obſtringere, vel ex eo patet, quod hic nihil de ſuo pactus eſt. (§. CCLXXXI, 5.) Pacta ſucceſſoria quae valeant?

(*) Illa equidem non probat jus Romanum, ſed bonis moribus adverſari, plenaque triſtiſſimi eventus eſſe, clamat. *l. ult. C. de pact.* ſed ratio de voto captandae mortis non in haec pacta magis cadit, quam in mortis cauſſa donationes, quas tamen Romani jure valere patiuntur. Neque triſtiſſimus ille, quem Roma aliquando vidit, eventus argumento eſt, bonis moribus repugnare haec pacta ſucceſſoria, quum nec teſtamentum, nec ullum aliud inſtitutum humanum, ita comparatum ſit, ut abuti illo non poſſint homines improbi.

§. CCXCIII. Praeterea quum traditionum ea ſit indoles, ut unuſquiſque ſibi in re ſua jus aliquod, quod non transferatur, excipere ac reſervare poſſit, adeoque eo caſu tantum tranſmittatur, quantum is, qui alienat, tranſmittere voluit: (§. CCLXXIX, 41. ſequ.) ſequitur, 10. ut in arbitrio domini ſit, poſſeſſionemne ſimul in heredem pactitium transferre velit, an jus tantum, hereditatem ſe mortuo occupandi, itemque, 11. utrum jus irrevocabile, an revocabile dare malit, (*) denique 12. pure, ſub conditione, an in diem, 13. ex aſſe, an pro parte, alterum ſibi heredem dicere malit: ut adeo 14. non ſit *naturalis pugna* cauſſae teſtati & inteſtati, uti ſibi perſuaſit Pomponius *l. 7. D. de reg. jur.* Quomodo quis de hereditate diſponere poſſit?

(*) Sic jus irrevocabile in filios e Kethura tranſtulerat Abraamus, *Gen. XXV, 6.* revocabile contra in Piraeum Telemachus apud Homerum *Odyſſ. P. v.* 77.

Πείραι' ἐ γὰρ τ' ἴδμεν, ὅπως ἔςαι τάδ' ἔργα,
Εἴ κεν ἐμὲ μνηςῆρες ἀγήνορες ἐν μεγάροισι,
Λάθρῃ κτείναντες πατρώϊα πάντα δάσωνται.
Αὐτὸν ἔχοντά σε βέλομ', ἐπαυρέμεν, ἤ τινα τῶνδε.
Εἰ δέ κ' ἐγὼ τέτοισι φόνον, καὶ κῆρα φυτεύσω,
Δὴ τότε μοι χαίροντι φέρειν πρὸς δώματα χαίρων.

Pircae, incertus quoniam rerum exitus harum eſt,
Si tacite incautum ſtolidi me forte necare
Morte proci poterunt, & opes vexare paternas:

Haec ego te malo, quam eorum quempiam, habere.
Sin ego eos juſta meritos adfecero clade:
Tum mihi tu laeto reddes illa omnia laetus.

An heres accipere teneatur deſtinatam ſibi hereditatem.

§. CCXCIV. Quum praeterea aliquid *accipi* poſſit non modo *vere*, ſed & *ex praeſumtione*, quoties ex ipſa rei indole non poteſt non judicari, alterum rem, quam quis traditurus eſt, non adſpernaturum: (§. CCLXXXIV) conſequens eſt, 15. ut jure naturae perinde ſit, praeſens quis conſenſum declaret, an ob abſentiam rem accipere verbis nequeat, quum regulariter vix verendum ſit, ne moleſta alteri futura ſit illa liberalitas (*), maxime ſi lucroſam eſſe conſtet hereditatem, illi deſtinatam. 16. Ut tamen inter utrumque caſum id interſit, quod priore validum & irrevocabile jus nanciſcatur heres, niſi facultatem revocandi dominus diſerte ſibi reſervarit: 17. poſteriore ante ſequutam acceptionem ſemper ſit revocandi licentia; itemque, 18. quod qui conſenſum declaravit heres, acceptam ſemel hereditatem repudiare nequeat, 19. is, cujus conſenſus praeſumitur, eam ſibi delatam ſuo arbitrio vel adire vel repudiare poſſit.

(*) Totam hanc doctrinam mirifice illuſtravit perilluſtris academiae noſtrae cancellarius, Muſarumque mearum amantiſſimus collega, Jo. Petrus a Ludewig, diſſertatione erudite ſcripta, *de differentiis juris Romani & Germanici in donationibus, & barbari adnexus, acceptatione. Hal. MDCCXXI.* ubi nec naturam atque indolem donationis, nec jus Juſtinianeum, nec canonicum, nec Germanicum illam acceptationem verbis aliisque ſignis factam requirere, non ſine magno rerum inſignium adparatu demonſtravit, omniaque, quae obverti poterant, argumenta ſolide profligavit, ut mirum non ſit, quoſdam levioris armaturae milites vellicare hoc vallum, quam juſta oppugnatione evertere, maluiſſe.

Fundamentum ſucceſſionis ab inteſtato.

§. CCXCV. Si ergo vere velle poteſt rerum ſuarum dominus, ut illae, ſe mortuo, in alterum transferantur: (§. CCXCI. ſequ.) nulla ſane ratio ſuadere videtur, ut voluntati ex ejus fine & intentione praeſumtae non tantumdem, ac certis verbis ſignisve expreſſae, tribuatur. (§. CCLXVIII.) Jam ſupra vero oſtendimus, finem atque intentionem aliquid adquirentium, ſuaſque res adminiſtrantium, non eſſe, ut illae, ſe mortuis, quaſi pro derelictis habitae cuivis occupanti cedant: ſed, ut ſuis, quos amat, quorumque felicitate delectatur, proſint. (§. CCLXXXIV.) Ex eo vero merito colligimus, 20. ſucceſſionem eis prae reliquis deberi, quorum in gratiam mortuus bona ſua praecipue adquiſiverit, ſervaritque tanta cura ac ſollicitudine (*).

(*) Quod

(*) Quod adeo verum eſt, ut nulla re magis angi ac veluti excruciari ſoleant homines, quam ſi, ſe mortuis, bona ad homines ſibi parum probatos perventura, ſciant, jamque

Stet domo capta cupidus ſuperſtes,
Imminens lethi ſpoliis, & ipſum
Computet ignem.

Ut veriſſimum ſit, quod ex Pindari *Olymp. X.* huc retulit Puſendorff. *de jure nat. & gent, IV.* 11. 1. πλῦτος ὁ λαχὼν ποιμένα ἐπακτὸν ἀλλότριον θνάσκοντι στυγερώτατος. *Divitiae, fortunae dominum adſcititium alienum, morienti ſunt odioſiſſimae.*

§. CCXCVI. Quia tamen hoc non eſt officium, cum obligatione perfecta conjunctum, adeoque ſpecies potius humanitatis, quae perſonarum ac neceſſitudinum habet rationem, ac proinde cognatis plus, quam extraneis, tribuit: (§. CCXX, 21.) merito ſtatuimus, 21. cognatos extraneos omnes a ſucceſſione excludere, & 22. ex ipſis cognatis remotioribus praeferendos eſſe propiores: 23. horum denique plures ejuſdem lineae ac gradus ſimul ad hereditatem merito vocandos (*). De ea axiomata.

(*) Quamvis enim non ſemper verum ſit, cognatos cognatis, quam extraneos, eſſe cariores, immo potius fratrum quoque gratia aliquando rarior videatur: tamen, quum ſi eadem fuiſſet defuncti ſententia, nihil illi obſtitiſſet, quo minus de hereditate ſua diſponeret, aliique, quem magis amabat, eam relinqueret, (§. CCXCI, 5.) ille vero ſine ejuſmodi diſpoſitione decedere maluerit: non poteſt non exiſtimari, eum bona ſua non invidiſſe cognatis, quos ipſa veluti naturalis adfectio ad ſucceſſionem vocat. Ceterum propior aliquis judicandus eſt non modo *ratione gradus*, verum etiam *ratione lineae.* Adfectionem enim maximam cadere in lineam deſcendentem, &, hac deficiente, in adſcendentem: denique, neutra ſuperſtite, in collateralem, recte obſervavit Ariſtot. *ad Nicomach. VIII.* 12. Hinc nepotes, quamvis ſecundo gradu propiores ſunt parente, proavus, quamvis tertio gradu, propior fratre, cetera.

§. CCXCVII. Quum ergo ex ipſis cognatis remotiores excludantur a propioribus, (§. CCXCVI, 22.) vix autem ulli propiores cuiquam exiſtimari poſſint, quam liberi parentibus: 24. hi merito reliquis omnibus in hereditate parentum praeferuntur, & quidem 25. ſine ſexus & 26. aetatis diſcrimine (*). Quod enim quibuſdam locis maſculi feminis, primogeniti natu minoribus, praeferuntur: illud, quia inter aequales inaequalem diviſionem ponit, ex lege civili, vel pacto, vel alia diſpoſitione, adeoque non ex jure naturae eſſe, facile intelligitur. (§. CCLXXI, 10. ſequ. & *). Succeſſio liberorum.

(*) Si tamen res in ſe individua ſit: non eſt dubium, quin ea ceteris paribus primogenito ea lege jure relinquatur, ut reliquis fratribus ſororibuſque ſatisfaciat. (§. CCLXX, 5.) Talis res individua quum praecipue ſit imperium vel regnum: in eo inſignis primogenitorum praerogativa eſſe ſolet. Eleganter

ter Cyrus apud Xenoph. *Cyrop. VIII. 7. 3.* Δεῖ δὲ καὶ τὴν βασιλείαν μὲ ἤδη σαφηνίσαντα καταλιπεῖν, ὡς ἂν μὴ ἀμφίλογος γενομένη πράγματα ὑμῖν παρέσχῃ. ἐγὼ δὲ νῦν φιλῶ μὲν ἀμφοτέρους ὑμᾶς ὁμοίως, ὦ παῖδες. τὸ δὲ προβουλεύειν, καὶ προηγεῖσθαι, ἐφ' ὅ, τι ἂν καιρὸς δοκῇ εἶναι, τοῦτο προστάττω τῷ προτέρῳ γενομένῳ καὶ πλειόνων κατὰ τὸ εἰκὸς ἐμπείρῳ. *Est autem mihi decretum hoc quoque, cui regnum relinquam, ne id, relictum in ambiguo, negotia vobis facessat. Complector equidem, filii, pari utrumque vestrum benevolentia: verum & consilio providere, & ducis officio fungi, quacumque in re tempus & usus postulet, eum jubeo; qui* NATU MAJOR *est, & usum rerum majorem de consentanea quadam ratione habet.* Quamvis ergo par regum in liberos affectio esse possit: ipsa tamen regni indoles exigere semper visa est, ut filiabus filii, & inter hos maximus natu minoribus, in imperio praeferretur, adeo ut hoc νομιζόμενον πρὸς πάντων ἀνθρώπων; *tamquam lege inter omnes homines constitutum esse*, contendat Herodot. *Lib. VII. p.* 242. &, si quid contra fiat, id *contra jus gentium* factum esse, dixerint veteres. Vid. Justin. *Hist. XII*, 2. *XXIV*, 3. Liv. *XL*, 9.

Patri regulariter soli legitimi succedunt, matri & illegitimi.

§. CCXCVIII. Quum ergo liberi reliquis omnibus in hereditate parentum merito praeferantur, (§. CCXCVII, 24.) idque ex praesumta parentum voluntate colligi posse videatur: (§. CCXCV, 20.) consequens est, 27. ut certo etiam constare debeat, esse aliquem ex liberorum numero. Quod quum ratione patris vix certum esse possit, nisi ex justo matrimonio: inde porro colligimus, 28. patri liberos tantum legitimos, etiam postumos, non illegitimos, & vulgo quaesitos; 29. matri omnes promiscue succedere: quamvis 30. & illegitimis patrem prospicere posse dispositione sua, nemo temere sit negaturus.

Nepotes quomodo succedant cum liberis primi gradus?

§. CCXCIX. Praeterea ex eadem voluntate parentum (§. CCXCV, 20.) colligi posse videtur, 31. successionem descendentium non modo ad primi, sed & ad ulteriorum graduum liberos, porrigi: adeoque 32. nepotes neptesque non minus, quam filios filiasque, ad hereditatem admitti, & quidem, 33. non solum si inter homines esse desierint primi gradus liberi, verum etiam, 34. si illi cum his concurrant: ut adeo 35. aequitati naturali quam maxime consentaneum esse videatur jus repraesentationis, quo liberi ulteriorum graduum locum parentum suorum subeunt, eorumque portionem accipiunt (*).

(*) Et hoc est fundamentum successionis liberorum primi gradus *in capita*; ulteriorum *in stirpes*. Hanc vero aequitati naturali quam maxime consentaneam esse, vel inde patet, quod alias, si in capita omnes succederent, superstitum liberorum conditio per fratris vel sororis mortem deterior, nepotum per parentum mortem melior fieret, adeoque nulla inter eos futura esset aequalitas. Nam si pater esset centenarius, liberosque haberet quatuor, singuli acciperent viginti quinque aureos. Jam finge, unum ex his quatuor liberis, turbato naturae ordine, ante patrem decessisse, relictis ex se nepotibus septem. Tunc sane, si singuli succederent in capita, unusquisque acciperet

ciperet decem aureos: atque ita ob mortem fratris tres liberi primi gradus amiſiſſent aureos quadraginta quinque, nepoteſque ſeptem ob praematurum parentis obitum tantumdem lucrati eſſent. Quum vero non poſſit ulla reddi ratio, cur mors fratris ſuperſtitibus fratribus vel ſororibus aliquid ex paterna hereditate deminuere, nepotibuſque ex eo aliquid adjicere debeat: nulla quoque reddi poteſt ratio, cur aequaliter utrique admittendi ſint in capita.

§. CCC. Ex eadem porro regula, quod ex pluribus cognatis propiores praeferendi ſint remotioribus, (§. CCXCVI, 22.) fluit, 36. nepotes, etiamſi ſoli ſint, merito tamen praeferendos eſſe & avi parentibus, quamvis gradu propioribus, & ejuſdem fratribus & ſororibus, quamvis gradu paribus. Propiorem enim aliquem judicandum eſſe non tantum ratione gradus, ſed & maxime ratione lineae, jam ſupra obſervavimus. (§. CCXCVI. *). Ceterum 37. nepoteſne aequitas naturalis hoc caſu in capita, an in ſtirpes ad hereditatem avitam vocet ex iis, quae ad ſuperiorem paragraphum in ſcholio notavimus, intellectu non admodum difficile videtur (*). *Quomodo ſi ſoli exſtent?*

(*) Nulla enim & hic reddi poteſt ratio, cur ob praematurum parentum exceſſum unius ſtirpis deterior, alterius melior conditio fieri debeat. Quod fieri tamen oporteret, ſi nepotes ſoli ſuperſtites in capita admitterentur. Finge enim centenarium amiſiſſe quatuor filios, at ex primo unum, ex ſecundo binos, ex tertio tres, ex quarto quatuor nepotes ſuperſtites eſſe: ſi filii ſupervixiſſent, ſinguli accepiſſent viginti quinque aureos, tantumdemque quiſque ad filios tranſmiſiſſet. At ſi jam, iis praemortuis, nepotes in capita admitterentur, ſinguli acciperent decem adeoque unus nepos ex primo filio jacturam faceret aureorum quindecim, duo ex ſecundo, quinque: tres porro ex tertio quinque, quarum reliqui ex quarto quindecim lucrarentur. Quod quum abſonum ſit: abſonum quoque eſt, nepotes hoc caſu in capita ſuccedere.

§. CCCI. Quum, deficiente linea deſcendentium, proxima ſit altera, in qua adſcendentium vel progenitorum ſeries deſcribitur: (§. CCXCVI, *). merito inde colligimus, 38. his luctuoſam liberorum hereditatem prae aliis deferri, (*) & 39. ita quidem, ut propior gradu excludat remotiores, 40. ejuſdem gradus ſimul admittantur, nec hic 41. jus naturae juſtam ſuggerat rationem, cur inter plures ejuſdem gradus ſecundum lineas partienda ſit liberorum hereditas: ut adeo 42. haec ſimiliaque potius jure civili definienda videantur. *Succeſſio adſcendentium.*

(*) Quod adeo rectae rationi videtur conſentaneum, ut quum lex divina ad ſucceſſionem primum vocet filios, his deficientibus filias, tum fratres, & poſtea patruos: parentum autem nullam habere rationem videatur, *Num. XXVII. 8. ſequ.* Philo tamen *de vita Moſis Lib. III. p. 689.* illud ex recta ratione ſupplendum eſſe moneat: Πάνυ γὰρ εὔηθες, ὑπολαβεῖν, ὅτι πατρὸς ἀδελφῷ νέμειν κλῆρον ἀδελφιδῶν, διὰ τὴν πρὸς τὸν πατέρα συγγένειαν, αὐτὸν ἀφαι-

λειπε τὸν πατέρα τῆς διαδοχῆς. ἀλλ᾽ ἐπειδὴ ὁ νόμος φύσεώς ἐστι κληρονομεῖσθαι τοὺς γονεῖς ὑπὸ παίδων, ἀλλὰ μὴ τούτους κληρονομεῖν, τὸ μὲν ἀπευκταῖον καὶ παλίμφημον ἡσύχασεν, ἵνα μὴ πατὴρ καὶ μήτηρ προσοδεύεσθαι δοκῶσι τῷ ἐπὶ ὠκυμόροις τέκνοις ἀπαρηγορήτῳ πένθει, πλαγίως δ᾽ αὐτοὺς ἐκάλεσε τοῖς θείοις ἐφιείς, ἵνα καὶ ἀμφοτέρων στοχάσηται, καὶ τοῦ πρέποντος, καὶ τοῦ μὴ τὴν οὐσίαν ἀλλοτριωθῆναι. *Stultum enim foret, credere, patruo concedi hereditatem fratris filii, ut patris cognato; ipſi vero patri eam auferri. Verum, quia lex naturae jubet, filios parentibus heredes ſuccedere, non parentes filiis:* (ubi jus naturae a Philone procul dubio pro naturae ordine accipitur,) *hoc, ut ominoſum, & piis votis contrarium, tacuit; ne pater materque viderentur lucrari ex immaturis filiorum mortibus & luctu inconſolabili: oblique tamen ipſos vocavit ad jus, quod permittit patruis, ut & decorum ſervaretur, & bona manerent in familia.* Nec aliter philoſophantur Talmudici, quorum doctrinam de ſucceſſione adſcendentium accurate expoſuit Seldenus *de ſucceſſ. in bona def. ad leges Hebr. Cap. XII.*

Succeſſio collateralium. §. CCCII. Denique ex eadem, quam ſaepius laudavimus, regula, (§. CCXCVI, 22.) ſequitur, 43. ut, deficientibus etiam adſcendentibus, ex linea obliqua, vel collaterali proximi gradu proximi ad ſucceſſionem eſſe videantur, nec 44. ratio ulla ſuadeat, ut inter collaterales locus ſit juri repraeſentationis, (*) multoque minus, 45. ut vel duplicitas vinculi, vel 46. bonorum origo diſcrimen faciat. 46. Ut plures ejuſdem gradus & hoc caſu hereditatem inter ſe aequa lance dividant: nec 47. quidquam interſit, quota generatione defuncto cognati ſint, quum in hujus arbitrio fuerit, ſi remotiores facultatibus ſuis beare noluiſſet, heredem alium dicere.

(*) Quum enim ſucceſſio iis prae reliquis debeatur, quorum in gratiam mortuus bona ſua praecipue adquiſivit, tantaque cura ac ſollicitudine ſervavit, (§. CCXCV. 20.) & experientia doceat, amorem erga deſcendentes remotiores, ſi non vehementiorem, ſaltim non minorem eſſe ſolere, ac erga propiores: recte inferre nobis videmur, avos nepotibus nihil, quod eorum parentibus debebatur, detractum velle, ac proinde ex praeſumpta eorum voluntate eos in parentum ſuorum jura ſuccedere debere. Contra ea experientia eadem docet, in linea collaterali adfectionem fere ſingulis gradibus decreſcere, ac proinde non ſequi, ut e. g. fratris filius eodem loco ſit apud patruum, ac frater. Hinc & fratrum filios cum fratribus in ſucceſſione concurrere debere, nulla ratio ſuadet.

Multa hic relicta arbitrio legiſlatorum. §. CCCIII. Et huc uſque ſucceſſionem cognatorum agnoſcit recta ratio. Quia tamen haec omnia magis juris naturae permiſſivi, quam praeceptivi eſſe, facile unuſquiſque intelligit: nemo facile negaverit, 48. multa hic permiſſa eſſe legiſlatoribus, ut & de pleriſque caſibus dubiis certi quid ſtatuere, & 49. leges ſuas reipublicae fini atque utilitati accommodare poſſint. (§. XVIII. 36.) Atque inde facile reddi poteſt ratio, 50. cur & conjugi ſuperſtiti proſpectum velint legiſlatores, & 51. in nullo paene juris articulo

culo magis diſcrepent diverſarum provinciarum, quin & municipiorum, leges & ſtatuta, quam in hoc de inteſtatorum ſucceſſionibus.

An heredes quidam neceſſarii?

§. CCCIV. Quandoquidem porro totum hoc ſuccedendi jus ex voluntate praeſumta naſcitur, (§. CCLXXXV, 65.) is vero, cujus conſenſus praeſumitur, hereditatem ſuo arbitrio vel adire, vel repudiare poteſt: (§. CCXCIV, 19.) nemo non videt, 52. jus naturae ignorare heredes neceſſarios, (*) adeoque 53. neminem eſſe heredem ab inteſtato ipſo jure, ſed 54. talem fieri conſenſu, ſive per verba, ſive per facta declarato.

(*) Idque & inde demonſtratur, quod rationem, ob quam juriſconſulti Romani heredes quosdam *neceſſarios*, alios *ſuos & neceſſarios*, alios *voluntarios* & *extraneos* dixerunt, recta ratio plane ignorat. Primo enim haec heredum qualitas & differentia praecipue ad heredes teſtamentarios, quos jus naturae ignorare diximus, (§. CCLXXXVII. ſequ.) pertinet, quia ab inteſtato nullus ſuccedit ſervus, heres neceſſarius. Deinde teſtamentum Romanis erat inſtar legis privatae. Teſtatorem autem legem quidem ferre poſſe exiſtimabant ſui, id eſt, ſervis & liberis, quibus veluti in obſequio relicta erat gloria, non autem extraneis, poteſtati teſtatoris non ſubjectis. Hinc illos heredes dicebant *neceſſarios*, hos *voluntarios*. (*Elem. ſec. ord. Inſt.* §. *DLXXXI, ſequ.*) Enimvero quum haec omnia ignoret jus naturae: illud etiam hanc heredum differentiam ignorare, tam certum eſt, quam quod certiſſimum.

Heres quomodo in defuncti jura & obligationes ſuccedat?

§. CCCV. Ceterum, ubi quis ſemel ſuccedere alteri ſtatuit, nihil aequius eſt, quam ut, qui in locum ſuccedit, etiam in jura illius ac onera ſucceſſiſſe cenſeatur. (§. CCLXVII.) Ex quo conſequitur, 55. ut heres, ſive ex vera diſpoſitione defuncti, ſive ex praeſumta ejuſdem voluntate ſuccedat, omnia ejuſdem jura, quae morte non exſtincta ſunt, adquirat, at 56. nec conqueri poſſit, ſi & ejuſdem obligationibus, quantum bona ſufficiunt, ſatisfacere cogatur (*).

(*) Non ergo in ſolidum. Quum enim non alia cauſſa ſit, cur heres, quod defunctus ex emto vel conducto debuit, praeſtare, & nomen illius expungere teneatur, quam quod bona ejus conſequutus eſt: nulla excogitari poteſt ratio, cur ultra vires hereditatis teneatur. Praeterea rigor ille juris Romani, quo heres in omnes defuncti obligationes ſuccedit, nititur fictione, quod heres cum defuncto pro una perſona habeatur. *l. 22. D. de uſucap. l. 14. C. de uſufr. Novell. XLVIII. praef.* Ant. Dadin. Alteſerra *de Fiction. jur. tract. I. Cap. XX. p.* 48. Quam fictionem quum ignoret jus naturae, illud etiam id, quod inde conſequitur, ignorare, manifeſtum eſt.

Cap. XII.

DE JURIBUS ET OFFICIIS, QUAE EX DOMINIO ORIUNTUR.

§. CCCVI.

Triplex dominii effectus.

DOMINIUM eſt jus alios omnes rei alicujus uſu excludendi. (§. CCXXXI.) Alios vero dum excludimus rei uſu: ipſi, nobis ſolis ea utendi jus eſſe, contendimus. Inde 1. primum oritur dominii effectum, LIBERA de re ſua DISPOSITIO, id eſt, rem quibuſlibet uſibus adhibendi, immo & abutendi, ſuoque lubitu alienandi facultas. Deinde, cujus rei uſu alios excludere poſſumus, illam eo animo detinemus, adeoque 2. inter effecta dominii eſt etiam POSSESSIO. Denique & tunc alios rei noſtrae uſu excludimus, quando ab alio poſſeſſam repetimus. Rem vero ſuam, ab alio poſſeſſam, repetere quum idem ſit, ac VINDICARE: conſequens eſt, 3. ut inter nobiliſſimos dominii effectus etiam ſit jus rem a quocumque VINDICANDI (*).

(*) Omnia haec dominii effecta agnoſcit jus Romanum. Quod enim Caius *l. 2. D. ſi a par. quis man.* ſcribit, *iniquum eſſe, ingenuis hominibus non eſſe liberam rerum ſuarum alienationem*, id ad LIBERAM DISPOSITIONEM pertinet. Ita & ex jure POSSIDENDI, ſoli domino competente, colligit Paullus *l. 3. §. 5. D. de adqu. vel amitt. poſſeſſ. plures eamdem rem in ſolidum poſſidere non poſſe, & contra naturam eſſe, ut, quum ego aliquid teneam, tu quoque id tenere videaris*: quin *non magis eamdem poſſeſſionem apud duos eſſe poſſe, quam ut tu ſtare videaris in eo loco, in quo ego ſto, vel, in quo ego ſedeo, tu ſedere videaris.* De REI VINDICATIONE, quippe praecipua, quae ex dominio naſcitur, actione, omnia nota ac pervulgata ſunt. Hinc inter *θέματα παράδοξα* eſt, quod dominus tigni, illud tamen junctum vindicare non poſſit. §. *29. Inſt. de rer. diviſ.*

Hinc domino eſt facultas omnem ex re utilitatem percipiendi.

§. CCCVII. Quum ergo is, cui LIBERA rerum ſuarum DISPOSITIO eſt, gaudeat facultate, illas quibuſcumque uſibus adhibendi: (§. CCCVI, 1.) conſequens eſt, 4. ut & ex ipſa earum ſubſtantia, & 5. ex acceſſionibus atque incrementis, quatenus illa domino adquiruntur, (§. CCL. ſequ.) omnem utilitatem capere, ac proinde 6. & fructus ſuos facere, & vel conſumere eoſdem, vel communicare cum aliis, vel quocumque titulo in quoſcumque transferre poſſit. Quin quum ſaepe ingenii ſollertia & diligentiore cultura amplificari poſſint fructus, & annui proventus: 7. nihil impedit

pedit dominum, quo minus rei ſaciem immutare, eamque hoc modo utiliorem reddere poſſit (*), dumne alteri hoc ipſo jus ſuum intervertat.

(*) Soli domino hanc facultatem competere, argumento eſſe poteſt jus uſufructuarii, uſuarii, commodatarii, conductoris, quod, quia in re non propria, ſed aliena ſeſe exſerit, hanc facultatem rem pro lubitu mutandi ambitu ſuo non complectitur, quantumvis nemo horum ſit, quin jure gaudeat, fructus percipiendi. Communis ergo domino cum aliis poteſt eſſe facultas fructus percipiendi, at facultas rei, e. g. fundi, faciem immutandi ſoli domino propria eſt, nec eam ſibi vindicare poteſt uſufructuarius, commodatarius vel conductor, niſi permittente domino.

§. CCCVIII. Quumque & abutendi facultas ſit domino, (§. CCLVI, 1.) id eſt, rem utendo conſumendi, vel rem & fructum diſperdendi: Donat. *ad Terent. Andr. prolog. v.* 5. conſequens eſt, 8. ut & deſtruere domino liceat rem, dominio ſuo ſubjectam, & 9. eamdem corrumpere, modo 10. id non fiat eo conſilio, ut alius inde detrimentum capiat (*). Quamvis enim talis rerum noſtrarum, quae aliis prodeſſe poſſent, corruptio amori humanitatis repugnet, & jus alterius imperfectum laedat: (§. CCXVII, 11.) non tamen ideo juſtitiam expletricem violat, qui, jure ſuo uſus, rebus ſuis abutitur, easve, nulla urgente neceſſitate, corrumpit. Itemque rem ſuam deſtruendi & corrumpendi.

(*) Si quis enim eo conſilio rem ſuam corrumpit, ut alter inde detrimentum capiat: id facit animo alterum laedendi, ac ſequuto eventu alterum reipſa laedit. Quum vero primum & abſolutum juris naturalis praeceptum violet, qui alterum laedit: (§. CLXXVIII. 8.) conſequens eſt, ut & contra jus naturae agat, qui res ſuas corrumpit, ut alter inde detrimentum capiat. Et huc pertinet facinus domini, flores horti ſui veneno inficientis, ut vicini apes inde perirent. Quinctil. *Declam. XIII.*

§. CCCIX. Quia denique libera illa diſponendi facultas, quam domino competere diximus, jus etiam alienandi complectitur: (§. CCCVI, 1.) facile intelligitur, 11. dominum & dominio ſuo ſeſe abdicare, & 12. illud tum in futurum, tum 13. in praeſens, ſub quacumque conditione in alium transferre, & quidvis alteri commodi concedere, quin & 14. jus qualecumque alii in re ſua concedere, at proinde 15. dominium utile, uſumfructum, hypothecam, pignus, ſuo arbitrio conſtituere alteri poſſe, dummodo 16. ei id agenti nec lex, nec pactio, nec alia firmior diſpoſitio obſtet. Nec non eamdem alienandi.

§. CCCX. Quandoquidem porro & poſſeſſio inter effecta dominii eſt: (§. CCCVI, 2.) facile patet, 17. dominum & adprehendere rei ſuae poſſeſſionem, & 18. eam adverſus quemcumque tueri, ideoque 19. & vim vi repellere poſſe. 20. Nihil quoque intereſſe, Poſſeſſionem porro adprehendendi & retinendi.

tereſſe, ſive quis ipſe per ſe, ſive per alium poſſideat: immo 21 ſemel adquiſitam poſſeſſionem procul dubiò & ſolo animo ab abſente retineri tantiſper, dum alius eam nondum adprehendit (*)

(*) Poſſeſſio enim eſt detentio rei, cujus uſu alios excludere ſtatuimus. (§. CCXXXI.) Quamdiu ergo alios excludere rei uſu ſtatuimus, tamdiu rem nondum pro derelicta habuimus. (§. CXLI.) Ergo res hujuſmodi non eſt nullius, nec adeo nulli jus competit eam occupandi. In qua re vero nulli jus occupandi eſt, ejus ego poſſeſſionem procul dubio & abſens ſolo animo retineo.

Jus denique vindicandi.

§. CCCXI. Denique, quum & jus VINDICANDI inter effectus dominii ſit: (§. CCCVI, 3.) fieri non poteſt, 22. quin hoc jure noſtro uti poſſimus adverſus quemcumque rei noſtrae poſſeſſorem, nec, 23. quod ad rei reſtitutionem attinet, quidquam interſit, bona fide, an mala, ille rem noſtram detineat, itemque 24. notus ille nobis, an ignotus ſit, quia ab eo non ob factum aliquod rem repoſcimus, ſed rem, in quam nobis jus eſt, repetimus. Praeterea quum 25. rem ſuam vindicare & repetere, non ſit eam de novo redimere: facile patet, dominum, rem ſuam vindicantem, non eſſe ad reſtituendum pretium obſtrictum, quamvis 26. aequitas non patiatur, ut ille cum alterius damno fiat locupletior, (§. CCLVII.) & impenſas neceſſarias ac utiles, a poſſeſſore in rem erogatas, reſtituere detrectet (*).

(*) Quo procul dubio pertinent etiam impenſae, ſine quibus ne ipſe quidem dominus rem ſuam a raptoribus recuperaturus fuiſſet, maxime, ſi eo animo rem redemit poſſeſſor, ut eam domino reſtitueret. Pufend. *Jur. nat. & gent. IV.* 12. 13. ad quem locum elegans exemplum eſt Famiani Stradae *Decad. I. de bell. Belg. Lib. VII. ad ann. MDLXXII.* attulit Hertius. Quum enim Antverpienſes mercatores merces pretioſiſſimas pluſquam centum millium, ab Hiſpano milite in urbe Machlinienſi direptas, exſoluto XX. millium pretio, redemiſſent: domini illas, reddita ea ſumma, receperunt, quippe non minore diſpendio res ſuas recuperaturi, ſi vel maxime jure experiri voluiſſent.

Quatenus & acceſſiones & fructus ſibi vindicet dominus?

§. CCCXII. Quum vero is, cujus res ipſa in dominio eſt, etiam acceſſiones & fructus omnes inde redeuntes, jure ſibi vindicare poſſit: (§. CCCVII, 4.) merito quaeritur, an bonae fidei poſſeſſor omnes acceſſiones, omneſque fructus, ex re aliena perceptos, quin & omne lucrum, domino, rem ſuam vindicanti, reſtituere teneatur? Nos paucis rem ita concipimus. Qui bona fide juſtoque titulo rem poſſidet, quamdiu de vero domino non conſtat, facultate gaudet, omnes rei, a ſe poſſeſſae, uſu excludendi. Qui vero hoc jure gaudet, 27. eum loco domini eſſe, (§. CCXXXI.)

ac

ac proinde 28. iiſdem juribus, ac ipſum dominum, frui, nemo dubitaverit. At quia tamen non eſt verus dominus, qui rem alienam bona fide poſſidet, 29. nulla ſane ratio eſt, cur cum veri domini damno velit fieri locupletior, quemadmodum 30. nulla ratio eſt, cur dominus fructus non exſtantes, quos cura induſtriaque ſua non produxit, ſibi vindicare velit (*).

(*) Acceſſio enim naturalis, cujus de dominio non conſtat, pro re nullius habetur, (§. CCXLI.) adeoque cedit occupanti. Quum ergo fructus occupaverit bonae fidei poſſeſſor, qui eos, omni adhibita cura & cultura produxit: huic cur iſti eripiendi ſint, nulla eſt ratio. Et hinc non abſurde jus Juſtinianeum ait: *naturali ratione placuiſſe, fructus, quos* PERCEPIT, *bonae fidei poſſeſſoris eſſe pro cultura & cura.* §. 35. *Inſt. de rer. diviſ.* Nec alia ratio eſt fructuum civilium. Quia enim itidem, dum percepti ſunt, de vero eorum domino non conſtitit, & dominus interea rei, ex qua provenerunt, nullam curam habuit: ii quoque ad bonae fidei poſſeſſorem merito pertinent, quamdiu verus dominus non ſupervenit.

§. CCCXIII. Quum ergo neuter debeat cum alterius damno fieri locupletior: (§. CCCXII, 20. ſequ.) conſequens eſt, 31. ut domino, vindicanti rem ſuam, etiam reſtituendae ſint acceſſiones, quippe quarum de domino jam conſtat, adeoque 32. etiam fructus exſtantes, & pendentes, recte petat dominus, (*) 33. deductis tamen prius impenſis, in illos factis, quia dominus fieret locupletior cum bonae fidei poſſeſſoris damno, ſi fructus, quorum curam nullam ſuſceperit, ſibi vindicare non dubitaret. Acceſſiones & fructus debentur domino.

(*) Concedit id Grotius *de jure belli & pac. II. 8. 23. & II. 10. 4.* ſed non, niſi de fructibus naturalibus. Enimvero quum & induſtriales ſint fundi acceſſio, & talis quidem, cujus de domino jam ſatis conſtat: vix excogitari poteſt ratio, cur eos ſibi vindicare velit bonae fidei poſſeſſor. Impenſarum tamen reſtitutionem nullo colore detrectare poteſt dominus, quia alias peteret fructus, quos cura atque induſtria ſua non produxit. (§. CCCXII. 30.) Unde Hebraei *σκληρὸν καὶ αὐστηρὸν ἄνθρωπον, durum & auſterum hominem*, loquutione proverbiali deſcripſerunt, *θερίζοντα, ὅπου οὐκ ἔσπειρε, καὶ συνάγοντα, ὅθεν οὐ διεσκόρπισε, qui metat, ubi non ſeverit, cogatque, ubi non ſparſerit. Matth. XXV, 24. Luc. XIX, 21.*

§. CCCXIV. Quumque acceſſio naturalis, cujus de domino non conſtat, tamquam res nullius occupanti cedat, neque de fructibus civilibus aliud ſit ſtatuendum: (§. CCCXII, *) conſequens eſt, 34. ut fructus percepti merito relinquendi ſint bonae fidei poſſeſſori, qui culturam & curam adhibuit, niſi 35. iis factus ſit locupletior (*). (§. CCCXII, 29.) Percepti & conſumti b. f. poſſeſſori.

(*) Sequuntur hoc principium jureconſulti in hereditatis petitione. *l. 25. §. 11. & §. 15. l. 36. §. 4. l. 40. §. 1. D. de hered. petit.* Contra in rei vindicatione

S 2

tione fructus perceptos indiſtincte addicunt bonae fidei poſſeſſori, nec quidquam intereſſe putant, locupletior iis factus ſit, nec ne. *l.* 4. §. 2. *D. fin. regund. l.* 48. *pr. D. de adqu. rer. dom.* Sed ratio diſcriminis plane civilis eſt, nec ex recta ratione poteſt derivari. In hereditatis enim petitione, tamquam univerſali judicio, pretium ſuccedere dicitur in locum rei, non in judiciis ſingularibus. Ius naturale autem haec procul dubio non diſtinguit: ac proinde aequiſſimum eſt, perceptos fructus, quibus quis locupletior factus, indiſtincte vero domino reſtitui. Quod & in foro hodie obſervari, teſtatur Stryk. *Uſ. mod. Digeſt. VI.* 1. 12.

An b. f. poſſeſſor rei conſumtae, pereuntis, vel alienatae, aeſtimationem praeſtet?

§. CCCXV. Ex iiſdem regulis, quod bonae fidei poſſeſſor pro domino eſt, nec tamen cum alterius damno fieri debet locupletior, (§. CCCXII, 27. 29.) inferimus, 36. eum, ſi rem bona fide conſumſerit, non magis domino ad reſtitutionem obligatum eſſe, quam, 37. ſi res apud eum caſu perierit; teneri tamen eumdem, 38. ſi rem nullo, vel minore pretio adquiſitam, carius vendiderit, quia ſic cum alterius damno fieret locupletior, ſi lucrum ſibi retinere vellet: contra 39. ceſſare hanc obligationem, ſi dominus jam rei ſuae aeſtimationem fuerit ab alio conſequutus, partim quia tunc bonae fidei poſſeſſor locupletior quidem factus eſt, ſed non cum domini damno, partim quod dominus non de lucro captando, ſed de damno vitando, certare debet.

Quid malae fidei poſſeſſor reſtituere teneatur?

§. CCCXVI. Quia denique haec omnia tantum ad bonae fidei poſſeſſorem pertinent: contra malae fidei poſſeſſores nec loco domini ſunt, nec illo colore, quod de vero domino ſibi non conſtiterit, uti poſſunt, adeoque omnes rationes, cur aliquid ex re vel fructibus lucrari debeant, ceſſant: facile patet, 40. eos abſciſſe ad reſtitutionem non modo rerum exſtantium, ſed & juſti pretii conſumtarum & alienatarum, multoque magis 41. ad fructuum omnium, quos vel perceperunt, vel percipere ſaltim potuerunt, aeſtimationem praeſtandam, eſſe obligatos, ſimulque 42. caſum omnem ferre debere (*).

(*) Quamvis enim caſus nemini imputetur regulariter: (§. CVI, 27.) ea tamen regula non valet, ſi per agentem ſteterit, quo minus tale quid contingeret. (Ibid. n. 31.) quia tunc non caſus, ſed ſimul culpa adeſt. Jam malae fidei poſſeſſor poterat ac debebat rem ſuam domino reſtituere, idque ſi feciſſet, per eum ſtetiſſet, quo minus res apud ſe periret. Itaque & caſum ferre tenetur. Unde recte jureconſulti praedonem & furem caſum ferre debere aiunt, *quia ſemper in mora ſint. l.* 8. §. 1. *D. de condict. furt.*

Effectus dominii aliquando reſtringuntur.

§. CCCXVII. Et haec quidem ſunt jura, quae ex rerum dominio prono veluti alveo fluunt. Quum vero juris civilis ſit, actiones indifferentes ſaluti cujuſque populi & reipublicae attemperare, (§. XVIII, 36.) reipublicae autem plerumque expediat, ne quis re ſua male utatur: §. 2. *Inſt. de his qui ſui vel alieni jur. ſunt*, non

non mirum eſt, 43. dominium aliquando arctioribus limitibus circumſcribi a rectoribus civitatum, ac proinde 44. aliquando liberam diſpoſitionem, aliquando 45. jus poſſeſſionem adprehendendi, aliquando 46. jus vindicandi dominis vel plane adimi, vel non niſi cum aliqua reſtrictione concedi (*). tur per leges civiles.

(*) Sic animadvertimus, leges civiles *liberam rerum diſpoſitionem* adimere pupillis, furioſis, prodigis, minoribus. Eaedem legatarium, quantumvis dominum, rei legatae poſſeſſionem adprehendere non patiuntur, & adverſus eum, qui ſuo arbitratu illam occupavit, heredi dant interdictum QUOD LEGATORUM. *tot. tit. D. quod legat.* Denique notum eſt, eum, cujus tigna alter junxit, quamvis dominium materiae non amittat, non tamen tigna juncta poſſe vindicare per leges XII. Tabularum. §. 29. *Inſt. de rer. diviſ. l.* 7. *D. de adqu. rer. dom.* Adeo nullus fere eſt dominii effectus, quem ſemper & ubique omnibus ſalvum & integrum eſſe patiantur leges civiles, ſi aliud exigere videatur ſalus reipublicae, quam ſibi ſupremam legem merito ſtatuunt imperantes, iis in rebus, quae ad jus naturae permiſſivum pertinent. Quum enim juri naturae permiſſivo unuſquiſque recte renunciet: (§. XIII, 10.) ei etiam renunciare potuit populus, qui in civitatem coaluit, eique re ipſa renunciavit, dum ſummae poteſtatis legibus voluntatem ſuam ſubmiſit.

§. CCCXVIII. Quumque & domino, tum inter vivos, tum mortis cauſſa, de rebus ſuis diſponere liceat, (§. CCLXVIII.) & tunc tantum ad alterum transmittatur, quantum is, qui alienat, transmittere voluit: (§. CCLXXIX, 42.) facile patet, 47. etiam pacto & diſpoſitione prioris domini reſtringi poſſe dominii effectus, (*) & tunc 48. plura ſibi adrogare non poſſe poſſeſſorem, quam a priore domino accepit, niſi 49. is, cujus in favorem reſtrictio illa facta eſt, ultro juri ſuo renunciet, vel 50. is plane in rerum natura eſſe deſinat, vel 51. jus ſuum ex juſta cauſſa amittat. Aliquando per pacta & diſpoſitiones priorum dominorum.

(*) Ita aliquando diſpoſitione prioris domini arctioribus limitibus circumſcribitur jus omnem utilitatem e re ſua percipiendi, ſi alteri in illa uſusfructus, ſervitus, antichreſis conſtituitur. (§. CCLXXXII. ſequ.) Aliquando libertas diſponendi, deſtruendi, alienandi domino eripitur, ſi illi tantum dominium utile conceditur, (§. CCLXXIX. ſequ.) vel ſi res fideicommiſſo oneratur, cetera. Conſtituto porro uſufructu, etiam jus poſſidendi, quod domino alias denegari non poteſt, reſtringitur, quemadmodum dominio utili alicui conceſſo, domino ſuperiori vel directo nec rem poſſidendi, nec, quod ad dominium utile attinet, vindicandi jus eſt.

§. CCCXIX. Et hactenus quidem de JURIBUS, quae ex dominio oriuntur, quantum ſatis eſt, diximus. Quum vero correlata ſint JUS & OBLIGATIO, ac proinde, poſito jure, ponatur obligatio: (§. VII.) conſequens eſt, 52. ut quot ſunt effectus dominii ratione domini, totidem aliis incumbant obligationes erga dominum. Quia ergo domino LIBERA eſſe debet de rebus ſuis diſpoſitio: (§. CCCVI, 1.) 53. injuriam illi faciunt, qui eum in diſ- *Dominum neminem in uſu rei ſuae injuria impedire, vel ei dam-*

 ponen-

num inferre debere.

ponendo, fructibuſve percipiendis impediunt; (*) 54. DAMNUM vero dant, qui quid rerum ejus fructuumque & acceſſionum corrumpunt. Quumque, qui, quod ad alterius felicitatem perfectionemque pertinet, alteri intervertere vel corrumpere non dubitat, eumdem procul dubio laedat, (§. LXXXII.) nemo autem laedendus ſit: (§. CLXXVIII, 8.) merito inferimus, 55. nemini per impedimentum liberae diſpoſitioni ejus objectum faciendam eſſe injuriam: 56. nemini damnum dandum, ac proinde, 57. ſi quid ejus generis factum ſit, auctorem injuriae damnive merito & ad reſarciendum damnum, & ad poenam teneri.

(*) INJURIAM enim & JCti Romani non ſolum vocant omnem contumeliam, verbis vel factis alicui illatam, verum etiam illud factum, quo quis alterum re publica vel ſua uti prohibet, vel in re aliena ſibi liberam quamdam diſpoſitionem adrogat. Hinc injuriarum ex lege Cornelia tenetur, qui cujus domum vi introiit. *l. 5. pr. D. de injur.* qui quem prohibuit in mari piſcari, vel everriculum, quod Graece σαγήνη dicitur, ducere, vel in publicum lavare, vel in cavea publica ſedere, vel in quo alio loco agere, ſedere, converſari non paſſus ſit, vel qui nobis RE NOSTRA UTI non permiſerit. *l. 13. §. 7. D. eod.*

Nec ejus poſſeſſionem directe vel indirecte intervertere.

§. CCCXX. Quandoquidem deinde & POSSESSIO ad effectus dominii vel jura domini pertinet: (§. CCCVI, 2.) conſequens eſt, 58. ut noſtrum ſit, rem quemque ſuam quiete poſſidere pati, neque 59. cuiquam invito poſſeſſionem vel directe, vel indirecte, eripere. 60. Ut, ſi quem tale quid feciſſe probari poſſit, ille, tamquam laedens, non ſolum ad omne damnum reſarciendum, ſed & ad poenam, quam commeruit, ſubeundam obſtrictus ſit. (§. CCXI.)

Directe id fit per furtum, rapinam, dejectionem violentam.

§. CCCXXI. DIRECTE quis alterius poſſeſſionem intervertit vel per vim apertam, vel per ablationem clandeſtinam. Poſterius factum vocatur FURTUM, prius, ſi in re mobili admittatur, RAPINA, ſin in immobili, VIS vel VIOLENTA DEJECTIO. FURTUM ergo eſt ablatio clandeſtina rei alienae, inſcio & invito domino, lucrifaciendi cauſſa (*) facta: RAPINA, ablatio violenta rei alienae mobilis, invito domino, & lucri faciendi cauſſa facta: VIS denique, dejectio alterius violenta de poſſeſſione rei immobilis.

(*) Si enim contumeliae cauſſa quid auferatur, erit INJURIA, ſin, ut res corrumpatur, DAMNUM. Sic apud Homerum *Iliad. A. v.* 214. Minerva Chryſeida Achilli auferri ait ὕβριος εἵνεκα, *contumeliae cauſſa.* Injuria ergo fuit, non furtum vel rapina. Damnum potius dediſſe, quam furatus eſſe dicitur, qui, uti ait Horatius, *Serm. I, 3. v.* 116.

Teneros caules alieni infregerit horti.

Denique verum furtum procul dubio fecit Cacus, qui

Quatuor a ſtabulis praeſtanti corpore tauros
Avertit, totidem forma ſuperante juvencas;
Atque hos, ne qua forent pedibus veſtigia rectis;

Cau-

Cauda in ſpeluncam tractos, verſisque viarum
Indiciis, raptos ſaxo occultabat opaco.
Virgil. *Aen. VIII. v.* 207. *ſequ.* Ceterum, quamvis veteres & rerum immobilium furtum fieri poſſe ſtatuerunt: (vid. *l.* 38. *D. de uſurp. & uſucap.* Gell. *Noct. Att. XI.* 18. Plin. *Hiſt. nat. II*, 68. Gronov. *Obſerv. I*, 4. *p.* 42. *ſequ.*) incommoda tamen, nec admodum recepta eſt haec vocabuli notio, adeoque ab illa merito abſtinemus.

Indirecte per defraudationem.

§. CCCXXII. Sed & INDIRECTE interverti poteſt alterius poſſeſſio, ſi quis verbis factiſque fraudulentis efficit, ut alter poſſeſſione ſua excidat, id quod DEFRAUDATIONEM vocamus. Quum ergo & hoc modo quis laedatur, nec tamen quod ſibi quiſque fieri non vult, id alteri facere debeat: (§. CLXXVII, 6.) per ſe patet, 61. non minore, quam fures vel raptores, crimine ſe obſtringere, qui verborum inſidiis alterum rebus ſuis emungunt, (*) vel 62. termino moto, falſorum ponderum & menſurarum uſu, aliiſque hujuſmodi factis doloſis, ex alterius patrimonio quidquam avertere non dubitant.

(*) Conveniunt enim haec crimina fine, dum & fur, & raptor, & defraudator id agunt, ut alios rebus ſuis ſpolient. Conveniunt cauſſa impulſiva, puta dolo malo. Conveniunt effectu, dum omnibus his factis alius fit pauperior. Quin aliquando defraudator vel in eo fure ac raptore deterior eſt, quod amicos maxime ſub amicitiae ſpecie circumvenit, ac proinde multo difficilius nobis ab eo, quam a fure vel raptore, cavemus. Recte ergo haec crimina conjungit incomparabilis morum magiſter, Euripides *in Helena v.* 909. dum ſcribit: *Μισεῖ ὁ θεὸς τὴν βίαν· τὰ κτητὰ δὲ κτᾶσθαι κελεύει πάντας, οὐκ ἐξ ἁρπαγῆς· ἐατέος δ' ὁ πλοῦτος ἐστ' ἄδικός τις ὤν. Odit Deus vim, & parta labore quemlibet poſſidere jubet, non rapto vivere. Repudianda injuſta & turpis opulentia.* Ad quam injuſtam turpemque opulentiam vel maxime pertinere id omne, quo quis alios dolo malo emunxit, nemo negaverit.

Res aliena domino reſtituenda.

§. CCCXXIII. Poſtremum, quod domino in re ſua competit, JUS VINDICANDI non poteſt non producere obligationem, REM alienam vero DOMINO RESTITUENDI. Ex ea vero colligimus, 63. unumquemque, ad quem res aliena etiam ſine crimine pervenit, operam dare debere, ut illa in domini poteſtatem redeat, (*) adeoque 64. rem iſtam non occultandam celandamque, ſed 65. indicium ejus publice faciendum eſſe, ut dominus, oſtenſis dominii argumentis, eam repetere poſſit: *Deut. XXII*, 1. *ſequ. l.* 43. §. 4. *D. de furt.* multoque magis 66. promtum eſſe debere poſſeſſorem ad rem reſtituendam, ſi ipſe dominus eam requirat, vel publice per praeconem jacturam ſuam denunciet. Ubi tamen utroque caſu 67. ipſa aequitas ſuadet, partim, ne illa reſtitutio bonae fidei poſſeſſoris impenſis fiat, partim, 68. ne hic ex re aliena fiat locupletior. (§. CCCXII, 29.)

(*) Atta-

(*). Attamen & haec obligatio, ad rem vero domino reſtituendam, non ſemper locum poteſt habere, quum aliquando ipſa *recta ratio* illam reſtitutionem diſſuadeat, aliquando *leges civiles* poſſeſſorem ea reſtituendi obligatione ſolvant. Prioris exemplum dabit furioſus, repoſcens gladium a ſe depoſitum, de quo Seneca *de Benef. IV*, 10. Cicero *de offic. I*, 10. *III*, 25. Similia exempla attulit Ambroſ. *de offic. I*, *ult.* Ad poſteriorem exceptionem pertinet USUCAPIO & PRAESCRIPTIO. Eam enim ignorare jus naturae, tam certum videtur, quam quod certiſſimum. Nam tempus, quod in ſola relatione conſiſtit, dominium ſuapte natura nec dare cuiquam, nec adimere poteſt. Quumque jam ſupra oſtenderimus, non aliter tranſire in alterum dominium rei noſtrae, ac per traditionem: facile patet, nec quemquam ſine facto domini illud adquirere, nec ipſum dominum iſtud ſine facto ſuo amittere poſſe. Itaque legibus civilibus originem debent uſucapio & praeſcriptio, quae utramque bono publico introduxerunt, *l. 1. D. de uſurp. & uſuc.* partim, *ut finis eſſet ſollicitudinis & periculi litium*, *Cic. pro Caecin. Cap. XXVI.* partim, ut homines negligentiores ad res ſuas eo maturius vindicandas impellerentur, ſi meliorem vigilantium, quam dormitantium, conditionem eſſe, animadverterent. Quamvis ergo vere ſcripſerit Iſocrates *in Archidam. p. 234.* ὅτι τὰς κτήσεις, καὶ τὰς ἰδίας, καὶ τὰς κοινὰς ἢν ἐπιγένηται πολὺς χρόνος, κυρίας καὶ πατρῴας ἅπαντες εἶναι νομίζουσιν, *poſſeſſiones ſive privatas, ſive publicas, praeſcriptione longi temporis & confirmari, & patrimonii loco habendas eſſe, perſuaſum eſſe omnibus*: non tamen ſequitur, ut, quod perſuaſum eſt pluribus, illico pro juris naturalis praecepto habendum ſit. Quod ideo monere viſum eſt, ne quis miretur, nos in explicanda doctrina de dominio nullam plane uſucapionis & praeſcriptionis rationem habuiſſe.

Praeterquam ſi verus dominus non adpareat.

§. CCCXXIV. Ceterum, 69. ſi non adpareat verus dominus, qui rem repoſcat, illa nullius eſſe intelligitur, (§. CCXLI.) ac proinde 70. merito cedit bonae fidei poſſeſſori (*). (§. eod. 17.) Et quamvis ii, qui id ſibi negotii credunt ſolum dari, ut hominum conſcientias conſiliis & praeceptis regant, ſuadere ſoleant, ut res, quorum de dominio non conſtat, in pauperum uſum diſpenſentur: 71. non tamen ideo injuſtus dici poterit, qui jure ſuo uſus, rem illam, moraliter dominio vacuam, ſibi retinere ſtatuit. Vid. Nic. Burgund. *ad Conſu. Flandr. Lib. II. n. 1.*

(*) Accedit, quod ſolus dominus gaudet jure, alios rei ſuae uſu excludendi. Quum ergo dominus non adpareat: *nulli alii talis excludendi facultas eſt*, ac proinde nihil obſtat, quo minus bonae fidei poſſeſſor rem ſibi retineat. Enimvero, quia plerisque locis res dominio vacuas alicujus momenti ſibi vindicat populus vel princeps: (§. CCXLII, 22.) per ſe patet, bonae fidei poſſeſſorem iis locis, ubi hujuſmodi jus inolevit, res alienas, quarum de domino non conſtat, offerre civitatum rectoribus, ab iisque μήνυτρον exſpectare debere. Grot. *de jure belli & pac. II*, 10. 11.

CAP.

CAP. XIII.

DE RERUM, IN DOMINIO CONSTITUTARUM, COMMERCIO.

§. CCCXXV.

Cur rebus pluribus indigere homines coeperint?

EX quo a communione negativa diſceſſum, dominiumque introductum eſt: homines res utiles ita ſibi vindicare coeperunt, ut deinceps nemini earum uſum concedere cogerentur, ſed eas ſibi detinere, ſuiſque ſeponere uſibus poſſent. (§. CCXXXVI.) Ex eo vero id conſequi oportuit, 1. ut non eaedem omnium hominum facultates eſſent, ſed 2. alii quibuſdam rebus abundarent, quibus alii indigerent maxime: adeoque 3. alter vel ex alterius adparatu, vel ejuſdem opera id, quod ſibi deerat, ſuppleret. Immo, quum non omnia proferat omnis tellus (*): 4. ipſa neceſſitas homines coëgit, ut ea, quibus abundarent, quaeque ſua arte ac opera produxiſſent, aliis indulgerent, aliaque, quibus ipſi carerent, ſibi adquirerent. Quod dum fecerunt, COMMERCIA inter ſe inſtituere dicti ſunt.

(*) Huc pertinet elegans obſervatio Virgilii *Georg. I. v.* 54.

Hic ſegetes, illic veniunt felicius uvae:
Arborei fœtus alibi, atque injuſſa vireſcunt
Gramina, nonne vides, croceos ut Tmolus odores,
India mittit ebur, molles ſua tura Sabaei?
At, Chalybes nudi ferrum, viroſaque Pontus
Caſtorea, Eliadum palmas Epiros equarum?
Continuo has leges aeternaque foedera certis
Impoſuit natura locis: quo tempore primum
Deucalion vacuum lapides jactavit in orbem.

Quibus gemina ſunt, quae latius idem poëta cecinit *Lib. II. Georg. v.* 109. *ſequ.* quaeque obſervarunt Varro *de re ruſtica* I, 23. & Ovid. *de arte am. IV. v.* 758. & in primis Seneca *Epiſt. LXXXVII.* qui, adducto illo laudato Virgilii loco ex libro georgicon ſecundo, addit: *Iſta in regiones deſcripta ſunt, ut neceſſarium mortalibus eſſet inter ipſos* COMMERCIUM, *ſi invicem aliis ab alio aliquid peteret.* Eamdem commerciorum originem urget Ariſtot. *Nicomach. V,* 8. *Polit. I,* 6.

Neceſſitas commercii.

§. CCCXXVI. Jam equidem, ſi omnes homines virtutis ſtudio tenerentur, non eſſet, profecto, quod ullus inopiam metueret. Quis enim tunc dubitaret, quin ea, quibus ipſe abundet, indigis liberaliter ſint elargienda? (§. CCXXI, 23.) Enimvero, quum jam pridem refrixerit amicitiae amor, eoque ſaeculo viva-

mus, quo *virtus laudatur, & alget:* 5. de eo commercii genere cogitandum fuit, quo alter non modo ſola humanitate & beneficentia, ſed perfecta obligatione, ad rerum utilium, quibus indigemus, dominium, in nos transferendum, nosve operis ſuis juvandos, obſtrictus eſſet.

Illud aliter inſtitui non potuit, quam per contractus.

§. CCCXXVII. Itaque per COMMERCIUM intelligimus communicationem rerum operarumve neceſſariarum atque utilium cum aliis, earum indigis, non ex ſola humanitate & beneficentia, ſed ex obligatione perfecta, profectam. Quum vero per commercia vel operae praeſtentur, vel dominium & poſſeſſio transferatur, ea vero obligatio nemini inſcio ac invito ſit extorquenda: (§. CCCXX, 59.) conſequens eſt, 6. ut commercium requirat utriusque conſenſum. Eum porro duorum conſenſum de rebus neceſſariis operisve, inter ſe non ex ſola humanitate, ſed ex obligatione perfecta, communicandis, quum CONTRACTUM vocare ſoleamus; facile intelligitur, 7. commercia non aliter, quam intervenientibus contractibus, explicari poſſe (*).

(*) Recte haec obſervavit Iſocrat. *Except. adverſ. Callimach. pag. 742.* *Συνθῆκαι τοσαύτην ἔχουσι δύναμιν, ὥστε τὰ πλεῖστα τοῦ βίου καὶ τοῖς Ἕλλησι, καὶ τοῖς βαρβάροις, διὰ συνθηκῶν εἶναι. Ταύταις γὰρ πιστεύοντες, ὡς ἀλλήλους ἀφικνούμεθα, καὶ πορίζομεθα, ὧν ἕκαστοι τυγχάνομεν δεόμενοι. μετὰ τούτων καὶ τὰ συμβόλαια τὰ πρὸς ἡμᾶς αὐτοὺς ποιούμεθα, καὶ τὰς ἰδίας ἔχθρας, καὶ τοὺς κοινοὺς πολέμους διαλυόμεθα. τούτῳ μόνῳ κοινῷ πάντες ἄνθρωποι διατελοῦμεν χρώμενοι.* *In pactis tanta vis eſt, ut pleraeque res tum Graecorum, tum barbarorum, ex pactis & conventis tranſigantur. His enim freti convenimus &* COMMERCIA *agitamus. Per haec inter nos contrahimus: per haec cum privatas inimicitias, tum communia bella, componimus. Hoc uno, tamquam communi bono, homines omnes uti non deſiſtimus.*

Eorum plerique rerum operarumque pretium poſcunt.

§. CCCXXVIII. Quum ergo commercia in communicatione rerum operarumve neceſſariarum cum aliis, earum indigis, conſiſtant, eaque communicatio non ex ſola humanitate & beneficentia, ſed ex jure perfecto proficiſcatur: (§. CCCXXVII.) 8. rarius profecto continget, ut quis res operaſque ſuas cum aliis gratis communicare vel poſſit, vel velit, ſed unuſquiſque potius 9. aliquid ſibi ab altero rependi volet, quod ipſi tantumdem videatur, ac res, vel opera, cum illo communicanda. Itaque, 10. qui res ſuas operasve inter ſe commutare volunt, non poſſunt non eas inter ſe comparare, eaque comparatio 11. non aliter fieri poteſt, quam quantitate, per quam aequalitas obtineretur, rebus operisve ſingulis attributa. Quumque quantitas illa rebus operisve attributa, ſecundum quam illae inter ſe comparari poſſunt, ſit PRETIUM: conſequens eſt, 12. ut commercia & contractus plerique ſine rerum pretio vix intelligantur (*).

(*) Hinc

(*) Hinc eleganter Graeci non modo pacta & contractus, verum etiam commercia vocarunt *συμβολὰς*, *σύμβολα*, *συμβόλαια*, & *συμβόλαια κοινωνικὰ*, *ἀπὸ τοῦ συμβάλλειν*, *a comparando vel conferendo*. Qui enim res operasve inter ſe commutaturi ſunt, ii eas inter ſe comparant, dum ſuae quiſque rei vel operae certam quantitatem tribuit, atque ita reperit rationem vel proportionem, quam inter ſe habeant. Sic e. g. ſi ponamus, rationem auri ad argentum eſſe undecuplam: utrique metallo tribuimus quantitatem moralem vel pretium. Eoque facto nihil facilius eſt, quam metalla iſta inter ſe, ſervata aequalitate, commutare. Ceterum pleroſque, non omnes contractus rerum pretium ponere dicimus. Sunt enim quidam gratuiti: ac proinde recte contractus dividuntur in ONEROSOS, quando aequale utrimque onus eſt, BENEFICOS, ubi alter alteri ſe ad aliquid gratis praeſtandum obſtringit, & ALEAM CONTINENTES, in quibus ita dominatur fortuna, ut, quod praeſtatur, alter modo gratis, modo titulo oneroſo accipiat.

Quod eſt vel vulgare, vel eminens.

§. CCCXXIX. Comparatio illa inſtituitur vel inter res operasque ſingulas: vel adſumitur communis quaedam menſura, quacum reliquae res operaeque omnes comparantur. Si prius fit: 13. inde oritur PRETIUM VULGARE, quod ſingulis rebus operiſque tribuimus. Sin poſterius: 14. PRETIUM hoc vocatur EMINENS, quia illo omnia, quae in commercio ſunt, tamquam communi quadam menſura, aeſtimamus (*): quale apud nos eſt pecunia. In utroque vero 15. procul dubio requiritur aequalitas rei operaeve & pretii.

(*) Hinc recte Ariſtoteles *Nicom.* IX. 1. numum definit: *κοινὸν μέτρον, πρὸς ὃ δὴ πάντα ἀναφέρεται, καὶ ᾧ μετρεῖται*: *communem menſuram, ad quam omnia referuntur, quaque menſurantur omnia.* Unde recte numo omnia venalia eſſe dicuntur, quaecumque ſunt in commercio. Id tantum reprehenſione dignum, quod homines & ea, quae non ſunt in commercio, numis aeſtimare & vendere ſolent, veluti juſtitiam, pudicitiam, ipſamque conſcientiam. Et hoc ipſum eſt, in quod invehuntur poëtae. Horat. *Serm.* II, 3. v. 94.

Omnis enim res,
Virtus, fama, decus, divina humanaque, pulcris
Divitiis parent: quas qui conſtruxerit, ille
Clarus erit, fortis, juſtus, ſapienſve etiam, & rex,
Et quidquid volet.

Propert. III, 10.

Aurea nunc vere ſunt ſecula, plurimus auro
Venit honos, auro conciliatur amor.
Auro pulſa fides, auro venalia jura,
Aurum lex ſequitur, mox ſine lege pudor.

Similia paſſim apud veteres, veluti apud Petron. *Satyr. Cap.* CXXXVII. & olim apud Menandrum, cujus elegantiſſima haec supereſt ſententia de divite:

Εὔξαι ὅ, τι βούλεις, πάντα σοι γενήσεται,
Ἀγρὸς, οἰκίαι, θεράποντες, ἀργυρώματα,
Φίλοι, δικασταὶ, μάρτυρες, μόνον δίδου.
Αὐτοὺς γὰρ ἕξεις τοὺς θεοὺς ὑπηρέτας.

Opta modo, quidquid volueris, omnia evenient:
Ager, domus, medici, ſupellex argentea,
Amici, judices, teſtes: dederis modo:
Quin & deos ipſos miniſtros facile habebis.

Quomodo vulgare definiendum ſit? §. CCCXXX. Et initio quidem pretium tantum VULGARE hominibus innotuiſſe, vel inde patet, quod eminens ſine plurium conſenſu conſtitui non potuit. At vulgare quiſque rebus operiſque ſuis ſuo arbitratu impoſuit. Quum tamen id eo fine ac conſilio fiat, ut illis quiſque ea, quae ſibi deſint, comparare poſſit: (§. CCCXXV, 3.) conſequens eſt, 15. ut in imponendo rebus operisve pretio ratio habenda ſit aliorum, a quibus aliquid adquirere cupimus, adeoque 16. tanti aeſtimanda ſit res operave noſtra, ut, hos eas tanto pretio comparare ſibi velle, probabile ſit (*).

(*) Nam ſi fingamus, Arabes tus & aromata ſua tanti aeſtimare, ut pro centenis frumenti medimnis non niſi unam drachmam dare velint: nec ipſi pro ture & aromatibus frumentum accipient, quia nemo erit, qui conditione tam iniqua frumentum permutare velit: nec alii ſibi comparare poterunt aromata, adeoque impedientur hoc modo commercia, quorum tamen cauſſa inventum eſt rerum operarumque pretium. Quum ergo talia oporteat eſſe media, qualis eſt finis: conſequens eſt, ut pretium ita definiendum ſit, ut commercia intercedere poſſint inter homines, adeoque in illo conſtituendo ratio haberi debeat, aliorum, a quibus & ipſi aliquid adquirere volumus.

Quarumnam circumſtantiarum in eo definiendo habenda ſit ratio? §. CCCXXXI. Quum itaque tanti aeſtimandae ſint res operaeque noſtrae, quanti eas alterum, a quo quid adquirere cupimus, ſibi comparaturum, probabile eſt: (§. CCCXXX, 16.) facile unuſquiſque intelligit, 17. pretium rerum aliquando intendere alterius neceſſitatem & indigentiam (*), 18. aliquando rei ipſius raritatem: immo 19. rationem etiam habendam eſſe artificii, 20. ipſius rei praeſtantiae, 21. operae & expenſarum, in illam factarum, 22. periculi, ejus cauſſa ſubeundi, 23. denique eorum, qui re vel opera indigent, multitudinis, vel paucitatis, aliarumque ejuſdem generis περιστάσεων.

(*) Verum quidem eſt, non ea ſemper, quae maxime neceſſaria ſunt, maximi pretii haberi, rem ita dirigente divina providentia, ut illa, quibus non facile caremus, ubique obvia ſint, & illa tantum, quae nec corpus, nec natura deſiderat, difficilius rariuſque reperiantur, uti recte philoſophatur Vitruv. *Architect. VIII. praef.* Attamen ſi neceſſitas cum inopia conjuncta eſt, e. g. ſi magna ubique eſt frugum ſterilitas, pretium earum magis magiſque intendi, ipſa ſatis docet experientia. Ac proinde tunc vere evenit, quod ait Quinctilianus *Declam. XII. In magna inopia, quidquid emi poteſt, vile eſt.* Exemplum inſigne vidit Aegyptus in ſeptennali illa ſterilitate. *Gen. XLVII. 14. ſequ.*

Quid pretium affectionis? §. CCCXXXII. Obverti nobis poſſet, ſolere homines ſuis rebus attribuere pretium immenſum, vel multo majus certe, quam quo alter ſibi illas comparare velit, ſive auctor illas faciat pretioſas, ſive raritas, ſive factum inſigne, quod illae nobis revocant

cant in memoriam. Enimvero, quum nos jam de officiis, in commercio obſervandis, agamus, in hoc vero pretii illius ordinarie non habeatur ratio, ſed tantum in damnis reſarciendis: (*) (§. CCXII, 125.) facile intelliges, 24. cur id pretium regulam noſtram non evertat.

(*) Adfectio enim iſta ita comparata eſt, ut in alterum tranſire nequeat, adeoque & nihil hunc movere poſſit, cur rem illam ſibi ideo majore pretio comparare velit quod ea poſſeſſori jucundum quid in memoriam revocarit. Sed id ordinarie tantum verum eſt. Alioquin enim contingit aliquando, ut in commercio ne id quidem pretium plane inſuper habeatur, 1. ſi communis ſit rei adfectio ob auctorem vel artificem, a quo confecta eſt, vel ob inſignem raritatem vel pulchritudinem: Hinc Phidiae ſignum vel elaboratior Apellis vel Parrhaſii tabula, quia omnium adfectionem mereri videbantur, majori, quam vulgari, pretio venibant. 2. Si major ſit adquirentis, quam poſſidentis adfectio, e. g. ſi res mea alterius rem inſigniter reddere poſſit meliorem, ac proinde is optet, uti ille apud Horat. *Serm. II, 6.*

O ſi angulus ille
Proximus accedat, qui nunc deformat
agellum!

Cur pretium eminens inventum?

§. CCCXXXIII. Quum vero commercia ideo inter homines inſtituantur, ut alter ex alterius adparatu, vel ejuſdem opera, id, quod ſibi deeſt, ſuppleat, (§. CCXXVI, 3.) & pretium quoque non ob aliam cauſſam excogitarint homines, quam ut in commutandis rebus ac operis aequalitas obtineretur: (§. CCCXXVIII, 11.) non potuit non ſaepius contingere, 25. ut nec ſemper alteri ſupereſſet, quod deeſſet alteri, & 26. ſaepe alter id, quod alter dare vellet, adſpernaretur, & 27. ipſarum rerum, quas inter ſe permutare vellent, tam lubrica atque incerta eſſet aeſtimatio, ut non poſſet non alteruter damni incurrere periculum, quin & 28. aliquando ipſae res commutandae tam magnae molis eſſent, ut nec commode in loca diſſita transferri, nec in itinere commode cuſtodiri poſſent. Quae incommoda, quum aliter evitari non poſſent: 29. ipſa demum neceſſitas invexit pretium aliquod eminens, quod & reciperetur ab omnibus, & in quo mutua inter rem & pretium relatio facillime poſſet reperiri (*).

(*) Id ipſum obſervavit Paullus JC. *l. 1. pr. D. de contr. emt.* dum emtionis venditionis originem ita deſcribit: *Origo emendi vendendique à permutationibus coepit. Olim enim non ita erat nummus, neque aliud merx, aliud pretium: ſed unuſquiſque ſecundum neceſſitatem temporum ac rerum utilibus inutilia permutabat, quando plerumque evenit, ut, quod alteri ſupereſt, alteri deſit. Sed quia non ſemper & facile conveniebat, ut, quum tu haberes, quod ego deſiderarem, invicem haberem, quod tu accipere velles: electa materia eſt, cujus publica ac perpetua aeſtimatio difficultatibus permutationum aequalitate quantitatis ſubveniret, eaque materia, forma publica percuſſa, uſum dominiumque non tam ex ſubſtantia praebet, quam ex quantitate, nec ultra* MERX *utrumque, ſed alterum* PRETIUM

TIUM *vocatur.* Similia habet Ariſtotel. *Ethic. ad Nicom. V*, 8. & *Pol. I*, 6. quae loca erudite expoſuit Jac. Perizon. *de aere gravi* §. *II. p.* 6. *ſequ.* quemadmodum Paulli teſtimonium Duaren. *Diſp. anniverſ. I*, 6.

Ejus requiſita.

§. CCCXXXIV. Idem finis numi, vel pretii eminentis, id exegit, 30. ut materia, nec nimis rara, 31. nec vulgo obvia, 32. nec uſu ac pretio deſtituta, (*) nec 33. difficulter in quasvis partes diviſibilis, 34. nec juſto fragilior, 35. nec quae difficilius cuſtodiri, vel 36. aegre in quemvis locum transferri poſſet, eligeretur: quia, ſi rara nimis eſſet, non ſufficeret hominibus: ſi vulgo obvia, nullius pretii eſſet: ſi pretio deſtitueretur, non reciperetur ab omnibus: ſi non in quasvis aequales partes dividi poſſet, non obtineretur in commercio aequalitas: ſi fragilior eſſet, vel uſu detereretur, poſſeſſores paullatim redderentur pauperiores: denique, ſi nec commode cuſtodiretur, & difficulter in quemvis locum transferretur, idem maneret incommodum, quod commercia, ante inventum numi uſum, difficiliora reddidiſſe, diximus. (§. CCCXXXIII.)

(*) Quare recte obſervavit Ariſtoteles *Nicomacheor. V*, 8. numum eſſe *οἷον ἐγγυητὴν, καὶ δεῖν τὸ νόμισμα φέρειν εἶναι λαβεῖν, veluti fidejuſſorem, quem qui ſecum ferat, quasvis venalia accipere poſſet.* Hinc vero praeclare colligit Puſendorff. *de jure nat. & gent. V*, 1, 13. *uti nemo fidejuſſorem accipiat, niſi virum ſpectatae fidei, & locupletem, in vili autem homine parum cautionis eſſe putetur: ita pro re ubique occurrente, puta pro manipulo terrae aut arenae, neminem rem ſuam permutaturum; quae ipſi magno labore ac induſtria fuerit comparata.*

Cur ad id adhibita metalla nobiliora?

§. CCCXXXV. Quae virtutes omnes, quum in nullam aliam materiam, quam in metalla pretioſiora, cadant, puta aurum, argentum, & aes: 37. haec metalla huic uſui adhiberi, & inde 38. numos variae quantitatis ac ponderis cudi, pleriſque gentibus cultioribus commodiſſimum viſum eſt. Quin 39. ſi quibus alii materiae qualicumque pretium aliquod eminens attribuere placuit (*): id, vel urgente neceſſitate & pecuniae inopia, factum eſt, eo conſilio, ut cives, defuncti periculo, pro pecunia illa συμβολικῇ ſolidum numum reciperent, vel 40. pecunia iſta tantum in una gente functa eſt pretii eminentis vice, nec commerciis, inter plures diverſaſque gentes conciliandis, fuit idonea.

(*) Sic Carthaginienſibus pro numo erat neſcio quid, pelliculae exiguae illigatum, & publice obſignatum, Aeſchin. *dial. de divit. Cap. XXIV. p.* 78. *edit. Petri Horrei.* Lacedaemoniis pondus ferri, & quidem inutilis. Idem *ibid. p.* 80. Plutarch. *Lycurg. p.* 51. Aliis gentibus pro auro, argento & aere conchas, Leo Afr. *Lib. VII.* aliis grana & baccas, aliis maſſas ſalis, adhibere placuit. Puſendorff. *de jure nat. & gent. V*, 1, 13. De corio, papiro, plumbo, aliiſque rebus, in calamitate publica, maxime obſeſſis urbibus, pro pecu-

pecunia expenſis, ut recentiora, noſtrique aevi exempla praetermittamus, videndus Polyaen. *Stratagem. III*, 10, 1. *& ibi Maſuic. p.* 274. Sen. *de benef. V*, 14. Enimvero, uti quiſquiliae illae, quibus barbari pro numis utuntur, non niſi minutis commerciis inter cives ejuſdem reipublicae explicandis idoneae ſunt: ita moneta *συμβολικὴ*, in calamitate publica adhibita, vere eſt loco teſſerarum, vel chirographorum, quae ſummi imperantes, defuncti periculo, parata pecunia ſe redemturos, pollicentur. Ita enim apud Polyaenum Timotheus perſuaſit mercatoribus, ut ipſius ſigillo pro numiſmate uterentur, *ἀπαλλασσομένους δὲ τὴν σφραγῖδα καὶ τὸ ἀργύριον λαμβάνειν, & ut reddentes ſigillum, argentum reciperent.*

§. CCCXXXVI. Quamvis vero pretium numi definire ſit ſummi imperantis, ceu infra ſuo loco pluribus demonſtrabimus: tamen, uti in pretio vulgari ratio habenda eſt aliorum, a quibus quid adquirere cupimus, (§. CCCXXX, 15.) ita facile patet, 41. pecuniae quoque tale adſignandum eſſe pretium, quod alias gentes, quibuſcum nobis commercia ſunt, non adſpernaturas, probabile eſt, adeoque 42. ſequendam eſſe rationem unius metalli ad aliud, quam pleraeque gentes vicinae cultiores probare ſolent, niſi vel alios deterrere, quo minus nobiſcum commercium habere audeant, vel ipſi inſigne detrimentum pati velimus (*).

Quantum pretii ſtatuendum ſit numis?

(*) Si enim numis noſtris pretium juſto majus ſtatuimus, aut exteri nobiſcum commercii quid habere dubitabunt, aut mercium ſuarum pretium, pro ratione valoris interni monetae noſtrae, intendent. Sin minore pretio numos noſtros expendimus, quam gentes vicinae: nihil certius continget, quam ut numi noſtri probi ad vicinos migrent, eorumque loco jactentur improbi & viliores, ut nemo neſciat, quantum habeat. Hinc quum apud pleraſque gentes moratiores pro ratione temporum aurum ad argentum modo eſſet in proportione duodecupla, modo undecupla, modo decupla, aliquando etiam auri pretium vel intenderetur vel minueretur: (Vid. diſſert. noſtr. *de red. ct. monet. ad juſt. pret.* §. *XXIV. ſequ.*) fieri non potuit, quin detrimentum inſigne caperent Arabes, qui pro aere & ferro, teſte Diodoro Sic. *Biblioth. III*, 45. aequale pondus auri, vel, ut Strabo *Geogr. XVI. p.* 1124. *edit. noviſſ.* refert, pro aere triplum, pro ferro duplum, pro argento decuplum auri pondus rependebant, *διά τε τὴν ἀπειρίαν τῆς ἐργασίας, καὶ τὴν σπάνιν τῶν ἀντιλαμβανομένων, ὧν ἡ χρεία πρὸς τοὺς βίους ἀναγκαιοτέρα, tum propter operandi inſcitiam, tum quod indigerent iis, quae contra accipiebant, quorumque uſus magis videbatur ad vitam neceſſarius.* De Peruvianis ſuis ſimile quid refert Ynca Garcillaſſ. de la Vega *dans l'hiſtoire des Yncas, V*, 4. *p.* 425.

§. CCCXXXVII. Jam ut ad CONTRACTUS, quibus intervenientibus commercia explicantur, (§. CCCXXVII, 7.) perveniamus: facile unuſquiſque intelligit, 43. alios NONDUM INVENTO PRETIO EMINENTI, & quum ſolum adhuc obtineret pretium vulgare, locum habuiſſe; (§. CCCXXX.) alios, INVENTO demum NUMO; alios tum ANTE INVECTAM PECUNIAM, tum EA jam INVEC-

Contractuum ante inventum numum antiquiſſimus permutatio.

INVECTA, innotuiſſe. Inter eos, qui nondum invento pretio eminente locum habuerunt, familiam veluti ducit PERMUTATIO. Initio enim 44. non aliter, quam vice rerum, commercia exercebant mortales, ſeu merces ſuas operasve inter ſe permutabant, ac proinde 45. permutationes ſunt genus contractuum antiquiſſimum, quod 46. & multo poſt retinuere gentes omnes, non modo quae auro, argento, aeri nullum ſtatuerunt pretium, (*) ſed & quae jam pridem pecuniae uſum habuerunt.

(*) Id de majoribus noſtris refert Tacitus *de morib. Germ. Cap. V.* qui tamen obſervat, jam ſuo tempore Germanos Romanis provinciis viciniores, aliquam pecuniae cupiditatem concepiſſe. Idem de Scythis memoriae prodidit Juſtinus *Hiſtor. II*, 2. de Satarchis, Scythiae Europaeae populo, Pompon. Mela *de ſitu orbis II*, 1. de Hiſpanis Strabo *Geogr. III*, *p.* 233. Sed & hodie idem inſtitutum ſervant Lapones, Samoiedae, populique Aſiae, Africae & Americae quam plurimi, idque de populis barbaris eo minus mirandum, quod & invento pridem numo, & Graeci & Romani diutiſſime non alio contractu, quam permutatione, uterentur. De Graecis notiſſimum eſt exemplum apud Homerum *Iiad.* η. *v.* 482. de Romanis videndus Plinius *Hiſt. nat. XVIII*, 3. *XXXIII*, 1.

Quid & quotuplex permutatio?

§. CCCXXXVIII. Eſt ergo PERMUTATIO rei noſtrae pro re alterius datio. Quod quum dupliciter fieri poſſit, primum, ut neutra res aeſtimetur certumve ei ſtatuatur pretium, deinde ut utriusque pretii ineatur ratio: ſequitur, 47. ut permutatio prior recte vocetur SIMPLEX, poſterior AESTIMATORIA, & hinc 48. illa donationi reciprocae; haec 49. emtioni venditioni quodammodo ſimilis ſit, *l.* 1. *C. de permut. l.* 1. §. 1. *D. de contr. emt.* quamvis, 50. priorem ideo diverſum a permutatione negotium eſſe, ſtatuat Pufend. *de offic. hom. & civ. I*, 15, 8. quod in ea, ut aequalitas obſervetur, neceſſum non ſit: quum tamen 51. nec in permutatione *aeſtimatoriâ* obſervanda ſit aequalitas (*).

(*) In hac enim uterque contrahentium rem non ſuam, ſed alienam; non juſto, quod alii ſtatuerent, pretio, ſed ex adfectione ſua, aeſtimat, adeoque nulla eſt rerum, ſed adfectionis tantum, aequalitas. Quoties enim major eſt adquirentis, quam poſſidentis, adfectio, toties & in commerciis rationem haberi pretii adfectionis, diximus (§. CCCXXXII, * 2.) Exemplo eſſe poteſt commercium Glauci & Diomedis apud Homer. *Iliad.* β. *v.* 236. permutantium arma armis:

Χρύσεα χαλκείων, ἑκατόμβοι' ἐννεαβοίων.
Aurea aereis, centena novenariis.

De qua permutatione eleganter Maximus Tyrius *Diſſert. Plat. XXIII.* *Οὐδὲν γὰρ οὔτε τῷ λαβόντι χρυσὸς πλέον, οὔτε τῷ ἀλλαξαμένῳ ὁ χαλκὸς ἔλαττον, ἀλλὰ ἀμφοτέροις καλῶς ἔχει ἑκατέρῳ ἐν τῷ ἀνίσῳ τῆς ὕλης, ἰσοτιμίᾳ τῇ γνώμῃ δοθέν.* *Neque plus habuit, qui aurum accepit, neque minus, cui aes traditum eſt. Verum cum utroque praeclare actum: quum illa materiae inaequalitas aequalitate propoſiti, quo alter dedit alteri, compenſata eſſet.*

§. CCCXXXIX.

§. CCCXXXIX. Quia ergo permutatio SIMPLEX donationi reciprocae quodammodo ſimilis, nec in ea neceſſario obſervanda eſt aequalitas: (§. CCCXXXVIII, 47.) 51. facile intelligitur, 52. neutrum contrahentium de laeſione conqueri poſſe, niſi 53. alterius vis, vel dolus, acceſſerit, (§. CCCXXII, 61. CCCXXI.) nec 54. ob laeſionem irritum eſſe contractum, praeterquam ſi is, qui rem pretioſiorem viliore permutat, non gaudeat libera de rebus ſuis diſponendi facultate, (§. CCCXVII. ſequ.) ſi vel maxime 55. res ipſa, quam quis hoc modo jactavit, ita ſit comparata, ut non ſine turpitudine poſſit alienari, niſi forte 56. in pari turpitudine ipſe quoque accipiens verſetur (*). Quid juſtum circa permutationem ſimplicem?

(*) Hinc dubitari poſſet, an in foro rata futura fuiſſet permutatio Jacobi & Eſavi, quorum hic πρωτοτόκια, ſeu *primogeniturae jura*, pro pulte turpiter vendidit. *Geneſ. XXV, 29. ſequ.* Quamvis enim reprehenſione digniſſimus ſit Eſavus, qui praerogativam, ſibi a Deo O. M. conceſſam, flocci fecit, ac ille proinde ab Apoſtolo jure vocetur βέβηλος, *Hebr. XII, 6.* tamen non minus turpiter egiſſe dixeris Jacobum, qui ex fame fratris fructum capturus, eum hoc inſigni jure defraudavit. (§. CCCXXII, 61.) Quod enim Eſavus ſine crimine vendere non potuit, id nec ſine noxa a fratre emere potuit frater, cujus potius erat, fratrem ab ea ſtultitia abſterrere, non ejus abuti ſtultitia. Sed multa ejus generis ob rationem typicam admiranda ſunt, quae, ſi ad regulas rectae rationis exigantur, vix defendas.

§. CCCXL. Contra ea, quod ad AESTIMATORIAM attinet permutationem, quum in ea utriuſque pretii ratio ineatur, (§. CCCXXXVIII.) fieri non poteſt, 57. quin utrimque obſervanda ſit aequalitas; & 58. neuter alterum laedere debeat, neque adeo 59. rata ſit permutatio, ſi alteruter circumventus ſit, niſi 60. tam levis momenti ſit laeſio, nulla ut ejus ratio habenda videatur (*). Quid circa aeſtimatoriam?

(*) Pretium enim rerum *vulgare* eſt duplex, LEGITIMUM alterum, alterum CONVENTIONALE, quorum illud lege vel ſuperiorum arbitratu, hoc conventione vel conſenſu contrahentium definitur. Quum ergo illud certum ſit, & veluti in puncto conſiſtat, hoc, tamquam incertum, latitudinem aliquam admittat: priore caſu laeſus ille recte intelligitur, qui vel minimam partem pretii ſalvam non habet, poſteriore alicujus momenti eſſe oportet damnum, ob quod negotium ſubſiſtere non debeat in foro humano. *Quid* enim *intereſt*, inquit Seneca *de benefic. VI, 15. quanti ſit res, quum de pretio inter ementem & vendentem convenerit? Pretium cujuſque rei pro tempore eſt. Quum bene iſta laudaveris, tanti ſunt, quanto pluris venire non poſſunt.* Hinc in civitatibus animadvertimus, tantum ob laeſionem enormem, qualis jure Romano eſt, quo contrahens ultra dimidium pretii laeditur, contractus reſcindi. *l. 2. C. de reſc. vindit.*

§. CCCXLI. At 61. non res tantum permutabant homines, ſed & operas vel pro operis, vel pro aliis rebus, ſive promittebant, ſive Contractus do, ut facias, fa-

Do, ut des, & facio, ut facias. ſive ſibi ſtipulabantur. Unde 62. nati contractus DO UT FACIAS; FACIO UT DES, FACIO UT FACIAS, quorum eadem eſt natura atque indoles, ac permutationis, ut adeo 63. dubitari non poſſit, quin & hi ſint vel SIMPLICES vel AESTIMATORII, (§. CCCXXXVIII.) & hinc 64. omnia, quae de permutatione SIMPLICE & AESTIMATORIA diximus, (§. CCCXXXIX. ſequ.) etiam de hiſce contractibus ſint obſervanda. Aut enim operae ad rem operasve alterius certo aeſtimantur pretio: quod negotium *pactum reddendae viciſſitudinis* non ineleganter vocat Ammian. Marcell. *Hiſt. XVI.* 10. aut ſine aeſtimatione rei operarumve aliquid pro re vel opera fit daturve (*). Ubi 65. priore caſu ſervanda aequalitas, & damnum alicujus momenti reſarciendum eſt: 66. poſteriore omnis querela de laeſione quantacumque merito ceſſat.

(*) Tale fuit promiſſum Agamemnonis apud Homerum *Iliad. Lib. X. v.* 120. *ſequ.* qui Achillem Briſeidis jactura offenſum placaturus, ejus operas contra Troianos redimere volebat oblatis ſeptem tripodibus, decem auri talentis, lebetibus viginti, duodecim generoſiſſimis equis, ſeptem feminis pulcherrimis, inter quas & Briſeis, vi abducta, addito promiſſo, deleta Troia, Achillem non modo praedae maximam partem avecturum, ſed & unam ex filiabus, quam ipſe electurus eſſet, uxorem ducturum, cum dote ſeptem urbium. Ex quo patet, ſaepe aliquem ſibi ſtipulatum ab altero eſſe operas inaeſtimabiles, & pro iis promiſiſſe, quidquid alteri quam gratiſſimum fore exiſtimaret, nulla habita ratione aequalitatis.

Contractus commodati. §. CCCXLII. Sunt & alii contractus, quibus ante numum inventum commercia explicari potuerunt, nimirum omnes gratuiti, quibus id egerunt homines, ut, quae ſibi jure imperfecto, vel ex amore humanitatis & beneficentiae, debebantur, in poſterum jure perfecto deberentur. Talis eſt contractus COMMODATI. Quum enim ad officioſitatem obſtricti ſimus: (§. CCXXVIII, 48.) obſtricti etiam ſumus, ad rei noſtrae non fungibilis uſum alteri, qui eo indiget, cum obligatione reſtitutionis praeſtandum, id eſt, ad rem COMMODANDAM (*). Quum vero, refrigeſcente amore, ſperari vix queat, alterum id ſua ſponte facturum: (§. CCCXXVI.) 67. ipſa neceſſitas homines adegit ad inveniendum contractum, quo alii ad rei ſuae uſum iis hoc modo praeſtandum jure perfecto obligarentur.

(*) Itaque COMMODATUM nobis eſt obligatio perfecta ad uſum rei noſtrae, alteri ſub conditione reſtitutionis in ſpecie gratis praeſtandum. Ex eoque patet, jure naturali commodatum vix differre a precario, inter quae tamen jure civili aliqua differentia eſt. Facile etiam inde decidi poterit quaeſtio, utrum commodatum a ſolo contrahentium conſenſu, an a rei traditione ſuam ſubſtantiam capiat? Quamvis enim jure naturali & ſolus conſenſus de uſu rei, alteri praeſtando, obliget: (§. CCCXXVII, ...) nondum tamen com-

modatum eſt, quia is, cui hoc promiſſum, ad rem, quam nondum accepit, in ſpecie reſtituendam nondum eſt obligatus, ſed *pactum de commodando.* Inter haec vero reipſa diſcrimen eſſe, vel inde patet, quod ex *commodato* obligatur commodatarius ad rem reſtituendam, ex *pacto* autem de *commodando* promittens vel commodaturus, ad rei uſum praeſtandum, adeoque diverſae obligationes ex illis negotijs naſcuntur.

§. CCCXLIII. Quia ergo gratis, at ſub conditione eam, in ſpecie reſtituendi, rei uſus praeſtatur: (§. CCCXLII. *) commodatarii eſt, 68. rem non modo non aliis uſibus, quam ad quos eam conceſſit dominus, adhibere, ſed & 69. eamdem ſumma cum ſollicitudine ac diligentia ſervare: ac proinde 70. uſu finito, vel domino eam revocante, eam in ſpecie reddere, ſimulque 71. omne damnum, culpa ſua datum reſarcire, 72. non autem praeſtare caſum fortuitum, niſi illum ultro in ſe receperit: (*) (§. CVI, 27.) nec 73. impenſas in eam factas repetere, niſi tantae ſint, ut mercedem, pro ea locata ſolvendam, excedant. Officia commodatarii.

(*) Primus equidem Grotius *de jure belli & pac. II, 12, 13.* diſtinguit, resne apud dominum ſimiliter peritura fuiſſet, an non, & poſteriore ſaltim caſu damnum a commodatario ferendum eſſe, exiſtimat, cujus ſententiam etiam ſequuntur Pufend. *de jure nat. & gent. V, 4, 6.* & Mornac. ad *l. 1. C. commod.* Enimvero, quum caſus fortuiti & eventus, a ſola providentia divina profecti, nemini imputentur: (§. CVI, 27.) ii ſane nec commodatario imputari poſſunt. Nec obſtat lex divina *Exod. XXII, 14. ſequ.* Neque enim illa aliter intelligi poteſt, quam de culpa commodatarii interveniente. Vid. Jo. Clerici *Comment. in Exod. p. 110.*

§. CCCXLIV. Deinde humanitatis amor unumquemque obligat, ut alterius res pro virili ſua parte ſervare ſtudeat. (§. CCXVI, 4.) Quum vero & id tantum ab altero jure imperfecto exigere poſſimus: 74. ſaepe noſtra intereſt, ut rerum noſtrarum, apud alios depoſitarum, cuſtodiam, ex obligatione perfecta praeſtandam, nobis ſtipulemur: eoque conſilio 75. inventus eſt contractus DEPOSITI, per quem intelligimus obligationem perfectam ad res noſtras, depoſitarii fidei commiſſas, gratis cuſtodiendas, &, quandocumque nobis placuerit, in ſpecie reſtituendas (*). Contractus depoſiti.

(*) Eo contractu veteres nihil habuere ſanctius, quia deponens ſummam fiduciam in depoſitarii fide ac diligentia collocat, nihilque excogitari poteſt turpius, quam amicum ab amico amicitiae obtentu falli ac decipi. (§. CCCXXII. *) Hinc inſignis depoſiti religio non modo apud Hebraeos, de quibus *Exod. XXII, 7. ſequ.* & Joſeph. *Antiqu. Jud. IV, 8. 38.* verum etiam apud Graecos, & reliquos paganos; ceu docet exemplum Glauci apud Herodotum VI, 87. & Juvenalem *ſat. XIII.* qui ideo *v. 15. ſacrum* vocat *depoſitum.* Hinc non mirum, dira quaevis veteres praedixiſſe illis, qui depoſitum abnegare non dubitent, quin & eoſdem infamia notaſſe, nec minore poena, quam fures, dignos judicaſſe. Quaedam hanc in rem dicere meminimus Gundlingium *in Gundlingianis Part. II. diſſ. VIII.*

Officia depoſitarii.

§. CCCXLV. Ex illa vero DEPOSITI definitione (§. CCCXLIV, 75.) patet, 76. depoſitarium teneri ad accuratam rei depoſitae cuſtodiam: nec 77. eam vel involucro aut vinculis exuere, vel 78. ſine domini conſenſu uſibus ſuis adhibere poſſe: 79. re vero conſentiente domino mota, depoſitum in aliud contractus genus, veluti in mutuum, vel commodatum tranſire. Denique 80. depoſitarium obligatum eſſe ad rem domino, quandocumque illam repoſcit, reſtituendam, niſi aliud ſuadeat recta ratio: (§. CCCXXIII. *) ac proinde 81. non modo ad aeſtimationem praeſtandam, verum etiam in poenam merito condemnandum eſſe, qui depoſitum, in primis miſerabile, (*) ſciens, dolo malo, abnegaverit.

(*) Quia enim in imputatione ratio habetur circumſtantiarum: (§. CXIII, 52.) merito hoc facinus tanto deterius habetur, quo inhumanior ille dicendus eſt, qui non modo conceptam de ſe ſpem amici turpiter deſtituit, & amicum ſub amicitiae & fidei obtentu decipit, (§. CCCXXII. *) verum etiam adflicto addere adflictionem non dubitat. Et hoc ipſum graviter urget Hecuba adverſus Polymeſtorem, qui, Ilio exciſo, Polydorum, Priami filium, occiderat, ut auro depoſito potiretur. Vid. Eurip. *Hecub. v.* 1210. *ſequ.*

Contractus mandati & negotiorum geſtionis.

§. CCCXLVI. Denique idem humanitatis amor merito impellere unumquemque deberet, ut alterum, non minus, ac ſeipſum, ope juvaret. (§. CCXVI, 4.) Quum vero ne id quidem certo ab altero exſpectare liceat: 82. opus fuit contractu, quo illum perfecte obligaremus ad negotia noſtra, quae ipſi commiſimus, gratis & diligenter expedienda (*). Quem contractum 83. MANDATUM vocari videmus, quemadmodum 84. is, qui negotia, ſibi non commiſſa, ignorante domino, gratis utroque expedit, NEGOTIA GERERE dicitur.

(*) Vera ergo ac ſolida eſt obſervatio Noodtii *Probabil. I*, 12. mandatum olim non perfectam produxiſſe obligationem, ſed ex amicitiae humanitatiſque legibus obſtrictum fuiſſe mandatarium, ad negotia, ſuae fidei commiſſa, diligenter curanda: ejus autem fidei ſymbolum fuiſſe *manus dationem*, qua alter alteri rem committere ſolebat. Unde & ipſum contractum MANDATI nomen accepiſſe, probabile eſt. Iſidor. *Orig. IV*, 4. Exempla oblatae mandatariis dextrae dabunt. Plaut. *Captiv. II*, 3, 82. ubi adoleſcens:

Haec per DEXTRAM *tuam, te* DEXTERA *retinens manu,*
Obſecro, infidelior mihi ne ſuas, quam ego ſum tibi.

Et Terent. *Heaut. III*, 1. *v.* 84.

Cedo DEXTERAM: *porro te idem oro, ut facias, Chreme.*

Olim ergo totum hoc negotium ſolo pudore magis, quam legibus, continebatur, donec, tepeſcente paullatim caritate, ipſa neceſſitas ſuaderet, ut in contractum deduceretur hoc negotium, & ſic mandatario perfecta imponeretur negotium diligenter expediendi obligatio. Quod & de reliquis contractibus gratuitis eſt obſervandum.

Mandatarii officia.

§. CCCXLVII. Quum ergo mandatarius negotium alienum, fidei ſuae COMMISSUM, ſuſcipiat, (§. CCCXLVI, 82.) quid vero, &

& quantum alii committere quis velit, in dominii arbitrio poſitum ſit: facile patet, 85. mandantem, vel certis limitibus circumſcribere mandatarium, vel 86. ei liberam poteſtatem, omnia ſuo arbitratu agendi, dare, vel ſaltim 87. per modum conſilii ei ſuggerere poſſe, quid fieri velit. Ubi 88. primo caſu mandatarium fines mandati transſilire non poſſe, 89. altero eumdem dolum tantum praeſtare, 90. tertio vero mandatum etiam per aequipollens recte expedire, nemo eſt, quin intelligat. Sed & 91. omnibus his caſibus mandatarium ad rationes adminiſtrationis vel geſtionis reddendas, 92. omnemque diligentiam praeſtandam, obligatum eſſe, vel ex ipſa hujus negotii natura ac indole colligimus (*).

(*) Eo pertinet inſignis locus Ciceronis *pro Q. Roſc. Cap. XXXVIII. Quid recipis mandatum, ſi aut neglecturus, aut ad commodum tuum converſurus eſt? Cur mihi te offers, ac meis commodis obſtas? Recede de medio: per alium tranſigam. Suſcipis onus officii, quod te putas ſuſtinere poſſe: quod minime videtur grave iis, qui minime ipſi leves ſunt. Ergo idcirco turpis haec culpa eſt, quod duas res ſanctiſſimas violat,* AMICITIAM *&* FIDEM. *Nam neque mandat quiſquam fere, niſi amico, neque credit ei, niſi quem fidelem putat. Perditiſſimi eſt igitur hominis, ſimul & amicitiam diſſolvere, & fallere eum, qui laeſus non eſſet, niſi crediciſſet.*

§. CCCXLVIII. Sed & NEGOTIORUM GESTOR, dum negotium alterius, ſibi a nemine commiſſum, ultro & gratis ſuſcipit, (§. CCCXLVI, 84.) 93. hoc ipſo facto ſuo (*) ſe obligat tum ad utiliter gerendum, tum 94. ad omnem, quam negotium admittit, diligentiam praeſtandam, adeoque 95. etiam ad reddendas rationes, & 96. damna omnia, ſi qua ejus dolo vel culpa data ſint, reſarcienda. Nec non negotiorum geſtoris.

(*) Qui facti auctor & cauſſa eſt, ei omnes ejus effectus merito imputantur. (§. CV, 22.) Quum ergo auctor hujuſmodi adminiſtrationis ſit negotiorum geſtor, qui alterius negotia, nemine committente vel urgente, ultro ſuſcepit: (§. CCCLXXXVI, 84.) ei etiam merito imputantur omnia, quae ex adminiſtratione rerum alienarum conſequuntur. Atqui conſequentia adminiſtrationis ſunt rationum redditio & damni, dolo vel culpa dati, emendatio. Itaque negotiorum geſtor ad reddendas rationes, damnaque, ſive dolo malo, ſive culpa ſua, data reſarcienda obligatus eſt. Atque ita nihil attinet, obligationem hanc ex conſenſu quodam ficto vel praeſumpto cum jureconſultis derivare, quum negotiorum geſtor facto ſuo ſe ad haec omnia tacite quidem, at vere tamen, obſtrinxerit.

§. CCCXLIX. Et hi quidem ſunt contractus, qui & nondum invento eminenti rerum omnium pretio, locum habuerunt, & de quibus id unum adhuc monemus, quod, quum tribus poſtremis contractibus ſe quis obliget ad aliquid gratis dandum faciendumque, non vero, ad damnum in alterius gratiam devorandum, 97. Officia commodantis, deponentis, mandantis, ejus-

 in

que, cujus negotia geſta. in illis nemini officium ſuum damnoſum eſſe oporteat, adeoque 98. & commodans commodatario impenſas non modicas, (§. CCCXLIII, 73.) & 99. deponens depoſitario quaſcumque neceſſarias, & 100. mandans mandatario, & 101. dominus negotiorum geſtori neceſſarias & utiles reſtituere, ſimulque hi omnes 102. damna, quae commodatarius, depoſitarius, mandatarius & negotiorum geſtor ſine culpa ſua propter rem negotiave aliena ſenſerunt, (*) reſarcire teneantur.

(*) Dicimus, ea damna eſſe reſarcienda, quae mandatarius *propter* negotium alienum ſenſerit. Non enim ſufficit, eum occaſione ſuſcepti negotii aliquid damni caſu fortuito paſſum eſſe: quia, quum caſum nemo praeſtet, eum nec mandans praeſtare tenetur. Hinc ſi mandatarius, dum mandatum expedit, a latronibus ſpoliatus, vel difficili morbo implicitus fuerit: damnum, quod divina providentia ita dirigente, paſſus eſt, imputare non poterit mandanti. *Nam haec magis caſibus fortuitis, quam mandato, imputari oportet*, inquit Paullus, *l. 26. §. 6. D. mandati.* Vid. Grot. *de jure belli & pac. II*, 14, 13. Aliud tamen ſtatuendum eſſe putant de legato, qui Principis imperio, publicorum negotiorum cauſſa, peregre abire juſſus eſt, quem, quia in obſequio ei gloria relicta erat, merito indemnem a republica praeſtandum eſſe, cenſent. Vid. Huber. *Eunom. ad l. 26. D. mand.* Pufend. *Jur. nat. & gent. V*, 4. Hert. *de lytro II*, 10.

Contractus, qui invento demum numo locum habuerunt, emtio, venditio, & locatio conductio. §. CCCL. Progredimur jam ad alterum genus contractuum, qui invento demum numo locum habere potuerunt, quales praecipue ſunt EMTIO VENDITIO & LOCATIO CONDUCTIO. *Illa* eſt contractus de re pro certo pretio tradenda. *Haec* contractus de uſu rei vel operis pro certa mercede praeſtandis. Quemadmodum vero PRETIUM EMTIONIS eſt aeſtimatio ipſius rei pecuniaria, ita MERCES vocatur aeſtimatio pecuniaria uſus rei, vel operarum: ex iiſque definitionibus patet, 103. emtionem venditionem & locationem conductionem ſemper hodie requirere pecuniam numeratam, 104. eoque ipſo hos contractus a permutatione, & contractibus *do ut des, do ut facias, facio ut des, & facio ut facias* diſtingui: (*) 105. inter ſe ipſos tamen illos maxime convenire, & omnia fere communia habere.

(*) Quamvis enim permutatio aeſtimatoria emtioni venditioni quodammodo ſimilis ſit: (§. CCCXXXVIII, 48.) reipſa tamen ab ea differt, quod in venditione intercedat numerata pecunia, in permutatione aeſtimatoria res pro re detur. Unde facile patet, quid ſentiendum ſit de vetere Sabinianorum & Proculianorum controverſia, pretiumne in emtione venditione in ſola pecunia numerata, an & in aliis rebus conſiſtere poſſit? de qua praeter viros doctos ad §. 2. *Inſt. de emt. vend.* videndus V. C. Gottf. Maſcov. *de ſect. Sabin. & Procul. IX*, 10, 1. *ſequ.*

Venditor emtori §. CCCLI. Quum ergo EMTIONE VENDITIONE id agatur, ut res

res tradatur pro certo pretio: (§. CCCL.) conſequens eſt, 106. ut emtori aeque, ac venditori, rem ſeu mercem notam eſſe oporteat, ac proinde 107. non modo venditor ejus qualitates, vitia, oneraque, quae in oculos, ſenſuſque reliquos non incurrunt, emtori indicare, (*) verum etiam 108. pati teneatur, ut hic rem luſtret oculis, aliiſque modis exploret: Ut adeo 109. rerum, quae ad guſtum veneunt, venditio non prius perfecta ſit, quam facta ſit deguſtatio; 110. rerum reliquarum, quae exploratione indigent, non prius, quam facta ſit exploratio, quum, ſi de ullo, ſane de hoc contractu oneroſo verum ſit, quod dixit Euripides *Cyclope v.* 137. *Φῶς ἐμπολήμασι πρέπει. Lux contractibus convenit.*

rei venalis qualitates indicare tenetur.

(*) Sunt vitia & qualitates, quae incurrunt in oculos, quaeque indicari ſupervacuum eſſet, quum, ſi quis in re fallitur, is caecitatis ſuae ac negligentiae poenam merito ferat: quo pertinet lis M. Marii Gratidiani cum C. Sergio Orata, apud Ciceron. *de Offic. III*, 16. At leges Romanae, ut homines ſibi invicem hoc officium eo certius praeſtarent, ſtatuerunt, ut in venditionibus ea etiam, quae nota eſſent venditori, vitia dicerentur, iſque reticentiae poenam ferret, quid quidquam diſſimularet. *Nam, quum ex duodecim tabulis ſatis eſſet, ea praeſtari, quae eſſent lingua nuncupata, quae qui inficiatus eſſet, dupli poenam ſubiret: a jureconſultis etiam reticentiae poena eſt conſtituta. Quidquid enim eſt & praedio vitii, id ſtatuerunt, ſi venditor ſciret, niſi nominatim dictum eſſet, praeſtari oportere*, Cic. *de offic. III*, 16. qui & alibi *Cap.* XII. diſputat, ſi vir bonus Alexandria Rhodum magnum frumenti numerum advexerit in Rhodiorum inopia & fame, ſummaque annonae caritate, ſi idem ſciat, complures mercatores Alexandria ſolviſſe, naveſque in curſu frumento onuſtas, petentes Rhodum, viderit: dicturuſne id ſit Rhodiis, an ſilentio ſuum quam plurimo venditurus? De qua quaeſtione videndi etiam Grot. *de jure belli & pac.* II, 12, §. *ſequ.* Puſend. *jur. nat. & gent. V*, 3, 4.

§. CCCLII. Ex eodem patet, 111. in emtione venditione aequalitatem ſervandam rei & pretii, (§. CCCXXIX, 15.) adeoque 112. laeſionem omnem merito eſſe emendandam, ſive illa 113. alterutrius dolo ac vi, ſive juſto errori, (*) debeat originem, quamvis 114. & hic merito repetendum ſit, quod ſupra monuimus, laeſionem alicujus momenti eſſe debere, quum & hic pretium non conſiſtat in puncto, ſed latitudinem aliquam admittat, nimiſque calidum videatur, ob quodlibet leviſſimum damnum negotium reſcindere, litibuſque infinitis portam veluti aperire. (§. CCCXL.) (*)

Neuter in hoc contractu laedendus.

(*) Si nimirum inculpabilis, invincibilis vel involuntarius ſit error. (§. CVII, 32.) Alias enim, ſi quis rem nec ſatis exploratam, nec viſam, certo pretio emit: error nocere debebit erranti, niſi venditor illum dolo circumvenerit, (quod Labanem Jacobo, uxorem ementi, feciſſe novimus: *Geneſ. XXIX*, 23.) quia merito poenas dat erroris, qui, niſi nimis ſupina fuiſſet negligentia, non errare potuiſſet. Hinc recte Germani de hominibus, tam ſupine negligentibus, jactant adagium: *Wer die augen nicht aufthut, der thue den beutel auf.*

§. CCCLIII.

Quem penes ſit periculum & commodum rei venditae ante traditionem.

§. CCCLIII. Diſputari ſolet de PERICULO & COMMODO REI VENDITAE, nec tum traditae, ſtatimne illud ad emtorem tranſeat, ſimulac de re & pretio conventum, an ante traditionem penes venditorem maneat? Equidem, quid jure Romano ea de re cautum fuerit, nemo ignorat; nec quiſquam a nobis exiget, ut de ratione iſtius deciſionis multa hic dicamus. Nobis, de jure naturae nunc ſollicitis, extra omnem dubitationis aleam poſitum videtur, 115. caſum ferre dominum: (§. CCXI. *) at nec minus certum eſſe arbitramur, 116. non eſſe merum caſum, qui ex alterius mora vel culpa provenit, adeoque, qui facto ſuo alteri damnum dedit, ad illud reſarciendum omnino eſſe obligatum. (§. CCXI, 1.) Ex quibus ſequitur, 117. ut, quia emtor jure naturae ſine traditione fit dominus, (§. CCLXXV.) periculum, perfecta emtione venditione, ſtatim tranſeat ad emtorem, niſi 118. venditor vel in mora tradendi, vel culpae alicujus reus ſit (*).

(*) Similis fere, ſed paullo obſcurior, eſt philoſophia Pufendorffii *de jure nat. & gent. V*, 5, 3. diſtinguentis, utrum certus traditioni dies praefixus ſit, nec ne, &, ſi praefixus ſit, illene jam elapſus ſit, nec ne. Aequiſſimum enim illi videtur, ut ante elapſum terminum res ſit periculo venditoris: elapſo vero termino, ob moram eadem emtori pereat. Enimvero, quum emtor jure naturae & ſine traditione fieri poſſit dominus, &, elapſo termino, non ſemper venditor in mora ſit; ſed aliquando & penes emtorem culpa illa eſſe poſſit: nos generatim emtori periculum attribuimus, cujus in arbitrio fuiſſet, rem emtam, ſoluto pretio, ſtatim accipere. Sin vero ille ex ſua parte adimplevit contractus leges, vel eas implere paratus eſt: venditor, qui in mora tradendi eſt, periculum merito ſuſtinet, ſive certus traditioni terminus praefixus fuerit, ſive non fuerit.

Juris Romani diſpoſitio an aequitati naturali conveniat?

§. CCCLIV. Quum ergo emtor ſine traditione ſtatim fiat dominus, ac proinde periculum ferat: (§. CCCLIII, 117.) conſequens eſt, 119. ut vera quidem ſit doctrina jureconſultorum de periculo rei venditae, ſed ea cum reliquis juris Romani principiis male cohaereat, quia, dominium ſine traditione ad emtorem tranſire, negant. 120. Ut quum domino jus ſit & fructus & acceſſiones commodaque reliqua ex re ſua percipiendi, (§. CCCVII, 4. ſequ.) eidem etiam commoda rei venditae competant. 121. Ut tamen id tunc demum procedat, ſi emtor venditori de pretio quocumque modo ſatisfecerit (*); ſiquidem alias ſimul haberet rem, ſimul pretium, adeoque cum alieno damno ſine juſta cauſſa fieret locupletior, (§. CCLVII.)

(*) Satisfeciſſe autem de pretio videtur, non ſolum, qui illud repraeſentavit, ſed &, cujus fidem ſequutus eſt venditor, v. g. uſuras ſibi in ſingulos annos ſtipulatus. Hinc quamvis ſimpliciſſimum contractuum genus videatur illud, quando, ſoluto pretio, illico res venditur, [illegible] Graeca [illegible]

ſide inter ſe mercantur homines, quod commercii genus ſolum in republica ſua tolerare voluit Plato *de Legib. Lib. XI.* pro hac tamen rerum conditione vix ſperandum eſt, id ſemper fieri poſſe, & ipſa experientia docet, commercia magis fide, quam mercatores vocant *den credit*, quam rei pecuniaeque commutatione conſtare.

§. CCCLV. Quandoquidem vero venditori, qui in mora tradendi, culpaeve alicujus reus eſt, res merito perit: (§. CCCLIII, 118.) facile unuſquiſque intelligit, 122. emtorem a periculo immunem eſſe, ſi venditor, illi offerenti pretium, vacuam rei venditae poſſeſſionem tradere vel nolit, vel non poſſit, itemque 123. ſi probetur, venditoris culpa, vel negligentia factum eſſe, ut res vendita, vel tota, vel pro parte, periret. Quando venditoris ſit periculum?

§. CCCLVI. Emtio venditio porro ſit eo conſilio, ut res pro certo pretio tradatur, (§. CCCL.) & animo quidem, dominium in alterum transferendi. (§. CCLXXVIII, 35.) Quum vero, qui rei dominium titulo oneroſo, veluti pro certo pretio, in alterum tranſtulit, ad praeſtandam evictionem ſit obligatus: (§. CCLXXIV.) 124. etiam venditor emtori tenebitur ad praeſtandam EVICTIONEM, ſi res ab hoc ex cauſſa contractum antecedente evicta ſit, non autem, 125. ſi poſt venditionem demum aliquid evenerit, cujus cauſſa quis re ſua privaretur, nec 126. ſi caſu, vel vi majore, res ei ſit erepta (*). Venditor emtori debet evictionem.

(*) Sane & quae vi majore contingunt, caſu contingere videntur. Quandoquidem ergo caſum, perfecto jam contractu emtionis venditionis, fert dominus: (§. CCCLIII, 117.) etiam, re vendita caſu vel vi majore ſibi erepta, damnum devorare, nec a quoquam petere evictionem poteſt. Ceterum nullum eſt dubium, quin quemadmodum alia pacta, quae huic contractui accedunt, rata eſſe oportet: ita & convenire inter ſe poſſint emtor & venditor, ne quid evictionis nomine praeſtetur, ſed res ſit emtoris periculo, quale pactum virginis venditioni adjicit Sagariſtio apud Plaut. *in Perſa IV, 4. v. 40.*
Prius dico: hanc MANCUPIO *nemo tibi dabit, jam ſcis?* DO. *Scio.*

§. CCCLVII. Quia porro emtio venditio eſt contractus, (§. CCCL.) contractus vero duorum conſenſum requirit: (§. CCCXXVII, 6.) facile patet, 127. in emtione venditione omnia redire ad conſenſum, adeoque 128. ei qualiacumque pacta, modo non improba ac fraudulenta, adjici poſſe, veluti 129. ADDICTIONEM IN DIEM, 130. LEGEM COMMISSORIAM, 131. PACTUM DE RETROVENDENDO, 132. itemque PROTIMISEOS, 133. de EVICTIONE non praeſtanda, 134. de POENA in caſum poenitentiae praeſtanda, & ſi qua ſunt ejus generis alia (*). Huic contractui quaevis pacta recta adjiciuntur.

(*) Definitiones horum pactorum ex ipſo jure civili nota ſunt. ADDICTIO IN DIEM eſt pactum de emtione venditione vel perficienda, ſi intra certum diem nemo plus obtulerit, vel jam perfecta reſcindenda, ſi quis intra iſtud tempus plus,

plus, nec prior emtor tantumdem obtulerit. LEX COMMISSORIA pactum, quo venditor, rem inemtam fore, cavet, ſi pretium ante certum diem non ſolvatur. Exemplum eſt apud Corn. Nep. *in vita Attici Cap. VIII.* PACTUM DE RETROVENDENDO conventio de re vendita, pretio ante vel poſt certum diem, vel quandocumque reſtituto, venditori reddenda. Qualis eſt venditio apud Liv. *XXXI.* 13. & Julium Capitolin. *in Marco Cap. XVII.* Pactum προτιμήσεως conventio de re iterum venali venditori potiſſimum ejusve poſteris tantumdem pretium, quod alii offerunt, ſolventibus, vendenda. Reliquorum pactorum natura & indoles ex ipſis vocabulis facile intelligitur.

Nec non exceptiones, conditiones, dies.

§. CCCLVIII. Ex eodem axiomate colligimus, 135. licere venditori in venditione ſibi aliquid EXCIPERE, 136. utrique vero contrahenti CONDITIONEM quamcumque, quae honeſtati boniſque moribus non repugnat, itemque 137. DIEM, ante quem res tradenda, pretiumve ſolvendum ſit, adjicere (*), quin 138. & ita convenire, ut pretio ab emtore nondum ſoluto, dominium tantiſper penes venditorem maneat, vel 139. ut emtor, pretii parte ſub uſurarum lege ſecum retenta, de evictione ſecurus praeſtetur, 140. ut acceſſoria cum re principali veneant, 141. ut fixa vincta quaedam tollere liceat, 142. ut res vendita venditori pro certa mercede locetur, cetera.

(*) Quin & ipſa venditio ad certum diem ita fieri poteſt, ut circumacto tempore, pactione definito, res vendita ad venditorem ejuſve heredes revertatur, nec emtor repoſcere poſſit pretium. Exemplo Anglorum, ſaepe praedia ſua hac lege vendentium, id probant Puſend. *Jur. nat. & gent. V,* 5, 4. & ibi Hert. *p.* 690.

Emtio per auctionem, ſub haſta, per aversionem, ſpei.

§. CCCLIX. Praeterea & id inde inferimus, 143. quod, quamvis emtio venditio alioquin requirat aequalitatem, (§. CCCLII, III.) utriuſque tamen contrahentis conſenſu conveniri poſſit de ejus generis emtionibus venditionibus, quae ob inaequalitatem quantamcumque non reſcinduntur. Tales ſunt 144. AUCTIO, quando pretium non a venditore indicatur, ſed ab emtoribus, licitando certantibus, definitur: 145. EMTIO SUB HASTA, quippe quae nihil aliud eſt, quam auctio ſollemnior, & auctoritate publica inſtituta: 146. EMTIO PER AVERSIONEM, quando res diſparis pretii, vel incertae menſurae, non ſingulatim, ſed conjunctim, aeſtimatae, emuntur: denique 147. EMTIO SPEI, quo & ollam fortunae, ſimiliaque negotia, retuleris, quando quis pro re vel quantitate, adhuc incerta, ac ex eventu demum certa futura, certum pretium ſolvit. In quibus contractibus omnibus quum aequalitas non requiratur: (n. 143.) conſequens profecto eſt, 148. ut neuter contrahentium hic de laeſione conqueri poſſit, niſi vel dolus alterutrius interceſſerit, vel de re, quam eventus offert, a contrahentibus non fuerit cogitatum (*).

(*) Et

(*) Et inde decidenda erat lis inter juvenes Mileſios, qui jactum retis emerant, & piſcatores Coos, qui illum vendiderant, & poſtea mari extraxerant tripodem aureum. Equidem, utrisque ſibi hunc inſperatum theſaurum adferentibus, neutris eum addixit Apollo, abſurdeque pronunciavit:

Ἔκγονε Μιλήτου, τρίποδος περὶ Φοῖβον ἐρωτᾷς;
Τίς σοφίῃ πάντων πρῶτος; τούτου τρίποδ᾽ αὐδῶ.
De tripode ex Phaebo quaeris, Mileſia pubes;
Huic tripodem addico, cui ſit ſapientia prima.

Laert. I, 28. Val. Max. IV, 1. Sed ſatis conſtat, tripodem, ſi de domino non conſtiterit, fuiſſe piſcatorum. (§. CCCXXIV, 69. 70.) Nec obſtabat profecto contractus, cum adoleſcentibus Mileſiis initus, quippe qui ſibi non tripodas aureos, de quibus neutri contrahentium cogitaverant, ſed piſces, quos capturi eſſent, fuerant ſtipulati. Conf. *l.* 8. §. 1. *D. de contr. emt. l.* 11. §. *ult.* & *l.* 12. *D. de act. emt.*

Locatio etiam conductio, invento demum pretio eminente, locum habuit.

§. CCCLX. Alter contractus, qui invento demum numo vel pretio eminente, locum inter mortales habuit, eſt LOCATIO CONDUCTIO. (§. CCCL.) Quamvis enim jure Romano in locatione praediorum ruſticorum, quippe fructuoſorum, etiam pars fructuum, quam *quantam* vocant (*), mercedis vice fungatur, *l.* 21. *C. loc. cond.* ſic vero hic contractus, etiam ante inventum pretium eminens, locum habere potuerit: nulla tamen eſt ratio, cur non potius ad contractum DO UT DES referri poſſit illud negotium, quum tunc rei uſus non cum numo, tamquam pretio eminente, ſed cum pretio vulgari fructuum comparetur, adeoque contingere poſſit, ut, quia fructuum non eadem ſemper aeſtimatio eſt, ſed illa pro ſterilitate ubertateque anni modo intenditur, modo remittitur, uno anno locator, altero conductor, laedatur.

(*) Si enim praedii dominus ſibi pro mercede partem quotam ſtipuletur: id negotium ſocietatis naturam induere, ex ipſa ſocietatis definitione, quam infra dabimus, ſatis conſtabit. Ceterum locationem praedii fructuoſi pro parte quanta fructuum a locationis conductionis natura plane degenerare, vel inde patet, quod, quum haec ſit contractus oneroſus, in eoque requiratur aequalitas, (§. CCCXXIX, 15.) hic tamen illa vix obtineri poſſit. Nam ſi mihi pro praedii uſu in ſexennium, in ſingulos annos ſtipuler triginta medimnos tritici, totidemque ſiliginis: fieri poteſt, ut in hujus anni ubertate, vileſcenteque annona, merces ſit mediocris, & uſui praedii proportionata, inſequente anno ob ſterilitatem difficultatemque annonae immodica. Et hinc jam antea monuimus, locationem conductionem ſemper requirere pecuniam numeratam. (§. CCCL, 103.)

Officia locatoris.

§. CCCLXI. Quia ergo locatio conductio eſt contractus de rei uſu vel operis pro certa mercede praeſtandis: (§. CCCLI) conſequens eſt, 149. ut locator conductori debeat rei uſum operasve conventas praeſtare, adeoque, 150. ſi vel illius culpa, vel caſu, contingat, ut conductor re uti, vel ipſe operas promiſſas praeſta-

re

re non poſſit: merito etiam pro rata ceſſet promiſſa merces (*) immo 151. locator aliquando ad id, quod intereſt, poſſit conveniri, idemque ſit dicendum, 152. ſi locator conductorem, nondum finita locatione, ſine juſta cauſſa expellere non dubitarit.

(*) Hanc aequitatem omnes veteres agnoverunt, veluti Seſoſtris, Rex Aegyptiorum, qui, ſi cui de agro vis fluminis aliquid abraſiſſet, penſionem pro rata minui jubebat. Herodot. *Lib. II.* p. 81. *edit. Steph.* Nec minus aequitatem ea in re ſervabant Romani, teſte Polybio *Hiſt. VI,* 15. & in his Caeſar, teſte Suetonio *Cap. XX.* Attamen intellectu facile eſt, hic quoque damnum intelligi, non modicum, ſed gravius, quum ſaepe illud majore commodo & maxime in praediis fructuoſis, plerumque unius anni ſterilitas ubertate alterius penſetur, & incivile ſit, lucro quovis frui velle conductorem, damnum vero etiam levius illum ferre nolle.

Itemque conductoris.

§. CCCLXII. Similiter & conductoris eſt, 153. mercedem conventam juſto tempore ſolvere, 154. re, quam utendum accepit, quippe aliena, & in ſpecie reddenda, boni viri arbitratu uti, 155. damnum ſua culpa datum reſarcire, nec 156. rem, nondum finito locationis tempore, deſerere, niſi juſtae cauſſae, veluti hoſtium incurſio, metus peſtis, ſimileſque caſus conductori id conſilii extorqueant. Quum enim a locatore jure exigat, ut res ipſi integra & ſalva tradatur, ut indemnis praeſtetur, neque ante tempus expellatur: (§. CCCLXI, 150. ſequ.) aequiſſimum eſt, ut, quod ipſe ſibi vult vel non vult fieri, id & alteri faciat, vel non faciat, (§. LXXXVIII, 54. ſequ.) maxime quum & in hoc contractu, tamquam oneroſo, merito ſervanda ſit aequalitas. (§. CCCXXIX, 15.)

De pactis huic contractui adjectis & relocatione tacita.

§. CCCLXIII. Ceterum, quum conſenſu conſtet hoc negotium: (§. CCCXXVII, 6.) facile patet, 157. huic quoque contractui adjici poſſe qualiacumque pacta, quae bonis moribus haud repugnant (*). 158. Eum tum pure, tum ſub conditione, tum in diem, recte iniri. Quumque conſenſus etiam tacitus verus conſenſus ſit: merito inde colligimus, 159. jure optimo maximo valere etiam RELOCATIONEM TACITAM, ſi, elapſo tempore, neuter contractui renunciarit: & tunc 160. aequiſſimum eſſe, ut iiſdem legibus & conditionibus facta intelligatur relocatio, quas uterque contrahentium antea in ipſa locatione probavit.

(*) Hinc ſaepe iis legibus locantur praedia, ut in negotio iſto parum ex natura locationis conductionis ſuperſit. Hinc locationes perpetuae. Hinc irregulares, quibus ſimul dominium & periculum in conductorem devolvitur, qualem cum Saufeio contractam eſſe, narrat Alfenus Varus *lege* elegantiſſima 31. *D. locati*, praeclare illuſtrata a V. A. Corn. van Bynkershoek *Obſ. VIII.* 1. *ſequ.* Nec abſimilis eſt contractus, Germanis non ignotus, quem SOCIDAE vocant, de quo poſt Taboris *ſingularem diſſert.* nos quoque diximus *Elem. Jur. Germ.* II. 14. §. 105.

§. CCCLXIV.

§. CCCLXIV. Et hi quidem ſunt contractus, quos invento demum pretio eminente, locum habere coepiſſe, diximus. Sequuntur illi, qui & nondum invento numo, & illo jam invento, locum habere potuerunt. Eorum familiam ducit contractus MUTUI, per quem intelligimus praeſtationem rerum fungibilium, ea lege factam, ut tantumdem quandoque in eodem genere reſtituatur (*). Quum enim non ſolum pecunia, ſed & quaelibet res fungibilis, credi hoc modo poſſit: manifeſtum eſt, 161. hunc contractum, etiam antequam homines pecuniam, tamquam communem rerum menſuram, invexerunt, locum habuiſſe, & hodie eſſe frequentiſſimum.

Inter contractus, qui & ante, & poſt inventum numum locum habuerunt, eſt mutuum.

(*) RES vero FUNGIBILES vocamus, quas adnumerare, admetiri, & adpendere ſolemus. Earum vero haec indoles eſt, 1. ut nullus illarum ſine abuſu vel conſumtione uſus ſit, itemque 2. ut ſolutionem recipiant per functionem, tam in genere, quam in ſpecie. *l. 2. §. 1. D. de reb. cred.* id eſt, ut ſi debeam centum aureos, ſolutum ſibi eſſe fateatur creditor, ſive eoſdem, quos mihi adnumeravit, ſive centum alios ejuſdem generis, reddiderim. Ex quo ſimul patet, quid nobis ſit REM REDDERE IN EODEM GENERE, nempe tantumdem, tum ratione quantitatis, tum ratione qualitatis reddere. Inde vero nova ſequitur rerum fungibilium proprietas, nempe 3. quod in iis tantumdem ſit idem, nec 4. eae res (uti recte obſervavit Thomaſ. *diſſ. de pretio adfect. in res fung. non cad.*) recipiant pretium adfectionis, niſi ſint rariſſimae & tantumdem in eodem genere non facile reperiatur. Sic quamvis Romae vinum Falernum eſſet res fungibilis: adfectio tamen cadebat in Trimalcionis *vinum Opimianum annorum centum*, cujus meminit Petron. Arbit. *Satyr. Cap.* XXXIV.

§. CCCLXV. Quum itaque in mutuo ea lege debitori praeſtetur res fungibilis, ut tantumdem quandoque in eodem genere reddatur: (§. CCCLXIV.) conſequens eſt, 162. ut debitori detur facultas rebus illis, ſibi creditis, abutendi, adeoque 163. creditor ſe jure debitorem aliosque uſu rerum illarum excludendi abdicarit, illudque ſub conditione tantumdem recipiendi in debitorem tranſtulerit. Quum vero jus illud, alios uſu rerum excludendi, ſit dominium: (§. CCXXXI.) inde porro colligimus, 164. mutuum eſſe alienationem, rerumque creditarum dominium in debitorem omnino tranſire (*).

In debitorem transfertur rei creditae dominium.

(*) Notum eſt, quos fluctus in ſimpulo moverit Alexius a Maſſalia, id eſt, Claudius Salmaſius, ut jureconſultos, hanc theſin defendentes, ludibrio exponeret. Sed tela ejus, ex jure civili depromta, tam fortiter retuderunt, aliaque multo inſigniora in illum detorſerunt Wiſſenbachius, Fabrottus, aliique viri doctiſſimi, ut cauſſa hodie perorata videatur. Sed haec fundamenta oſtendunt, ne rectam quidem rationem refragari jureconſultorum ſententiae, vel Salmaſio favere. Verum quidem eſt; quantitatem non alienare creditorem, quippe quam ſibi ſalvam eſſe cupit, dum, ut tantumdem in eodem genere redda-

reddatur, cavet: at ſpecierum traditarum & dominium & periculum ad debitorem procul dubio tranſit, ceu ipſe demum Salmaſius, ad incitas redactus ab adverſariis, fateri coactus eſt.

Debitoris obligatio.

§. CCCLXVI. Ex eadem definitione colligimus, 165. debitorem obligatum eſſe ad tantumdem, non modo ratione quantitatis, ſed & qualitatis reddendum, adeoque 166. ſi pecunia fuerit credita, ejuſque valor internus poſtea vel auctus, vel imminutus fuerit: merito rationem habendam eſſe temporis, quo contractus initus eſt, atque hinc ſorti tantum decedere debere, quantum poſtea valoris numo acceſſit, vel tantum accedere, quantum pretii numo deceſſit. Praeterea 167. debitorem non debere in mora ſolvendi eſſe, nec 168. eum ab hac obligatione, vel rei fungibilis, quam a creditore acceperat, interitu, vel ullo caſu fortuito liberari (*).

(*) Quum enim dominium rei fungibilis creditae transferatur in debitorem, (§. CCCLXV, 164.) caſum vero ferre teneatur dominus: (§. CCXI.) fieri non poteſt, ut debitor liberetur, ſi v. g. vinum ſibi creditum in acetum abiiſſe, pecuniamve creditam furto ſubtractam eſſe, vel alio caſu interiiſſe, conqueratur. Multo minus ergo debitorem, qui ſolvendo non eſt, excuſabit paupertas, ſi vel nequitia ſua diſperdiderit bona, vel otio torpens, fucorum inſtar, alienis opibus vivere, & res, ab alio non ſine ſudore partas, turpiter abligurire non dubitarit. Eſt enim hoc hominum genus peſtilentiſſimum, & ad nefanda quaevis facinora perpetranda profligatum, ſiquidem fieri non poteſt, ut aliena non adpetant, qui dilapidarunt ſua. Quo pertinet oratio Catilinae apud Salluſt. *Catil. Cap.* XX.

An uſurae jure naturae licitae?

§. CCCLXVII. Ceterum, quamvis hic contractus ſua natura non minus, quam commodatum, ſit gratuitus: mos tamen, tepeſcente jam caritate hominum, invaluit, ut creditores ſibi praemium aliquod pro ſorte conceſſa a debitoribus ſtipularentur, quod, ſi in parte ſortis quota ſingulis annis, menſibusve praeſtanda, conſiſtit, USURA vel FOENUS adpellatur, quamvis poſterius vocabulum ſaepenumero in malam partem pro mordacibus uſuris, quibus debitorem aliquando ad incitas redigunt creditores, accipiatur. De his vero uſuris vetus haec, & a multis viris doctiſſimis agitata eſt quaeſtio, easne a debitoribus recte ſibi ſtipulentur creditores, an jus naturae illis refragetur (*)?

(*) Non eſt, quod hic verboſius agamus de hujus controverſiae, quae ſuperiore ſaeculo in Belgio recruduit, hiſtoria. Otium nobis fecerunt celeberrimus Noodtius *de foenore & uſuris* I, 4. *ſequ.* Martinus Schook *Exercit. var. p.* 430. *ſequ.* & Thomaſ. *Not. ad Lancellot. IV*, 7. *not.* 275. *p.* 2024. *ſequ.* qui poſtremus & occaſionem hujus controverſiae, & alterutrius ſententiae patronos, diligenter recenſet. Fatendum tamen eſt, pleroſque viros doctos, qui de hac quaeſtione ſcripſerunt, magis de jure divino poſitivo, quam de naturali, fuiſſe ſollicitos, adeoque hujus juris ſtudioſos non multum utilitatis ex plerorumque lectione capturos.

§. CCCLXVIII. Enimvero, quum I. injuſtum non ſit, cum aliis res non gratis communicare, ſed mercedem aliquam exigere; (§. CCCXXVIII, 8.) deinde II. alter, alterius rebus abutens, aliquando inſigne lucrum faciat, creditor vero interea re ſua, ſaepe non ſine damno & incommodo, careat, neminem vero cum alterius damno locupletiorem fieri oporteat; (§. CCLVII.) praeterea III. maximum periculum ſubeat, qui debitori res ſuas ea lege concedit, ut iis abuti poſſit, adeoque non abſurdum ſit, creditorem ab hoc mercedem aliquam pro magnitudine periculi exigere: (§. CCCXXXI, 22.) rectiſſime inde colligere nobis videmur, 169. rectae rationi in ſe non repugnare pactum uſurarium, cum eo initum, qui ex pecunia noſtra lucrum inſigne facere poteſt (*): & quamvis 170. uſurae quantitas definienda ſit pro ratione lucri, quod probabiliter ex ſorte capere poſſe videtur debitor: tamen 171. non iniquum eſſe, eam pro periculi magnitudine, raritate pecuniae, ſimilibuſque circumſtantiis, intendi, (§. CCCXXXI, 22.) ceu exemplum *foenoris nautici* oſtendit. Quod adfirmandum.

(*) Cui doctrinae fruſtra alii obvertunt, 1. numum eſſe rem ſterilem, adeoque inde uſuras, quaſi τόκον ſeu foetum, non poſſe exigi. Eſt enim numus res ſterilis phyſice, non civiliter, quia ſaepe per commercia pecunia quis alterum tantum, immo multo plus, lucratur. *Matth.* XXV, 16. 17. 2. Commodatum eſſe gratuitum: ergo & mutuum tale eſſe debere. Commodans enim, rei non fungibilis uſum alicui concedens, minus incommodi ac periculi ſentit, quam creditor, dum rei fungibilis dominium cum facultate ea abutendi in debitorem transfert. 3. Ipſum Deum uſuraria pacta prohibuiſſe: *Exod.* XXII, 25. *Lev.* XXV, 37. *Pſalm.* XV, 5. *Luc.* VI, 34. *ſequ.* Conventiones enim uſurarias Deus tantum proſcripſerat ex republica Hebraeorum eatenus, ut Iſraëlita ab Iſraëlita illas exigere non poſſet: eas autem inter Iſraëlitas & extraneos diſerte permiſerat. *Deut.* XXIII, 19. 20. Jus naturae autem inter contribules & extraneos nihil ſtatuit diſcriminis. Conf. Jo. Selden. *de jure nat. & gent.* VI, 10. Jo. Cleric. *ad Exod.* XXII, 25. *p.* 112.

§. CCCLXIX. Alter contractus ejus generis eſt PIGNUS, per quod intelligimus obligationem ad rem creditori in ſecuritatem crediti tradendam. Si enim res, maxime immobilis, non traditur, ſed tamen creditori in illa conſtituitur jus, illam, ſi nomen non expunctum fuerit, occupandi, negotium illud, quod inter creditorem & debitorem interceſſit, HYPOTHECA adpellatur. Denique ſi placuerit, ut fructus rei, in ſecuritatem crediti traditae, creditor vice uſurarum percipiat: conventio haec PACTI ANTICHRETICI nomine venit. Quid pignus, hypotheca, pactum antichreticum?

§. CCCLXX. Itaque ex definitione PIGNORIS patet, 172. rem oppignoratam debere eſſe in bonis debitoris, adeoque 173. fraudem Quid juſtum circa pignus?

dem animadverſione digniſſimam eſſe ejus, qui rem alienam, veluti commodatam, depoſitam, locatam, pignori ſupponit. 174. Creditoris eſſe, pignore, ſi uſu deterius fieri poſſit, non uti, ſed 175. illud non minore diligentia, quam res proprias, cuſtodire, &, 176. ſoluto debito, debitori reſtituere. Denique, quum regulariter caſum ferat dominus: (§. CCXI. *) conſequens eſt, 177. ut & pignoris periculum penes debitorem maneat, iſque, 178. pignore caſu fortuito pereunte, ad ſolvendum, quod debet, nihilominus ſit obligatus (*).

(*) Jure equidem Germanico medii aevi, caſu intereunte pignore, debitor ab obligatione ſolvendi debitum liberatus erat. Jus prov. Sax. III, 5. *Stirbt ein pferd, oder ein vieh in der verſatzung, ohne iener ſchuld, der das under ihm hatte, bevveiſet er das, und thut auch dazu ſchvveren, er gilt es ihm nicht, er hat aber ſein geld verlohren, da es ihm vor verſatzt ſtund, ihr gelubde ſtunde dann anders.* Quibus gemina ſunt in Spec. Suev. *Cap. CCXLIII.* Aliquando & pacto ſpeciali cavebatur, ut periculum eſſet penes creditorem, quale eſt apud Pontan. *Hiſt. Dan. Lib. IX. ad ann.* MCCCCXI. Sed uti id ex ſingulari Germanorum principio, quod creditor dominium pignoris conſequeretur, fluebat, de quo nos *Elem. jur. Germ. Lib. II,* 11. §. *319. ſequ.* ita rationes noſtrae in ipſo paragrapho adlatae non ferunt, ut haec juri naturali attribuamus.

Quid circa hypothecam? §. CCCLXXI. Deinde ex HYPOTHECAE definitione (§. CCCLXIX.) colligimus, 179. eam vix conſiſtere poſſe in rebus mobilibus, quas debitor, inſcio creditore, facile alienare, & in extraneum transferre poſſet, ſed 180. in immobilibus maxime, veluti fundis, aedibus, urbibus & territoriis (*): nec non 181. in univerſitatibus rerum mobilium diffuſioribus, quae non aeque facile e loco in locum transferuntur, veluti bibliothecis numeroſioribus, immo 182. etiam in juribus, ſi inde inſignis utilitas ad poſſeſſorem redundare poſſit. 183. Quidquid vero hoc modo oppignoratum ſit creditori, in eo illi jus merito durare, in quemcumque res ipſa tranſlata ſit: quum alias ſine effectu futura eſſet hypothecae conſtitutio.

(*) Addimus haec ob verba Pufendorffii *de jure nat. & gent. V,* 10, 16: *Inter eos, qui in libertate naturali invicem vivunt, nudae hypothecae ſunt inutiles. Nam ubi ultro debitor ſolvere renuerit, utique & armis erit invadenda poſſeſſio hypothecae. Atqui etiam citra adſignationem hypothecae inter tales quaelibet bona debitoris invadere licebat.* Sed non deſunt exempla hypothecarum hujuſmodi & inter liberas gentes conſtitutarum, qualia collegit Hert. *ad hunc locum p. 738. ſequ.* qui & ad rationem Pufendorffii eleganter reſpondet, poſſe hujus hypothecae inſignem uſum eſſe, ſi urbs ita oppignorata ad tertium pervenerit. Ceterum, facile largimur, non temere contentas fore liberas gentes hujuſmodi ſimplice hypotheca, ſed ſaltim ſibi ſtipulaturas jus praeſidii in urbibus oppignoratis, quod anno MDLXXXV. feciſſe novimus Eliſabetham, Angliae Regi-

Reginam, quum ei Belgae Uliſſingam, Ramkenium & Brilam oppignoraſſent. Em. Meteran. *Rer. Belg. Lib. XIII.* & Annaliſtae Belg. reliqui ad hunc ann.

§. CCCLXXII. Denique ex PACTI ANTICHRETICI definitione (§. CCCLXIX.) adparet, 184. ei pacto tantum locum eſſe in oppignoratione rerum fructuoſarum: quumque fructus vice uſurarum ſint, 185. eos non notabiliter excedere debere uſurarum modum, quem ſupra aequitati convenientiſſimum eſſe, diximus. 186. Caſum hic quoque non ferre creditorem, niſi aliud conventum ſit, ac proinde, 187. ſi ob ſterilitatem calamitatemve publicam tantum non percipere potuerit creditor, quantum ei uſurarum nomine debebatur, illud debitorem merito aliunde ſupplere debere. Quid circa pactum antichreticum?

§. CCCLXXIII. Omnibus vero his contractibus commune eſt, 188. quod, quia in ſecuritatem crediti ineuntur, (§. CCCLXIX.) creditori jus ſit, pignus & hypothecam ob moram debitoris diſtrahendi, &, deducta ſorte, cum uſuris, reliquum tantum pretium reſtituendi debitori: niſi 189. adjecta ſit LEX COMMISSORIA, id eſt, pactum de re oppignorata, ſi intra certum tempus non reluatur, creditori pro ſorte & uſuris relinquenda. Quamvis enim id pactum improbent leges Romanae recentiores (*), *l. un. C. Theodoſ. de commiſſor. reſcind. l. ult. C. de pact. pign.* idque jure fieri potuerit, ob creditorum quorumdam avaritiam: non tamen inde ſequitur, ut & jus naturae, quod domino alienationem rerum ſuarum ſub quacumque conditione permittit, (§. CCIX, 13.) improbet hujuſmodi pactum, a quo ne principes quidem & gentes liberas abſtinuiſſe, exemplis variis demonſtravit laudatus Hert. *ad Puſend. V*, 10, 14. *p.* 737. Communia horum conventionum.

(*) Veteres enim leges, ſtrictius inhaerentes ſimplicitati juris naturalis, nihil habent; quod huic PACTO COMMISSORIO adverſetur. Immo libera adhuc republica illud pro licito habitum eſſe, probat locus Ciceronis *Epiſt. ad famil.* XIII, 56. ab eodem Hertio, & ante eum a Jac. Gothofredo ad *l. un. C. Theod. de commiſſ. reſc.* adlatus; *Philotes Alabandenſis ὑποθήκας Cluvio dedit: hae commiſſae ſunt.* Sed mira creditorum aſperitas, qua miſeri debitores, pignora debito pretioſiora ſub hac conditione dare coacti, ad incitas redigebantur, demum ſubegit principes, ut hoc pactum, cum maximo debitorum detrimento conjunctum, legibus ſeveriſſimis proſcriberent.

§. CCCLXXIV. Tertius, qui & ante inventum numum, & poſtea, locum habere potuit, contractus eſt FIDEJUSSIO, id eſt, obligatio ad id, quod tertius debet, in ſubſidium ſolvendum. Si quis enim, ſe pro altero non in ſubſidium ſoluturum, conſtituit, ſed una cum alio in ſolidum ſeſe obligat, REUS, & obligatio utriuſque CORREALIS vocatur. Denique qui alterum, conſentien- Quid fidejuſſio, obligatio correalis & expromiſſio?

te creditore, obligatione liberat, eamque in ſe totam ſuſcipit, is EXPROMISSOR adpellatur. Qui contractus omnes aeque, ac pignoris, in ſecuritatem creditorum excogitati ſunt, & frigeſcentis inter homines amoris ac fidei argumentum praebent locupletiſſimum (*).

(*) Si enim tantus eſſet inter homines amor, quantum eſſe oportebat: nec creditor diffideret debitori, nec debitor de creditore defraudando vel cogitationem animum ſubire pateretur: & ſic nec pignora, nec fidejuſſores, nec correos, nec expromiſſores, quisquam exigeret. Dum vero hodie tam oculatae ſunt manus, ut, niſi quod vident, nihil omnino credant; argumentum hoc eſt humanae perfidiae, tepeſcentiſque amoris luculentiſſimum. Obſervavit id jam Seneca, qui *de Benef.* III, 15. *: Utinam*, inquit, *nulla ſtipulatio emtorem venditori obligaret! nec pacta conventaque impreſſis ſignis cuſtodirentur! fides potius illa ſervaret, & aequum colens animus! Sed neceſſaria optimis praetulerunt, & cogere fidem, quam ſpectare, malunt. Adhibentur ab utraque parte teſtes: ille per tabulas plurima nomina, interpoſitis parariis facit. Ille non eſt interrogatione contentus, niſi rem ſua manu tenuit. O turpem humano generi* FRAUDIS AC NEQUITIAE PUBLICAE CONFESSIONEM! *Annulis noſtris plus, quam animis, creditur.*

Pro quibus rebus fidejubere liceat? §. CCCLXXV. Ceterum ex FIDEJUSSIONIS definitione (§. CCCLXXIV.) patet, 190. fidejuſſoribus, quum alterius obligationi in ſubſidium accedant, non eſſe locum, niſi id, quod debetur, ita ſit comparatum, ut a quovis aeque commode, ac ab ipſo debitore principali, praeſtari poſſit, adeoque 191. ipſi rectae rationi adverſari fidejuſſiones pro capitis damnatis, quamvis eas veteres quaedam gentes admiſerint (*): nec 192. quidquam obſtet, quo minus, ſi mulcta expiari poſſit crimen, alius pro alio intercedat, ſeque mulctam pro reo ſoluturum, in ſubſidium conſtituat.

(*) De Graecis res certa eſt ex variis exemplis, quae jam collegit Puſendorff. *jur. nat. & gent.* V, 10, 12. Eſſe & ſtatuta, quae vadum uſum prohibent, oſtendit laudatus Hert. *ad Puſend. ibid. p.* 735. Dum vero alii hujusmodi obligationem fidejuſſoriam defendi poſſe exiſtimant exemplis ſacris. *Gen.* XLII, 37. XLIII, 9. 1. *Reg.* XX. 39. eos omnino fugit ratio. Obligationem Rubenis ſtolidam eſſe, unusquisque intelligit, maxime quum non ſuum, ſed innocentum liberorum, capita veluti oppignoret, & quidem non pro reo capitalis criminis, ſed pro Beniaminis fratris reditu ex Aegypto. Unde vix probabile eſt, Jacobum virum pium & prudentem conditionem accepiſſe. Judas quidem fidejubet, ſed non pro capitis damnato, nec vitam oppignorat. Denique 1. *Reg.* XX. 39. nemo vitam pro reo obligat, ſed cuſtodia captivi illi demandatur, ſub capitis periculo. Ut hinc manifeſtum ſit, hanc veterum conſuetudinem in ſacris litteris non reperire praeſidium.

Obligatio fidejuſſorum. §. CCCLXXVI. Quod ad obligationem fidejuſſorum attinet, ex eadem definitione (§. CCCLXXIV.) patet, 193. eos ſe obligaſſe ad idem, quod creditor a debitore jure exigere poteſt, adeoque 194. iniquum eſſe, plus ſibi a fidejuſſoribus, quam a debitore, ſtipu-

ſtipulari creditorem: 195. obligationem fidejuſſorum eſſe ſubſidiariam, ac proinde 196. jure naturali illos non indigere ſingulari BENEFICIO ORDINIS vel EXCUSSIONIS, ſed 197. tum demum conveniri poſſe, ſi ſatis conſtet, debitorem principalem ſolvendo non eſſe (*): 198. Plures fidejuſſores, qui pro iisdem perſonis iisdemque rebus interceſſerunt, merito pro rata tantum teneri, niſi ſe ultro & diſerte in ſolidum obligarint: atque hinc 199. NE BENEFICIUM quidem DIVISIONIS illis jure naturae eſſe neceſſarium, quippe pro rata obligatis, 200. niſi forte confidejuſſores ſolvendo non ſint, idque fidejuſſor ignorare non potuerit.

(*) Contraria quidem fuit gentium multarum ſententia, nimirum fidejuſſorem & ante debitorem principalem conveniri poſſe. De Ebraeis vid. *Prov.* XX. 16. XVII, 18. De Graecis notum illud Thaletis: Ἐγγύα, πάρα δ' ἄτη, *ſponde, & noxa praeſto erit.* Denique & Germanorum fertur vetus paroemia: *Den bürgen muſſ man würgen.* Conf. Schilt. *Exerc.* XLVIII, 21. Sed & Romanis idem rigor placuit, donec Juſtinianus beneficium ordinis vel excuſſionis invexit. *Novella* IV. Enimvero; quum fidejuſſor non niſi in ſubſidium alterius obligationi acceſſerit, &, ſi ipſe illico conveniretur, inter fidejuſſorem, reum & expromiſſorem nihil eſſet diſcriminis futurum: ipſa recta ratio docet, illum teneri in ſubſidium, nec ante debitorem principalem eſſe conveniendum. Cic. *Epiſt. ad Attic.* XVI, 15. *Sponſores adpellare, videtur habere quamdam* δυσωπίαν.

§. CCCLXXVII. Quum porro REI ſe alteri in ſolidum obligent: (§. CCCLXXIV.) facile patet, 201. creditoris in arbitrio eſſe, ab utro exigere velit ſolutionem (*), 202. uno vero expungente nomen, alterum liberari, ſed tantum ratione creditoris, cui quod debebatur, ſolutum eſt, 203. non ratione correi, qui, dum pro correo ſolvit, ejus negotia geſſit, (CCCXLVI.) adeoque omnino indemnis ab altero praeſtandus eſt. (§. CCCXLIX, 102.)

Obligatio correorum.

(*) Non ergo hic locus eſt diviſioni obligationis. Quia tamen, ſi uterque reus ſolvendo eſt, & uterque facile poteſt interpellari, nulla juſta cauſſa eſt, cur unum urgere, totamque ſummam ab eo ſolo extorquere velit creditor: ipſa eum humanitas, non adeo amare jus ſuum perſequi, ſed reum utrumque urgere jubet. Neque enim patitur humanitas, ut aliquid ab altero cum ejus incommodo exigamus, quod facilius & ſine noſtro alteriusque detrimento conſequi poſſemus. (§. CCXVI, 8.)

§. CCCLXXVIII. Denique ex EXPROMISSORIS definitione (§. CCCLXXIV.) colligimus, 204. ejus eamdem eſſe obligationem, ac ipſius debitoris principalis, adeo, ut 205. hic expromiſſione cum conſenſu creditoris facta liberetur, ac proinde 206. expromiſſor nec ordinem vel debitoris excuſſionem urgere, nec 207. creditor, ſi ab expromiſſore ſuum ſervare non poteſt, ad debitorem principa-

Ac denique expromiſſorum.

cipalem, quem ſemel liberavit, recurrere poſſit, ſed ab expromiſſore, cujus fidem ſequutus eſt, id, quod ſibi debetur, ſimpliciter exſpectare cogatur.

Contractus ſocietatis.

§. CCCLXXIX. Proximus eſt contractus SOCIETATIS, quem non minus ante inventum numum, quam poſtea, locum inveniſſe, vel ex eo intelligitur, quod nihil aliud eſt, quam lucri, ex collatis rebus vel operis provenientis, damnique inde emergentis, inter plures communicatio (*). Res vero atque operas aeque ante inventum numum, ac poſtea, communicari potuiſſe, nemo temere dubitabit.

(*) Itaque hic agimus de communione, ſociorum conſenſu inita. Conſenſus vero quum vel expreſſus ſit, vel tacitus, & hic idem, quod ille, operetur: (§. CCLXXV, 25.) conſequens eſt, ut & ſocietas tacito conſenſu, id eſt, facto, contrahi poſſit. Hert. *diſſ. de ſocietate facto contr.* Prout vero vel omnia bona, vel quaedam tantum, vel res quaedam ſingulares operaeve, conferuntur, ſocietas vel UNIVERSALIS, vel GENERALIS, vel SINGULARIS ſolet adpellari. *Univerſalem* & *generalem* aleam quodammodo continere, in ſingulari aequalitatem obſervandam eſſe, recte monuit Grot. *de jure belli & pac.* II, 12, 24.

Quid juſtum in ſocietate univerſali & generali.

§. CCCLXXX. Quum ergo in ſocietate UNIVERSALI univerſa, in GENERALI quaedam bona communia ſint, ita tamen, ut hic contractus quodammodo aleam contineat: (§. CCCLXXIX, *) conſequens eſt, 208. ut lucrum quidem & damnum inter ſocios hos commune ſit: at 209. collatio tamen admodum inaequalis eſſe poſſit, nec 210. habeat ſocius, quod conqueratur, ſi, exigentibus neceſſitatibus, unus ſocius, qui minus contulit, altero plus expendat: immo, quin 211. ſocius contractum ab altero aes alienum pro rata exſolvere debeat, eo minus videtur dubitandum, quo magis expediti juris eſt, & lucri ab uno facti alterum eſſe participem, eumque, qui commodum e re ſentit, merito & incommoda ferre debere.

Quid in ſingulari?

§. CCCLXXXI. Contra, quum in ſocietate SINGULARI merito obſervanda ſit aequalitas, (§. CCCLXXX. *) ea vero in collatione non ſemper obſervetur: ſequitur ſane, 212. ut aequalitas illa in dividundo lucro & damno non poſſit eſſe *arithmetica*, ſed *geometrica* (*), adeoque, 213. qui plus rerum operarumve in commune contulit, tanto plus lucri damnique ferre debeat, quanto alter minus contulit. Quandoquidem tamen in ſuis rebus quiſque alteri qualecumque commodum concedere poteſt: (§. CCCIX, 13.) nemo negaverit, 214. poſſe ſocios pactionibus inter ſe aliud ſtatuere, & in dividundo lucro damnoque vel aequalitatem arithmeticam, vel 215. qualemcumque inaequalitatem probare,

bare, dummodo non 216. dolo unius ex ſociis hoc negotium degeneret in ſocietatem leoninam. Phaedr. *Fab. I, 6.*

(*) Sunt, qui hic aequalitatem arithmeticam, tamquam inter fratres, ſervandam eſſe ſtatuunt, & ita interpretantur *l. 6. l. 29. l. 80. D. pro ſoc.* aliosque juris Romàni locos. Connan. *Comment. jur. civ. VII.*, 19, 5. Hub. *Praelect. ad tit. Inſt. de ſocier.* Sed quum fictionem redoleat illa ſociorum fraternitas, adeoque in jure naturae ejus ratio haberi nequeat, & praeterea hic lucrum ex rebus operisque, in commune collatis, proveniat: nihil aequius profecto, eſt, quam ut lucrum damnumque pro rata rei operaeque collatae dividatur. Recte Ariſtot. *ad Nicom. VIII, 16.* Ἐν χρημάτων κοινωνίᾳ πλείω λαμβάνουσιν οἱ συμβαλλόμενοι πλείω. *In communione pecuniarum plura accipiunt, qui plura contulerunt.*

An ſocio liceat, altero invito, ſocietate excedere.

§. CCCLXXXII. Denique obſervandum, quum haec ſocietas conſenſu, vel per modum conventionis contrahatur, (§. CCCLXXIX. *) 217. ex juris naturalis principiis vix deduci poſſe regulam juris Romàni, ex ſocietate cuivis excedere licere, dummodo id non intempeſtive & in alterius fraudem fiat (*); ſed potius 218. rem omnem redire ad legem conventionis, & hinc, ſi perpetuam ſocietatem inire placuit, eam debere eſſe perpetuam, ſin temporalem, temporalem; niſi quod, 219. ſi alter ſociorum injurioſus, damnoſusve ſit, vel leges contractus manifeſto violet, aequiſſimum videtur, ſocio facultatem eſſe debere, & ante tempus conſtitutum ſocietati renunciandi.

(*) Quod vel ex ipſis rationibus, quibus veteres juris conditores utuntur, liquido probari poteſt. Modo enim hanc reddunt rationem, quod communio ſit mater diſcordiarum: *l.* 77. §. 20. *D. de legat.* 2. modo, quod naturale vitium ſit, negligi id, quod communiter poſſideatur: *l. 2. C. quando & quib. quarta pars*; quibus tertiam rationem addunt nonnulli, quod perſonae, quam ſocium adſciſcimus, qualitas & induſtria eligatur, adeoque ſi ſpei non reſpondeat ſocii fides & diligentia, ſocio merito ſalvum eſſe oporteat ſocietati renunciandi arbitrium. Enimvero non minores ſaepe diſcordias excitant emtio venditio & locatio conductio, in quibus tamen negant, locum eſſe poenitentiae. Et non minus aliquando negliguntur aedes, aliis locatae, quam communes, & tamen ideo contractum ante tempus abrumpere non licet. Denique &, qui operas conducit, perſonae qualitatem & induſtriam eligere ſolet, & tamen contractum ante tempus finire nequit. Si ergo de reliquis contractibus valet regula: *Sicut initio libera poteſtas, unicuique eſt habendi, vel non habendi contractus: ita renunciare ſemel conſtitutae obligationi, adverſario non conſentiente, nemo poteſt: l. 5. C. de obl. & act.* quidni etiam de ſocietate idem omnino dici poſſet?

Quid juſtum circa donationem.

§. CCCLXXXIII. Subjicimus DONATIONEM, per quam intelligimus promiſſum de re noſtra in alterum gratis transferenda. Ex ea vero definitione facile patet, 220. eam non modo pure, ſed & ſub quacumque conditione, adeoque 221. ſub conditione

etiam

etiam mortis donatoris, vel ejus contemplatione fieri poſſe, adeoque 222. recte dividi inter DONATIONEM INTER VIVOS, & MORTIS CAUSSA. 223. Rem inter vivos donatam merito eſſe tradendam, nec 224. donatori eam revocandi ſupereſſe arbitrium. Denique ex iis, quae ſupra diximus, colligi poteſt, 225. donatarium, re evicta, a donatore petere non poſſe evictionis praeſtationem, (§. CCLXXIV, 24.) & 226. donatori ad gratum animum quavis occaſione verbis factiſque teſtandum omnino eſſe obligatum. (§. CCXXII, 40.)

Corollaria quaedam de contractibus in genere.

§. CCCLXXXIV. Denique de omnibus generatim contractibus adhuc monendum eſt, 227. illos, quia conſiſtunt in conſenſu, (§. CCCXXVII.) ab iis eſſe ineundos, qui vel a natura, vel a legibus, conſentire non prohibentur. 228. Deinde, quia contractus commercii cauſſa inventi ſunt; (§. CCCXXVII.) contrahendum quoque eſſe de rebus, quae honeſte, & permittentibus legibus, in commercio eſſe poſſunt: ac proinde 229. nullum valere contractum de rebus turpibus, impoſſibilibus, rebus per leges commercio exemtis, quamvis, 230. quum res pleraeque non natura, ſed legibus poſitivis commercio eximantur; eae etiam contractus permittere poſſint ſuper rebus, ſuper quibus aliarum gentium legibus & moribus contrahere non liceret (*).

(*) Exemplo eſſe poſſunt cadavera. Ea oppignorare apud nos procul dubio & inutile eſſet, & pro contractu turpiſſimo haberetur. Contra apud Aegyptios lex permittebat cadavera parentum condita oppignorare, & ei, qui, illis neglectis, non expunxerat nomen, honeſta ſepultura negabatur. Diodor. Sicul. *Bibl. I, 93.* Contra natura inhoneſta eſt oppignoratio uxorum, liberorumque, quod in regno Pegu permittitur, quia illa non poteſt non plena eſſe triſtiſſimi eventus. Unde & creditorem relegatione dignum judicabant Romani, qui ſciens filium familias pignori a patre acceperat. *l. 5. D. quae res pign.*

CAP. XIV.

DE PACTIS.

§. CCCLXXXV.

Quae ſit pactorum & contractuum differentia?

QUamvis inter PACTA & CONTRACTUS jure naturae nihil ſit diſcriminis; dum utrumque negotium utriuſque conſenſu capit ſubſtantiam: dici tamen poteſt, CONTRACTUS ex vetere loquendi conſuetudine, ad rerum operarumve commercium; (§.

CCCXXVII,

CCCXXVII, 6.) pacta ad alias res, factave, quae in commercio eſſe non ſolent, pertinere (*). Sic e. g. quamvis homines ingenui utriuſque ſexus non ſint in commercio: inter eos tamen convenire ſolet de nuptiis, vel in futurum, vel in praeſenti, celebrandis, iſque conſenſus tum ſponſalitius, tum nuptialis, PACTORUM nomine recte venit.

(*) Agnovit id diſcrimen etiam Puſendorffius *de jure nat. & gent. V*, 2, 4. Et quamvis ſcriptores Romani, quia alio ſenſu accipiunt vocabula, aliudque diſcrimen pactorum & contractuum ſtatuunt, non ſemper verbo *contrahere* utantur de rebus, quae in commercio; *paciſci* de rebus factiſque, extra commercium poſitis, veluti dum dicunt *contrahere nuptias*, *l. 22. D. de ritu nupt. paciſci ab aliquo numos*: Val. Max. *IX*, 4, 2. nomen tamen CONTRACTUS vix aliter accipiunt, quam de conventione ſuper rebus, quae in commercio ſunt. Quod adeo verum eſt; ut ideo jureconſulti contra Donell. *Comm. jur. XIII*, 18. negent, nuptias eſſe contractum, qui ineatur de perſonis & individua vitae conſuetudine; quae non ſint in commercio. Nihil ergo obſtat, quo minus nos hoc *pactorum* & *contractuum* diſcrimen admittamus.

§. CCCLXXXVI. Nimirum, quum homines ſuaviter & commode vivere non poſſint, niſi ſibi invicem praeſtent officia, quae ſupra HUMANITATIS & BENEFICENTIAE diximus, (§. CCXIV, 2.) & ita tamen inter homines jam pridem refrixerit amor, ut de eorum humanitate & beneficentia confidere non poſſimus; (§. CCCXXVI.) denique illa officia ſint imperfecta, & invitis extorqueri nequeant: (§. CXXII. *) conſequens eſt, 1. ut non alia ſit ea certo conſequendi ratio, quam conſenſus alterius. Qui conſenſus duorum pluriumve in idem placitum de dando aliquo vel faciendo, quod alias vel plane non, vel tantum ex lege humanitatis & beneficentiae debetur, quum vocetur PACTUM: 2. ea, quae nobis ab aliis dari fierive jure perfecto cupimus, nobis PACISCI debemus (*). Cur pacta ſint neceſſaria?

(*) Exemplo eſſe poterunt Abraamus & Abimelechus. Ipſa ſane lex humanitatis & beneficentiae utrumque jubebat benigne adverſus ſe invicem agere, & maxime Abraamum, virum virtutis ſtudioſiſſimum, plurimisque ab Abimelecho beneficiis ornatum, ipſa recta ratio ad grati animi memoriam obligabat: & tamen uterque ſibi ab altero amicitiam & benignitatem pactum eſſe, legimus *Gen. XXI*, 23. *ſequ.* Ita ſaepe veteres alios pactis obligabant ad praeſtandum id, ad quod hi jam antea ex legibus humanitatis ac benevolentiae erant obligati.

§. CCCLXXXVII. Nec dubitari poteſt; 3. quin pacta ſervanda ſint. Quum enim, qui aliquid promittit, mentem ſuam de dando aliquo faciendove ſive verbis, ſive aliis ſignis prodat, verbis vero ita utendum ſit, ne alter decipiatur: (§. CXCVI, 7.) conſequens eſt, ut & a paciſcentibus omnem fraudem omneque Ea ſervanda eſſe, probatur argumento primo.

abeſſe

abeſſe oporteat mendacium, adeoque ſtandum ſit promiſſis pactiſque omnibus, deliberato animo initis, & hinc 4. nihil debeat fide data eſſe ſanctius, nihil perfidia deteſtabilius (*).

(*) Quemadmodum enim pactis quodammodo ſubvenimus indigentiae noſtrae, idque agimus paciſcentes cum aliis, ut nobis officia humanitatis & beneficentiae, quae alias a plerisque fruſtra ſperaremus, praeſtent: ita facile patet, iis ſolis inter ſe genus humanum contineri. Ergo tanto *perfidioſius eſt, magisque nefarium, fidem frangere, quae continet vitam.* Cic. *pro Q. Roſcio Comoedo Cap. VI.* Hinc ſemper generoſum viſum eſt τὸ ἀψευδὲς στόμα, *os verax*, vel, ut rem eloquitur Euripides *in Iphig. in Taur. v.* 1064.

Καλόν τι γλῶσσ', ὅτῳ πίστις παρῇ.
Pulcrum eſt lingua, cui adeſt fides.

Itemque ſecundo. §. CCCLXXXVIII. Accedit & altera ratio, cui non minus ponderis ineſſe, facile unusquisque largietur. Quum enim officiorum omnium, quae alteri debemus, communis veluti fons & scaturigo ſit amor juſtitiae, (§. CLXXIII, 1.) iſque nos ſubigere debeat, ut, quod nobis fieri nolumus, id nec alteri faciamus, (§. CLXXVII, 6.) nemo denique ſit mortalium, qui pactis & promiſſis ab altero decipi velit: denuo ſequitur, ut nec nos cuiquam pactionibus & promiſſis illudere, eumque propter fidem noſtram defraudare debeamus, adeoque pacta omnino ſint ſervanda (*).

(*) Non hic utimur argumento, quod nec ſocietas civilis ſervari poſſet, niſi ſancta hominibus eſſet religio. Quamvis enim hoc argumento recte probetur pactorum fideique inter homines neceſſitas, eamque Cicero *de offic. II.* 11. & inde eleganter demonſtrarit, quod *ne illi quidem, qui maleficio & ſcelere paſcuntur, poſſint ſine illa particula juſtitiae*, id eſt, ſine pactis, *vivere*: ex hac tamen ſocialitate non eſſe originem obligationis hujus repetendam, jam ſupra oſtendimus (§. LXXV.) Itaque binas has rationes, quas hoc & antecedente aphoriſmis expoſuimus, ex principio noſtro AMORIS derivare maluimus.

Quotuplicia pacta? §. CCCLXXXIX. Ceterum pacta vel μονόπλευρα, ſeu UNILATERALIA ſunt, vel δίπλευρα, ſeu BILATERALIA. Illis unus tantum alteri; his ambo ſibi mutuo aliquid promittunt, adeoque poſterioribus tacita ineſt conditio, unum praeſtiturum, quod promiſerit, ſi & alter ex ſua parte pacto ſatisfacturus ſit. Deinde utraque ſunt vel OBLIGATORIA, quibus nova obligatio vel alterutrius, vel utriusque partis, conſtituitur, vel LIBERATORIA, quibus obligationes, antea conſtitutae, tolluntur, vel MIXTA, quibus & obligationes priores tolluntur, & novae pro arbitrio paciſcentium conſtituuntur, quales in primis NOVATIONES, & TRANSACTIONES de cauſſis dubiis eſſe, nemo non intelligit. Sed horum omnium eadem eſt ratio, puta, 5. ut ſumma fide & quam religioſiſſime ſervanda ſint, 6. ſi vel maxime non eo conſilio aliquid promiſerit alteruter, ut obligari velit (*).

(*) Obſer-

(*) Obſervandum hoc eſt contra illos, qui aliam promiſſionem PERFECTAM, aliam IMPERFECTAM eſſe ſtatuunt, & illam quidem definiunt, quando non ſolum promittens obligari vult, ſed & ſimul jus in alterum confert, ut rem promiſſam veluti debitam plene a ſe poſcere queat: hanc vero, quando obligari quidem vult, qui promiſit, ut tamen alteri jus non ſit ad exigendum. Quo referunt promiſſionem: *Ego deſtinavi, hoc tibi dare, & peto, ut mihi credas*, itemque pollicitationes virorum potentum aut gratioſorum, quibus alicui commendationem vel ſuffragium ſpondent. Grot. *Jur. bell. & pac. II*, 2. Puffendorff. *Jur. nat. & gent. III*, 5, 5. Sed 1. ſaepe tales promiſſiones non ſunt pacta, ſed *dicta* tantum, vel *adſeverationes*, quas a pactis ipſi diſtinguunt Grotius & Pufendorffius, immo aliquando non pacta ſunt, ſed praeparationes ad pacta, quas vulgo *tractatus* adpellitant. 2. Res eſt paene contradictoria aliquem promittere velle, & alii tamen nolle jus ad exigendum dare. Quod neſcio, an tale ſit commentum, quo omnia pacta & promiſſa turpiter eludi poſſent, exemplo Mediolanenſium, qui increpati de perjurio, reſpondebant: *Juravimus quidem, ſed juramentum attendere non promiſimus.* Quod referens Radevicus *de geſtis Friderici I. Lib. II. Cap. XXV. Digna*, inquit, *reſponſio, ut moribus oratio conſonaret, &, qui prave ac perfide vivere & facere conſueverant, aliter, ac perfide & prave, loqui non potuiſſent, ut vitam flagitioſam ſermo inlotus comitaretur.* Denique 3. ſi imperfectae plerumque ſunt hujuſmodi potentum promiſſiones ratione exactionis: non ideo illico, quod ad obligationem attinet, pro imperfectis habendae ſunt.

§. CCCXC. Ex quo porro colligimus, 7. nihil jure naturali intereſſe inter pactum & ſtipulationem, adeoque 8. falli Franc. Connanum *Comment. I*, 6. qui, Romanorum commendaturus εὐνομίαν, etiam jure naturae ex promiſſis, quamdiu ſtent intra terminos ſimplicis conventionis, & in συνάλλαγμα non tranſeant, jus perfectum oriri negat. Quemadmodum enim ejus argumenta jam ſatis profligarunt Grot. *de jure belli & pac. II*, 2, 1. & Pufend. *Jur. nat. & gent. III*, 5, 9. ita nos addimus, Connanum minus magnifice de naturali pactorum obligatione ſentire, quam ipſos Romanos, quippe qui pactis nudis vim perfecte obligandi numquam detraxerunt, quamvis actionem ex iis, ob ſingulares rationes, denegarent (*). Jure naturae & nuda perfecte obligant.

(*) Ex Romanorum ſententia obligabatur, etiam qui nudo pacto aliquid promiſerat, eumque, qui fidem fefellerat, illi non minus perfidum putabant, quam aliae gentes. Quin non imperfectam eſſe exiſtimabant hanc obligationem, quae ex pactis nudis oriebatur, ſed perfectam, ſiquidem ratione illius locus erat compenſationi, *l. 6. D. de compenſ.* conſtituto, *l. 1. §. pen. D. de pecun. conſt.* novationi, *l. 1. fin. D. de novat.* fidejuſſoribus & pignoribus, *l. 5. D. de pign.* exceptioni. *l. 7. §. 5. l. 45. D. de pact. l. 10. l. 21. l. 28. C. eod.* Unde &, quod a promittente per errorem fuerat ſolutum, condictione indebiti repeti non poterat. *l. 49. D. de cond. ind.* Quorum pleraque ita ſunt comparata, ut in obligationem imperfectam vix cadant. Solam negabant ACTIONEM, quia civilem invenerant modum, quo paciſcentes uti juſſe-

juſſerant, puta ſtipulationem. Eam qui negligebant, perluſorie egiſſe videbantur. Quemadmodum ergo multis locis leges ex oppignoratione rerum immobilium non dant actionem, niſi pignus apud acta ſit conſtitutum, nec tamen ideo pignori obligationem perfectam detrahunt, quippe quae aliis modis ſeſe exſerit: ita nec de Romanis ſtatuendum eſt, eos pacta noluiſſe perfectam obligationem producere, quia actionem inde oriri noluerint.

Pacta expreſſa & tacita.

§. CCCXCI. Quum vero pactum ſit duorum pluriumve in idem placitum conſenſus; (§. CCCLXXXVI.) consensus vero duarum pluriumve voluntatum in eamdem rem eaſdemque circumſtantias conſpiratio: conſequens eſt, 9. ut ille conſenſus tamquam internus externo aliquo ſigno declarandus ſit. Qualia ſigna, quum ſint *verba*, ſive ore prolata, ſive litteris conſignata, & *facta*, & illa conſenſus expreſſi; haec taciti praebeant argumentum: (§. CCLXXXIV.) facile patet, 10. perinde eſſe, ſive expreſſo, ſive tacito conſenſu, aliqui paciſcantur, dum tale ſit factum, ex quo conſenſus in eam rem, de communi humani generis vel gentis cujuſdam, ſententia colligi ſoleat (*). Immo 11. aliquando conſenſum recte colligi ex ipſa negotii natura, ſi illud tale ſit, ut non poſſit non judicari, alterum non diſſentire. (§. CCLXXXIV.)

(*) Hinc & nutum ſufficere, recte ſtatuunt jura noſtra: *l.* 52. §. *ult. D. de obl. & act.* Quinctilian. *Declam.* *CCXLVII.* nec non patientiam, immo & ſilentium, *l.* 51. *pr. D. locati*, *l.* 11. §. 4. *D. de interr. in jure fac.* & alibi paſſim. Quod admittimus omnino, niſi alia fuerit probabilis ratio, cur quis, diſſentiens licet, tacere, quam diſſenſum verbis, factisve teſtari, maluerit, e. g. ſi filiusfamilias, truculentiam patris veritus, interrogatus, an Maeviam, a qua maxime abhorret, ducere velit? taceat: non illico conſenſiſſe videbitur. Quid ſi enim, patre dicente: *Abi domum, & ſuſpende te*, prae ſtupore tacuiſſet filius? an ideo conſenſiſſe videretur?

Paciſci quinam poſſint, vel non poſſint?

§. CCCXCII. Quumque conſenſus ſit duarum voluntatum in eamdem rem eaſdemque circumſtantias conſpiratio; (§. CCCXCI.) voluntas vero nihil poſſit vel adpetere, vel averſari, niſi ab intellectu excitata: (§. XXX.) ſequitur, 12. ut paciſci valide nequeant, quicumque rectae rationis uſu deſtituuntur, adeoque nullius momenti ſint pacta furioſorum, niſi dilucido intervallo diſtinguatur furor, nec non 13. infantum & eorum omnium, quos ob lubricum aetatis rem non intelligere, probabile eſt, 14. praeterea aegrotorum, quorum animos morbi vehementia perturbat, immo 15. & maxime ebriorum, licet voluntaria fuerit promittentium ebrietas (*), nec 16. eorum, qui jocantes aliquid promiſerunt, ſibive ſunt ab altero ſtipulati.

(*) Quamvis enim alias tunc demum agenti non imputetur actio, ex ebrietate perpetrata; ſi per eum non ſteterit, quo minus hujusmodi quid contin-

contingeret, (§. CVI, 31.) per eum autem, qui ultro ſuavem illam inſaniam ſibi attraxit, omnino ſteterit, ne paciſceretur, quum actio ex ebrietate profecta involuntaria quidem ſit in ſe, ſed non in ſua cauſſa: (§. L. *) hic tamen aliud ſtatuendum & gradus ebrietatis diſtinguendi ſunt. Aut enim modica fuit, aut ſumma hominis aliquid promittentis ebrietas. Si modica: non ita caliginem illa offudit intellectui, ut neſciret, cui vel quidnam promitteret, adeoque hujuſmodi promiſſio omnino obligat. Sin ſumma: non potuit non illa incurrere in ſenſus, ac proinde alter, qui cum illo pactus eſt, vel in manifeſto dolo fuit, vel ſibi ſaltim imputare debet, quod cum homine vino ſepulto ac ſemiſomni rem ſeriam ſuſcipere & paciſci non dubitarit. Itaque nulla eſt ratio, cur ei jus eſſe debeat, promiſſum, diſcuſſa alterius crapula, exigendi.

An utile ſit pactum ex ignorantia vel errore initum?

§. CCCXCIII. Ex eodem porro axiomate colligimus, 17. inutile eſſe pactum, ex ignorantia vel errore initum, ſi vitium hoc intellectus ſit culpabile, vincibile, ac voluntarium: (§. CVII, 33.) non, 18. ſi ita comparata ſit res, ut & prudentiſſimum poſſit fallere, (§. CVIII, 36.) veluti 19. ſi de diverſis perſonis rebusve ſenſerint ſtipulator & promiſſor, vel 20. ſi alteruter erraverit circa perſonam, vel rem ipſam, vel 21. circa eas circumſtantias, quae non facile ſciri potuerunt, & quarum ſi conſcius fuiſſet promittens, numquam ita eſſet pactus (*).

(*) His obſervatis regulis omnes ſpecies, quae in ipſis rerum argumentis occurrere poſſunt, facile explicantur. Sic non valebit pactum, ſi quis ſe ducturum promiſit virginem, quae praegnans poſtea adpareat, quia hac in re falli potuit etiam prudentiſſimus: *per n.* 18. nec ſponſalia ullius momenti erunt, ſi cui Tulliae nuptias adfectanti, nomen vero ignoranti, Afrania per errorem ſpondeatur, quia, quum de diverſis perſonis ſenſerint, non conſenſerunt in idem placitum. *per nu.* 19. & 20. Denique ſi deſponſam Tulliam epilepticam eſſe, vel alio tetro morbo laborare, poſtea adpareat: ne eo quidem caſu ſponſus tenebitur, quia erravit circa περίστασιν, quae a ſponſo tam facile explorari non potuit, & qua tamen cognita, illum has adfectaturum nuptias fuiſſe, vix veroſimile eſt *per num.* 21.

An dolo malo elicitum?

§. CCCXCIV. Multo minus ergo 22. valebit pactum, ad quod quis dolo alterius inductus, vel 23. in quo dolo iſtius malo circumſcriptus laeſusque eſt, quia conſenſiſſe non poteſt videri, cujus menti veluti praeſtigias alter objecit, ut rem vel perſonam, de qua pactus eſt, ſibi multo aliter conciperet, ac eam poſtea reipſa deprehendit (*). Contra 24. nulla eſt ratio, cur irritum eſſe debeat pactum, ad quod tertius alterutrum paciſcentium, altero inſcio, pellexit, quamvis 25. dubitari nequeat, quin is, cujus dolo factum eſt, ut ita paciſcerentur, laeſis ad reſarciendum damnum ſit obligatus.

(*) Hinc nemo dixerit, jure naturae ratas eſſe debuiſſe nuptias Jacobi cum Lea, quas manifeſto dolo conciliaverat Labanus, *Geneſ.* XXIX, 22. Neque mos

gentis, quo facti turpitudinem velare conatus eſt Labanus, eum a dolo excuſare, vel Jacobum obligare potuit, ut ſibi a ſocero malitioſiſſimo tam proterve illudi pateretur. Nam nec obligatoria procul dubio fuit illa conſuetudo; &, ſi pro lege habita fuiſſet, id praedictum eſſe oportebat, neque debebat Labanus Rachelem petenti Jacobo promittere, ſed eum peregrinum, & conſuetudinum Syriacarum ignarum, praemonere, ſororem, natu minorem, ante majorem deſpondere, moribus patriis nefas eſſe. Omnia ergo miris fraudibus hic implicata fuerunt, nec ea rata fuiſſent procul dubio, niſi Jacobo peregrino ſatius viſum fuiſſet, concoquere injuriam, ſibi a ſocero illatam, quam in ambiguam litem deſcendere.

An vi & metu extortum?

§. CCCXCV. Quumque & vis & metus quam maxime obſtent conſenſui, nec imputari ulli poſſit, quod quis coactus fecit, ſi cogenti nullum jus cogendi fuerit: (§. CIX, 43.) facile patet, 26. non obligari promittentem aliquid latroni, aliive vim injuſte facienti. 27. Ratam contra eſſe promiſſionem, factam ei, qui, dum alterum coëgit, jure ſuo eſt uſus: 28. multoque minus dubitari poſſe de validitate pacti, ſi non ipſe, cui quid promiſſum, ſed tertius, hoc ignorante, vim adhibuerit, vel cauſſam ineundi pacti dederit (*), nec non, 29. ſi coactus poſtea rem ratam habuerit, quia tunc non ex voluntate priore, vi. & metu extorta, ſed ex poſteriore ultronea obligatur. (§. CIX, 41.)

(*) Quum enim ceſſet imputatio, ſi quid factum ſit, cujus quis nec cauſſa nec auctor eſt, (§. CV, 23.) hic vero is, cui quid promiſſum eſt, non ſit auctor violentiae, qua alter ad promittendum eſt adactus: illi etiam vim non poſſe imputari palam eſt. Sic e. g. ſi quis imminente a latronibus vel praedonibus maritimis periculo, praeſidium ſibi mercede ſatis luculenta conduxerit, fruſtra ille comitibus illis itineris, mercedem flagitantibus, reponeret, ſe metu latronum promiſiſſe. *Quid enim illorum refert, an conductor coactus ſit, ſi a locatoribus coactus non ſit? Horum culpam eſſe oportet, ut horum poena ſit:* recte inquit M. Seneca *Controv.* IV, 27.

Conſenſus paciſcentium debet eſſe mutuus.

§. CCCXCVI. Quandoquidem porro pactum in duorum pluriumve in idem placitum conſenſu conſiſtit: (§. CCCLXXXVI.) facile patet, 30. id non modo in pactis bilateralibus, ſed & in unilateralibus, juſtiſſimam habere rationem, adeoque 31. promittentem non teneri, niſi alter, ſibi gratam eſſe rem promiſſam, oſtenderit. Quod tamen 32. aliquando merito praeſumitur, tum ex ſtatu ejus, cui quid promiſſum, tum 33. ex ipſius rei, quae promittitur, indole, tum 34. ex antecedente rogatione, dummodo hoc poſtremo caſu idem, quod rogaverat alter, promiſſum ſit.

An rata ſint pacta de rebus impoſſibilibus?

§. CCCXCVII. Quia praeterea pacta ineuntur de aliquo praeſtando, (§. CCCLXXXVI.) praeſtari vero nequeunt impoſſibilia, adeoque eorum omiſſio nemini imputatur: (§. CXV, 59.) conſequens eſt, 35. ut pacta de rebus abſolute impoſſibilibus inutilia ſint,

ſint, nullaque inde naſcatur obligatio, niſi 36. tempore initi pacti res in poteſtate promittentis fuerit, iſque poſtea vires, quibus pollebat, ſua culpa detriverit, vel 37. aliquis rem non abſolute impoſſibilem, quam tamen ſibi impoſſibilem eſſe ſatis noverat, dolo malo promiſerit. (§. CXV, 60. ſequ.)

§. CCCXCVIII. Quumque ἐκ τῶν ἀδυνάτων ſint non modo, quae per rerum naturam, ſed & quae per leges bonoſque mores, fieri non poſſunt: (§. CXV, 58.) nemo non intelligit, 38. inutilia quoque eſſe pacta ac promiſſa, quibus leges juſtitiae humanitatiſque refragantur: nec non 39. quae decorum, pietatem, verecundiam, laedunt, quaeque adeo *nos ne facere quidem poſſe, credendum eſt*, uti recte, & vere φιλοσοφικῶς, ſcribit Papinianus. *l.* 15 *D. de condit. inſtit.* 40. Non obligari quemquam promiſſo, quo ſe ad patrandum delictum obſtrinxit: nec, 41. illum, qui ſe alteri ad praemium delicti dandum obligavit, eo nomine teneri: ac proinde 42. omnia pacta de rebus turpibus ac inhoneſtis inita, ſive unilateralia, ſive bilateralia, nullius momenti eſſe (*). An de rebus turpibus?

(*) Manifeſto enim contradictorium eſt, jus naturae adſiſtere pactis, etiam juri naturae contrariis: itemque prohibere illud ita paciſci, & tamen praecipere, ut pacto ſatisfiat, pactum denique nullum eſſe, & tamen effectum ſortiri. Itaque ſine perfidiae labe ab hujuſmodi pacto diſceditur, quod ſine ſummo ſcelere impleri non poteſt. Nec fidei laudem fert, qui praeſtat, quod ſine ſcelere praeſtari non poteſt. Recte proinde Deianirae, ſilentium ſibi ſtipulatae, reſpondet nutrix apud Senecam, tragoedum *in Hercule Oeto Act. II. v.* 480.

Praeſtare, fateor, poſſe me tacitam fidem,
Si ſcelere careat, interim ſcelus eſt fides.

§. CCCXCIX. Ex quo porro colligimus, 43. non obligari quemquam ad praeſtanda promiſſa, quorum praeſtationem cum alterius detrimento manifeſto conjunctam eſſe, animadvertit, 44. licet vel maxime alter perire velit, promiſſumque urgeat. Quum enim laedere alterum jure naturae prohibeamur, (§. CLXXVIII, 7.) de iis vero, quae juri naturae refragantur, paciſci nemo poſſit: (§. CCCXCVIII, 38.) non poteſt etiam pactum qualecumque, quo alter laeditur, valere, & 45. qui fidem ſic praeſtitit volenti & urgenti, non minus poena dignus eſt, ac qui invitum & repugnantem laeſit. (*) An ſervandum promiſſum cum alterius detrimento conjunctum?

(*) Nec opponi huic doctrinae poteſt, volenti non fieri injuriam. Ei enim regulae non eſſe locum, ſi velle non liceat, jam ſupra oſtendimus. Velle autem non licet ea, quae Deus vel per rectam rationem, vel per revelationem, prohibuit. Hinc quamvis Saulus, rex, vulneratus adoleſcentem ſupplex rogaſſet, ut ſe gladio transfigeret: tantum tamen abeſt, ut id impune ferret, ut Davides eum, tamquam regicidam confeſſum, confeſtim obtruncari juberet. 2. *Sam.* 1, 15. 16.

Effectus pactorum de rebus factiſve alienis.

§. CCCC. Quia porro paciſcimur de iis, quae nobis ab altero dari fierique jure perfecto cupimus, (§. CCCLXXXVI.) dari autem vel fieri non poſſunt ea, quae alterius dominio arbitriove ſubjecta ſunt: recte negamus, 46. quemquam utiliter promittere res, factave aliena, niſi mandante domino; immo 47. ne proprias quidem res, in quibus jam alteri antiquiore pacto jus aliquod quaeſitum eſt. 48. Obligari quidem eum ad omnem diligentiam adhibendam, qui ſe operam daturum promiſit, ut alius det faciatve, (*) immo & 49. ad id, quod intereſt, ſi, ſe rem alteri confectam daturum, receperit; 50. non autem ei, cui quis rem factumve tertii promiſit, jus eſſe, rem illam factumve a tertio exigendi. Vid. Hert. *de obl. alium datur. facturumve.*

(*) Quum enim plus, quam operam ſuam diligentiamque, non promiſerit: nec plus ab eo exigere poterit is, qui ſibi illam pactus eſt. Et generatim, quoties quis ſibi aliquid ſtipulatus eſt, quod in alterius poteſtate abſolute non eſſe praeſcivit, vel praeſcire potuit: toties promittens, praeſtita omni diligentia, liberatur. Eleganter id obſervat Seneca *de benefic. VII*, 13: *Quaedam ejus conditionis ſunt, ut effectum praeſtare debeant, quibuſdam pro effectu eſt, omnia attentaſſe, ut efficerent. Si omnia fecit, ut ſanaret: peregit medicus partes ſuas. Etiam damnato reo, oratori conſtat eloquentiae officium, ſi omni arte uſus eſt. Laus imperatori, etiam victo; & duci redditur, ſi & prudentia & induſtria, & fortitudo muneribus ſuis functa eſt.*

Pactum & pure, & ſub conditione, & ex die vel in diem recte initur: non tamen ſub conditione impoſſibili.

§. CCCCI. Ex eodem, quod datio vel factum, quod promittitur, ab utriuſque conſenſu pendet, (§. CCCLXXXVI.) ſua ſponte ſequitur, 51. ut in paciſcentium arbitrio ſit, PURE, an SUB CONDITIONE, an IN DIEM, vel EX DIE paciſci velint, eaſque circumſtantias a paciſcentibus accurate eſſe obſervandas, dum, 52. quod ad conditionem attinet, illa effectum pacti ab incerto eventu vere ſuſpendat, id eſt, dummodo vere ſit CONDITIO. Ex quo patet, 53. id, quod ſub *conditione impoſſibili*, quam vocant, promiſſum eſt, non deberi, quum nec hoc additamentum conditionis nomen mereatur, (*) & ii, qui, quod fieri non poſſe praeſciverant, promiſerunt ſtipulative ſunt, aut jocati, aut inſanuiſſe, ac priore caſu paciſci noluiſſe, poſteriore non potuiſſe, cenſeantur. (§. CCCXCII, 12. 16.)

(*) Eſt enim CONDITIO certa quaedam circumſtantia, a paciſcentibus expreſſa, a qua pacti effectus ſuſpenditur, tamquam ab incerto eventu. Quum ergo impoſſibilis, quam vocant, conditio non exprimat incertum eventum, ſed, quem non exſtiturum, certiſſimum eſt: ſequitur, ut nec ſuſpendat pacti effectum, adeoque non ſit conditio. Cavillabatur ergo Miltiades, qui urbis deditionem a Lemniis ex pacto poſtulabat, quod domo profectus, vento Aquilone Lemnum perveniſſet. Nepos *Miltiad. Cap. I. & II.* Lemnii enim Athenas intellexerant: nec aliter Lemniorum verba capere poterat Miltiades,

qui

qui eo tempore nuſquam, niſi Athenis, domum habebat. Conditio ergo erat impoſſibilis, quae, quum exſiſtere numquam poſſet, pactum reddebat irritum, maxime quum illuſiſſe Lemnios Miltiadi, & irridentes hoc dixiſſe, adeoque jocatos eſſe, facile intelligere potuiſſet Miltiades.

Multo minus ſub turpi.

§. CCCCII. Quum vero, & quae rectae rationi, legibus, boniſque moribus adverſa ſunt, ἐκ τῶν ἀδυνάτων eſſe cenſeantur, (§. CXV, 58.) id vero, quod ſub conditione impoſſibili promiſſum eſt, non debeatur, (§. CCCCI, 53.) quin generatim de rebus turpibus paciſci non liceat: (§. CCCXCVIII, 40.), inde merito colligimus, 54. turpes etiam inhoneſtaſque conditiones vitiare pactum, (*) eumque, 55. qui ſub hujuſmodi conditione promiſit, illam adimplere non teneri: 56. ſi vero adimpleta ſit, utrumque paciſcentem poenas merito dare, & promittentem quidem, quod delictum perpetravit, alterum, quod talem ferendo conditionem, pro cauſſa iſtius facinoris morali merito habetur. (§. CXII, 49.)

(*) Ex ſingulari ratione Romani conditiones, tum phyſice, tum moraliter impoſſibiles, pro non adſcriptis eſſe voluerunt in ultimis voluntatibus. §. 10. *Inſt. de her. inſt. l. 1. l. 19. D. de condit. inſt. l. 8. & l. 20. D. de condit. & dem.* Quemadmodum enim abſurdum videbatur, teſtatori indulgeri, ut in actu tam gravi & ſerio, heredi illudere, nugaſque agere poſſet: ita nec heredi fraudi eſſe debebat omiſſio actionis impoſſibilis, in quam numquam conſenſiſſet. (§. CXV, 59.) Et hinc legata accepturi nihilominus ex jure Romano fuiſſent, ab Eumolpo honorati, apud Petron. *Sat. Cap. XCI.* ſi vel maxime non adimpleſſent conditionem: *Omnes, qui in teſtamento non legata habent, praeter liberos meos, hac conditione percipient, quae dedi: ſi corpus meum in partes conciderint, &, adſtante populo, comederint.* At, quum ex noſtra ſententia non alias ultimas voluntates agnoſcat jus naturae, quam quae per modum pacti fiunt: (§. CCXCI. 5.) nihil obſtat, quo minus, quae de pactis, ſub impoſſibili vel turpi conditione initis, diximus, (§. CCCCI. & CCCCII.) etiam de ultimis voluntatibus valere debere dicamus: ut adeo abſurda dicenda ſit Thebanorum lex, quae conditionem adimpleri juſſerat ridiculam, ut heres captator mortuam teſtratricem nudam, & oleo unctam, humeris ſuis efferret,

Scilicet elabi ſi poſſet mortua, credo,
Quo nimium inſtiterat viventi.

Vid. Horat. *Serm. II*, 5.

An liceat per alios promittere & paciſci?

§. CCCCIII. Quia porro & per modum mandati, & per negotiorum geſtionem, cuivis licet alterius utilitatem promovere, eumque ope ſua, juvare: (§. CCCXLVI.) non poſſumus non inferre, 57. perinde eſſe, ſive ipſe quis paciſcatur promittatve, ſive ejus mandato alius. Quum vero negotiorum geſtor tantum ad utiliter gerendum obligatus ſit, (§. CCCXLVIII.) non vero utiliter gerat, qui de alieno liberalis, aliquid ſine conſenſu domini promittit: (§. CCCC, 46.) conſequens eſt, 58. ut liceat quidem negotiorum geſtori alteri ſtipulari, adeoque 59. aequitati naturali parum conveniens videatur regula juris Romani: *ne-*

minem

minem poſſe alteri, niſi cujus juri ſubjectus ſit, ſtipulari: §. 4. Inſt. de inut. ſtip. non tamen 60. pro abſente & ignorante promittere, & talis promiſſio dominum plane non obſtringat.

Quae de pactis dicta, etiam ad contractus pertinent.

§. CCCCV. Denique, quum ineunte hoc capite a nobis obſervatum ſit, inter pacta & contractus jure naturae nihil eſſe diſcriminis, ſiquidem utrumque negotium utriuſque conſenſu capit ſubſtantiam: (§. CCCLXXXV.) facile patet, 61. omnes regulas, quas hoc capite vidimus, non minus ad contractus, quam ad pacta, pertinere, nec 62. male illum ratiocinari, qui a natura pactorum ad contractuum indolem eruendam ducit argumentum.

Cap. XV.

QUIBUS MODIS OBLIGATIONES EX CONTRACTIBUS PACTISQUE SOLVANTUR.

§. CCCCVI.

Axiomata generalia de modis ſolvendi obligationem.

PActa ſumma FIDE & quam religioſiſſime ſervanda eſſe, nihilque data FIDE debere eſſe ſanctius, ſupra demonſtrare nos meminimus; (§. CCCLXXXVII. ſequ.) FIDES vero hic nobis nihil aliud eſt, quam promiſſionum pactorumque impletio, adeoque vere Cicero *de offic. I, 6.* quamvis parum accurate ad grammaticorum regulas, FIDEM *adpellatam*, ait, *quia fiat, quod dictum eſt.* Ex quo colligimus, 1. tum demum paciſcentes finem ſuum adſequutos, quando pacti legibus ſatisfactum, idque, quod dictum, factum ſit, 2. fine autem hoc obtento, (qui ex philoſophorum ſententia primum in intentione, & poſtremum in exſequutione eſt, vel ita comparato, ut obtineri numquam poſſit, (§. CCCXCVII, 35.) ipſam quoque obligationem, ex pacto promiſſove natam, ceſſare oportere (*).

(*) Jure quidem Romano diſtinguitur inter modos, quibus IPSO JURE, & quibus OPE EXCEPTIONIS tollitur obligatio. Quoties enim facto aliquo paciſcentium perimitur obligatio, veluti ſolutione, in ſolutum datione, acceptilatione, ceteris: toties *ipſo jure* illa exſpiraſſe; ſi contra propter aequitatem eliditur, *per exceptionem* ſublata dicitur. Quamvis vero nec ocioſam exiſtimemus illam jureconſultorum diſtinctionem, nec eamdem omni ratione deſtitui contendamus: (quam in rem praeclara ſunt, quae diſputavit celeberrimus Henr. Cocceius *diſſ. de eo, quod fit ipſo jure,*) eam tamen ignorare jus natu-

naturae rectamque rationem, facile nobis largientur ii, quibus explorata eſt Romanorum res judiciaria, ratioque, quae illos ad excogitandam hanc diſtinctionem permovit.

§. CCCCVII. Quum itaque ceſſet obligatio, ex pacto promiſſove nata, quando pacti legibus ſatisfactum, idque, quod dictum, factum eſt: (§. CCCCVI, 1. 2.) conſequens eſt, 3. ut illa ceſſet, facta SOLUTIONE, quippe quae nihil aliud eſt, quam naturalis praeſtatio ejus, quod in obligatione eſt, illi, cui quis ex promiſſo obligatur, facta. Quemadmodum vero 4. ei, cui ſolvendum, perinde eſt, a quo ſibi ſolvatur, dummodo vel rem ipſam, quae debetur, vel, ſi res fungibilis in obligatione ſit, tantumdem accipiat, (§. CCCLXIV, * 3.) quum ita naturaliter illi praeſtetur, quod in obligatione eſt: ita ex eadem ratione facile patet, 5. alio ſe ad pacti impletionem offerente, non liberari paciſcentem, ſi quid, quod vicariam alterius praeſtationem non admittit, promiſſum ſit (*). Modus primus, ſolutio. A quo fieri debeat?

(*) Id toties contingit, quoties perſonae qualitas vel induſtria aliquos ad paciſcendum impulit. Hinc ſi Titia ex pacto ſponſalitio obligata eſſet ad nuptias cum Sempronio contrahendas: ea ſane non liberaretur, ſi vel maxime Sulpicia parata eſſet ad pactum pro Titia implendum, quia Sempronius Titiae qualitates, virtutes, aetatem, formam, frugalitatem, elegit, adeoque ei non perinde eſt, quae ſibi nubat. Contra commodatario perinde eſt, ſive librum commodatum a commodatario, ſive a tertio quodam, quocum ipſi nihil negotii fuit, recipiat: creditoris quoque non refert, utrum a debitore, an a tertio, etiam ignoto ſibi homine, ſortem uſuraſve accipiat: quia utrique hoc modo naturaliter praeſtatur, quod in obligatione eſt.

§. CCCCVIII. Ex eodem principio colligimus, 6. praeſtandam eſſe vel eamdem ſpeciem, ſi alteri uſus tantum vel cuſtodia rei non fungibilis conceſſa, vel 7. idem genus, ſeu tantumdem, ſi res fungibilis alteri abutenda data ſit. 8. Creditori invito non obtrudendum eſſe aliud pro alio, multoque minus 9. eum cogendum eſſe, ut partem pro toto accipiat, vel 10. tardius, aliove loco, quam legibus contractus cautum eſt, ſolvi ſibi patiatur (*): quia omnibus his caſibus tunc non praeſtaretur naturaliter, quod in obligatione eſt. (§. CCCVII, 3.) Praeterea ex eodem patet, 11. non alii ſolvendum eſſe, quam creditori, dummodo leges illum ſolutionem accipere patiantur, vel 12. ei, cui ille nomen ceſſit, vel 13. cui ſolvi mandavit, quum alias praeſtetur quidem, quod in obligatione eſt, ſed non ei, cui ex promiſſo obligatus eſt debitor. (§. CCCCVII, 3.) Quid, & cui ſolvendum ſit?

(*) Quamvis enim ſaepe debitori aliquid indulgeri jubeat neceſſitas, ſaepe & leges humanitatis ſubigere debeant creditorem, ut aliquid de rigore

re juris remittat: nos tamen hic de jure loquimur. Hoc pacta & contractus ſumma fide ſervari jubet. *Fides* autem, recte obſervante Cicerone *de offic.* II, 24. *nulla eſſe poteſt, niſi ſit neceſſaria ſolutio rerum creditarum.*

Modus ſecundus, compenſatio. §. CCCCIX. Deinde, quia ceſſat obligatio ex pacto, quoties ejus legibus ſatisfactum, idque, quod dictum, factum eſt, (§. CCCCVI, 1. 2.) in rebus vero fungibilibus tantumdem pro eodem habetur: (§. CCCLXIV, * 3.) conſequens eſt, 14. ut & COMPENSATIONE tollatur obligatio, quippe quae nihil aliud eſt, quam mutui debiti & crediti, quorum utrumque certam aeſtimationem habet, inter ſe contributio (*).

(*) Accedit & alia ratio. Quum enim ei ſolutum eſſe dicamus, qui habet, quod in obligatione eſt, (§. CCCCVII, 3.) is vero, cui res fungibilis debebatur, eam habeat, ſi tantumdem acceperit: (§. CCCLXIII, * 3.) ſequitur, ut ei, qui ex hujusmodi obligatione quovis modo tantumdem accepit, ſolutum eſſe videatur, ac proinde COMPENSATIO nihil aliud ſit, quam ſolutio brevi manu facta. Ut adeo aequiſſimum ſit, compenſationis eumdem eſſe effectum, ac ſolutionis. Quod recte viderunt majores noſtri, dum dicere ſoliti ſunt: *Abrechnen ſey ſo gut, als zahlen.*

Quid circa illam juſtum ſit? §. CCCCX. Ex ea vera definitione patet, 15. compenſationi non eſſe locum, niſi inter eos, qui ſibi mutuo debent, ac proinde 16. fruſtra veluti in ſolutum alteri invito obtrudi, quod nobis a tertio debetur. 17. Compenſationi locum eſſe in rebus fungibilibus, quae, quum regulariter pretium adfectionis non admittant, certam ſemper habent aeſtimationem, non autem 18. compenſari poſſe ſpeciem cum ſpecie, nec 19. diverſum genus cum diverſo genere, nec 20. praeſtationes perſonales cum praeſtationibus ſimilibus, quia haec omnia & adfectionem admittunt, & incertae ſunt aeſtimationis. 21. Denique compenſationem, quantitatum, etiam inaequalium, admitti ad ſummam concurrentem, quamvis & recta ratio videat, 22. ab eo non poſtulari aequum, qui liquidum cum illiquido compenſari velit (*).

(*) Multo minus ergo recte compenſatur debitum liquidum cum eo, quod alter vi injuſta non fecerit injuriam, quia hic plane deficit mutua obligatio. Lepida ergo, ſi qua alia, fuit compenſatio, qua creditoribus ſuis ſatisfecit Vitellius apud Dion. Caſſ. *Hiſt. Lib. LXV. p.* 735. Quum enim hi, proficiſcenti in Germaniam, Vitellio injeciſſent manus, eumque vix, datis fidejuſſoribus, dimiſiſſent: hic, occupato imperio, illos latitantes requiſivit, ſublatasque eſſe compenſatione obligationes, dixit, quin & chirographa ſibi reddi juſſit, interſerens cauſſam, τὴν σωτηρίαν σφίσιν ἐς τὸ ὀφειλόμενον ἀποδιδόναι, *ſalutem ſe illis pro credita pecunia reddidiſſe.* Quaſi & id imputare viatori poſſit latro, quod, quum jugulare potuiſſet, incruenta ſpolia detraxerit.

Tertius modus, §. CCCCXI. Quum porro & illi ſatisfactum ſit procul dubio, qui

qui nihil a debitore exigere cupit, & quiſque ſe jure ſuo, quod in favorem ſui invectum eſt, recte ſe abdicet: (§. XIII, 19.) conſequens eſt, 23. ut & CONDONATIONE vel REMISSIONE quaevis ſolvatur obligatio, per quam quippe intelligimus renunciationem creditoris, qua ſe jure ſuo exigendi debitum ultro abdicat. Quumque perinde ſit, ſive quis animi ſententiam verbis, ſive factis, aliiſque ſignis, declaret: (§. CXCV. *) 24. perinde etiam eſſe patet, ſive verbis acceptum quis ferat, ſive factis, veluti redditione, vel combuſtione, vel laceratione chirographi, 25. dummodo de contraria mente, aliove conſilio creditoris, non conſtet. vel 26. chirographum non a creditore, ſed ab alio injuſſo, vel 27. caſu fortuito potius, quam voluntate creditoris, laceratum combuſtumve eſſe, liquido probari poſſit (*). Condonatio.

(*) Sic recte remiſſa ſibi eſſe tributa aliaque debita fiſcalia, dicere poterant Romani, quod eo conſilio chirographa & rationes omnes publice combuſſiſſet Hadrianus Imp. ut hac ſtupenda liberalitate civium Romanorum animos ſibi devinciret. Spartian. *Hadr. Cap. VI.* Abſurde vero idem ſibi perſuaderet debitor, cui ideo chirographum reddidit creditor, ut alia ac meliore forma conciperetur, vel cujus chirographum, orto incendio, conflagravit. Ex quo etiam facile reddideris rationem, cur ſemper iniquiſſimum viſum ſit, populum Romanum, obaeratum, NOVAS TABULAS poſtulare, id eſt, a magiſtratibus, vel turbulenti ingenii tribunis, remiſſionem aeris alieni flagitare. Ita enim condonatio non proficiſcebatur a creditoribus, ſed a magiſtratibus, de alieno liberalibus, & quorum potius erat jus dicere creditoribus, quam iis invitis, debitores liberare. Peſſimi rem exempli primum a Sulla repertam, ferunt. *Liv. Epit. Lib. LXXXVIII.* Idem deinde Catilinam, idem ipſum populum a Caeſare exſpectaſſe, conſtat, quamvis tunc ſpe ſua exciderint homines turbulentiſſimi. Salluſt. *Catil. Cap. XXI.* Caeſar *de bello civ. III*, 1. Suet. *Jul. Cap. XLII.* Plutarch. *Solon. pag. 86.*

§. CCCCXII. Quum porro unuſquiſque jure ſuo ſe abdicare, & alteri, quod ſibi debet, remittere poſſit: (§. CCCCXI, 23.) ſequitur profecto, 27. ut & uterque obligationem bilateralem mutuo conſenſu tollere poſſit, maxime, quum *nihil ſit tam naturale, quam eodem modo quidque diſſolvi, quo colligatum eſt. l. 35. D. de reg. jur.* 28. Ut tamen is modus ſolvendi obligationem locum non habeat, ſi leges poſitivae negotium aliquod, ſemel contractum, indiſſolubile eſſe jubeant. Quale hodie ubique inter Chriſtianos eſſe matrimonium, quod olim apud Romanos bona utriuſque gratia impune ſolvebatur, nemo ignorat. Quartus mutuus diſſenſus.

§. CCCCXIII. Quia vero mutuo tantum conſenſu tolli poteſt bilateralis obligatio: (§. CCCCXII, 27.) 29. unius ſane voluntas illam non tollit, adeoque 30. alterutrius partis PERFIDIA non abrumpit obligationem, ceu viſum eſt Grotio *de jure belli & pac. III,* An & alterutrius perfidia ſolvatur obligatio?

III, 19, 14. & Pufendorffio *de jure nat. & gent. V*, 11, 9. Nam 31. & ipſe, qui fidem non praeſtat, obligatus manet, quum ſe ſua voluntate obligatione exſolvere non poſſit: (*per concl.* 29.) & alteri jus eſt, illum ad implendum pactum cogendi; quamvis, 32. ſi hic jure ſuo uti nolit (*), procul dubio ceſſet utriuſque obligatio, quippe jam utriuſque conſenſu ſublata. (§. CCCCXII, 27.)

(*) Poteſt autem id unuſquiſque, ſi alter pactum adimplere nolit. Omni enim bilaterali negotio tacita ineſt conditio, unum praeſtiturum, quod promiſerit, ſi & alter ex ſua parte pacto ſit ſatisfacturus, (§. CCCLXXXIX.) Si ergo hic pacto non ſatisfecit, deficit conditio, a qua ſuſpenſa eſt obligatio, (§. CCCCI, 52.) adeoque & ipſa alterius obligatio ceſſat.

Quintus & ſextus modus, lapſus temporis & defectus conditionis.

§. CCCCXIV. Quandoquidem porro qualemcumque pacto circumſtantiam addere licet, eaeque circumſtantiae a paciſcentibus accurate ſunt obſervandae: (§. CCCCI, 51.) facile intelligitur, 33. obligatione EX DIE concepta, id, quod promiſſum eſt, non prius, quam veniente die, peti poſſe: 34. ſin IN DIEM promiſſum ſit, veniente illo die, obligationem ipſo jure perimi (*). 35. CONDITIONE porro, a cujus eventu pacti effectus ſuſpenſus eſt, non exſiſtente, obligationem ex eadem ratione tolli, 36. niſi quis ad implendam conditionem paratus, ab ipſo paciſcente, vel 37. a tertio, ſine quo adimpleri non potuit, ſit prohibitus.

(*) Itaque denuo fori Romani ſubtilitates redolet regula jureconſultorum Romanorum, ex contractu ſtricti juris non poſſe ad tempus deberi, adeoque obligationem hujuſmodi, in certum diem conceptam, perpetuari, niſi quod creditor ultra tempus conſtitutum aliquid petens exceptione doli mali repelli poſſit. §. 3. *Inſt. de verb. oblig. l.* 4. *pr. D. de ſerv. l.* 44. §. 1. *D. de obl. & act.* Sunt hae tricae fori Romani, quas ſi quis in jure naturae quaereret, nae iſte mihi magno conatu maximas nugas agere videretur.

Septimus, mors.

§. CCCCXV. Sunt porro obligationes, quae contemplatione cujuſdam perſonae, ejuſque qualitatum, contrahuntur. Hae ergo quum ita ſint comparatae, ut vicariam praeſtationem non admittant: (§. CCCCVII, 5. *) nemo non videt, 38. eas non tranſire poſſe ad heredes & ſucceſſores, adeoque 39. MORTE promittentis exſpirare, quale quid in obligatione deſponſatorum, mandatariorumque obſervamus. Non autem 40. hunc modum ſolvendi obligationem pertinere ad obligationes reliquas, quae ex bonis poſſunt adimpleri, 41. quippe quas, tamquam vicariam praeſtationem admittentes, & ad heredes transferri, aequiſſimum eſſe, jam ſupra demonſtravimus. (§. CCCV, 56.)

Octavus, ſtatus mutatio.

§. CCCCXVI. Eadem eſt ratio, ſi contemplatione certi cujuſdam ſtatus ad aliquid praeſtandum ſimus obligati. Perinde enim eſt, ac ſi ſub conditione, ſi duret ille ſtatus, promiſſum eſſet.

Quum

Quum ergo, deficiente conditione, & obligatio ceſſet: (§. CCCCXIV, 35.) ſequitur ſane, 42. ut & mutato ſtatu obligatio, in illo ſtatu unice fundata, ceſſet, adeoque 43. qui adminiſtratorio nomine contraxit, finita adminiſtratione, non amplius teneatur. *l. ult. D. de inſtit. act. l. 26. C. de adm. tut.* Quod tamen 44. de ſola obligatione, quae ex pacto vel lege poſitiva oritur, non de illa, quam ipſa naturalis ratio hominibus imponit, intelligendum eſſe, facile intelligitur (*).

(*) Sic officia ſpecialia, quae conſul civitati debet, quia ex pacto ſunt, ceſſant, ſimulac ille conſul eſſe deſinit. Sed & officia filiifamilias, quatenus ex lege poſitiva ſunt, ceſſant, ſimul ac filius patria poteſtate exiit. Ex eo enim tempore patri non amplius adquirit, nec uſumfructum bonorum adventitiorum moribus noſtris debet. At officia, quae liberis ipſa naturalis ratio imponit, veluti obſequium, reverentia, gratus animus, etiam, ſoluta per emancipationem patria poteſtate, durant, nec parentibus, quorum e manu exceſſerunt liberi, ſine injuria denegantur.

§. CCCCXVII. Quandoquidem porro obligatio ceſſat, ſi finis ita ſit comparatus, ut obtineri numquam poſſit: (§. CCCCVI, 2.) fieri non poteſt, 45. quin is, qui ſpeciem promiſerit, illa caſu pereunte, liberetur, niſi forte 46. eam aeſtimato, vel 47. tamquam in ſolutum promiſerit, nec 48. prior obligatio per novationem expreſſe ſublata ſit. Praeterea quum neminem excuſet impoſſibilitas, qui in culpa vel mora eſt: (§. CXV, 60.) facile patet, 49. periculum rei promiſſae ferre, qui in mora vel culpa eſt, adeoque 50. ea omnia, quae ſupra de periculo rei venditae diximus, (§. CCCLIII. ſequ.) hic eſſe repetenda. Nonus, rei interitus.

§. CCCCXVIII. Denique, quum & per alium ſolvere, (§. CCCCVII, 4.) & obligationem alteri remittere, (§. CCCCXI, 23.) & ab ea communi conſenſu diſcedere, novamque introducere liceat, quod poſtremum conventionis genus ſupra *pactum mixtum* vocavimus: (§. CCCLXXXIX.) ſequitur, 51. ut quiſque alteri priorem obligationem remittere, novamque ejus loco recipere poſſit, quod negotium NOVATIONEM, &, ſi de rebus dubiis & litigioſis contrahatur, TRANSACTIONEM vocamus. 52. Ut creditor debitori & ea lege remittere poſſit debitum, ut pro eo alius, quem ipſe idoneum judicat, ſubſtituatur: quod ſpeciatim vocant DELEGATIONEM. 53. Ut novationem diſertis verbis, vel ſignis evidentiſſimis, 54. delegationem vero, ſimul conſentientibus omnibus, qui ad negotium illud concurrunt, fieri oporteat. Ut denique 55. multum interſit inter *delegationem* & *ceſſionem*, qua creditor actionem adverſus debitorem, hoc etiam inſcio & invito, in alterum transfert. Decimus, novatio & delegatio.

LIB. II.

JUS GENTIUM.

CAP. I.

DE STATU HOMINIS NATURALI & SOCIALI.

§. I.

Connexio.

HActenus JUS NATURAE, quo ſingulorum actiones reguntur, expendimus. Proximum eſt, ut, promiſſi memores, etiam JUS GENTIUM, ad principia ſua revocatum, veluti in nucleo exhibeamus. (Lib. I. §. XXIII.) Quum vero JUS GENTIUM ſit ipſum jus naturale, vitae hominis ſociali, negotiiſque ſocietatum & integrarum gentium adplicatum: (Lib. I. §. XXI, 44.) illius indolem perſpici ſine diſtincta STATUUM & SOCIETATUM notione non poſſe, facile patet.

Quid ſtatus hominum phyſicus & moralis?

§. II. STATUS generatim eſt qualitas, per quam res unaquaeque limitatur, adeoque qualitates, per quas ipſe homo limitatur, recte vocantur STATUS HOMINIS. Quemadmodum vero jam vires animi & corporis ab ipſo Deo, hominum conditore, jam actiones eorum liberae per legem limitantur: ita priorem hominum ſtatum PHYSICUM (*); poſteriorem MORALEM adpellamus. Quum itaque jam de jure gentium acturi ſimus, quod in actionibus liberis dirigendis verſatur: nemo non intelliget, ſtatum hominis non *phyſicum*, ſed *moralem*, directe ad nos pertinere.

(*) Sic ex limitationibus illis, ab ipſo rerum conditore profectis, eſt, quod alii ſint *maſculi*, alii *feminae*; alii *corpus recte formatum*, alii *monſtroſum*; alii *validum & robuſtum*, alii *languidum* ac *debile*; alii *formoſum*, alii *deforme* acceperunt; aliis *ingenium perſpicax & ad omnia factum*; aliis *hebes*, ac *ineptiſſimum*; aliis paene *nullum* contigit. Quae quidem omnia ad ſtatum hominis PHYSICUM, quem jureconſulti *naturalem* vocant, pertinere, res ipſa docet. Contra actiones hominis liberae per leges aliter limitantur, ſi quis ſit *maritus*, quam ſi *in caelibatu* vivat, aliter, ſi *parentis*, aliter, ſi *filiiſamilias*, aliter, ſi *domini*, aliter, ſi *ſervi* perſonam gerat. Quare haec omnia ad ſtatum hominis MORALEM, qui jureconſultis *civilis* eſt, referenda ſunt, quamvis paullo latius pateat ſtatus MORALIS, quam jureconſultorum civilis, ad quem tantum ſtatum *libertatis*, *civitatis*, & *familiae* referre ſolent.

§. III.

§. III. STATUS porro ille MORALIS, ſecundum quem homines quam maxime diſtinguuntur, vel illis connatus eſt, vel ab aliquo ejus facto pendet. Prior vocatur NATURALIS; poſterior ADVENTITIUS. Itaque nobis STATUS NATURALIS eſt qualitas vel conditio, homini ab ipſa natura, ſine facto ejus, impoſita, in qua liberae ejus actiones, prout id natura illius ſtatus exigit, lege naturali limitantur. STATUS contra ADVENTITIUS qualitas vel conditio, quam homo ſibi facto ſuo eligit, in qua liberae ejus actiones, prout id ejus ſtatus indoles & conſervatio exigit, lege limitantur (*).

Quid ſtatus naturalis & adventitius?

(*) Ex illa limitatione contingit, ut uterque STATUS & jura certa hominibus tribuat, & certa iiſdem officia imponat. Sic ſingularia jura atque officia competunt iis, qui in ſtatu naturali vivunt, alia maritis & uxoribus, alia patribus filiiſque familias, alia dominis ſerviſque, alia civibus. Et hinc eodem redit definitio ſtatus Puſendorffii *de offic. hom. & civ. II*, I, 1. STATUM in genere eſſe *illam conditionem, in qua homines conſtituti intelliguntur ad certum genus actionum obeundum, quam etiam peculiaria fere jura comitantur.*

§. IV. Non ergo hic 1. ſtatum NATURALEM opponimus ſtatui brutorum, quae diverſa a brutis natura magis ad *ſtatum phyſicum*, quam *moralem*, pertinet (*): (§. II.) nec 2. ſtatui naturali repugnanti, qualem ſibi ſtatum ſervorum fingebant jureconſulti: §. 2. *Inſt. de jure perſ.* ſed 3. ſtatui ſociali & civili, quippe quorum utrumque facto ſuo ſibi aliiſque imponunt homines, & quorum uterque vere eſt adventitius. (§. III.) Hic vero qualis fuerit, jam paullo accuratius, adhibita in conſilium ratione, erit conſiderandum, quum unuſquiſque inde ſit perſpecturus rationem, cur homines plerique, relicto illo ſtatu naturali, ſibi alios, quamvis cum variis moleſtiis conjunctos, adſciverint.

Naturalis ſtatus hic non opponitur ſtatui brutorum, nec contra naturali.

(*) Equidem & ex hoc hominum ſtatu, in quo a creatore ſunt conſtituti, dum eos eximia prae ceteris animalia eſſe voluit, officia quaedam elicit Puſendorff. *ibid.* §. *III.* veluti *quod homo debeat auctorem ſui agnoſcere, colere, & ipſius opera admirari, ac diverſa plane ratione a brutis vitam ſuam exigere.* Quale quid & Simplicio *ad Epict. Cap. LXXIX. p.* 331. in mentem veniſſe videtur, dum precatur Deum, *ὑπομνησθῆναι τῆς ἑαυτοῦ εὐγενείας, ἧς ἠξιώθημεν παρ᾽ αὐτοῦ; ut recordari ſe faciat nobilitatis, qua ille nos homines dignatus ſit.* Sed ad haec omnia ſimiliaque officia non ideo, quod aliquid eximium prae brutis accepimus, ſed ex voluntate Dei O. M. omnis juſtitiae fonte, (Lib. I. §. LXII, 2.) obligamur, ac proinde illa ſupra ex hoc limpidiſſimo fonte a nobis jam ſunt derivata, (Lib. I. §. CXXVI. §. CXLIX.)

§. V. Obſervavimus jam ſupra, (Lib. I. §. LXXXVIII, 52.) omnes homines, quamvis alter altero perfectior imperfectiorque eſſe poſſit, natura tamen ſibi invicem eſſe aequales. Et quis, quaeſo, id in dubium vocet, quum omnes iiſdem partibus eſſentiali-

Eſt ille ſtatus aequalitatis.

bus,

bus, puta, mente & corpore, conſtent? Ex eo vero ſequitur, 4. ut ſtatus naturalis ſit ſtatus aequalitatis, ac proinde 5. eorum, qui in illo vivunt, nemo altero vel ſuperior ſit, vel inferior, &, quod conſequi inde neceſſe eſt, 6. nec imperio, nec ſubjectioni, 7. immo nec ulli dignitatum diſcrimini in illo locus ſit, adeoque recte ſcripſerit Ulpianus: *Quod ad jus naturale attinet, omnes homines aequales ſunt. l.* 32. *D. de reg. jur.* Addantur *l.* 4. *D. de juſt. & jure. l.* 12. §. 3. *D. de accuſat. l.* 64. *D. de condict. indeb.* (*)

(*) Mutuatos haec jureconſultos eſſe a Stoicis, obſervat Merillius *Obſerv. I*, 15. Et paſſim ſane ſimiles Stoicorum ſententiae exſtant apud Arrian. *diſſ. Epict. I*, 13. & Senecam *Epiſt. XLVII. & de benef. III*, 22. quas ipſe laudavit Merillius. Enimvero commune potius omnibus philoſophis & poëtis fuit hoc principium, quod non potuerunt non adoptare, quicumque naturam hominis paullo attentius ſunt contemplati. Huc ſane pertinet illud Euripidis *in Hecuba v.* 291.

Νόμος δ' ἐν ὑμῖν τοῖς τ' ἐλευθέροις ἴσος
Καὶ τοῖσι δούλοις αἵματος κεῖται πέρι.
Lex enim vobis & liberis aequa
Et de ſervili ſanguine natis lata eſt.

nec non fragmentum Varronis apud Nonium Marcell. *II*, 98. *Natura in humanis omnia ſunt paria*: ut alia aliorum ejuſdem ſententiae teſtimonia nunc praetermittamus, quorum ſane complura hic accumulare liceret, ſi jam id ageremus.

Itemque libertatis.

§. VI. Quumque in ſtatu naturali, ut inter aequales, nec imperio, nec ſubjectioni locus ſit: (§. V, 6.) conſequens eſt, 8. ut ſtatus naturalis ſit ſtatus libertatis (*), in eoque 9. nec ſubjectioni politicae, nec, quae jure gentium introducta eſt, ſervituti locus fuerit. 10. Ut in eo ſtatu exſulare oporteat leges poſitivas humanas, itemque 11. magiſtratus, 12. poenas, & 13. quidquid ſine alterius prae altero praerogativa poteſtateve intelligi non poteſt.

(*) Libertas nobis eſt facultas omnia agendi ſuo arbitrio, & in ſuam utilitatem. Ea vel politica ſeu civilis eſt, quando quis ſuperiorem non agnoſcit: cujus arbitrio, & in cujus utilitatem quid agere vel omittere teneatur: vel juris gentium, qua gaudent, qui in nullius domini poteſtate ſunt, nec ejus arbitrio & in ejuſdem utilitatem omnia agere coguntur. Priori ergo libertati, quam politicam vocavimus, subjectio; poſteriori, quam juris gentium eſſe diximus, servitus opponitur. Addidit illuſtris Thomaſius *in Not. ad Inſt. p.* 13. tertiam libertatis ſpeciem, puta naturalem, quae §. 2. *Inſt. de jure perſ.* definitur. Sed quum ea, ipſo fatente viro doctiſſimo, oppoſitum non habeat, & magis ad ſtatum hominis phyſicum, quam moralem referenda ſit: ejus hic nulla habenda erit ratio.

In eo tamen vigere oportuit jus naturae.

§. VII. Quia vero in ſtatu illo & leges poſitivas humanas, & magiſtratus, & poenas, ideo exſulare oportebat, quod omnes homines eſſent inter ſe aequales, (§. VI, 10. ſequ.) ea vero ratio non cadit in jus illud ſempiternum, ab ipſo Deo immortali conſtitu-

ſtitutum: ſatis patet; 14. hominum actiones & in ſtatu naturali lege naturali regi, 15. eoſque, qui in illo vivunt, non minus, quam nos, qui ſtatus adventitios adſcivimus, ad Deum colendum, eique obtemperandum, 16. ad ſe ipſos amandos, conſervandos, perficiendos, 17. alios denique homines, tamquam ſe ipſos, diligendos, 18. neminem laedendum, 19. ſuum cuique tribuendum, quin & 19. ad omnia humanitatis ac beneficentiae officia aliis praeſtanda, eſſe obligatos (*).

(*) Habes hic praecipuum argumentum, quo jam ſupra hypotheſin Puſendorffii de ſocietate, juris naturalis fonte ac ſcaturigine, profligavimus. (Lib. I. §. LXXV, 27.) Ponit vir doctus, jus naturae eſſe ex cuſtodia ſocialitatis, ad ſocietatem vero homines ipſa neceſſitate eſſe impulſos. At officia erga Deum & ſeipſum praeſtare tenebatur homo, etiamſi ſolus in hoc terrarum orbe viveret: aliis quoque hominibus obligatus erat ad omnia officia juſtitiae, humanitatis, & beneficentiae praeſtanda, etiamſi cum his nullo ſocietatis vinculo fuiſſet conjunctus, ſed quiſque ſuas ſibi res ſeorſum habuiſſet. Quo ergo colore vir doctus ex ſocietate repetere potuit jus, quod maximam partem & ſine ſtatu ſociali inter homines locum fuiſſet habiturum?

§. IX. Ex quo ſimul intelligitur, 20. quam abſurde HOBBESIUS omne jus ex pacto derivet, ac proinde 21. hominibus in ſtatu naturali viventibus jus in omnes & omnia tribuat, vel, 22. quod perinde eſt, omne jus naturae ex ſtatu naturali veluti proſcribat & in exſilium agat: (Lib. I. §. LXXIII.) & 23. non minus rationem fugere ſcriptores veteres, dum talem ſibi finxerunt ſtatum naturalem, in quo viventes homines parum diſcreparint a brutis, quippe nullo juris vinculo inter ſe colligati (*).

Ac proinde in eo ſtatu non fuit jus omnibus in omnes, nec iſte ſtatus fecit ex hominibus bruta.

(*) Ita ſtatum naturalem deſcribit Cicero *pro P. Sextio Cap. XLII. Quis veſtrum ignorat, ita naturam rerum tuliſſe, ut quodam tempore homines nondum neque* NATURALI, *neque civili* JURE *deſcripto, fuſi per agros ac diſperſi vagarentur, tantumque haberent, quantum manu ac viribus per caedem ac vulnera eripere aut retinere potuiſſent? Atque inter hanc vitam, perpolitam humanitate, & illam immanem, nihil tamen intereſt, quam* JUS *atque* VIS. Et Horat. *Serm. I, 3. v. 99. ſequ.*

Quum proceſſiſſent primis animalia terris
Mutum & turpe pecus: glandem atque cubilia propter
Unguibus et pugnis, dein fuſtibus, atque ita porro
Pugnabant armis, quae poſt fabricaverat uſus.
Donec verba, quibus voces ſenſuſque notarent,
Nominaque invenere, dehinc abſiſtere bello,
Oppida coeperunt munire, & condere LEGES,
Ne quis fur eſſet, neu latro, neu quis adulter.

Similia paſſim habent veteres, quae operoſe collegit Puſendorff. *de jur. nat. & gent.* II, 2, 2. Sed fictio haec eſt, & quidem parum veroſimilis. Quamvis enim facile largiamur, in ſtatu illo naturali valde obbruteſcere potuiſſe humanum genus, idque in integris gentibus & hodie fieri animadvertamus, &

& olim factum eſſe, memoriae prodiderint ſcriptores, veluti de Hunnis Ammianus Marcellin. *Hiſt.* XXXI, 2. inde tamen non ſequitur, ut in ſtatu naturali juris naturae cognitio & obligatio plane nulla fuerit.

In ſtatu naturali omnibus eſt jus belli.

§. X. Quumque, ubi arctiora legum vincula, magiſtratuum poteſtas, & poenae exſulant, quod in ſtatu naturali fieri diximus, (§. VI, 10. ſequ.) ibi & oppreſſis nullum, niſi in ſeipſis, praeſidium eſſe poſſit: conſequens eſt, 24. ut in ſtatu naturali cuivis ſit jus, omnem vim atque injuriam vi propulſandi, 25. idque, quod alter jure perfecto debebat, vi extorquendi: non autem 26. alterum cogendi ad officia humanitatis ac beneficentiae praeſtanda (*), (Lib. I. §. LXXXIV, 47.) niſi 27. vel hic ſe ad ea praeſtanda pacto ultro obſtrinxiſſet, (Lib. I. §. CCCLXXXVI, 2.) vel 28. extrema neceſſitas aliquem adegiſſet, ut res alienas contrectaret, eaſque in ſuos uſus converteret, (Lib. I. §. CLXX, 75.) 29. maxime, ſi talia eſſent officia, quae ab altero, niſi inhumaniſſimus fuiſſet, ſine aliquo detrimento ſuo potuiſſent praeſtari. (Lib. I. §. CCXVI, 4. ſequ.)

(*) Non ergo excuſari potuiſſet vis Davidis, quam minabatur Nabali, officia beneficentiae ſibi deneganti, ſi vel maxime ille in ſtatu naturali vixiſſet. 1. *Sam. XXV*, 21. 22. Non enim aliunde obligatus erat Nabal, quantumvis ſtolidiſſimus, ad commeatum Davidi gratis ſubmittendum, quam ex lege gratitudinis. Ad eam vero cogi neminem poſſe, jam ſupra obſervavimus, niſi ingratitudo ſit praegnans & cum injuria conjuncta. (Lib. I. §. CCXXVII, 42. *) Extrema vero neceſſitas vim quidem excuſaſſet, non autem vindictam, quam anhelabat Davides, quum Nabal nondum ei, commeatum auferenti, reſtitiſſet, ſed tantum eum denegaſſet petenti, quod eum jure ſuo facere potuiſſe, maxime de juſtitia cauſſae non omnino convictum, nemo non intelligit.

Praecipue vero in hoc ſtatu pactis opus erat.

§. XI. Quum denique & in ſtatu naturali ad officia humanitatis ac beneficentiae cogi nemo poſſet, adeoque ei opus eſſet pactis, qui certus de illorum praeſtatione eſſe vellet; (§. X, 26. ſequ.) ſequitur, 30. ut & in ſtatu illo omnia, quae tum de officio paciſcentium, tum de jure commercii & de contractibus diximus, locum habuerint, vel habere ſaltim potuerint: quin 31. ſaepe homines & illa, quae jure perfecto deberentur, pactis intervenientibus, a debitoribus ſibi ſtipulari debuerint, adeoque 32. nullum fortius fuerit vinculum, quo homines in iſto ſtatu continerentur, quam pactorum religio, 33. eoque laxato ruptove, ſtatim labaſci ac rumpi oportuerit amicitiam.

An tanta ſit hujus ſtatus miſeria,

§. XII. Quibus poſitis, facile intelligitur, 34. quantumvis ab Hobbeſio, ipſoque Puſendorffio, hic ſtatus, tamquam miſerrimus depingatur: pleraque tamen, quae in illo deſiderant, ac horrent, non tam ipſi ſtatui, quam hominum malitiae eſſe tribuenda, 35.

ob quaedam etiam perperam reprehendi hunc ſtatum, veluti ob ſolitudinem, inopiam, famis frigoriſque periculum, ruditatem, virium propriarum imbecillitatem, ac bella inter homines perpetua, quum 36. ea omnia in ſtatu naturali non minus, quam in civili, potuiſſent evitari, ſi homines rectam rationem ſequi voluiſſent (*), & 37. in ſtatu civili aeque difficulter, ac in naturali, evitentur, ſi homines rationem ſequi nolint. Titius *Obſ. ad Pufend. de offic. hom. & civ. II*, 1, 9. quanta vulgo jactatur?

(*) *Solitudo* enim non concipi poteſt, niſi inter paucos & brevi tempore. *Inopia*, *fames*, *frigus* non magis premere potuerunt homines in ſtatu naturali, quam in civili, quum nihil obſtiterit, quo minus & res neceſſarias occuparent, & commercia aeque commode, ac in civitatibus, inſtituerent, & nondum nota eſſet illa dignitatum inaequalitas, quae luxuriam, matrem inopiae, peperit. *Ruditati* ac ignorantiae medemur per culturam rectae rationis. Cur vero rationem non aeque excolere potuiſſent homines, in ſtatu naturali, quam in civili, viventes? At plerumque candor vitaeque ſimplicitas pro barbarie, adfectatum elegantiae ſtudium pro cultiore vita venditatur. Praeterea, quum & hodie *virium propriarum imbecillitati* non aliter medeamur, quam per pacta & foedera: quidni idem in ſtatu naturali fieri potuiſſet? Denique, ſi *bellum* inter ſtatus naturalis incommoda referendum eſt: nihil ſane praecipuum habebit ſtatus civilis, quippe quo factum eſt, ut, quum olim ſinguli cum paucorum periculo vires inter ſe periclitarentur, hodie integrae gentes cum myriadum interitu in ſe invicem ſaeviant. Eat nunc aliquis, & ſtatum naturalem civili deteriorem eſſe, dicat, quum hic iisdem, quibus ille; ille paene non iisdem, quibus hic, incommodis fuerit obnoxius.

§. XIII. Itaque non eximia quaedam ſtatus naturalis miſeria (§. XII.) ſed partim ſpes majoris ſecuritatis commoditatiſque, partim ipſa hominum malitia effecit, ut in ſocietates coaleſcerent: ceu paullo poſt erit dicendi locus. Quumque in ſtatu naturali non fortius ſit vinculum, quo homines contineantur, quam pacta & conventiones: (§. XI, 32.) conſequens eſt, 38. ut pactis vel conventionibus conſtitutae ſint ſocietates. Quumque pauciores facilius, quam multi, in unum placitum conſentire ſoleant: 39. in ſocietates primum ſimpliciores, deinde & in magis compoſitas, paullatim coaluiſſe homines, opinabile eſt (*). Quamobrem homines illi paullatim ſtatum ſocialem praetulerint?

(*) Idque & ipſa hiſtoria ſacra ſatis confirmat. Primum enim Adamum & Evam in ſocietatem matrimonialem, omnium ſimpliciſſimam, coiiſſe, notum eſt ex *Gen. II*, 22. 23. Inde mox nati liberi, *Geneſ. IV*, 1. 2. adeoque exorta eſt nova ſocietas, paullo magis compoſita inter parentes & liberos. Servi tum concipi non poſſunt, niſi dixeris, protoplaſtos ipſos liberos vel nepotes ſuos in ſervitutem redegiſſe. Immo quum Noachus tantum cum uxore, filiis & nuribus ſervatus in arca legatur: *Geneſ. VI*, 18. probabile ſane eſt, tunc temporis ſaltim pios nondum familias ſervorum aluiſſe: quum contra de Caini poſteris ob locum *Geneſ. VI*, 4. dubitari vix poſſit, quin homi-

homines alios oppreſſerint, & in ſervitutem redegerint. Denique & civitatis, ſocietatis omnium maxime compoſitae, veſtigium jam *Geneſ. IV*, 17. reperimus. Ut adeo certiſſimum videatur, a ſocietatibus ſimpliciſſimis progreſſum paullatim factum eſſe ad magis compoſitas, & ab his ad maxime compoſitam; quae civitatis vel reip. nomine venire ſolet.

Quid ſocietas, & ſtatus ſocialis.

§. XIV. Et hic quidem per SOCIETATEM intelligimus conſenſum duorum pluriumve in eumdem finem, eademque media, quae ad finem illum obtinendum ſunt neceſſaria. Quamdiu ergo ille conſenſus durat, tamdiu durat ſocietas: ſimul ac ii, qui antea in eumdem finem eademque media conſenſerant, ſuum quiſque finem intendit, ſoluta cenſetur illa ſocietas, & res quiſque ſuas ſibi habere incipit (*). Unde & STATUS, in quo, durante ſocietate, vivunt homines, SOCIALIS vocari ſolet.

(*) Quod non ita accipi velimus, ac ſi unius diſſenſu ſtatim & pactum, quo inita eſt ſocietas, irritum ſit, quod ſupra jam refellimus, (§. CCCLXXXII, 217.) ſed quod iſte a reliquis non amplius, tamquam ſocius poſſit conſiderari, qui cum reliquis nec in eumdem finem, nec in eadem media conſpirat, eumque animum ſuum ſignis luculentis teſtatur. Hinc manet quidem reliquis ex illa conventione jus, alterum ad ſervanda promiſſa adimplendaſque leges conventionis, vel, ſi id fieri non poſſit, ad reſarciendum damnum, praeſtandumque, quod intereſt, adigendi: at is non poteſt ſocius amplius dici, cui non amplius competit ſocii definitio, ex quo vinculum illud, quod ſocios continet, tam nefarie abrupit.

Societates ratione finis diverſiſſimae.

§. XV. Quandoquidem ergo quaelibet ſocietas ad certum finem tendit, (§. XIV.) fines vero diverſiſſimi ſunt: ſequitur profecto, 40. ut & ſocietatum eſſe poſſint diverſiſſima genera, adeoque, 41. ſi finis juſtus licituſque ſit, etiam ſocietas JUSTA & LICITA; ſin ille injuſtus ac illicitus, haec quoque INJUSTA & ILLICITA merito habeatur: (Lib. I. §. CCCXCVIII, 38.) ac proinde turpiſſimae ſint ſocietates latronum, piratarum, dardanariorum, & ſimiles. 42. Ut ſocietates omnes finibus diſcernantur (*), quumque ex fine de mediis judicandum ſit: 43. jura officiaque ſociorum ex ipſo ſocietatis fine merito ſint aeſtimanda.

(*) Sic vidimus ſupra contractum ſocietatis, cujus finis erat commune lucrum. (Lib. I. §. CCCLXXIX.) Alius vero eſt finis ſocietatis matrimonialis, alius parentum & liberorum, alius dominorum & ſervorum, alius denique maximae illius ſocietatis civilis, quam vocamus rempublicam. Quot ergo ſunt fines, totidem diverſas ſocietates, & quot ſocietates, totidem fines eſſe oportet. Huc pertinet inſignis locus, quo Ariſtoteles auſpicatur opus *Politicum I*, 1. Ἐπειδὴ πᾶσαν κοινωνίαν ὁρῶμεν ἀγαθοῦ τινος ἕνεκεν συνεστηκυῖαν· τοῦ γὰρ εἶναι δοκοῦντος ἀγαθοῦ χάριν πάντα πράττουσι πάντες, δῆλον, ὡς πᾶσαι μὲν ἀγαθοῦ τινος στοχάζονται. *Quia omnem communionem boni alicujus cauſſa conſtitutam videmus: (ejus enim, quod videtur bonum eſſe, gratia omnes omnia agunt,) perſpicuum eſt, omnes bonum aliquod propoſitum habere.*

§. XVI.

§. XVI. Quumque ſine conſenſu non intelligatur ſocietas: (§. XIV.) hic vero vel ſit ultroneus, vel vi extortus, quem coactum adpellamus, & ratihabitione convaleſcere poſſe, ſupra oſtendimus: (Lib. I. §. CCCXLV, 29.) conſequens eſt, 44. ut & ſocietatum aliae ſint ULTRONEAE, aliae COACTAE, neo 45. has ideo ſtatim injuſtas dicendas eſſe, quod earum origo vitioſa fuerit, ſi poſtea ii, qui coacti ſocietati dederunt nomen, expreſſe vel tacite (Lib. I. §. CCCLXXXI, 10.) rem ratam habuerint (*). Itemque ratione conſenſus vel ultroneae, vel coactae.

(*) Sic rata inter Romanos & Sabinas, interque Beniaminitas & Siloitarum filias *Judic. XXI, 21. ſequ.* erat ſocietas matrimonialis, quamvis initium ejuſdem ob vim injuſtam eſſet vitioſum, quia poſtea ipſae raptae rem ratam habuerunt, neque dirimi voluerunt, male licet conciliata matrimonia. Dionyſ. Halicarn. *Antiqu. Rom. Lib. II. p.* 110. Sic & coacta plerumque inter dominos & mancipia, bello capta, erat ſocietas: & tamen aliquando dominorum humanitas & manſuetudo efficiebat, ut non inviti ſervirent, idque ſerio dicerent, quod apud Plautum *Capt. II,* 2. *v.* 21. aliquis doloſe ait:

Quamquam non fuit multum moleſta ſervitus:
Nec mi ſecus erat, quam ſi eſſem familiaris filius.

Conf. *Exod. XXI,* 5.

§. XVII. Praeterea, quum conſenſus alius ſit expreſſus, alius tacitus, qui ex facto colligitur, qualis eſt etiam patientia: (Lib. I. §. CCCXCI, 10. *) ſequitur, 46. ut & ſocietates vel EXPRESSO, vel TACITO conſenſu ineantur, & 47. perinde ſit, ac ſi conſenſiſſent, qui poſtea cum aliis in ſocietate vivunt, ad eumdem finem conſilia cogitationeſque ſuas conferunt, mediis quoque iiſdem, ac alii, ad finem illum adſequendum neceſſariis, utuntur. Quin, quum aliquando ex ipſa rei natura, alterum conſenſiſſe judicemus: (Lib. I. §. CCCXCI, 11.) 48. etiam ex PRAESUMTO conſenſu aliquando naſci ſocietatem, ſatis intelligitur (*). Eaedem conſenſu vel expreſſo, vel tacito, vel praeſumto, conſtituuntur.

(*) Talis eſt ſocietas inter parentes & liberos. Tantum enim abeſt, ut hi diſerte conſenſerint in hanc ſocietatem, eo tempore, quo in illam pervenerunt, ut tum ne conſentire quidem potuerint. Et quamvis poſtea rei paullo intelligentiores, conſentire poſſent, ſi vellent: tantum tamen abeſt, ut omnes hunc conſenſum verbis factisve teſtentur, ut plures diſſentiant, fraenaque mordere non dubitent. Nihilominus tamen ideo non dirimitur ſocietas, quia ipſa liberorum educatio hanc ſocietatem requirit, praeſumiturque, liberos non nolle poſſe cum parentibus in ſocietate vivere, ſine qua ipſi nec conſervari, nec commode educari poſſent.

§. XVIII. Aliquando contingit, ut non ſolum ſinguli homines, ſed & totae ſocietates eumdem finem intendant, eademque media ſibi ad adſequendum communem finem neceſſaria eſſe, intelligant. Quum ergo conſenſus in communem finem, eademque media ſit ſocietas: (§. XIV.) conſequens eſt, 49. ut non modo ſinguli, ſed & integrae ſocietates, in ſocietatem coire poſſint, adeoque 50. ſocietates ſint vel SIMPLICES, quas homines ſinguli, vel Aliae porro ſimplices, aliae compoſitae.

COMPOSITAE, quas ſocietates ſimpliciores ineunt, quae tunc tamquam ſocii conſiderantur. Quin 51. ex eadem ratione patet, ſocietates etiam jam tum compoſitas coaleſcere poſſe in majores, & maxime compoſitas, atque 52. ita fieri, ut ſocietates quaedam ex multis hominum non millibus, ſed myriadibus, conſiſtant (*).

(*) *Illuſtrat haec* omnia experientia. *Simpliciſſimae* ſocietates ſunt *conjugum*, *parentum* & liberorum, dominorum & ſervorum. Ex his ſocietatibus omnibus, inter ſe conſociatis, naſcitur ſocietas compoſita major, quam vocamus FAMILIAM. Ex multis familiis conſociatis PAGI, VICI, URBES; ex pluribus pagis, vicis, urbibus integrae CIVITATES vel RESPUBLICAE; ex pluribus rebuſpublicis SYSTEMATA CIVITATUM vel reſpublicae Achaicae exſiſtunt. Vid. Cicero *de offic. I*, 17. Nimirum ſi minores ſimplicioreſque ſocietates non ſufficiunt fini adſequendo, ex plurium conſociatione majores & magis compoſitas naſci, neceſſe eſt. Hinc bene obſervat Juſtinus *Hiſt. I*, 1. initio *intra ſuam cuique patriam regna finita eſſe*, idemque teſtantur exempla Cananaeorum, Phoenicum, Graecorum, Gallorum, Germanorum, Britannorum, quorum provincias olim in plurima regna, pluresque civitates, ſciſſas fuiſſe, ex *Geneſ. XIV*, 1. *Joſ. XII*, 7. *Jud. I*, 7. Strabone *Geogr. XVI. p.* 519. aliisque ſcriptoribus conſtat. Sed paullatim plures civitates, vi oppreſſae, majorem cum aliis civitatem conſtituere coeperunt: aliae, imminente a vicinis periculo, foedere junctae in ſyſtema aliquod rerumpublicarum majus coaluerunt. Ita Amphictyonum concordia Medorum potentiam concuſſit, & Achaiae res, alioquin ſatis exiguae, ſolo ſociorum conſenſu valuerunt. Vid. Jo. Henr. Boecler. *de concilio Amphictyonum.*

Aliae denique aequales, aliae inaequales.

§. XIX. Denique, qui in unum finem eademque media conſentiunt, vel aequales ſunt, vel inaequales. 53. Illi tamquam pares, media, ad communem finem adſequendum neceſſaria, communi conſenſu inveniunt, adeoque 54. inde naſcitur ſocietas AEQUALIS. In his 55. uni pluribusve id negotii datur, ut de fine, mediiſque, ad finem adſequendum neceſſariis, ſoli diſpiciant, & tunc 56. ea ſocietas eſt INAEQUALIS, quam & RECTORIAM vocant. Res ipſa autem & ingenii humani indoles unumquemque convincet, 57. quo major eſt ſocietas, eo minus fieri poſſe, ut tanta ſociorum multitudo media neceſſaria communi conſenſu & ſuffragio inveniat, adeoque, 58. quo major eſt ſocietas, eo magis eam eſſe debere rectoriam ac inaequalem (*).

(*) Hinc experientia docet, quo majora ſunt imperia, eo minus juxta illa conſiſtere libertatem, &, gliſcente nimis imperio, prolatiſque civitatis finibus, ſaepe ipſam neceſſitatem ſubigere homines, libertatis alioquin amantiſſimos, ut adductius regi ſe patiantur. In magna enim, at libera & aequali ſocietate, quia pars major meliorem vincit, non poſſunt non ſaepe prava conſilia capi; fieri etiam vix poteſt, ut non procax libertas civitatem miſceat, ſociique in plures factiones diſtrahantur. Tunc vero *diſcordantis patriae plerumque non aliud remedium eſt, quam ut ab uno regatur*, ceu de republica Romana, jam ab Auguſto occupata, judicabant prudentiores apud Tacit. *Annal. I*, 9.

§. XX.

§. XX. Ceterum, cujuſcumque generis ſit ſocietas, ex ipſa definitione patet, eam ad adſequendum eumdem finem, eademque adhibenda media, eſſe comparatam. (§. XIV.) Quum vero conſentire in eumdem finem, eademque media non poſſint, niſi qui idem volunt, nec idem velle poſſint, niſi qui finem bonum, mediaque fini accommodata eſſe, intelligunt: (Lib. I. §. XXXII, 8.) conſequens eſt, 59. ut ſingularum ſocietatum concipienda ſit una voluntas, unuſque intellectus, adeoque 60. ſingulae veluti unam perſonam, quam ad differentiam ſuppoſitorum phyſicorum *moralem* vocamus, conſtituant (*). Omnis ſocietas eſt una perſona moralis.

(*) Sic Cicero *de Offic. I*, 17. obſervat, per omnem amicitiam, adeoque & ſocietatem, *ex pluribus fieri unum*, idque ideo, quod omnes *unum & idem ſentiant*. Add. *Catilin. IV*, 7. At luculentiſſime Apuleius *de habit. doctr. Plat. Lib. II. p.* 25. *Civitatem eſſe*, ait, *coniunctionem inter ſe hominum plurimorum, in quibus ſint regentes alii, alii deteriores, conjuncti inter ſe concordia, atque inde ſibi opem atque auxilium deferentes, iisdem legibus, rectis tamen officia ſua temperantes, unamque civitatem iiſdem moribus illam futuram, &* EADEM VELLE *atque* EADEM NOLLE *incolarum mentes adſueverunt*. Ceterum, naturam perſonae moralis diſces ex Senecae *Epiſt. CII.* itemque ex *l.* 30. *D. de uſurpat. & uſucap.*

§. XXI. Si vero unaquaeque civitas veluti unam perſonam conſtituit: (§. XX, 60.) conſequens eſt, 61. ut & iiſdem legibus, ac homines ſinguli, vel perſonae phyſicae, regantur (*), adeoque 62. officia omnia, quae jus naturae hominibus ſingulis praeſcribit, a ſocietatibus quoque, tum majoribus, tum minoribus, religioſe ſint obſervanda. 63. Ut contra, quae perſonis ſingulis competunt, jura etiam ſocietatibus competant, & ſocii res juraque, quae ad ſocietatem pertinent, communia habeant: immo 64. & adfectiones perſonarum & corporum non incommode tribuantur ſocietatibus, adeoque 65. illae eleganti ſatis metaphora & VIVERE & AEGROTARE, immo & MORI & INTERIRE dicantur. Vid. Koehler. *Spec. jur. gent. I.* §. *XX. ſequ.* Ergo eadem ſocietatum jura & obligationes ſunt, ac ſingulorum hominum.

(*) Hoc ipſo confirmatur, quod jam ſupra oſtendimus, JUS GENTIUM nihil aliud eſſe, quam ipſum jus naturae vitae hominis ſociali, negotiiſque ſocietatum & integrarum gentium adplicatum. (Lib. I. §. XXI, 44.) Et recte jus gentium *jus naturale ſocietatum* vocat laudatus Koehler. *ibid.* §. *XXXIV.* Ex quo ſimul patet, quam male ii ſubducant rationes, qui ſocietates majores, veluti imperia & reſp. ab obligatione juris naturalis veluti abſolvunt, omniaque juſta putant imperantibus, quae illis vel reip. conducant. Unde merito execrandum illud Caeſaris apud Ciceronem *de offic. III*, 21.

Si violandum eſt jus, regnandi gratia
Violandum eſt, aliis rebus pietatem colas.

Plura de peſtilentiſſimo hoc pſeudopoliticorum principio dixit Hert. *Polit. paed.* §. *XIII. p.* 22. *ſequ.*

§. XXII.

Sociorum obligatio ratione ſocietatis, & ſocietatis jus ratione ſociorum.

§. XXII. Ex eodem principio merito colligimus, 65. unumquemque ſocium obligatum eſſe ad actiones ſuas communi ſocietatis fini attemperandas, adeoque 66. illum injuriam facere ſociis, qui ex eorum incommodo fructum capit, vel 67. aliquid agit, quod fini ſocietatis adverſatur, vel 68. reliquos ſocios laedit, ac proinde nec injuriam illi fieri, ſi & ad reſarciendum damnum, & 69. ad officia ſocii in poſterum accuratius obſervanda, malo quodam paſſionis, quod poenam vocant, adigatur. (Lib. I. §. CCXI, 120.) Denique 70. non poſſe vitio verti ſocio, ſi vel ſocium tam male conciliatum, a ſe ſegreget, vel 71. ipſe excedat ſocietate, in qua nec finis communis, nec mediorum, ad hunc finem neceſſariorum, ratio habetur.

Ratione aliorum.

§. XXIII. Denique ex eodem principio patet, 72. ſocietatem quidem NEMINEM LAEDERE, & 73. SUUM CUIQUE TRIBUERE; non tamen 74. alterius privati, vel alterius ſocietatis, utilitatem ſuae anteponere debere. Quum enim quaelibet ſocietas unam perſonam moralem conſtituat, (§. XX, 60.) eique idem jus, quod ſingulis perſonis phyſicis, competat, (§. XXI, 63.) nulla autem perſona phyſica alteram magis, quam ſeipſam amare, (Lib. I. §. XCIV, 65.) vel ei officia humanitatis, quae ſibi, vel amicis, noxia futura ſint, praeſtare teneatur: (Lib. I. §. CCXVIII, 13.) etiam ſocietas alteri hujuſmodi officia cum detrimento ſuo praeſtare, vel utilitatem alienam propriae anteponere, non tenetur (*).

(*) Ita inhumanos non dixeris unius ſocietatis mercatoriae contribules, ſi alteri ſocietati, vel privato, monopolium concedere nolint. Id enim cum manifeſto totius ſocietatis ſuae detrimento eſſet conjunctum. Nec quiſquam juſtum piumque bellum geſſiſſe dixerit Cimbros, Teutones, Helvetios, qui novas quaeſituri ſedes, quaſi jure quodam ſuo poſtulabant, ut Romani illis loco cederent, certoſque terrae tractus, quos ipſi occuparent, adſignarent. Id enim ſine maximo propriae reip. detrimento illis concedere non poterant Romani. *Quas enim terras daret populus, agrariis legibus intra ſe dimicaturus?* inquit Florus III, 3. Et Tencteris atque Uſipetibus, ſimilia petentibus, recte reſpondit Caeſar: *Nullos in Gallia vacare agros, qui dari tantae praeſertim multitudini ſine injuria poſſint.* Caeſar. *de bello Gall.* IV, 8.

Ratione ſocietatum majorum.

§. XXIV. Similiter demonſtrari poteſt, 75. in compoſitis ſocietatibus minorum utilitatem majorum fini non repugnare, immo eamdem cedere debere utilitati majorum. Quia enim minores ſocietates tunc conſiderantur tamquam ſinguli ſocii, (§. XVII, 50.) ſocii vero ſinguli in unum eumdemque finem communem eademque media conſentire, (§. XIV.) nec propriam utilitatem fini communi ſocietatis anteponere tenentur: (§. XXII, 66.) etiam mino-

minores ſocietates, quae in majorem, magiſque compoſitam ſocietatem coaluerunt, nihil, quod majori illi ſocietati manifeſto refragetur, agere, ſalva juſtitia, poſſunt (*).

(*) Sic familiae non parum prodeſſet immunitas a tributis & muneribus quibuſcumque perſonalibus. At, quia haec utilitas ſocietatis ſimplicioris cum detrimento majoris, puta reipublicae, eſſet conjuncta: nemo hujus rectores dixerit injuriam facere familiae, ſi immunitatem flagitanti repulſam det: quum contra reprehenſionem prudentum procul dubio incurrant principes & magiſtratus, qui ſingulis hominibus familiiſve conſulturi, nervos reip. incidere non dubitant. Hinc quum Nero dubitaret, an cuncta vectigalia omitti juberet, idque pulcherrimum donum generi mortalium daret: *impetum ejus attinuere ſenatores*, DISSOLUTIONEM IMPERII *dicendo, ſi fructus, quibus reſpublica ſuſtineretur, deminuerentur.* Tacit. *Annal. XIII*, 50.

§. XXV. Poſtremo, quum in ſocietatibus ſociorum omnium officia ex ipſo cujuſque ſocietatis fine aeſtimanda ſint: (§. XV, 43.) ſatis patet, 76. eſſe hanc veluti omnium legum, quibus ſocietates continentur, ſummam: AD OMNIA EA AGENDA OBSTRICTOS ESSE SOCIOS, SINE QUIBUS FINIS, QUEM SOCIETAS INTENDIT, OBTINERI NEQUEAT: contra 77. EA OMNIA, QUAE FINI SOCIETATIS ADVERSENTUR, OMITTENDA ESSE; adeoque 78. recte dici, ſocietatis cujuſque ſalutem ſupremam ſociorum legem eſſe debere.

De officiis ſociorum axiomata generalia.

CAP. II.

DE OFFICIIS, IN SOCIETATE CONJUGALI OBSERVANDIS.

§. XXVI.

VElle Deum, ut genus humanum propagetur, eorumque numerus, qui quotidie debitum naturae reddunt, nova prole ſuppleatur (*), vel inde patet, quod alias finis, quem ille in producendo genere humano intendit, non obtineretur. (Lib. I. §. LXXVII, 31.) Qui ergo illum finem ob oculos habent, finem bonum intendunt, ſimulque media, per quae ille finis obtineri poteſt, adhibere tenentur. Quum vero obtineri finis ille non poſſit, niſi maſculus & femina in concubitum conſentiant: conſequens eſt, 1. ut conjugium ſit ſocietas, (§. XIV.) eaque, 2. quia ad finem bonum & Deo gratum comparata eſt, licita & honeſta,

Conjugium eſt ſocietas licita & ſimpliciſſima.

(§. XV, 41.) &, 3. quia ex pauciſſimis hominibus diverſi ſexus conſtat, ſimpliciſſima dicenda ſit. (§. XVIII, 50.)

(*) Hinc Graeci ſocietatem conjugalem recte vocarunt τὴν στοιχειωδεστάτην τῶν κοινωνιῶν, exordialem reliquarum ſocietatum, & quaſi quoddam generis humani ſeminarium, quia ſine ea genus humanum fuiſſet *unius aetatis*, uti de populo Romano ab uxoribus deſtituto loquitur Florus *Hiſt. I*, 1. Rem plane φιλοσοφικῶς expreſſit Seneca tragoedus *in Hippolyto v.* 466.

Providit ille maximus mundi parens,
Quum tam rapaces cerneret fati manus,
Ut damna ſemper ſobole repararet nova.
Excedat, agedum, rebus humanis Venus,
Quae ſupplet ac reſtituit exhauſtum genus:
Orbis jacebit ſquallido turpis ſitu.

Et paucis interjectis *v.* 478.

Caelibem vitam probet
Sterilis juventus: hoc erit, quidquid vides,
Unius aevi turba, & in ſemet ruet.

Ejus finis non modo procreatio, ſed & educatio ſobolis.

§. XXVII. Quum tamen finis Dei, tamquam auctoris humani generis, non ſolum in eo conſiſtat, ut homines exſiſtant, ſed & ut verae felicitatis ſint participes: (Lib. I. §. LXXVII, 31.) ſequitur, 4. ut non ſolum procreanda, ſed & ita educanda ſit ſoboles, ne potius in inutilia terrae pondera, quam in idonea membra humani generis, adoleſcat. Quumque officium iſtud educandi ſobolem nemini incumbere poſſit, quam parentibus, quibus ipſe Deus ideo tenerrimum ejus amorem impreſſit (*): merito inde colligimus, 5. eos non modo procreationem ſobolis, verum etiam commodam ejuſdem educationem, tamquam finem matrimonii, ſibi ob oculos ponere debere, adeoque 6. genuinum conjugii finem eſſe PROCREATIONEM COMMODAMQUE EDUCATIONEM SOBOLIS.

(*) Adeo *ipſe naturalis ſtimulus parentes ad liberorum ſuorum educationem hortatur*, obſervante Juſtiniano *l. un.* §. 5. C. *de rei uxor. act.* immo non homines tantum, ſed & ipſa bruta animalia, quae curam foetus non abjicere, prius animadvertimus, quam ipſe victum quaerere, ſeque adverſus aliorum animalium injurias defendere poſſit. Quum ergo Deus, tamquam ens ſapientiſſimum, nihil omnino fruſtra faciat, & hic inſtinctus, quem in hominibus brutiſque deprehendimus, non alium finem habere poſſit, quam ut illo parentes ad educandam curandamque ſobolem impellantur: illam curam nobis demandare voluiſſe Deum, tam certum eſt, quam quod certiſſimum. Recte ergo Euripides *in Medea v.* 1098.

Οἷσι δὲ τέκνων ἔστιν ἐν οἴκοις
Γλυκερὸν βλάστημ', ἐσορῶ μελέτῃ
Κατατρυχομένους τὸν ἅπαντα χρόνον·
Πρῶτον μὲν, ὅπως θρέψωσι καλῶς,
Βίοτόν θ' ὁπόθεν λείψουσι τέκνοις.

Sed quibus in aedibus eſt liberorum
Dulce germen, eos, video, curis
Confici omni tempore:
Primum quidem, quo pacto illos bene educent,
Et unde victum relinquant liberis.

Definitio conjugii, de eoque axiomata.

§. XXVIII. Itaque CONJUGIUM eſt ſocietas ſimplex perſonarum diverſi ſexus, procreandae educandaeque ſobolis cauſſa inita. Ex

eaque

eaque definitione patet, 7. nuptias contrahi non poſſe ſine perſonarum utriuſque ſexus conſenſu: (§. XIV.) 8. Ad ea omnia obſtrictos eſſe conjuges, ſine quibus procreatio commodaque educatio ſobolis obtineri nequit (*), 9. eaque omnia omittenda, quae huic conjugii fini adverſantur. (§. XXV, 76. 77.)

(*) Sane enim aliquando ſatius eſſet, non procreare liberos, quam procreatos male educare. Leve hoc generis humani diſpendium eſt, ſi non omnibus annis idem ſit proventus hominum. At maximum ſaepe detrimentum illud capit ex uno vel altero homine, nato in generis ſui dedecus, quia inſtitutione bona, commodaque educatione caruit. Quam infelix fuit humanum genus, quod uno Nerone fuit numeroſius? Recte & graviter Juvenalis *Sat. XIV. v.* 70.

Gratum eſt, quod patriae civem populoque dediſti,
Si facis, ut patriae ſit idoneus, utilis agris,
Utilis & bellorum & pacis rebus agendis.
Plurimum enim intererit quibus artibus, & quibus hunc tu
Moribus inſtituas.

Add. Senec. *de Benef.* III, 30.

§. XXIX. Quia ergo nuptiae ſine conſenſu contrahi non poſſunt: (§. XXVIII, 7.) facile patet, 10. ratas non eſſe nuptias inter raptorem & raptam, (Lib. I. §. CIX, 43.) niſi vi rapta ex poſtfacto ultro conſenſerit (*): (§. XVI.*) nec magis 11. eas conſiſtere, ſi alterutri vis atrocior facta, (ibid.) vel 12. dolo malo aliquis implicatus ſit nuptiis, a quibus, ſi abfuiſſet dolus, omnino abhorruiſſet. (Lib. I. §. LVII, 53.) Quamvis vero conſenſus hic conjugum nuptialis omnino ſit neceſſarius: quia tamen ſocietas non eſt, ubi quis in finem tantum, non item in media, conſenſit, 13. ſolum conſenſum in finem futurum jure naturae nondum efficere nuptias, ſed 14. conſenſum praeſentem in ipſam communicationem corporum requiri, arbitramur. Nuptias faciunt conſentientes.

(*) Dummodo vera antea vis adhibita fuerit. Saepe enim olim vim gratam experiebantur virgines, non quod nollent alicui nubere, ſed ne velle, & ruere in virorum amplexus viderentur. Morem hunc jam antiquiſſimis temporibus inoleviſſe, teſtatur Romulus apud Dionyſ. Halicarn. *Antiqu. Rom.* II. *p.* 100. ubi apud Sabinas raptum, ſuo imperio factum, ita excuſat: οὐκ ἐφ' ὕβρει τὴν ἁρπαγὴν, ἀλλ' ἐπὶ γάμῳ γενομένην. ἑλληνικόν τε καὶ ἀρχαῖον ἀποφαίνων τὸ ἔθος, καὶ κράτιστον συμπάντων, καθ' ὃς συνάπτονται γάμοι ταῖς γυναιξὶν ἐπιφανέστατον. *Raptum hunc non ad contumeliam, ſed ad conjugium, pertinere: morem hunc Graecorum eſſe antiquiſſimum, & qui maximum decus adferat expetitis ad nuptias mulieribus.* Idem & aliarum gentium moribus probatum eſſe, novimus, quod honeſtius eſſet, virginem rapi, quam ultro in manum viri convenire. Hanc vero vim, mulieribus male repugnantibus illatam, non adverſari conſenſui, facile unuſquiſque animadvertit.

§. XXX. Ex quo ſimul patet, 15. conſenſum in futuras nuptias potius SPONSALIORUM, quam CONJUGII, nomine venire, adeoque 16. ſubtiliorem eſſe canoniſtarum diſtinctiunculam inter ſpon- Quae differentia ſit conſenſus

ſponſalitii & nuptialis?

ſponſalia DE PRAESENTI & DE FUTURO, quam ut ea ex recta ratione poſſit defendi. Quia tamen ſponſalia ſunt pactum, pactaque omnia jure naturae perfecte obligant: (Lib. I. §. CCCLXXXVII. ſequ.) nemo dubitaverit, 17. quin & ſponſalia ſint adimplenda (*), niſi 18. ea, quibus & alia pacta vitiari obſervavimus, (Lib. I. §. CCCXCII. ſequ.) vel animorum diſſimilitudo, vel aliae juſtae cauſſae, dirimi potius hoc pactum, quam par male conciliatum infeliciſſimis auſpiciis jungi, ſuadeant.

(*) Mira ergo diſpoſitio juris Romanorum, ut ſponſalibus neutra pars perfecte obligetur. Quum enim reliqui Latini inde ſaltim actionem ex ſponſu darent, ad id, quod intereſſet, pactum hoc non fuiſſe ſervatum. Gell. *Noct. Att. IV*, 4. Romani quemque ſuo arbitrio & impune renunciare conditioni ſtatuebant. *l.* 1. *C. de ſponſal. l.* 2. *C. de repud.* Sed cum ipſis conjugibus ſumma eſſet divortendi libertas: fieri vix poterat, ut vinculum, quod ſponſum ſponſamque continet, firmius exiſtimarent: ac proinde non potuerunt non & repudia apud eos eſſe liberrima.

Habilitas conjugum ratione aetatis.

§. XXXI. Quumque finis matrimonii ſit procreatio commodaque educatio ſobolis, (§. XXVII, 6.) eaque omnia, ſine quibus hic finis obtineri non poteſt, facienda, quae illi adverſantur, omittenda ſint: (§. XXVIII, 8. 9.) ſequitur ſane, 19. ut, qui ad nuptias adpellunt animum, ea aetate eſſe debeant, ut ſperari poſſit, eos & procreationi ſobolis, & ejuſdem educationi ſufficere: & hinc 20. merito arcendi ſint infantes, immo 21. & adoleſcentes, quorum nondum eſt vel tantus vigor, ut genus humanum nova vegetaque ſobole augere (*), vel tanta virtus & prudentia, ut & alimenta uxori liberiſque parare, & eorum actiones, pro eo, ac decet, regere poſſint (*).

(*) Hinc ea in re pleroſque legiſlatores prudentia ſuperavit Lycurgus. Quum enim is vulgo juvenum ac juvencularum nuptias quam maxime probari, animadverteret: ipſe, teſte Xenophonte *de rep. Lacad. Cap. I. §. 6.* ἀποπαύσας τοῦ ὁπότε βούλοιντο ἕκασοι γυναῖκα ἄγεσθαι, ἔταξεν, ἐν ἀκμαῖς τῶν σωμάτων τοὺς γάμους ποιεῖσθαι, καὶ τοῦτο συμφέρον τῇ εὐγονίᾳ νομίζων, *poteſtate adempta, ne quivis uxores ducerent, quum ipſis lubitum eſſet, juſſit, ut, dum vigerent corpora, matrimonia contraherent; idque non minus ad rectam procreandi rationem conducere putabat.* Deinde quum plerique parentes ad procreandam, quam educandam, ſobolem ſint aptiores: Lycurgus hanc curam publicam eſſe voluit, omnibuſque Laconum adoleſcentibus praefecit: ἄνδρα ἐξ ὧνπερ αἱ μέγισται ἀρχαὶ καθίστανται, ὃς δὴ καὶ παιδονόμος καλεῖται. τοῦτον δὲ κύριον ἐποίησε καὶ ἀθροίζειν τοὺς παῖδας, καὶ ἐπισκοποῦντα, εἴ τις ῥᾳδιουργοίη, ἰσχυρῶς κολάζειν. *virum ex iſtorum numero, qui ſummos magiſtratus obeunt, cui paedonomi eſt inditum nomen, cuique plenam poteſtatem colligendi pueros conceſſit, & eoſdem puniendi graviter, inſpectanti, an quis nequiter agat.* Vid. Xenoph. *ibid. Cap. II. §.* 2. Digna profecto res, quam non negligerent aliae reſpublicae.

An & ſenes nu-

§. XXXII. Ex quo facile intellectu eſt, quid judicandum ſit de ſenum

ſenum nuptiis. Quemadmodum enim 22. ob indiſſolubilitatem hujus ſocietatis, de qua paullo poſt dicendi locus erit, non divellendi ſunt conjuges, qui in illo ſtatu conſenuerunt, 23. tolerandumque etiam videtur matrimonium viri declivioris aetatis, ſed adhuc vegeti, cum muliere juvene, quum adhuc ſperare liceat, par illud finem matrimonii adſequuturum: ita 24. nemo ſanus probaverit nuptias ſenis cum ſene, vel 25. adoleſcentuli cum anu effoeta ac decrepita, quale par male compoſitum ſine turpiſſima impudicitia nec in finem, nec in media matrimonii, conſentire poteſt (*). ptias recte contrahant?

(*) Quid enim turpius, quid impudentius fingi poteſt femina, quae, *quum ſint tres capilli, quatuorque dentes, gaudet octoginta nupturire poſt mortes, virumque demens cineribus ſuis quaerit prurire?* uti loquitur Martial. *Epigr. III*, 93. Tolerantur in civitatibus hujusmodi nuptiae, quae nuptiarum nomen vix tuentur, quia, judice Quinctiliano *Declam. CCCVI. quaedam & nubendi impudicitia eſt.* Eleganter, uti ſolet, de hujusmodi matrimonio Pufendorffius *de jure nat. & gent. VI*, 1, 25. *Quae matrimonia fortaſſe non incommode vocare poſſis* JONORARIA: *eo ſenſu, quo honorarii quandoque dicuntur, quibus titulus muneris ſine functione datur. Apud Suetonium Ner. Cap. XXXV. uxoria ornamenta vocantur, eo ſenſu, quo triumphalia ornamenta dici ſueverunt.*

§. XXXIII. Multo minus ergo 26. iis permittendum eſt matrimonium, quos vel ipſa natura, vel 27. hominum malitia, potentia procreandi ſobolem privavit, adeoque 28. impudiciſſimae ſunt non modo eunuchorum, ſed & ſpadonum nuptiae, quamvis eas exemplis non carere, ſatis conſtet (*), niſi 29. occulta & incerta ſit maſculi impotentia ſterilitasve feminae, nec omnis ſpes curationis evanuerit, alterque conjux hoc Catone contentus eſſe, & meliora ſperare, velit. An ſpadones & eunuchi?

(*) Abſurda ergo matrimonia ſpadonum apud Ægyptios, de quibus Grot. *ad Deut. XXIII*, 2. Abſurda itidem eunuchorum apud Turcas, de quibus Ricaut *dans l'Etat preſent de l'Empire Ottoman, II*, 21. Et tamen inter ipſos Chriſtianos, quod mireris, disceptatum novimus, licitumne ſit caſtrato uxorem ducere? qua de quaeſtione ſingularis exſtat libellus Hieronymi Delphini *de eunuchi conjugio*, quod ipſe lepide vocat *die Capaunen-heyrath*, recuſus *Jenae MDCCXXXVII.* Id vero merito retuleris inter portenta ſaeculi, de quibus jam ſua aetate Juvenalis *Sat. I. v.* 22.

Quum tener uxorem ducat ſpado, Maevia Tuſcum
Figat aprum, & nuda teneat venabula mamma:
Difficile eſt, ſatyram non ſcribere.

§. XXXIV. Quamvis vero ex eodem principio recte colligere liceat, 30. eos easve, qui quaeve obtinendo matrimonii fini ſe ſatis idoneos idoneasve eſſe, animadvertunt, recte & ordine facere, ſi matrimonium contrahant: non tamen 31. talis eſt obliga- An omnes natura habiles obligati ſint ad matrimonium?

tio ad ineundum matrimonium, ut is contra jus naturae egiſſe videatur, qui caſtum caelibatum inauſpicato praeferre matrimonio ſtatuit (*). Quum enim nemini imputanda ſit omiſſio actionis, ſi agendi defuerit occaſio, (Lib. I. §. CXIV, 56.) & ſaepe contingat, ut tum res ipſa, tum tempus, locus, aliaeque circumſtantiae turbent conſilium contrahendi matrimonium, adeoque illud ineundi deſit occaſio: vitio ſane tunc ei verti non poteſt caelibatus, cui divina providentia conditionem honeſtam non obtulit.

(*) Eſt haec ſententia Judaeorum, quam ex eorum magiſtris pluribus deſcribit Jo. Selden, *jur. nat. & gent. ſecund. diſcipl. Hebr. V*, 3. Neque enim illud recte probant ex loco *Geneſ. I*, 28. qui non legem, ſed benedictionem divinam, comprehendit. Et abſurdum eſt, illos, qui caelibatum ex juſta cauſſa praeferunt matrimonio, coargui, quod generi humano male conſulant, quaſi ideo interiturum ſit genus humanum, ſi unus vel alter ex juſta cauſſa ad nuptias non adpellat animum. Hinc parum memores praeceptorum Paulli, apoſtoli, 1. *Cor. VII.* eſſe videntur ii, qui ex Chriſtianis pedibus in illam Judaeorum ſententiam ire non dubitant.

Extra matrimonium vetitum omne genus libidinis.

§. XXXV. At id tam certum eſt, quam quod certiſſimum, quum medium ſit propter finem, adeoque concubitus propter procreationem educationemque liberorum, omniaque, quae huic fini adverſantur, ſint omittenda, (§. XXVIII, 9.) 32. graviter peccare omnes, qui medio illo, quod Deus ad certum finem deſtinavit, abutuntur ad explendam tantum libidinem; adeoque 33. omnem nefandam Venerem, quam ſcire non proficit, 34. omnia adulteria & 35. ſtupra, 36. omnes furtivos amores, qui inſuper cum maxima aliorum injuria conjuncti ſunt, denique 37. omnes foedas pollutiones aeque, ac 38. quaeſtum nefandum & 39. lenocinium rectae rationi omnino adverſari: neque adeo 40. aliud eſſe propagandi ſupplendique generis humani legitimum medium, praeter ſocietatem conjugalem, quam adhuc deſcripſimus (*).

(*) Omnes enim hae impuriſſimae commixtiones non fiunt procreandae ſobolis cauſſa, ſed ii, qui his libidinibus indulgent, potius hunc finem, quantum in ipſis eſt, impedire ſtudent. Et ſi vel maxime natura hoc pravum illorum conſilium alio vertit, ut ſoboles, etiam invitis parentibus, naſcatur; his tamen alter finis, puta, educatio ejuſdem, minime omnium ob oculos eſt, & maxime patri, qui prolem, tamquam incertam & vulgo quaeſitam, plerumque negligit. Ex quo deinde plerumque ſequitur, ut infeliciſſimi hi liberi ad omne ſcelus adoleſcant, & generi humano oneri potius ſint, quam ornamento. Quod quum omnino prohibendum ſit: facile patet, non injuſte agere magiſtratus, qui & adulteros & ſtupratores ad ſuppeditanda liberis alimenta; & hos, ſi feminas, injecta ſpe matrimonii, ad ſtuprum pellexerint, etiam ad ducendas ſtupratas adigunt.

An πολυανδρία & com-

§. XXXVI. Ob eamdem cauſſam 41. πολυανδρίαν, id eſt, unius feminae cum pluribus viris conjunctionem, rectae rationi omnino refra-

refragari, adeoque & 42. communionem uxorum, quam in republica ſua Platonem civibus permiſiſſe, aiunt, plane eſſe reprobandam, liquet. Ariſtot. *Polit. II*, 2. Quum enim utroque caſu incerta futura ſit paterna prolis origo, eaque incertitudo commodam liberorum educationem vel maxime impediat: (§. XXXV.*) tantum abeſt, ut foedas has commixtiones probet recta ratio, ut ne ii quidem populi, quos alioquin πολυγυνίαν, id eſt, unius viri cum pluribus uxoribus conjugium, permiſiſſe conſtat, ulli feminae facultatem dederint, cum pluribus maritis uno eodemque tempore in manum conveniendi (*). munio uxorum ſit licita?

(*) Non igitur acutius Papirius Praetextatus eludere potuiſſet curioſitatem matris, quid rei magnae in ſenatu eo die conſultatum eſſet, paullo compreſſius ac violentius ſciſcitantis, quam dum actum in ſenatu dixit: *utrum videretur utilius magiſque e republica eſſe, unuſne ut duas uxores haberet, an ut una apud duos nupta eſſet?* Quum enim nulli in mentem veniſſet, alterutrum legibus permittendum eſſe: matronae Romanae, a matre Praetextati de periculo monitae, poſtero die nudare animi ſententiam non dubitarunt, adeuntes ampliſſimum ordinem, & non ſine lacrymis orantes, *una potius duobus nupta fieret, quam ut uni duae*. Gell. *Noct. Att.* I, 23. Sed tantum abeſt, ut πολυανδρίαν tolerarint Romani, ut ne barbari quidem eam umquam admiſerint, quamvis promiſcuum uſum uxorum aliqui probarint, veluti Taprobanenſes, Ichtyophagi, Hylophagi, Nomades, Garamantes, Troglodytae, Agathyrſi, Gindani, Britanni, de quibus videndus Pufendorff. *Jur. nat. & gent.* VI, 1, 15.

§. XXXVII. Paullo altioris indaginis eſt quaeſtio, an πολυγυνίαν, ſeu unius mariti cum pluribus uxoribus connubium, jus naturae permittat? Neque enim I. hujuſmodi conjugium vel procreationem ſobolis impedit, vel II. efficit, ut proles incerta videatur. Praeterea III. multae gentes, ipſeque Dei populus, & probarunt hanc cum pluribus uxoribus ſocietatem, & ſibi non infelices viſi ſunt, dum plures feminas domum duxerunt; ut jam non dicamus, IV. Turcarum, aliorumque populorum orientalium, exempla argumento eſſe, non pejus ſe habere liberorum procreationem atque educationem, ſi unus plures, quam ſi unam quiſque domum ducat: itemque V. ſaepe vel mariti vigorem, vel uxoris intolerabiles mores, vel ejuſdem ſterilitatem, vel ipſius reipublicae ſalutem, aliaſque juſtas cauſſas videri ſuadere, ut polygamia ſimultanea monogamiae praeferatur (*). Argumenta pro πολυγυνίᾳ.

(*) Eo redeunt praecipua, quibus polygamiae patroni utuntur, argumenta, ex ſola ratione depromta. Quae enim ex ſcriptura ſacra addunt, ea huc non pertinent. Magno argumentorum utriuſque generis adparatu cauſſam hanc egerunt Huldericus Neobulus, de cujus libro *de digamia* videndus Seckend. *Hiſt. Lutheran.* III, 79. *Addit.* III. *litt.* x. *p.* 281. Bernardinus Ochinus, ex inſtituto refutatus a Theod. Beza *libro de polygamia* & Jo. Gerardo *de conjug.* §. *CCVII.* de quo videndus Petr. Bael. *Dict. hiſt. & crit. ſub Ochinus.* Jo. Lyſerus,

ſerus, qui ſub fictis Theophili Alethaei, Vinc. Athanaſii, Gottl. Wahrmundi nominibus latitans, plures libellos ea de re ſparſit in vulgus, de quibus fuſius egit Vinc. Placcius *Theatr. pſeudonym. n. 97. 277. 2867.* Adverſus eum calamum ſtrinxerunt Jo. Brunsmannus, Jo. Muſaeus, Diekmannus, Feltmannus, Geſenius, at in Puſendorffium injurius, Jo. Meyerus, & alii. Denique polygamiae patrocinium ſuſcepit vir, quem ſtudia ſua, melioribus litteris conſecrata, hoc ingenii foetu interrumpere non decebat, Daphnaeus Arcuarius, in libro Germanice ſcripto, *von Ehe-ſachen:* ut jam non dicamus de noviſſima controverſia, quae nuper a jureconſulto Dantiſcano, majore fortaſſis eccleſiae damno, quam fructu, excitata, plures libellos eriſticos peperit, quos, utpote ubivis obvios, recenſere hic nihil attinet.

Ea rectae rationi non convenit.

§. XXXVIII. Enimvero, quum conjugium ſit, ea omnia, quae conjugii fini adverſantur, omittere, (§. XXVIII, 9.) fini vero illi, quia conjugium eſt ſocietas, vel maxime adverſetur diſcordia circa finem & media, (ibid.) denique illa diſcordia eo minus evitetur, quo major eſt ſocietas (*): (§. XIX, 57.) merito colligimus, 43. πολυγυνίαν quoque rectae rationi minus convenire, quam unius cum una matrimonium, & proinde, 44. quum natura nos obliget, ut ex pluribus bonis id, quod optimum eſt, eligamus, (Lib. I. §. XCII. *) potius nos ad monogamiam, quam ad polygamiam eligendam eſſe obligatos.

(*) Hoc tam certum eſt, quam quod certiſſimum. Plures unius viri uxores invidia, zelotypia, aemulatio, & mille aliae cauſſae quotidie collidunt. Jam enim mulier mulieri vetuſtiori, juvenculae, foecundiori, magisque amabili; jam plures earum marito, unam vel alteram ſibi praeferenti; jam eaedem alterius liberis erectioris ingenii, vel patri paullo carioribus, ſuccenſent. In hoc vero inteſtino bello quae poſſet locum habere concordia? quis conſenſus in educationem tam diſſortium liberorum? Viderunt tam triſtia exempla familiae Abraami & Jacobi, quum in iis floreret virtus & pietas. *Geneſ. XVI, 5. XXI, 9. ſequ. XXIX, 30. ſequ. XXX, 1. ſeq.* Quid non evenire poſſe credimus aliis, qui pro mulieribus probis & modeſtis Medeas vel furias aliquot domi alerent?

Reſponſio ad argumenta primum, ſecundum & tertium.

§. XXXIX. Nec tanti ſunt rationes, paullo ante recenſitae, ut earum cauſſa deſerere velimus vadimonium. Ponamus I. procreationem ſobolis non impediri πολυγυνίᾳ; at tanto magis impeditur finis alter, puta, commoda liberorum educatio, (§. XXXVIII. *) quae a procreatione non eſt ſejungenda. (§. XXVII.) II. Quamvis proles etiam in πολυγυνίᾳ certa ſit; haec tamen certitudo non impedit, quo minus quaelibet mater ſuis tantum liberis faveat, reliquarum prolem odio plus quam Vatiniano proſequatur, vel eam ſaltim novercalibus inſtigationibus patri exoſam reddere ſtudeat. III. Populis orientalibus, quibus clima ferventius, ipſaque naturalis laſcivia πολυγυνίαν perſuaſit, facile opponi poſſunt tot gentes humaniores; quibus eadem diſplicuit. Nec mos Judaeorum

pro

pro norma eſt, quum ipſe Servator ea omnia, quae a primaeva Dei inſtitutione diſcrepent (*), in Judaeis tolerata magis, quam adprobata a Deo eſſe, doceat, *πρὸς τὴν σκληροκαρδίαν αὐτῶν, propter duritiem cordis eorum. Matth. XIX*, 8.

(*) Nulla autem oſtendi poteſt ratio, cur in quaeſtione de divortiorum licentia magis ad primaevam matrimonii inſtitutionem reſpiciendum ſit, quam ubi de πολυγυνίᾳ diſputatur. Immo ab ipſo divortio, quod Servator primaevae inſtitutioni refragari, ac proinde παρεκτὸς λόγου πορνείας illicitum eſſe docet, recte ducimus argumentum ad prohibitionem πολυγυνίας. Si enim is, qui, repudiata injuſte priore uxore, aliam ducit, adulterii reus eſt: multo magis adulterii reus erit, qui conſtante matrimonio uxori aliam ſuperinducit, quia ratio, a Chriſto adducta, quod nempe Deus, inſtituens matrimonium, voluerit, *ut duo ſint caro una, Matth. XIX*, 5. non minus polygamiae, quam divortio, obſtat.

Nec non ad quartum & quintum.

§. XL. Ejuſdem commatis & reliqua ſunt argumenta, in quibus polygamiae adſertores cauſſae ſuae praeſidium quaerunt. Nam IV. quae de Turcarum aliorumque populorum orientalium felicitate, tranquillitateque domeſtica jactant, partim annalibus eorum, ipſique experientiae repugnant, partim iis mediis obtinentur, quae naturae atque indoli ſocietatis matrimonialis plane repugnant (*). Et quid, quaeſo, V. incredibilius eſt, quam uni non ſufficere unam? quid incertius, quam eum, cui inverecunda vel immodeſta obtigit uxor, alteram, quam illi ſuperinducit, verecundiorem modeſtioremque, vel cui jam infaecunda domi eſt, alteram faecundiorem habiturum? Quid ſi pro una furia duas treſve inveniat? Immo totum hoc argumentum non niſi iis alicujus ponderis eſſe videbitur, quibus

Sola eſt utilitas juſti prope mater & aequi,

id eſt, qui falſum juris naturae & gentium principium pro vero adoptant. (Lib. I. §. LXXVIII. *)

(*) Notum eſt, orientales populos, qui plures uxores alunt, easdem gynaeceo, tamquam carceri perpetuo incluſas habere, nec meliorem earum, quam ancillarum, pari eſſe conditionem. Hinc Ariſtotel. *Polit.* Γ, 2. Ἐν δὲ τοῖς βαρβάροις τὸ θῆλυ καὶ δοῦλον τὴν αὐτὴν ἔχει τάξιν. *Apud barbaros autem femina & ſervus eumdem ordinem habent.* Adde de Perſis inſignem locum Plutarchi *in Themiſtocl. p.* 125. Praeſto iis eſt eunuchus aliquis, qui illas cuſtodiat, & ab omni aliorum hominum conſuetudine plane avertat. Liberi etiam, maxime dignioris ſexus, raro matris, plerumque autem eunuchi alicujus, vel ſervi diſciplinae traduntur. Quae omnia an naturae hujus ſocietatis conveniant, facile intelliget, quiſquis uxorem vitae fortunaeque ſociam, non captivam, non ancillam, eſſe debere, cogitaverit.

An jus naturae certos

§. XLI. Non minus difficilis eſt quaeſtio, an ex juris naturae praeſcripto & ſanguini habendus ſit honor, adeoque nuptias &

gradus prohibeat? cognatio, & adfinitas impediat? Enimvero, quum matrimonii fini adverſari non videatur hujuſmodi conjunctio: (§. XXVIII, 8. 9.) ſatis conſtare arbitror, 45. eam ex hac cauſſa juri naturae haud adverſari. Attamen quia nuptiae, inter adſcendentes & deſcendentes contractae, cum maxima turpiſſimaque reſpectuum, qui inter has perſonas intercedunt, confuſione conjunctae ſunt: 46. ipſa recta ratio, illas omnino inhoneſtas eſſe, agnoſcit, & 47. eatenus JCti Romani non male ſtatuerunt, hunc eſſe *inceſtum juris gentium* (*): *l.* 38. *§.* 2. *D. ad leg. Jul. de adult.* quin & 48. in linea collaterali nuptiis inter proximos cognatos cognataſque pudorem impedimento eſſe, exiſtimarunt. *l.* 68. *D. de rit. nupt.*

(*) Quum enim natura probare non poſſit contradictoria, tales vero verae ſint obligationes uxoris & matris, patris & fratris, matris & ſororis, quae in una perſona vix conſiſtere ſine ſumma confuſione poſſunt: nec poſſunt hae nuptiae conſiſtere, quibus hi reſpectus in una eademque perſona manifeſto confunduntur, veluti in nuptiis Herſili & Marullae, de quibus vetus epigramma,

Herſilus hic jaceo, mecum Marulla quieſcit:
Quae ſoror, & genitrix, quae mihi ſponſa fuit.
Me pater e nata genuit: mihi jungitur illa:
Sic ſoror & conjux, ſic fuit illa parens.

Sunt haec ſane ita comparata, ut & paganis turpia viderentur, ex quorum numero Ovidius *Metam. X. v. 9.* Myrrham ita loquentem inducit:

Tune ſoror nati, genitrixque vocabere fratris?
Nec, quod confundas & jura & nomina, ſentis?

Inter collaterales confuſio tanta non metuenda, at confuſio tamen quaedam reſpectuum & obligationum evitari non poteſt, ſi eadem ſoror, eadem uxor ſit. Hinc honeſtius putamus, has quoque nuptias non permitti, niſi eas abſoluta excuſet neceſſitas. Et ſic facile reddideris rationem, cur Adami liberi ſine inceſtus crimine inter ſe contraxerint nuptias, quum inceſtuoſi procul dubio hodie dicendi ſint, qui eorum exemplum imitari non dubitarent. Pertinet enim haec graduum prohibitio ad officia erga alios, quorum ea eſt natura & indoles, ut, ſi neceſſitas ab ipſo Deo objiciatur, quaelibet ſit honeſta ratio expediendae ſalutis. (Lib. I. §. CLXII, 64.)

An ritus & ſollemnitates nuptiales probet? §. XLII. Quum porro omnes commixtiones extra matrimonium, quippe ad ſolam explendam libidinem comparatae, rectae rationi adverſentur, nec aliud legitimum ſit genus humanum propagandi medium, quam ſocietas conjugalis: (§. XXXV.) conſequens eſt, 49. ut & ipſorum conjugum, & liberorum inde natorum interſit, animum hanc ſocietatem contrahendi ſigno quodam externo teſtatum fieri, juſtamque uxorem a concubina, maritum a ſtupratore vel concubinario, liberos legitimos ab illegitimis diſcerni. Quod quum commodius fieri non poſſit, quam ſi nuptiae publice & ſollemniter contrahantur: facile reddideris rationem, 50. cur omnes paene gentes, certos ritus nuptiales, arbitra-

bitrarios illos quidem, aſt ad declarandum conſenſum nuptialem, officiaque conjugum ſignificanda idoneos, adhibendos exiſtimarint (*).

(*) Nulla paene fuit gens tam barbara, quae non ritus quosdam adhibuerit in contrahendis nuptiis, multoque magis gentes humaniores, veluti Hebraei, Graeci, Romani hujuſmodi ſollemnitatibus utendum putarunt, de quibus tanto adparatu agunt viri docti, qui antiquitates Hebraeorum, Graecorum, Romanorum, aliarumque gentium ex inſtituto deſcripſerunt, ut propoſiti immemor eſſe viderer, ſi de ritibus illis vel verbum addendum putarem. Id tantum moneo, Romanos, oblangueſcente paullatim vetere illa diſciplina, eo demum deveniſſe, ut nullum paene ritum amplius adhiberent, eoque factum eſſe, ut ſaepenumero dubitaretur, juſtaene uxoris, ac concubinae locum in aedibus teneat femina, idque aliquando ex inſtrumentis dotalibus, §. *ult. Inſt. de nupt.* aliquando ex ipſa feminarum conditione qualitateque adfectionis eſſet dijudicandum. *l.* 24. *D. de ritu nupt. l.* 31. *pr. D. de donat.* Quam facile vero ſuperſediſſent his quaeſtionibus, ſi more majorum certo ritu contraxiſſent nuptias?

Officia conjugum mutua, quae ex natura pacti fluunt.

§. XLIII. De officiis utriuſque conjugis omnia ſunt certa & perſpicua. Quum enim natura hujus ſocietatis requirat conſenſum, (§. XXXIII. 7.) is vero ſine amore ac concordia ſperari nequeat: conſequens eſt, 51. ut conjuges mutuo amore ſeſe complecti, 52. & non modo communem rem familiarem (*) communi conſilio adminiſtrare & curare, ſed & 53. alter alteri pro virili adjumento eſſe, immo & 54. communem utramque fortunam habere, in primis vero 55. in liberorum educatione ope & conſilio ſe invicem juvare debeant.

(*) Equidem, an communio illa bonorum, mortuo alterutro conjuge, effectum habere, & quanta pars ſubſtantiae communis ſuperſtiti, quanta defuncti heredibus, obvenire debeat, vel pactis, vel legibus, definiendum eſt. Conſtante tamen matrimonio communia omnia habere conjuges, etiam recta ratio agnoſcit. Quum enim ſocii ob unitatem voluntatis ſint una perſona, (§. XX, 60.) ac proinde res & jura, quae ad ſocietatem pertinent, communia habeant: (§. XXI, 63.) manifeſtum eſt, idem etiam inter conjuges obſervandum eſſe, adeo, ut & Romani, quamvis, exoleſcente in majorum conventione, ab uſu recederet illa κοινωνία ἁπάντων χρημάτων τε καὶ ἱερῶν, *omnium bonorum & ſacrorum communio*, quam inter conjuges eſſe voluerat Romulus, teſte Dionyſio Halicarn. *Antiqu. Rom. Lib. II. p.* 95. tamen communem utrique conjugi bonorum uſum eſſe ſtatuerent. *l.* 1. *D. rer. amot. l.* 5. *C. de crim. expil. hered.* Ex quo facile patet, cur Modeſtinus, retenta vetere definitione, nuptias, quales & ſua aetate erant, dixerit *conjunctionem maris & feminae, conſortium omnis vitae, divinique & humani juris communicationem, l.* 1. *D. de ritu nupt.*

Itemque, quae ex fine matrimonii.

§. XLIV. Et haec quidem communia ſunt utriuſque conjugis officia, quae ex conſenſus ac ſocietatis natura prono alveo fluunt. Ex fine porro matrimonii (§. XXVII, 6.) colligimus, 56. conjuges

juges merito cohabitare, ſibique ſolis 57. invicem corporis uſum praebere, adeoque 58. ab adulteriis, aliiſque furtivis impuriſque amoribus; abſtinere, (*) 59. liberos pari amore complecti, nec 60. alterum alterius curam & ſollicitudinem, qua liberos commode educare cupit, inutilem atque infructuoſam reddere debere.

(*) Sunt, qui hoc officium tantum ad uxorem, non item ad maritum pertinere exiſtimant, ex ea ratione, quod, eo neglecto, incertitudo prolis uxori non ſit metuenda. Enimvero uti omnino vetita eſt commixtio, qua fit, ut incerta ſit origo ſobolis: ita non ſequitur, ut licitus ſit congreſſus, ex quo illa incertitudo non ſit metuenda. (§. XXXIX, 11.) Vid. Gundlingii *diſſ. an major a feminis, quam a viris, caſtitas requiratur.* Nos ex regula principali juſtitiae naturalis hoc argumentum ducimus: Quod ſibi quiſque non vult fieri, id nec alteri facere debet. (Lib. I. §. CLXXVII, 6.) At maritus non vult, ut uxor alterum majore amore, quantumvis innoxio, quam ſe complectatur, vel ulli alii, quam ſibi, corporis uſuram praebeat: hinc ad idem officium obſtrictus eſt maritus. Recte itaque Chryſoſtom. *homil. XIX. in 1. Co. VII. In aliis ſit praerogativa viri, non in pudicitia.* Et Greg. Narianzenus: *Πῶς ἀπαιτεῖς, οὐκ ἀντιφέρεις? quo jure exigis, quod non rependis?* Add. Lactant. *Inſt. div. VI,* 3. Hieronym. *ad Ocean.* & *can.* 20. *Cauſſ. XXXII. quaeſt. V.* Quamvis uxoris impudicitiam fini matrimonii magis, quam viri incaſtitatem, repugnare, facile largiamur.

An marito in uxorem aliquod imperium ſit.

§. XLV. Satis porro manifeſtum eſt, imperfectam admodum fore hanc ſocietatem, ſi tam eſſet aequalis, ut penes neutrum conjugem aliqua negotia communia dirigendi, facultas relinquatur, quia in pleriſque contingere poſſet, ut in eligendis mediis quam maxime diſſentirent, adeoque, quum inter duos ne numerus quidem ſuffragiorum vincere poſſit, res non habeat exitum. Quamvis vero tunc prudentius conſilium praeferendum videatur: (Lib. I. §. XCII. *) tamen, quia aeque incertum futurum eſſet, uter conjugum magis altero ſapiat, merito ad id, quod plerumque fit, attendendum, adeoque 61. marito aliqua praerogativa concedenda erit circa negotia, quae ad ſocietatis communis ſalutem utilitatemque pertinent (*). (§. XXVIII, 8.)

(*) Quum enim ad ea omnia obſtricti ſint conjuges, ſine quibus procreatio commodaque educatio ſobolis obtineri nequit: (§. XXVIII, 8.) obſtricti etiam erunt ad alterutrius praerogativam ferendam, ſine qua ſperandus non eſſet in eadem media conſenſus. Quia vero in ſocietate inter pares praerogativa illa merito debetur prudentiori, eique, cui plus oneris incumbit, is vero in ſocietate conjugali ut plurimum eſt maritus: uxor obſtricta erit, ad praerogativam mariti ferendam. Martial. *Epigr. VIII,* 12.

Inferior matrona ſuo ſit, Priſce, marito:
Non aliter fuerint femina virque pares.

Et Plutarch. *conjugial. praecept.* p. 139. Ὥσπερ ἂν φθόγγοι δύο σύμφωνοι ληφθῶσι, τοῦ βαρυτέρου γίνεται τὸ μέλος, οὕτω πᾶσα πρᾶξις ἐν οἰκίᾳ σωφρονούσῃ πράττεται μὲν ὑπ' ἀμφοτέρων ὁμονοούντων, ἐπιφαίνει δὲ τὴν τοῦ ἀνδρὸς ἡγεμονίαν, ἢ καὶ

καὶ προαίρεσιν. Sicut, quum ſumuntur duae conſonae voces, cantus graviori adſcribitur: ita in familia recte inſtituta omnes res quidem geruntur conſenſu conjugum, viri tamen vel IMPERIUM *vel* CONSILIUM *elucet.*

§. XLVI. Quum vero ea praerogativa, marito conceſſa, non niſi ad negotia, quae ad ſocietatis ſalutem utilitatemque pertinent, porrigatur: (§. XLV, 61.) conſequens eſt, 62. ut illa maritalis poteſtas degenerare non debeat in imperium herile, quale apud barbaros pleroſque invaluiſſe, jam ſupra obſervavimus, (§. XL. (*) nec adeo 63. conſiſtere in jure vitae & necis, quod leges quorumdam populorum maritis indulſerunt, Gell. *X*, 23. Tacit. *Annal. XIII*, 32. Caeſ. *de bell. Gall. VI*, 19. Tacit. *de mor. Germ. Cap. XIX.* multoque minus 64. in jure uxores aliis vel vendendi, vel commodandi, a quo more ii populi, apud quos uxores tamquam res in commercio fuerunt, ipſique Romani non abhorruerunt. Plutarch. *in Catone p.* 770. Tacit. *Annal. V*, 1. Dio Caſſ. *Hiſt. Lib. XLVIII. p.* 384. ſed 65. in facultate uxorum actiones prudente conſilio regendi, 66. eaſdem defendendi, 67. immodeſtas modice, & pro conjugum conditione & dignitate caſtigandi (*), (§. XXII, 69.) immo & 68. ob cauſſas graviores, de quibus paullo poſt erit dicendi locus, matrimonio mulctandi. (§. XXII, 70.) Ejus indoles.

(*) Dico caſtigationem illam conditioni dignitatique utriusque conjugis debere accommodari. Quum enim conjuges, tamquam ſocii, ſint veluti una perſona: (§. XX, 60.) ignominioſa caſtigatio uxoris cum ipſius viri ignominia eſt conjuncta. Quia vero unumquemque decet exiſtimationem ſuam pro virili conſervare: (Lib. I. §. CLIII, 44.) contra officium faciet maritus, ſi uxorem contra dignitatem tractando, & illius & ſui ipſius exiſtimationem laedit. Unde elegans Germanorum paroemia: *Wer ſich die naſe abſchneidet, ſchændet ſein angeſicht.* Eleganter virorum hujusmodi imprudentum diſciplinam reprehendit Plutarch. *in praecept. coniugial. p. 139.* Οἱ τοῖς ἵπποις ἐφάλλεσθαι μὴ δυνάμενοι. δι' ἀσθένειαν ἢ μαλακίαν, αὐτοὺς ἐκείνους ὀκλάζειν καὶ ὑποπίπτειν διδάσκουσιν. οὕτως ἔνιοι τῶν λαβόντων εὐγενεῖς ἢ πλουσίας γυναῖκας, οὐχ ἑαυτοὺς ποιοῦσι βελτίους, ἀλλ' ἐκείνας περικολούουσιν, ὡς μᾶλλον ἄρξοντες ταπεινῶν γινομένων. Δεῖ δὲ, ὥσπερ ἵππου τὸ μέγεθος φυλάττοντα, καὶ τὸ ἀξίωμα τῆς γυναικὸς χρῆσθαι τῷ χαλινῷ. *Qui ob imbecillitatem aut mollitiem non poſſunt inſilire in equos, illos condocefaciunt, ut ſe ſubmittant, ac ingeniculent. Eodem modo quidam, ducendo nobiles & opulentas uxores, non ſeſe meliores reddunt, ſed uxores deprimunt, ut humilibus facilius imperare poſſint: quum oporteat, ratione habita, ut magnitudinis in equo, ita* DIGNITATIS IN MULIERE, *fraeno uti.*

§. XLVII. Quia vero haec praerogativa marito ob praeſumtam duntaxat majorem prudentiam & onera matrimonii, ei incumbentia, debetur, (§. XLV. *) & ſaepe tamen contingit, ut virilis animi femina viro ingenii minus perſpicacis, opulentior pau- An id jus mariti pacto mutari poſſit?

 peri,

peri, regina privato nubere cogatur: 69. omnibus his caſibus pacto ſibi praerogativam illam ſtipulari poſſe feminam, (*) nemo negaverit, exemplaque docent, 70. reginas, nuptas principi, cui nihil in uxoris regno imperii eſt, priores in ſocietate, etiam conjugali, partes tenere, niſi 71. uxor, regni heres, ipſum imperium in maritum transſcribere malit, ſola dignitate contenta.

(*) Sic ſane quod referunt Ariſtotel. *Polit. V*, 11. & Sophocl. *in Oedipo Colon. v.* 354. apud Aegyptios uxorem imperare marito, id ex pacto eſſe, docet Diodor. Sicul. *Biblioth. I*, 27. De *reginae marito*, quae dici poſſunt, omnia jam occupavit doctiſſimus Jo. Philipp. Palthenius diſſertatione ſingulari, edita Gryphiſv. MDCCVII. ubi & varia, quae huc pertinent, pacta dotalia, & natas inde controverſias illuſtres accuratius explicavit. In primis notabile eſt exemplum Jacobi Boduelli, Ducis Orcadum, qui ducturus Mariam Scotorum Reginam, conceptis verbis juravit, *ſe nullam inde praeeellentiam, aut ſupremi gradus faſtigium ſpectare, ſed id unum, ut perinde Reginae, atque adhuc fecerit, quoad viveret, pareret atque inſerviret.* Buchanan. *rer. Scot. Hiſt. Lib. XVI. p.* 674. Ad ea, quae ex jure divino poſitivo *Geneſ. III.* 16. 1. *Cor. XI*, 7. 1. *Tim. II*, 11. *Eph. V*, 13. *Coloſſ. III*, 18. 1. *Pet. III*, 1. his omnibus opponi ſolent, plura regeſſit laudatus Palthenius *ibid.* §. *XXX. ſequ.* quae tamen nos, alio plane innixi fundamento, in medio relinquimus.

Mariti officium in ferendis matrimonii oneribus.

§. XLVIII. Quum vero ordinarie maritus priores in ſocietate connubiali partes teneat: (§. XLV, 61.) non poteſt etiam detrectare officium 72. alendi uxorem & liberos, 73. oneraque matrimonii ferendi: quamvis, 74. quia communes ſunt liberi, communiſque rei familiaris cura utrique incumbit, (§. XLIII, 52.) merito & uxor partem iſtorum onerum, quantum opes ejus ferunt, in ſe ſuſcipiat, eaque 75. procul dubio ſit origo dotium apud Graecos & Romanos, quas & illae uxores adferebant maritis, quae ab hereditate parentum non excludebantur (*).

(*) Apud reliquas pleraſque gentes ideo dotem accipiebant feminae, ne plane exſortes eſſent bonorum paternorum, quippe alias a ſucceſſione excluſae. Idem iis temporibus obtinebat apud Romanos, quibus lex Voconia nondum exoleverat. At dotare tamen Romani ſolebant filias, etiam antequam lata eſſet lex Voconia, idemque, ea jam ſubverſa, faciebant, quamvis hereditatem paternam maternamque aequa lance cum fratribus dividerent. Rem omnem eleganter expoſuit Jac. Perizon. *diſſert. de lege Voconia*, noſtris auſpiciis recuſa Halae MDCCXXII. Hinc ipſi Romanorum jureconſulti dotem *ad ferenda matrimonii onera dari*, fatentur. *l. 7. pr. l.* 56. §. 1. *l. 76. fin. D. de jure dot. l.* 20. *C. eod.*

Matrimonium quatenus indiſſolubile ſit.

§. XLIX. Denique, quum omnia omittenda ſint, quae matrimonii finem impediunt, (§. XXVIII, 9.) educatio vero liberorum, quae non minus, quam procreatio eorumdem, finis matrimonii eſt, perpetuam conjugum ſocietatem requirant: facile patet, 76. ei fini omnino adverſari divortiorum licentiam, qualis

apud pleraſque gentes olim invaluerat. At, quia tamen 77. intolerabiles alterutrius conjugis mores hunc finem magis impediunt, quam divortium, & 78. ſocio, cui tam injurioſus ſocius obtigit, non poſſit vitio verti, ſi illum abs ſe ſegreget: (§. XXII, 70.) divortium etiam non illicitum cenſemus, quoties alteruter conjux ita ſe gerit, ut finis matrimonii obtineri nequeat. (*) Poſtremo, 79. ſoluta quocumque legitimo modo hac ſocietate, alterum ad ſecunda vota tranſire poſſe, eo minus dubitari poteſt, quo minus ſocio, ſoluta ſocietate, jus eſt, alterum impediendi, quo minus novam ſocietatem cum alio contrahere poſſit.

(*) Huc ergo referimus non modo adulterium & malitioſam deſertionem, quas cauſſas & jus divinum juſtas eſſe docet: *Matth. V*, 32. *XIX*, 9. 1. *Cor. VII*, 15. ſed & omnes, quae impedimento ſunt, quo minus finem matrimonii adſequi liceat. Equidem an loquutio Chriſti παρεκτὸς λόγυ πορνείας *Matth. V*, 32. idem ſignificet, quod *rem turpitudinis* vocavit Moſes, *Deut. XXIV*, 1. adeoque tam laxa ſit vocabuli πορνεία notio, ac viſum eſt Seldeno *Ux. Hebr. III*, 23. & 31. nos quidem in medio relinquimus, certo perſuaſi, non idem eſſe πορνείαν & λόγον πορνείας. λόγον enim pro ratione vel conditione rei accipi notum eſt, uti in formula notiſſima: τὸν αὐτὸν λόγον ἔχει, *ejuſdem ſunt conditionis*, vel *eamdem rationem habent*, Syneſ. *Epiſt. ad Joannem* Νῦν δὲ τὰ ἁμαρτήματα λόγον ἔχει πρὸς τὰς ἀνεκπλύτους κηλῖδας. *Peccata vero ejuſdem* NATURAE *ſunt*, vel, *peccatorum* EADEM RATIO EST, *ac macularum, quae elui nequeunt.* Hoc ſenſu accepto vocabulo, ſenſus erit, non aliam divortii cauſſam ſufficientem eſſe, quam quae ſimilis adulterio, ejuſdemque cum hoc naturae ſit, vel, quod perinde eſt, quae cum fine matrimonii non minus pugnet, quam adulterium.

§. L. Quamvis vero haec omnia ipſa recta ratio exigere videatur in ſocietate conjugali: facile tamen unuſquiſque intelligit, 80. unum officium altero magis minuſve finem matrimonii attingere, adeoque 81. non ſtatim ſocietatem inter maſculum & feminam matrimonium eſſe deſinere, ſi quid per pacta mutetur. Quamobrem 82. matrimonium, licet imperfectum, eſt, quod ſine ſollemnitate, clam, liberorum tamen quaerendorum educandorumque cauſſa, contrahitur, (*) 83. nec non cui accedit *lex morganatica*, immo & 84. *putativum*, de quo ſingulari diſſertatione egit Jo. Nic. Hertius: quamvis 85. in imperantium ſit arbitrio, quem hujuſmodi conjunctioni effectum in civitate tribuere velint. Quid ſtatuendum ſit de matrimoniis imperfectis?

(*) Huc pertinet matrimonium, quod vocant *mariage de conſcience*: immo & concubinatus, qualis apud Romanos obtinuit, de quo plura diximus *in commentario ad legem Jul. & Papiam, Lib. II. Cap. IV.* Neque enim aliter, quam dignitate, ab uxore legitima differebat concubina, quippe cum pellice non confundenda. Unde & *inaequale conjugium* vocatur concubinatus. *l. 3. C. de natur. lib.* Contra ne imperfecti quidem matrimonii nomen meretur illud, quod barbare vocant *ad talacho, emancibado, caſato di*

media

media carta, quod ea lege contrahitur, ut vir, prole potitus, feminam illico a ſe ſegregare, vel uxor, praegnans, maritum pro lubitu deſerere poſſit, qualia Amazonum matrimonia fuiſſe, memoriae prodiderunt veteres, quamvis de veritate rei non abs re dubitet Arrianus *in expedit. Alexandri M. Lib. VII. pag.* 291. *ſequ.* Conf. Sam. Petiti *Diſſ. de Amazonibus*, & Caſp. Sagitt. *Exercit. ad Juſtin. Hiſt. II*, 4. Quid enim hoc aliud eſt, quam *exire matrimonii cauſſa, nubere divortii cauſſa*? Seneca *de Benef. III*, 6. Quid magis adverſari dixeris educationi liberorum, quam nuptias contrahentibus pro fine eſſe debere, ſupra monuimus?

CAP. III.

DE OFFICIIS, IN SOCIETATE PARENTUM ET LIBERORUM OBSERVANDIS.

§. LI.

Tranſitio ad ſocietatem parentum & liberorum.

EX conjunctione maris & feminae, de qua ſuperiore capite diſſeruimus, naſcuntur LIBERI, qui tantiſper cum parentibus in ſocietate vivunt, dum ipſi novas familias conſtituant, & e parentum manu poteſtateque exeant. Quamvis enim liberi, quando in hoc orbis theatrum prodeunt, nec expreſſe, nec tacite, in hanc ſocietatem conſentire poſſint: tamen, quia & ex praeſumto conſenſu aliquando naſci poteſt ſocietas, ſi ex ipſa rei natura, alterum conſenſiſſe, judicamus, (§. XVII, 48.) ipſa vero liberorum adhuc infantum conditio requirit, ut cum aliis in ſocietate vivant: (§. eod.*) 1. nihil obſtat, quo minus parentes liberoſque in eumdem finem, eademque media conſentire, adeoque 2. dari SOCIETATEM INTER PARENTES LIBEROSQUE, ſtatuamus. (§. XIV).

Ejus finis commoda liberorum educatio.

§. LII. Nimirum, quum liberi, adhuc infantes, immo & pueri atque adoleſcentes, non ſint ea ingenii perſpicacia praediti, ut ipſi vel de alimentis ſibi proſpicere, vel, quomodo actiones ſuas ad rectae rationis normam componere debeant, dijudicare poſſint: 3. Deus ſane, qui eos exſiſtere voluit, etiam aliis curam demandaſſe intelligitur, tenellos illos homunculos educandi. Quumque 4. ideo incredibilem amorem erga liberos inſeverit parentibus, non ſolum hominibus, verum etiam brutis animantibus, ut de hoc officio admonerentur, (§. XXVII.) hique praeterea ſobolis procreandae educandaeve cauſſa ſocietatem inierint, aut ſaltim hunc finem unice ob oculos habere debuerint (*): (§. eod.)

eod.) conſequens eſt, 5. ut id officium primario incumbat parenti utrique, adeoque 6. ſocietatis inter parentes & liberos finis non alius ſit, quam COMMODA horum EDUCATIO.

(*) Quamvis ergo contingere poſſit, ut homines diverſi ſexus non liberorum quaerendorum, ſed ſolius libidinis cauſſa, congrediantur: tamen ideo hac obligatione non liberantur, quod alium ſibi finem propoſuerunt. Quum enim omnes impurae commixtiones extra matrimonium rectae rationi adverſentur: (§. XXXV.) non refert, quem finem ante oculos habeant parentes, ſed quem habere debeant, nec in cujuſquam poteſtate eſt, juri praeceptivo, quod huic finem ſtatuit, renunciare. (Lib. I. §. XIII, 19.)

§. LIII. Quia ergo finis hujus ſocietatis eſt commoda ſobolis procreatae educatio, (§. LII.) ea vero ſine actionum directione conſiſtere nequit, conſequens eſt, 7. ut parentibus liceat liberorum actiones dirigere, (*) ac proinde 8. iis competat, POTESTAS in liberos, adeoque 9. haec ſocietas omnino ſit inaequalis & rectoria. Quemadmodum vero ex fine cujuſque ſocietatis officia ſociorum ſunt aeſtimanda: (§. XV, 43.) ita 10. & haec PARENTUM POTESTAS ex fine aeſtimanda eſt, adeoque 11. eſt jus, parentibus competens, ea omnia agendi, ſine quibus liberorum actiones ad obtinendum hujus ſocietatis finem dirigi non poſſent. Haec obtineri nequit ſine poteſtate parentibus competente.

(*) Habes ergo originem poteſtatis illius, qua parentes jure naturae in liberos utuntur. Vult Deus, ut liberi exſiſtant, id eſt, ut & conſerventur, & feliciter vivant. (Lib. I. §. LXXVII. ſequ.) Conſervari & felices eſſe non poſſunt, niſi commode educentur (§. LII.) Educari commode nequeunt, niſi eorum actiones dirigantur. Vult ergo Deus, ut ab iis, qui liberos educant, eorum actiones dirigantur. Quumque jus dirigendi actiones liberorum ſit poteſtas in liberos: (§. LIII, 11.) voluit ſane, ut parentes poteſtatem in liberos exerceant. Faceſſere ergo jubemus Hobbeſium *de cive IX*, 3. hanc poteſtatem ex occupatione derivantem. Nec Pufendorffius ſatisfacit, qui *Lib. VI. de jur. nat. & gent. Cap. II.* §. *IV.* eam partim ex vitae ſocialis natura, partim ex praeſumto liberorum conſenſu, explicare voluit. Conſenſus enim praeſumtus in ſocietatem hanc, quem ipſi agnoſcimus, fundamento aliquo niti debet, quod non aliud eſſe poteſt, quam hoc, quod paullo ante expoſuimus.

§. LIV. Quumque hoc officium communes liberos educandi utrique parenti incumbat: (§. LII, 5.) conſequens eſt, 12. ut & poteſtas haec utrique ſit communis, adeoque 13. ex jure gentium repeti non poſſit patria illa poteſtas, ſoli patri propria, quam jus Romanum inculcat. Attamen quum patris, tamquam mariti, in ipſa ſocietate conjugali regulariter primae ſint partes: (§. XLV, 61.) facile eſt ad exiſtimandum, 14. diſſentientibus parentibus, paternae magis, quam maternae, voluntatis habendam eſſe rationem, niſi 15. pater aliquid, quod manifeſto turpe, liberiſque noxium Poteſtas haec penes utrumque parentem eſt.

xium ſit, jubeat. Ad id enim, tamquam moraliter impoſſibile; nec matrem, nec liberos obſtringi, facile eſt ad exiſtimandum.

Immo & in avos, avias, cognatos, tutores, nutritores, adoptantes, tranſit.

§. LV. Quia praeterea officium educandi liberos, eo quo haec poteſtas naſcitur, aliquando, praemortuis parentibus, vel avi aviaeve, quos pietas excitat, vel cognati occupant: aliquando ipſi parentes id aliis, ad hoc exſequendum magis idoneis, demandant: aliquando extraneus quidam id ſibi, a parentibus cedi, ultro poſcit: ſequitur, 16. ut haec poteſtas, quatenus in facultate actiones liberorum dirigendi conſiſtit, tunc & AVIS, COGNATISVE, 17. & NUTRITORIBUS & PAEDAGOGIS, & 18. iis, qui quaeve (*) alienos liberos ADOPTANT, vel 19. in TUTELAM recipiunt, denegari nequeat, adeoque 20. hi omnes ea poteſtate eatenus uti poſſunt, quatenus eam ſuſcepta ab iis cura educationis exigere videtur.

(*) ADOPTIONEM ergo jus naturae non improbare ſtatuimus, ſed ex alia ratione, quam ex qua eam Romani derivarunt. Quum enim liberi apud eos eſſent in patria poteſtate, id eſt, in dominio juris Quiritium: *l. 1. D. de rei vind.* inde colligebant, patrem liberos aeque, ac alias res mancipi, in dominio ſuo conſtitutas, poſſe alienare, & mancipare. Et hinc adoptiones fiebant per mancipationes & ceſſiones in jure, ceu alibi oſtendimus. Porro adoptare poterant ſoli maſculi, non feminae, niſi ex indulgentia principis in ſolatium liberorum amiſſorum: *§. 10. Inſt. l. 5. C. de adopt.* quia femina aliquem in poteſtate habere non poterat. Sed nos adoptiones non ex dominio aliquo vel patris, vel utriusque parentis, ſed ex officio liberos educandi, eorumque actiones ad hunc finem dirigendi, derivamus. Quod officium quum aliquando alii extranei rectius, vel ſaltim aeque commode exſequantur, ac ipſi parentes: nihil obſtat, quo minus hi illud aliis volentibus concedere, adeoque liberos iis in adoptionem dare poſſint. Nec quidquam refert, maſculus adoptet, an feminae, nupta, an innupta, quia haec adoptio non imitatur naturam, ſed parentum tantum officia. Et exſtat ſane hujuſmodi adoptionis exemplum non modo apud Aegyptios *Exod. II, 10.* verum etiam apud Romanos, apud quos Valeriam Auguſtam non in ſolatium liberorum amiſſorum, ſed ob ſterilitatem, adoptaſſe Candidianum; refert Lactant. *de mort. perſequ. Cap. L.*

Parentibus tribuit jus jubendi, prohibendi, caſtigandi.

§. LVI. Quemadmodum porro haec parentum poteſtas conſiſtit in jure ea omnia agendi, ſine quibus liberorum actiones ad obtinendum ſocietatis hujus finem dirigi non poſſunt: (§. LIII, 11.) ita facile eſt ad exiſtimandum, 21. parentibus licere & praeſcribere liberis, quae agere eos oporteat, & 22. prohibere, quae ab iis fieri nolint; & 23. immorigeros non modo objurgare, ſed &, 24. prout res exigit, caſtigare, & acrioribus remediis in ordinem cogere: modo 25. id prudenter fiat, ſtatuſque non modo & dignitatis familiae, ſed & 26. aetatis (*), reliquarumque circumſtantiarum ratio habeatur.

(*) Recte

(*) Recte Grot. *de jure belli & pac.* *II*, 5, 2. & Puſendorff. *Jur. nat. & gent. VI*, 2, 7. *ſeqq.* obſervant, majorem eſſe hujus poteſtatis vim in primae aetatis liberis, quam in adultioribus. Quum enim tantum poſſit pater, quantum requirit finis hujus ſocietatis, puta, liberorum educatio, (§. LIII, 11.) liberi autem imperfecti judicii vix umquam, quid factu optimum ſit, perſpiciant: ipſa res exigit, ut parentes omnes eorum actiones dirigant, eos ad certam addiſcendam artem, nec non ad amplectendam religionem, quam ipſi probant, compellant, immodeſtosque & immorigeros etiam virga ſcuticaque caſtigent. Id vero bonus pater non fecerit filio adultiori, quem, maturiore judicio praeditum, auctoritate magis & rationum pondere, quam ſeveritate ac rigidiore imperio, ad quaevis honeſta pertrahere ſtudebit, nec temere quidquam, quod ad futurae vitae rationes pertinet, invito illi per modum imperii injunget. Sic e. g. puerum parentes recte adigent etiam invitum, ut ſcholam frequentet, at non recte adultum cogent ad ducendam uxorem, ad certum vitae genus, a quo abhorret, eligendum, cetera. Id quod obſervandum contra Caſp. Zieglerum, qui hanc diſtinctionem non putat admittendam *in Notis ad Grot. II*, 5, 2.

§. LVII. Ex eodem patet, 27. finem hujus ſocietatis non exigere jus vitae & necis in liberos, 28. niſi forte in ſtatu naturali parentes diffuſae familiae, tamquam capita, praefuerint: quamvis tunc magis ut principes vel imperantes, quam tamquam parentes, id jus exercuiſſe videantur (*). Hinc denuo colligimus, 29. non probare jus naturae rigidum illud jus veterum Romanorum, quod ipſis poſtea Romanis diſplicuit, adeoque 30. vere docuiſſe Juſtinianum, *nullos eſſe alios homines, qui tali in liberos poteſtate utantur, qua uſi ſint Romani. §.* 2. *Inſt. de patr. pot.* An & jus vitae & necis?

(*) Id vero vel inde patet, quod jus illud vitae & necis magis patri proprium, quam utrique parenti commune fuiſſe, quin ſeſe in ipſas uxores, & nurus etiam viduas porrexiſſe videtur. Exemplum ſane poſterioris obſervationis praebuit Judas, qui, quum intellexiſſet, ſcortatam eſſe Thamarem nurum: *Ducite eam*, inquit, *ut comburatur. Geneſ. XXXVIII*, 24. Ita & hodie Reges, quia in ſtatu naturali vivunt, hoc jus vitae & necis exercent in uxores, liberos, univerſamque familiam, idque & olim ſemper exercuerunt, non tamquam patres, ſed tamquam ſupremi imperantes. Sic inter Perſeum & Demetrium filios judex ſedit Philippus Macedo apud Liv. *XL*, 8. Sic a Valeria Meſſalina, uxore adultera, ſupplicium ſumſit Claudius Caeſar apud Sueton. *in Claud. Cap. XXVI.* ut jam non dicam de exemplis recentioribus, quae jam alii cum cura expenderunt. Add. Barbeyrac ad Pufend. *de jure nat. & gent. VI*, 2, 10.

§. LVIII. Multo minus ergo 31. illa parentum poteſtas jure naturae conjuncta eſt cum jure liberos venumdandi, 32. delinquentes noxae dandi, 33. omniaque, quae liberis aliunde obveniunt, adquirendi, quamvis haec omnia antiqua ſaltim Romanorum jurisprudentia probarit. Nihil enim horum ita comparatum eſt, ut ſine eo obtineri nequeat finis hujus ſocietatis. (§. LIII, 11.) Attamen, An jus venumdandi noxaeve dedendi liberos, per eosque adquirendi.

tamen, quum haec poteſtas in facultate dirigendi liberorum actiones conſiſtat: (§. LIII, 7.) 34. parentibus non deneganda videtur facultas, liberis pro conditione ſua certas imperandi operas, ex iiſque lucrum capiendi, immo & 35. adminiſtrandi ea, quae liberis ſive fortunae, ſive hominum beneficio obvenerunt (*).

(*) Nam quum ipſi liberi, quamdiu immaturum imperfectumque eſt eorum judicium, directioni parentum ſubſint: quidni & eorum res ab iis adminiſtrentur? An vero & fructuaria eſt haec adminiſtratio? Non dubito. Quibuſcumque rebus indigent liberi, eas a parentibus jure quodam ſuo exigunt, veluti cibum, potum veſtes, habitationem, ſumtus diſciplinae. Non ergo indigent fructibus, quibus maxime plerumque indigent parentes ad alendos educandoſque liberos. Et qua fronte fructus a parentibus repeterent liberi, quibus vicem numquam reddere poſſunt, ſi ſe ſuaque omnia redderent? Iſmene apud Sophoclem *in Oedipo Colon. v.* 523.

Φύλασσε πατέρα τόνδε. τοῖς τεκοῦσι γὰρ
Οὐδ᾽ εἰ πονεῖ τις, δεῖ πόνου μνήμην ἔχειν.

Patrem cura: nam parentum cauſſa
Etſi quis laborat, laborum tamen non meminiſſe debet.

Officiorum parentum erga liberos fundamentum.

§. LIX. Sed haec de poteſtate parentum dicta ſufficiant. Quod ad OFFICIA eorumdem attinet, ea intellectu facillima videntur. Etenim ex fine hujus ſocietatis prono alveo fluunt. Eſt ille COMMODA LIBERORUM EDUCATIO, ac proinde nemo non intelligit, obligatos eſſe parentes, ad ea omnia agenda, ſine quibus finis hujus ſocietatis obtineri non poteſt, & ad ea omittenda, quae cum fine illo pugnant. (§. XXV, 76. ſequ.) Itaque operae pretium fuerit, educationis notionem evolvere paullo accuratius, ut ex ea officia, tum parentum, tum liberorum, tanto facilius certiusque eruantur.

Quid educatio, & in quo illa conſiſtat?

§. LX. Obligationem ad educandos liberos parentibus ipſum amorem, quem illis natura inſevit, inculcare, jam ſupra monuimus. (§. XXVII.) Quumque parentes liberos non alio AMORE, quam BENEVOLENTIAE, complecti poſſint, (Lib. I. §. LXXXV.) hic vero in eo conſiſtat, ut entis inferioris atque imperfectioris felicitate delectemur, eamque ſervare, &, quantum in ens illud cadit, amplificare ſtudeamus: (ibid. §. LXXXVI.) conſequens eſt, 36. ut & parentes liberos non modo conſervare, ſed & 37. felicitatem eorum amplificare teneantur: & 38. in hoc ipſo conſiſtat commoda EDUCATIO, per quam adeo 39. nihil aliud intelligimus, quam curam parentum, qua liberos ſuos & conſervare, & felicitatem perfectionemque eorum amplificare, omni ope nituntur (*).

(*) Quid enim adeo magnum eſt, procreaſſe liberos, niſi & conſerventur? & quid conſervaſſe, niſi & ita inſtituantur, ut verae felicitatis participes eſſe poſſint? *Ad bene vivendum*, ait Seneca, *de Benef. III.* 31. *minima portio eſt vivere.* Et paucis interjectis: *Vis ſcire, quam non ſit magnum beneficium, vitam*

ſic dare? expoſuiſſes: nempe injuria erat, genuiſſe. Quo quidem colligo, minimum eſſe beneficium patris matriſque concubitum, niſi acceſſerint alia, quae proſequerentur hoc initium muneris, & aliis officiis ratum facerent.

Parentum eſt liberorum vitam, ſanitatem & integritatem membrorum conſervare.

§. LXI. Quum ergo parentum ſit, operam dare, ut conſerventur liberi: (§. LX, 39.) conſequens eſt, 40. ut non modo iis alimenta commoda, (*) id eſt, victum, amictumque, pro conditione ſua praebere, ſed & 41. eorum valetudinem curare, 42. corpus membraque, quantum in ſe eſt, integra praeſtare, quin & 43. eos a luxu, ingluvie, laſcivia, omnibuſque vitiis, quae ſanitatem ac vires corporis animique proſternunt, avertere, ac proinde 44. non temere ſolos & ſine cuſtode relinquere, teneantur.

(*) Ad quae alimenta praecipue etiam pertinet primi lactis inſtillatio. Ad hanc enim ipſam matrem obligatam eſſe, vel hoc ipſo eas natura admonet, quod illico a partu, ubera illius lacte turgeſcere incipiunt, & inexhauſtus ille fons tamdiu plerumque hoc nectar ſufficit, donec ſolidiorem cibum ferat infantuli ſtomachus. Vere ergo neglecti officii materni reas eſſe, quae vel commoditatis ſuae, vel formae ſervandae cauſſa, eam operam nutriculis & ſcortillis delegant, ipſi pagani, ductu ſolius rationis, viderunt, multiſque probarunt argumentis. Pertinent huc Plutarch. *de liber. educ. p.* 3. Gell. *Noct. Att. XII*, 1. At, ſicuti neceſſitas facile unumquemque ſolvit lege adfirmativa: (Lib. I. §. CXIV, 59.) ita nec vitio vertendum fuerit matri delicatiori, infirmae, lacte deſtitutae, ſi nutrici commendet infantem. Qualis vero deligenda ſit a proba & prudente matre, elegante epiſtola ad Phyllida oſtendit Myia apud Thom. Gale *Opuſc. mythol. eth. & phyſ. p.* 750.

Quid huic officio adverſetur?

§. LXII. Huic ergo officio omnino adverſantur 45. procuratio abortus, 46.) expoſitio infantum, 47. eorumdem, nihil tale meritorum, abdicatio vel exheredatio, (*) 48. alimentorum neceſſariorum denegatio, & ſimilia, quae fini hujus ſocietatis repugnant, vitia. In primis 49. reprehenſione digniſſimi, indignique parentum nomine ſunt, qui vel derelinquunt liberos, vel 50. incuria ſua efficiunt, ut vita, ſanitas, ſenſus, membraque eorum aliquid capiant detrimenti. Quin 51. tanto deteſtabilior eſt haec parentum impietas, quo magis ſenſus, ſanitas, integritaſque membrorum non ſolum ad conſervationem, ſed & ad felicitatem liberorum, pertinent.

(*) Parum enim intereſt, ſive quis occidat liberos, ſive iiſdem alimenta deneget. *l.* 4. *D. de agnoſc. & alend. lib.* Alimenta autem liberis ſubtrahunt parentes, qui illos abdicant vel deſerunt, innocenteſve exheredes ſcribunt: immo ne ipſae quidem leges reprehenſione vacant, quae parentibus tantum indulgent, ut liberos ſuo arbitrio tractare poſſint, vel ſaltim majorem patriae poteſtatis, quam aequitatis naturalis, habent rationem. Quis enim non reprehendat Tarquinienſium leges, ſtare paſſas teſtamentum Damarati, qui *ignorans, nurum ventrem ferre, immemor in teſtamento nepotis deceſſerat, puero poſt avi mortem in nullam ſortem bonorum nato, & poſtea ob inopiam Egerii nomem feren-*

 te.

te. Liv. *I*, 34. Quis non laudet Auguſtum, qui C. *Tettium, infantem, a patre exheredatum, in bona paterna ire decreto ſuo juſſit, patris patriae nomine uſus, quoniam Tettius in proprio jure procreato filio ſumma cum iniquitate paternum nomen abrogaverat?* Valer. Max. *VII*, 7.

Liberorum perficiendus eſt intellectus.

§. LXIII. Quum vero praeterea ad parentum officium pertineat, ut liberorum ſuorum perfectionem felicitatemque pro virili amplificare ſtudeant, (§. LX, 39.) ad perfectionem vero eorum vel maxime pertineat intellectus excultus, & viva veri bonique cognitione probe imbutus: (Lib. I. §. CXLVI.) ſane parentum erit, 52. liberis praecepta ſapientiae rerumque divinarum & humanarum ſcientiam a teneris unguiculis inſtillare, vel 53. eos idoneis magiſtris perpoliendos dare, 54. nulliſque ſumptibus parcere, ut & ingenia eorum acuantur, & 55. ipſi ad omnes honeſtas artes, pro conditione facultatibuſque ſuis, inſtituantur. Ex quo porro colligimus, 56. parentes obligatos eſſe ad explorandam liberorum indolem, honeſtumque vitae genus, quod indoli, conditioni, aliiſque circumſtantiis conveniat, eligendum, eo vero ſemel electo, 57. nihil eos reliqui facere debere, ut liberi perſonam, ſibi impoſitam, in hoc mundi theatro aliquando cum plauſu agere poſſint (*).

(*) Quumque unus homo plures plerumque perſonas ſuſtineat, ut ſingulari diſſertatione luculenter oſtendit Hertius: educatio ita attemperanda eſt, ut liberi non modo ad vitae genus, quod electum eſt, apti ſint, ſed & reliquas perſonas decore agant. Hinc, quia liberi aliquando non ſolum boni mercatores, artifices, opifices, ſed & boni cives eſſe debent: educationem liberorum accommodandam etiam eſſe ſtatui ac formae reipublicae patriae, recte monet Ariſtoteles *Polit. V*, 9. addita ratione: Ὄφελος γὰρ οὐδὲν τῶν ὠφελιμωτάτων νόμων, καὶ συνδεδεξαμένων ὑπὸ πάντων τῶν πολιτευομένων, εἰ μὴ ἔσονται εἰθισμένοι καὶ πεπαιδευμένοι ἐν τῇ πολιτείᾳ· εἰ μὲν οἱ νόμοι δημοτικοὶ, δημοτικῶς· εἰ δ' ὀλιγαρχικοὶ, ὀλιγαρχικῶς. Εἴπερ γὰρ ἔστιν ἐφ' ἑνὸς ἀκρασία, ἔστι καὶ ἐπὶ πόλεως. *Nullum enim emolumentum capitur ex utiliſſimis legibus, & quae probatae ſunt judicio cunctorum, qui dant operam reip. ni fuerint adſueti & inſtituti, ſi leges ſint populares, populariter; ſin oligarchicae, oligarchice. Si enim eſt in uno mortali incontinentia, eſt etiam in civitate.*

Et emendanda voluntas.

§. LXIV. Quumque voluntas ſit vera illa amoris, quo cum bono, adeoque & cum felicitate conjungimur, ſedes: 58. nihil agere videbuntur parentes, qui de perficiendo liberorum intellectu ſolliciti, nullam voluntatis rationem habent: nec non 59. qui non id agunt, ut liberorum ſuorum animos ad pietatis virtutiſque amorem inflamment, ſed 60. ut eos vel manifeſtis vitiis, vel 61. calliditati, avaritiae, ambitioni, voluptati, (quibus ipſi prudentiae, frugalitatis, erectioris animi elegantiaeque velum praetendunt,) adſuefaciant, qui denique liberis ad omne ſcelus profligatis, 62.

praeeunt

praeeunt exemplo, & ſic aegrotos animos perpetuis vitiorum ſpectaculis turpiter corrumpunt. (*)

(*) Sunt haec praecipua errata, quibus & optimam liberorum indolem in praecipitia abripi, animadvertimus. Quemadmodum enim nemo eſt tam exiſtimationis ſuae incurioſus, ut manifeſtis vitiis pollutus videri velit, ac proinde unuſquiſque ſceleribus ſuis aliquod virtutis ac prudentiae velum praetexit: ita & liberos ſuos ita inſtituere ſolent parentes, ut non tam honeſte ac ſapienter vivere, quam alios aliqua virtutum ſpecie decipere diſcant," id eſt,

Ut Curios ſimulent, & bacchanalia vivant.

Ad hoc eos praeceptis, ad hoc exemplis ſuis inſtituunt. Quin ſi hi quadam naturae bonitate ad veram laudem contendunt: eum impetum parentes turpi exemplo reprimunt. Quemadmodum enim, qui nocte illuni iter faciunt, facile a recto tramite aberrant, ſi praeter facem paſſim oberrant ignes fatui: ita & praeclara ingenia plerumque in tranſverſum aguntur, ſi oculis quotidie obverſantur prava parentum facinora, hique ſe ipſos liberis praebent inutilis diſciplinae exempla, parum memores incomparabilis illius ſententiae Juvenalis *Sat. XIV. v.* 44.

Nil dictu foedum viſuque haec limina tangat,
Intra quae puer eſt, procul hinc, procul inde puellae
Lenonum, & cantus pernoctantis paraſiti.
Maxima debetur puero reverentia. Si quid
Turpe paras, nec tu pueri contemſeris annos:
Sed peccaturo obſiſtat tibi filius infans.

§. LXV. Quum vero puerorum atque adoleſcentium indoli nihil magis adblandiatur, quam otium & voluptas: parentes operam dabunt, 63. ne nimis delicatam rationem in educandis liberis teneant, 64. neque eos otio obtorpeſcere patiantur, aut 65. nimis exquiſito victu nutriant, ſed 66. ſolem, frigusque ferre, ciboque parabili contentos eſſe, doceant. Ita enim dum educantur ruſticorum liberi, dumque hi inter operas ruſticas, preſſumque lac, & cibos parabiles adoleſcunt, eos & ſanitate & robore ipſis plerumque nobilibus adoleſcentibus antecellere, docet experientia. (*)

In primis a voluptate revocandus animus.

(*) Exſtat hanc in rem incomparabilis epiſtola Theanus, Pythagoreae ſapientiae filiae, ad Eubulen apud Thomam Gale *Opuſc. mythol. ethic. & phyſ. p.* 741. qua ex inſtituto demonſtrat, *διαστροφὴν τῆς φύσεως εἶναι, ὅταν τὰ παιδία φιλήδονα μὲν ταῖς ψυχαῖς, ἡδυπαθῆ δὲ τοῖς σώμασι γίνωνται. Corruptionem & perverſionem naturae eſſe,* (non educationem,) *quum animi ad voluptatis amorem, corpora ad libidinem transferantur.* Nec minus graviter haec praecepta paſſim inculcat Plutarchus toto illo aureo libello *de inſtitutione liberorum.*

§. LXVI. Sed praecipue 67. juventutis animum pervertit conſuetudo cum pravis hominibus: adeoque 68. nihil majore cura ac ſollicitudine cavere decet parentes, quam ne liberi ſibi malos ſodales inveniant, ſed 69. paribus & bene educatis colludere malint. Quum enim ad imitationem natura proclives ſint tenelli eorum animi, (*) cerei quippe flecti in vitium, monitoribus aſperi: experientia docet,

Nec non a pravorum conſuetudine.

cet, tanto facilius pueros adoleſcenteſque abripi in quaevis praecipitia, quanto minus adulatores & paraſitos ab amicis, corruptores a bonis magiſtris, inſtigationes ad vitia a ſalubrioribus praeceptis poſſunt diſcernere.

(*) Quam proclives ſint pueri ad imitandum, argumento ſunt illi, qui inter feras beſtias educati, earum non modo victum & greſſus, ſed & geſtus, vocem & ferociam ita paullatim adſciverunt, ut a beſtiis vix diſcernerentur. Exempla dederunt auctor ſupplementorum Lamberti Schaffnab. *ad ann. MCCCXLIV.* Hartknoch. *de Polon. Lib. I. Cap. II. p.* 108. Bern. Connor *Evang. med. art. CXV. p.* 181. & *de ſtatu Polon. Part. I. Epiſt. VII p.* 388. Sic & puerum ſurdum & mutum, a parentibus in templum frequentius adductum omnes geſtus, quibus inter ſacra alios uti viderat, tam accurate expreſſiſſe ferunt, ut non dubitarent clerici, quin aliquo religionis ſenſu tangeretur, quum tamen ubi auditum caſu recepiſſet, & ſenſim coepiſſet loqui, rei non meminerit, nec ullo indicio vel argumento colligi poſſet, eum religionis ideam ullam animo concepiſſe. Vid. *Act. erud. Lipſ. MDCCVII. p.* 507. Si ergo homines in bruta veluti convertit ſolum cum brutis contubernium, & ſi hominem ſurdum & mutum religioſis geſtibus imbuit ſolus aliorum religioſe Deum colentium conſpectus: quis miretur, & pueros aliam naturam induere ex conſuetudine cum aliis, & veluti hauſto Circes poculo in beſtias transformari?

Liberi parentibus debent amorem devotionis & obedientiae.

§. LXVII. Quae contra LIBERIS officia erga parentes incumbant: ex horum ſtatu & jure, ſocietatiſque ipſius indole non difficulter intelligitur. Quemadmodum enim parentibus eſt jus dirigendi liberorum actiones: ita inde patet, 70. eos a liberis non aliter conſiderari poſſe, quam ut ſuperiores & perfectiores, adeoque 71. amandos eſſe amore devotionis & obedientiae, (*) (Lib. I. §. LXXXV.) Ex quo porro ſequitur, 72. ut liberi eos omni veneratione atque obſequio, (§. LXXXVI.) & 73. tali quidem veneratione, quae eorum perfectionibus digna ſit, (Lib. I. §. LXXXVII, 51.) proſequi teneantur.

(*) Hinc veteres omnes faſſi ſunt; proximum amoris gradum poſt Deum deberi parentibus, quibus nos ipſos debeamus. Sic Gell. *Noct. Att. IV.* 13. officia liberorum erga parentes primo loco ponit inter omnia, quae aliis hominibus debeamus, auctoritate uſus Catonis, Maſſurii Sabini & C. Caeſaris. Multo expreſſius *aureorum Pythagorae carminum* auctor *v.* 1. *ſequ.*

Ἀθανάτους μὲν πρῶτα θεοὺς, νόμῳ ὡς διάκειται,
Τίμα. καὶ σέβου ὅρκον· ἔπειθ᾽ ἥρωας ἀγαυούς.
Τούς τε καταχθονίους σέβε δαίμονας, ἔννομα ῥέζων
Τοὺς τε γονεῖς τίμα, τούς τ᾽ ἄγχιστ᾽ ἐκγεγαῶτας.

Primum immortales Divos pro lege coluntó
Et jusjurandum: heroas, clarum genus, inde.
Daemones hinc, terris mixti, ſua jura ferunto;
Inde parentis honos ſequitur: tum ſanguinis ordo.

Quae explicans ſuo more, Hierocles *p.* 50. θεοειδῆ εἰκόνα. *Deo ſimilem imaginem* in parentibus agnoſcit. Et Simplicius Comment. *in Epicteti Enchirid. Cap. XXXVII. p.* 199. Οἱ ἔτι παλαιότεροι

περὶ τοσοῦτον τοὺς γονέας ἐσέφθησαν, ὡς καὶ θεοὺς αὐτοὺς ὁρμῆσαι καλεῖν. εὐλαβηθέντες δὲ τὴν θείαν ὑπεροχὴν τοὺς τῶν γονέων ἀδελφοὺς θείους ἐκάλεσαν, ἐνδεικνύμενοι τὴν τάξιν, ἣν τοὺς γονέας ἔχειν πρὸς τοὺς παῖδας τοὺς ἑαυτῶν ὑπελάμβανον. *Antiquiores* (Romanis) *leges ita veneratae ſunt parentes*, ut DEOS *adpellare eos non dubitarint : divinam autem excellentiam reveritae fratres patrum* THIOS *quaſi* DIVINOS *adpellant, ut demonſtrent quam rationem parentum adverſus liberos eſſe exiſtiment.*

§. LXVIII. Quia ergo veneratione proſequendi ſunt parentes & tali quidem, quae eorum perfectionibus digna ſit: (§. LXVII, 72. 73.) nemo ſane dubitaverit, 74. quin liberi parentes aliis omnibus praeferre, 75. cum iis, ac de iiſdem, non niſi honorifice loqui, quin 76. & operam dare debeant, ne vel vultu laedatur pietas. Et quamvis contingere poſſit, ut in parente vel alterutro, vel utroque non reperiantur eae perfectiones, ut inde veneratio vel honor naſci poſſit: (Lib. I. §. LXXXVII. *) boni tamen filii eſt, 77. diſſimulare illa parentum vitia , & 78. patienter potius ferre eorum injurias, quam quidquam eorum , quae a liberis ipſa natura exigit, praetermittere (*). Veneratio parentibus debita.

(*) Nam & mali parentes, parentes tamen, id eſt, uti eos recte vocat Simplicius *ibid.* p. 198. αἴτια μετὰ θεὸν τοῦ εἶναι, *exiſtentiae noſtrae poſt Deum auctores*, ſunt: eaque perfectio vel ſola nos ad concipiendam animo pietatem ac venerationem incitare debet. Epictet. *Enchir. Cap. XXXVII.* Ἀλλὰ πατὴρ κακός ἐστι. μή τι οὖν πρὸς ἀγαθὸν πατέρα φύσει ᾠκειώθης; οὐκ· ἀλλὰ πρὸς πατέρα. τήρει τοίνυν τὴν πρᾶξιν τὴν σεαυτοῦ πρὸς αὐτὸν, μηδὲ σκόπει, τί ἐκεῖνος ποιεῖ, ἀλλὰ τί σοὶ ποιήσαντι κατὰ φύσιν, ἡ σὴ ἕξει προαίρεσις. *At pater malus eſt. Numquid igitur natura cum bono patre conjunctus es ? Non, ſed cum patre. Tu ergo munus tuum erga ipſum tuere, nec, quid ille agat, conſidera, ſed quibus rebus agendis tuum inſtitutum naturae futurum ſit conſentaneum.*

§. LXIX. Quumque parentibus competat poteſtas dirigendi liberorum actiones, eoſque coërcendi caſtigandique : (§. LVI, 23. ſequ.) conſequens eſt, 79. ut parentes non modo amore devotionis proſequendi, ſed & timendi ſint. Ex quo amoris ac timoris temperamento quum naſcatur *timor filialis*: (Lib. I. §. CXXXI. *) inde non poſſumus non colligere, 80. timorem illum ſolum cadere in pios liberos, adeoque 81. objurgationes caſtigationeſque parentum non tam, quod doleant, metuendas, quam quod indignationis paternae, ſuis vitiis provocatae, ſint argumentum. Itemque metus reverentialis.

§. LXX. Quandoquidem vero & obſequio proſequendi ſunt parentes : (§. LXVII, 72.) non poſſent profecto reprehenſionem effugere liberi, 82. niſi juſſa eorum promte exſequerentur, ac 83. ne moroſitatem quidem eorum, & duriora imperia, ſeſe ab officio dimoveri patiantur. Quia tamen vel ipſa recta ratio docet, quo major eſt entis alicujus perfectio ac ſublimitas, eo majorem Nec non obſequium.

ei venerationem & obedientiam exhiberi oportere: (Lib. I. §. LXXXVII. *) conſequens eſt, 84. ut, ſi turpe quid ac voluntati divinae vel legibus adverſum jubeant parentes, horum potius, quam Dei ac legum juſſa inſuper ſint habenda. (*)

(*) Quod enim de magiſtratuum juſſibus dixerunt Petrus & Joannes, Apoſtoli: Εἰ δίκαιόν ἐστιν ἐνώπιον τοῦ θεοῦ ὑμῶν ἀκούειν μᾶλλον, ἢ τοῦ θεοῦ, κρίνατε. *Juſtumne ſit apud Deum, vobis potius, quam Deo, auſcultare, ipſi judicate. Act. IV, 19.* Et paullo poſt *Act. V, 29.* Πειθαρχεῖν δεῖ θεῷ μᾶλλον, ἢ ἀνθρώποις. *Obedire oportet Deo potius, quam hominibus*: idem & ad parentum praecepta pertinet. Quamvis enim ſanctiſſimum eorum ſit imperium: ſanctius tamen eſt ipſius Dei, nec eo uſque porrigitur parentum poteſtas, ut liberos legibus, a ſummis imperantibus latis, poſſint ſolvere. (§. XXIV, 75.) Hierocl. *ad aurea Pyth. carm. v. 4. p. 53.* Εἰ δὲ ἐστιν, ὅτι τῶν θείων νόμων ἀνήκοός ἐστιν ἡ τῶν γονέων προαίρεσις, τί δεῖ ποιεῖν εἰς ἀντινομίαν ἐμπίπτοντας τοιαύτην, ἢ τοῦτο, ὃ καὶ ἐπὶ πολλῶν καθηκόντων ἐκ περιστάσεως εἰς ἐναντίωσιν ἐλθόντων προσήκει φυλάττειν; μειζόνων γὰρ καὶ ἐλαττόνων προκειμένων καλῶν, τὰ μείζονα πρὸ τῶν ἐλαττόνων ποιεῖσθαι δεῖ, ὅταν μὴ ἀμφότερα ἐξῇ διασώζειν. οἷον καλὸν μὲν τῷ θεῷ πείθεσθαι, καλὸν δὲ καὶ τοῖς γονεῦσιν· εἰ δὴ πρὸς ταὐτὰ ἐξ ἀμφοτέρων ἄγοι πειθώ, ἕρμαιον ἂν εἴη καὶ ἄμαχον· εἰ δὲ πρὸς ἄλλο μὲν ὁ θεῖος νόμος, πρὸς ἄλλο δὲ οἱ γονεῖς φέροιεν, μαχομένης τῆς αἱρέσεως τοῖς ἀμείνοσιν ἕπεσθαι δεῖ, πρὸς ταῦτα μόνον ἀπειθοῦντας γονεῦσι, πρὸς ἃ καὶ αὐτοὶ τοῖς θείοις νόμοις οὐ πείθονται. *Si divinis legibus repugnat aliquando parentum voluntas: quid eos aliud facere oportet, qui in illam legum colliſionem incidunt, quam quod in multis etiam officiis, quae pro circumſtantiarum ratione ſibi adverſantur, decet obſervare? Honeſtis enim duobus propoſitis, quod majus eſt, minori decet anteponere, quum utroque frui non licet. Verbi gratia: honeſtum quidem eſt, Deo obedire: honeſtum vero & parentibus ipſis. Quod ſi te ad eadem ducit utriuſque perſuadendi vis: lucrum fuerit inopinatum, & ſine controverſia maximum. Sin autem ad aliud te trahat divina lex, ad aliud vero parentes: in hac voluntatum diſſenſione meliora ſequi praeſtiterit, & in iis ſolum parentum juſſa praeterire, in quibus & ipſi divinis legibus non obediunt.*

Quando ſolvatur parentum poteſtas?

§. LXXI. Ceterum uti ea eſt genuina poteſtatis parentum ratio, quod ad finem ſocietatis hujus conſequendum neceſſaria eſt facultas liberorum actiones ad hunc finem dirigendi: (§. LIII, 8.) ita nemo dubitaverit, 85. quin, obtento fine, & medium ceſſare oporteat, adeoque 86. illa parentum poteſtas non demum morte eorum, ſed tunc illico exſpiret, quando liberi maſculi ejus aetatis atque ita inſtituti ſint, ut ipſi ſua quadra vivere, novamque familiam inſtituere poſſint, vel 87. ſi filiae nepteſve domo patria vel avita enubant, in aliaſque tranſeant familias. 88. Ut jus naturae non probet rigorem illum juris veteris Romani, quod filios cum uxore & liberis per omnem vitam in patria poteſtate eſſe jubebat, niſi patres vel avi quoſdam, ultro emancipatos, e ſacris ſuis dimitterent (*).

(*) Illud e dominio juris Quiritium, quod patri apud Romanos competiiſſe in liberos diximus, prono alveo fluere videbatur. Neque enim tempore finitur dominium, neque ulius eo ſine facto ſuo excidere poteſt. Hinc & imaginariae illae venditiones in emancipationibus adhibitae. Nihil enim analogiae juris magis videbatur convenire, quam ut res mancipi, intercedente mancipatione, abalienaretur. Vid. V. A. Corn. van Bynkershoek *de jure occid. lib. Cap. I. p. 145. ſequ.* Quum vero illud dominium in liberos, tanquam res mancipi, jus naturae & gentium plane ignoret: (§. LV. *) illud etiam rigorem illum, quem in paragrapho deſcripſimus, ignorare certiſſimum eſt.

§. LXXII. Quum vero poteſtas tantum parentum, (§. LXXI, 86.) non item amor, quem ipſa natura inſevit parentibus, (§. XXVII.) liberis e familia dimiſſis ceſſet: conſequens eſt, 89. ut bonorum parentum ſit etiam ſeparatorum a ſe liberorum felicitate delectari, 90. eos ope & conſilio pro virili juvare, 91. & non minus his, quam in familia perſeverantibus, quantum honeſte fieri poteſt, lucrari, 92. nihil denique reliqui facere, ut eos reddant quam feliciſſimos. Ex quibus ſimul patet, 93. cur emancipati non minus, quam ſui liberi, parentibus ab inteſtato merito ſuccedant (*). Soluta parentum poteſtate non debet ceſſare amor.

(*) Itaque ab aequitate naturali diſceſſiſſe videntur gentes pleraeque, quae filias nupturas, oblata certa dote, contentas, exſorteſque eſſe jubebant paternae hereditatis. Equidem haec lex juſtam habuit rationem apud Hebraeos, quorum rempublicam ita inſtituerat ſupremum Numen, ut cuivis tribui ſortem ſuam attribueret, cujus agros & bona in aliam tribum tranſire noluerat. *Num. XXVII.* Sed non aeque laudaveris ſimilem Syrorum morem, cujus veſtigium exſtat *Geneſ. XXXI.* 14. *ſequ.* nec non leges Athenienſium, de quibus plura erudite diſſeruit Jac. Perizon. *de lege Vocon. p. 119. ſeq.* Quin multo minus aequam dixeris legem Romanorum, de filiis etiam emancipatis a paterna hereditate excludendis, quum ipſe Praetor ejus rigorem, data illis bonorum poſſeſſione, emolliendum; quin eam plane abolendam dixerit Juſtinianus *Novella CXVIII.* Emancipationem enim poteſtatem tantum parentum tollere oportebat, non amorem, ex quo ſucceſſionem ab inteſtato eſſe derivandam, ſuo loco oſtendimus. (Lib. I. §. CCXCV.)

§. LXXIII. Ex quo porro colligimus, 94. nec in parentum poſitum eſſe arbitrio, liberoſne cujuſcumque aetatis e poteſtate dimittere, an eoſdem jam adultos invitos in familia retinere malint: nec 95. excuſandos eſſe liberos, qui invitos parentes deſerere, & fraena veluti mordere non dubitant. Quemadmodum enim injuſte agunt parentes, qui quid eorum omittunt, ſine quibus finis hujus ſocietatis obtineri nequit: (§. XXV, 76.) ita liberi ſe, ſalva juſtitia, non poſſunt ſubducere parentibus, quia, quod ſibi quiſque fieri non vult, id nec aliis facere debet. (Lib. I. §. LXXXVIII, 54.) An in parentum & liberorum arbitrio ſit poſitum, quando poteſtas illa ſolvenda ſit?

§. LXXIV. Quemadmodum porro parentum amorem exſtingue- Liberorum obli-

 re

gatio, ſoluta parentum poteſtate.

re non oportet liberorum diſceſſum e familia: (§. LXXII.) ita 96. amorem illum venerationis, quo liberi illos proſequi tenentur, multo minus tunc ceſſare debere verum eſt. Immo, quum unuſquiſque ad amandum eum, a quo beneficiis ornatus eſt, obſtrictus ſit, (Lib. I. §. CCXXVI, 37.) iſque amor erga benefactores vulgo GRATITUDO vocetur: (ibid. §. CCXXVII.) conſequens eſt, 97. ut liberi, & finita parentum poteſtate, obligati maneant ad gratum illis animum quavis ratione oſtendendum, 98. eorum benevolentiam verbis ornandam, 99. beneficia beneficiis penſanda, nihilque, quod alicujus momenti eſt, & ad familiae decus pertinet, (veluti conjugium,) ſine eorum conſilio ſuſcipiendum: quin 100. & alimenta indigentibus ſuppeditanda. Quod genus gratitudinis quamvis ad officia imperfecta referendum videatur, 101. ita tamen comparatum eſt, ut leges civiles liberos, officii ſui immemores, jure meritoque in ordinem cogant, (*) (Lib. I. §. CCXXVII, 43).

(*) Si vera ſunt, quae de ciconiis memoriae prodiderunt veteres, eas parentes ſenectute confectos alere: etiam a brutis animantibus in ruborem dantur liberi beneficiorum immemores. Eleganter Aelian. *Hiſt. animal.* III, 23. Τρέφειν μὲν τοὺς πατέρας πελαργοὶ γεγηρακότας καὶ ἐθέλουσι, καὶ ἐμελέτησαν. κελεύει δὲ αὐτοὺς νόμος ἀνθρωπικὸς οὐδὲ εἷς τοῦτο, ἀλλ' αἰτία τούτων φύσις ἀγαθή. *Magna cura ciconiae exacta aetate parentes alunt, etſi humanis hoc facere legibus nullis jubentur, ſed ſola naturae bonitate ad id impelluntur.* Annon vero recta ratio ad id impelleret homines, ad quod ipſa bruta impellit natura?

Tutorum & pupillorum mutua obligatio.

§. LXXV. Si parentes, antequam liberi ad juſtam aetatem pervenerunt, deceſſerint: res ipſa ſuadet, 102. ut eorum educatio demandetur aliis, quos TUTORES vocant, adeoque 103. TUTELA nihil aliud eſt, quam poteſtas, actiones liberorum vice parentum dirigendi, eorumque bona adminiſtrandi tantiſper, dum ipſi liberi juſtam aetatem attigerint, idoneique ſint, ad ſe ſuaque rite gubernanda. (*) (§. LV. 19.) Ex qua definitione porro colligimus, 104. tutores eadem poteſtate uti, ac parentes, quatenus eam arctioribus limitibus non circumſcripſerunt leges civiles; ſed & 105. ad eamdem fidem eademque officia, quae parentibus incumbunt, teneri: denique 106. pupillos non minus ad amorem venerationis, obſequium & gratitudinem, obſtrictos eſſe, ac liberos: quin 107. hanc obligationem tanto eſſe ſtrictiorem, quo majus eſt beneficium, ab iis praeſtitum, quos non natura, ſed amor benevolentiae, ad benefaciendum excitavit.

(*) Quamdiu pro impuberibus vel minorennibus habendi ſint liberi, jus naturae eo minus definire poteſt, quo magis diverſae ſunt eorum indoles; quum in aliis ſapientia ante pilos ſit, alii ſero, alii vix unquam ſapiant. At,

quia

quia tamen legiſlatores ad id, quod ut plurimum fit, merito attendunt: (§. XLV, 60.) recte atque ordine fecerunt, dum certos pubertatis ac minorennitatis definierunt annos. Quam variae vero hic fuerint eorum ſententiae, repetitis ex omni aevo teſtimoniis cum cura & ex inſtituto oſtendit vir illuſtris Jo. Petr. a Ludewig diſſertatione ſingulari *de aetate legitima puberum & majorennium.*

Cap. IV.

DE OFFICIIS, IN SOCIETATE HERILI OBSERVANDIS.

§. LXXVI.

Quid ſocietas herilis, & quae ejus origo?

PRogredimur ad SOCIETATEM HERILEM, natura quidem non tam neceſſariam, ac illae ſimpliciores, de quibus hactenus actum eſt, at inter homines tamen jam inde ab antiquiſſimis temporibus frequentiſſimam, per quam intelligimus ſocietatem inter dominum dominamve & ſervos ac ancillas, in qua hi ad dominorum utilitatem operis ſuis promovendam, illi ad hos alendos, immo & aliquando ad certam mercedem praeſtandam obligantur. Quum enim ita comparatum ſit, ut alter alterius opera indigeat, nec quidquam obſtet, ut, quod cuique deeſt, id ille alterius operis ſuppleat: (Lib. I. §. CCCXXV. 3.) conſequens eſt, 1. ut aliorum operas, quocumque intercedente contractu, nobis recte ſtipulemur, atque ita 2. inter nos ſervoſque & ancillas naſci poſſit HERILIS SOCIETAS, quam inaequalem vel rectoriam eſſe, facile patet. (§. XIX. 56.)

Quid herus, vel hera, & ſervus, vel ancilla? & quotuplex ſervitus?

§. LXXVII. Itaque per HERUM HERAMVE intelligimus perſonam, quae aliorum operis ad ſuam utilitatem promovendam utitur, & his viciſſim ad alimenta, vel inſuper ad mercedem praeſtandam, obligata eſt. SERVI vero & ANCILLAE ſunt perſonae, quae ad dominorum utilitatem operis ſuis, vel pro certa mercede alimentiſque, vel pro ſolis alimentis promovendam obſtrictae ſunt. Ex qua definitione facile patet, 3. ſervitutem prioris generis eſſe MERCENARIAM, 4. ejuſque fundamentum non aliud eſſe, quam locationem conductionem; 5. poſterioris OBNOXIAM, (*) 6. ejuſque fundamentum eſſe dominium in ipſas perſonas ſervorum, juſto titulo adquiſitum.

(*) Uti placuit vocabulo, quo uſus eſt Phaedrus *Fab. Lib. III, praef. v.* 34.
Servitus OBNOXIA,
Qu[illegible]*volebat, non audebat dicere;*
Adfectus proprios in fabellas tranſtulit.
Uti enim hic *ſervitudem* dixit pro *ſervo*; Aeſopo, ita eam *obnoxiam* vocavit, quaſi [illegible]

ὑπεύθυνον, quia Aeſopus hujuſmodi ſervitutem ſerviebat. Graeci *obnoxios* δούλους, mercenarios οἰκέτας, vocabant, teſte Athen. *Deipnoſ. VI*, 19. Ceterum utraque ſervitus antiquiſſima eſt. Quemadmodum enim Abraamum jam quarto a diluvio ſaeculo multos ſervos obnoxios domi ſuae aluiſſe, conſtat: *Geneſ. XI*, 5. *XIV*, 14. *XV*, 3. 4. *XVI*, 1. *ſequ.* ita Jacobum Labani mercenarias operas per multos annos praeſtitiſſe, notiſſimum eſt ex *Geneſ. XXIX*, 15. *ſequ. XXX*, 28. Equidem & Noachus jam *Geneſ. IX*, 25. mentionem facit ſervitutis obnoxiae, eique Chanaanem, nepotem, ob illatas ſibi injurias addicit. Sed praedictionem hanc eſſe eorum, quae haud paullo poſt acciderunt, recte obſervavit Jo. Clericus *Comment. in Geneſ. p.* 72.

Obnoxiae ſervituti quidam jure ſeſe addicunt ob hebetudinem ingenii.

§. LXXVIII. Et de prioris quidem generis ſervitute nemo ſanus dubitaverit, quin rectae rationi aequitatique naturali non repugnet. At nec poſteriorem eſſe contra naturam, vel inde patet, quod experientia docet, eſſe homines indole tam ſervili praeditos, ut nec ſe familiamve regere, nec neceſſaria vitae praeſidia ſibi ſuiſque parare poſſint (*). Quum ergo unuſquiſque vitae genus, cui idoneus eſt, eligere teneatur, (Lib. I. §. CXLVII, 21. ſequ.) hi vero homines nulli alii vitae generi idonei ſint, quam ut aliis pro alimentis praeſtent operas: 7. nihil ſane faciunt contra officium, ſi ſeſe aliis in perpetuum hac conditione addicunt.

(*) Obſervaverat hoc Ariſtoteles, qui ideo quoſdam homines φύσει δούλους, natura ſervos eſſe, obſervaverat *Polit. I*, 3. *ſequ.* Quod quamvis recte refellat Puffendorffius *jur. nat. & gent. III*, 28. & *VI*, 3. 2. ſi ita accipiatur philoſophus, ac ſi ſtupidi illi homines ipſo actu prudentiorum ſervi ſint, vel quaſi his jus perfectum ſit, illos ſine alia cauſſa ſervitute opprimendi, quemadmodum Graeci ſibi hujuſmodi jus in barbaros videntur adrogaſſe: nihil tamen abſurdi ineſt huic ſententiae, ſi de indole ſervili, non de naturae conditione, intelligatur, uti illam intelligendam putavit Dan. Heinſius *in epiſt. ad Ge. Richterum*, apud Jan. Rutgerſ. *Var. Lect. IV*, 3. Sic ſane Aſiaticos homines ἐλευθέρους μὲν κακούς, δούλους δὲ ἀγαθούς, *liberos malos*, *ſervos optimos* eſſe, obſervaverat Ageſilaus, apud Plutarch. *apophth. Lacon. p.* 190.

Alii ob extremam paupertatem.

§. LXXIX. Praeterea alios, quantumvis haud ita ſtupidos, extrema paupertas calamitateſque vel publicae, vel privatae, ſubigere poſſunt, ut ſervire, quam fame perire, malint. Quum enim homo ad vitam conſervandam, evitandamque mortem ac deſtructionem, omnino ſit obligatus, (Lib. I. §. CXLIII. 9. ſequ.) & imminentibus morte vel ſervitute, ipſa recta ratio e duobus malis his phyſicis, id, quod minimum eſt, eligendum eſſe ſuadeat: (*Elem. phil. mor.* §. *CLII.* * 2.), ſequitur ſane, 8. ut ei, quem in hoc articulo fortuna deprehendit, non ſit vitio vertendum, ſi, nullo alio honeſto medio interitum evitandi ſeſe offerente, ſervituti ſeſe addicat (*).

(*) Sic ſane Regi ſeſe tamquam mancipia addicebant Aegyptii [illegible] diuturna [illegible] ne

fame conſumerentur, & beneficii loco habebant, quod Pharaoni ſervire liceret pro alimentis. Hinc, accepta ſervitutis lege, Joſepho reſpondebant: *Tu nobis vitam dediſti, gratiam apud dominum inveniamus, & ſimus Pharaonis ſervi. Geneſ. XLVII*, 25. Sic & Thracitas mulieres, ingenuae licet ortu, voluntaria tamen ſervitute victum ſibi apud Erythraeos quaeſiviſſe, auctor eſt Pauſanias *Lib.VII.Cap.V.* ut jam non dicam de Friſiis, de quibus Tacit. *Annal. IV*, 72. nec non de Gallis, de quibus Jul. Caeſ. *de bello Gall. VI*, 13.

§. LXXX. Denique ſervorum numerum 9. in immenſum auxit bellorum furor. Quia enim hoſti in hoſtem omnia licent; licebat etiam hoſtes acie victos occidere. (Lib. I. §. CLXXXIII.) Quum vero, qui vel ſine adgreſſoris laeſione, vel leviore malo illi repraeſentato, periculo defungi poteſt, non debeat ad caedem temere provolare: (ibid. §. CLXXXI. 20.) non iniquum ſane eſt, 10. victorem ſervare victos, in captivitatem abducendos, ne noceant, &, ne gratis alantur, in ſervitutem detrudendos: nec 11. reprehendendi ſunt, qui ea lege vitam ſervare, quam perire, maluerunt (*). (*Elem. phil. mor.* §. *CLII*, * 2.) Quidam bello capti hanc conditionem ſubeunt.

(*) Vere ergo & haec ſocietas naſcitur ex conſenſu, quamvis non ultroneo, ſed vi juſta extorto. (§. XVI.*) Vult enim victor victum ſervare, ſed ea lege, ut ſerviat. Victus vult ſervire, ut ſervetur. Nam ſi nollet, nihil impediret, quo minus in victoris arma irrueret. Duarum voluntatum conſpiratio eſt conſenſus. (Lib. I. §. CCCXCI.) Societas ergo inter dominum & mancipia bello capta ex conſenſu naſcitur.

§. LXXXI. Haec vero ſervitutis obnoxiae genera non potuerunt non aliud producere, in quod quis ipſa naſcendi ſorte detruditur. Quia enim ſervitutis obnoxiae fundamentum eſt dominium, juſto titulo adquiſitum, (§. LXXVII. 6.) hos vero titulos omnes ſervos adquirendi juſtos eſſe, hactenus oſtendimus: (§. LXXVII. ſeq.) conſequens eſt, 12. ut hi omnes ſervi ancillaeve ſint in juſto dominio herorum. Quumque extra legitimum matrimonium, (quale inter quoſdam hujuſmodi ſervos vix locum habere poterat, (*) partus ſequatur ventrem: (Lib. I. §. CCLII. 50.) non minus eſt, 13. partum ancillarum obnoxiarum, tamquam acceſſorium ventris, eamdem cum matre ſubiiſſe conditionem. Unde 14. ubique terrarum innotuit genus ſervorum, quod VERNARUM nomine apud Romanos veniſſe, novimus. Quidam ſervi naſcuntur.

(*) Matrimonium eſt ſocietas ſimplex perſonarum diverſi ſexus, procreandae educandaeque ſobolis cauſſa inita. (§. XXVIII.) Qui in hunc finem conſentiunt, eorum in arbitrio & poteſtate eſſe oportet, ut illum eligant, mediaque ad eum obtinendum neceſſaria adhibeant. At ſervorum ancillarumque obnoxiarum in arbitrio poteſtateque non ſemper eſt potiſſimus finis, quomodo nimirum liberos commode educare velint, ſed ea res plane a dominorum voluntate pendet. Inter quoſdam ergo ſervos ancillaſque vix locus eſt le-

gitimo matrimonio. Inter quoſdam tantum illi locum eſſe negamus, quos nimirum in eam conditionem fortuna detruſit, ut heri iis *Romanorum in morem deſcriptis per familiam miniſteriis utantur.* Ubi enim *ſuam quiſque ſedem, ſuos penates regit,* quod apud Germanos obſervavit Tacitus *de mor. Germ. Cap. XXV.* ibi facilius matrimonio locus eſt, ceu & hodie docet experientia. At quamvis & hominibus propriis Germanorum ſit jus connubii: manet tamen apud hos principium, quod ſervilis proles ejuſdem cum parentibus conditionis ſit, & quod partus ventrem ſequatur: niſi quod quibuſdam magis placet alterna vernarum partitio. (Lib. I. §. CCLII.*)

Poteſtas domini in ſervum mercenarium.

§. LXXXII. Poſitis vero his fundamentis, facile intelligitur, quaenam ſint in hac ſocietate dominorum ſervorumque officia, &, qualis dominorum in ſervos ancillaſque poteſtas ſit? Quod enim ad ſervos MERCENARIOS attinet, quum ii tantum ex locato obligentur: (§. LXXVII, 4.) per ſe patet, 15. domino in hos non aliam poteſtatem competere, quam ut operas, ſibi locatas, illis indicere, & 16. ex iis utilitatem capere, quin & 17. eos adigere poſſit, ut per tempus, quod initio placuit, ſerviant: non autem 18. domino licere alias, quam locatas, operas ab illis exigere, multoque minus 19. eos durius caſtigare, quamvis 20. ſi locationi non ſtet ſervus, eum dominus non modo mercede ejuſve parte mulctare, ſed & 21. inemendabilem abs ſe ſegregare omnino poſſit. (§. XXII. 70. ſequ.)

Domini ſervique hujuſmodi officia mutua.

§. LXXXIII. Quemadmodum ergo DOMINI eſt, 22. legi conductionis ſatisfacere, 23. a ſervo non niſi operas locatas exigere, 24. eique alimenta, qualia ejus ſortis hominibus conveniunt, ſufficienter praebere, denique 25. mercedem promiſſam non denegare: (*) ita & SERVUS hujuſmodi 26. domino, tamquam ſuperiori, ad reverentiam & obſequium; 27. tamquam conductori ad operas conventas praeſtandas; denique 28. tamquam ſocio ad ejus utilitatem bona fide promovendam eſt obligatus.

(*) At nec alimenta, nec merces debentur, ſi ſervi culpa, vel caſu, contingat, ut operae locatae non praeſtentur. (Lib. I. §. CCCLXI, 150.) Hinc quamvis laudanda ſit humanitas domini, ſervum mercenarium, etiam aegrotantem, alentis: non tamen, quod jubet humanitas, illico jure perfecto poteſt exigi. Contra iniquitas maxima eſt domini, mercedem, praeſtitis operis, ſervo denegantis, vel eam contra leges contractus pro lubitu mutantis. quod decies feciſſe Labanem, conqueritur Jacobus. *Geneſ. XXXI, 7.* Quod adeo Deo juſtiſſimo diſplicuiſſe novimus, ut auferret Labani opes, eaſque in Jacobum transferret. *Geneſ. XXXI, 9.*

Poteſtas domini in ſervum obnoxium, ra-

§. LXXXIV. Servos obnoxios in dominio eſſe diximus (§. LXXVII. 6.) Quum ergo domino ſit libera de re ſua diſpoſitio: (Lib. I. §. CCCVI.) conſequens eſt, 29. ut dominus ſervo quaſcumque operas, quibus praeſtandis par eſt, imponere, 30. ex eo om-

omnem utilitatem capere, 31. ejus quoque liberos ſibi vindicare, & 32. ipſum vendere, 33. aliiſque quibuſvis titulis alienare poſſit, niſi forte 34. ſervus, qui ſe ultro addixit domino, eam legem adjecerit, ne extra familiam, cui ſeſe addixit, alienetur. Quod 35. & de jure vitae & necis videtur dicendum, quod domino, in hos ſervos competere poſſe, nemo negaverit, (Lib. I. §. CCCVIII. 8.) niſi vel conventio, vel lex obſtet. Multo magis ergo 36. hujuſmodi ſervus, prout res exigit, caſtigari & coërceri poterit, dummodo 37. meminerit dominus, eum hominem, ſibique natura aequalem eſſe, (*) (Lib. I. §. CLXXVII. 5.)

tione liberae de eo diſpoſitionis.

(*) Quamvis enim fieri poſſit, ut dominus ſervo ſit perfectior, nec negari poſſit, eum ſervo eſſe ſuperiorem: illa tamen perfectionum ſtatuſque diverſitas nihil mutat circa hominis eſſentiam, ſed ſervus aeque homo eſt, ac dominus. (Lib. I. §. CLXXVII, 5.). Parum ergo humana eſt jureconſultorum vox, ſervo non fieri injuriam, *l.* 15. §. 35. *D. de injur.* Immo immanis plane illa dominae apud Juvenal. *Sat. VI. v.* 223.

O demens, ita ſervus homo eſt? Nil fecerit: eſto,
Sic volo, ſic jubeo, ſtet pro ratione voluntas.

Non excuſatius ergo peccat, qui ſervum, quam qui liberum hominem, injuria laedit.

§. LXXXV. Quumque domino & poſſeſſio rerum ſuarum, & jus illas a quocumque vindicandi competat: (Lib. I. §. CCCVI. 2. & 3.) *ex eo ſequitur, 38. ut poſſit ſe in poſſeſſione ſervi ancillaeve quovis modo tueri, &, 39. ſive fuga eos aliquo abſtulerit,* ſive 40. ab alio injuſto ſurrepti ſint, a quocumque poſſeſſore cum acceſſionibus fructibuſque pro qualitate poſſeſſionis vindicare, quin 41. priore caſu receptum fugitivum punire pro merito, & 42. ne in poſterum idem capiat conſilium, quovis licito modo prohibere: (*) niſi 43. illi dominii effectus alicubi in civitatibus lege reſtringantur. (Lib. I. §. CCCXVII.)

Ratione poſſeſſionis & vindicationis.

(*) Hinc compedes, ergaſtula, carceres domeſtici, & alia media, quae vel neceſſitas reperit, vel dominorum, omnia ſibi in ſervilia corpora permittentium, truculentia. Quamvis vero & hic habenda ſit aequitatis humanitatiſque ratio: (§. LXXXIV, 37.) ipſum tamen jus coërcendi non adimendum eſt dominis, maxime in ſervos bello captos, partim, quod fugam anhelant, omnemque ad ſuos revertendi occaſionem ſpeculantur, neque id illis adeo vitio verti poteſt, ceu recte vidit Lorarius apud Plaut. *Captiv. II*, 1. *v.* 14.

LO. *At fugam fingitis. Sentio, quam rem agitis.*
CAP. *Nos fugiamus? quo fugiamus?*
LO. *in patriam.* CAP. *apage! haud nos id deceat,*
Fugitivos imitari. LO. *Immo, aedepol, ſi erit occaſio, non dehortor.*

Partim, quod adhuc ſpirare videntur hoſtilem animum, adeo, ut de his ſervis vel maxime verum ſit illud Senecae *Epiſt. XLVII.* & Feſti *in voce.: quot ſervi. Totidem quemque domi hoſtes habere, quot ſervos.*

Officia dominorum erga ſervos hujuſmodi.

§. LXXXVI. Praeterea jam haud difficile fuerit, de mutuis dominorum ſervorumque hujus generis OFFICIIS judicare. Quia enim ſervus obnoxius eſt in dominio, (§. LXXVII. 6.) ac proinde herus ex eo omnem utilitatem capit, (§. LXXXIV. 30.) adeoque ille nihil habet proprii: conſequens eſt, 44. ut dominus obligatus ſit ad alendum ſervum, 45. eaque obligatio non ceſſet, ſi vel maxime ſervus operas praeſtare nequeat (*). Et quandoquidem praeterea ſervus, quod ad naturam attinet, domino eſt aequalis: (§. LXXXIV. *) facile intelligitur, 46. & peccare dominum, ſi ſervum injuria laedat, & 47. maximam humanitatis laudem ferre, ſi beneficiis potius, quam truculentia, eum ſibi reddat obſequentiorem.

(*) MERCENARIUS SERVUS praeter alimenta & mercedem accipit, (§. LXXXIII, 25.) adeoque habet, unde ſe alat, ſi morbo aliove caſu impeditus operas praeſtare non poſſit. Quum ergo dominus illum alere non teneatur, niſi ex locato: (§. LXXVII, 4.) operas non praeſtantem alere obligatione perfecta non tenetur (§. LXXXIII.*) In SERVO vero OBNOXIO omnia ſe aliter habent. Hic enim non ob operas praeſtitas alitur, ſed quia in heri dominio eſt, & quia nec mercedem accipit, nec quidquam aliud proprium habet. Quumque & extraneo, ipſique hoſti, ſubvenire nos jubeat miſericordia & humanitas: (Lib. I. §. CCXIX, 16.) qua fronte ſervo noſtro aegrotanti denegaremus alimenta, qui vires corporis nobis inſerviendo detrivit? Hinc recte Claudius Imp. libertate donavit ſervos, qui aegrotantes expoſiti fuerant a dominis. Sueton. *Claud. Cap. XXV, l. 2. D. qui ſine manum.*

Servorumque erga dominos.

§. LXXXVII. Quumque tot jura domini totidem OFFICIA SERVORUM tamquam correlata ponant: (Lib. I. §. VII.) ſequitur, 48. ut ſervitus obnoxia ſervum ad quaſcumque operas, 49. utilitatemque domini pro virili promovendam, 50. diſpoſitionem ejus de ſe ſuisque, immo & 51. caſtigationem & coërcitionem patienter ferendam obliget. 52. Ut contra officium faciat ſervus, ſi ſe ſubducat domino, & furtum ſui ipſius admittat, quum potius 53. manumiſſionem fide ac liberali ſervitute mereri, ſeque dignum tanto beneficio praeſtare deberet.

Servitus utraque quomodo finiatur.

§. LXXXVIII. *Ex his omnibus porro intelligitur, quomodo finiatur herilis illa ſocietas.* MERCENARIA *enim ſervitus*, quum contractu locationis nitatur: 54. iiſdem modis, quibus locatio conductio, & 55. in primis elapſo tempore, in quod quis operas locavit, ſolvitur. OBNOXIA 56. manumiſſione potiſſimum deſinit. Quum enim quiſque ſe dominio rerum ſuarum abdicare vel eas derelinquere poſſit: (Lib. I. §. CCCIX. 11.) nullum eſt dubium, quin eidem liceat dominio in ſervum ſuum renunciare, quam renunciationem veteres MANUMISSIONEM vocarunt. Praeterea quum renun-

nunciatio ſit ſpecies alienationis; in re vero alienanda dominus ſibi aliquid excipere & reſervare poſſit: (Lib. I. §. CCLXXVIII, 41.) 57. manumiſſionem quoque qualibuſcumque honeſtis legibus ac conditionibus fieri poſſe, palam eſt. (*)

(*) Ita veteres Romani a ſervis manumittendis ſibi ſtipulabantur operas fabriles, dona & munera, *l.* 3. *pr. l.* 5. *l.* 7. §. 3. *D. de oper. libert.* Et maxime majores noſtri, manumittentes ſervos, ſibi pleraque, quae ipſi ſervi, vel homines proprii dominis praeſtare ſoliti erant, reſervabant, adeo, ut, ſi ab adſcriptitia conditione diſceſſeris, vix ullum diſcrimen inter ſervos & libertinos intercedere videretur. Atque inde eſt, quod Tacit. *de mor. Germ. Cap. XXV.* ſcribit, *libertos Germanorum non multum ſupra ſervos eſſe.*

§. LXXXIX. Quicumque, quum antea juſtam ſervitutem ſervirent, a dominis manumittuntur, LIBERTINI, & manumittentis LIBERTI vocantur. Quum ergo hi ſummum, quod dari poterat, beneficium debeant manumittenti, unuſquiſque vero ad eum, a quo beneficiis ornatus eſt, amandum obſtrictus ſit: (Lib. I. §. CCXXVI. 37.) 58. ingratiſſimi mortalium eſſent liberti, niſi patronos, tanti muneris auctores, venerarentur perpetuo, & 59. non modo ea omnia, quae ſibi hi ſtipulati ſunt, bona fide praeſtarent. (§. LXXXVIII. 57.) ſed & 60. viciſſim illos omni officiorum beneficiorumque genere proſequerentur, vel, 61. ſi deſint vires, ſaltim gratum animum quavis ratione oſtenderent. (*) (Lib. I. §. CCXXVIII. 47.) Quid libertus? ejuſque officia.

(*) Libertatem, datam ſervis, pro maximo beneficio imputabant veteres. Simo Terentianus *Andr. I,* 1. *v.* 10.

Feci, e ſervo ut eſſes libertus mihi;
Propterea, quod ſerviebas liberaliter:
Quod habui, ſummum pretium perſolvi tibi.

Efficiebat enim hoc beneficio patronus, ut ſervus ex re fieret perſona: adeoque loco patris eſſet liberto, qui ideo ejus nomen perinde, ac filius, adſumebat. Lactant. *div. inſt. IV,* 3. Hinc & egenti patrono alimenta non ſecus, ac filius, debebat, *l.* 5. §. 18. *ſequ. l.* 9. *D. de agnoſc. & alend. lib.* Et quemadmodum filius, quamvis alias imperfecta ſit ad gratum animum obligatio, tamen patris beneficia beneficiis penſare, eique alimenta ſufficere cogebatur: ita & libertus cogebatur, qui praeterea ob ingratitudinem praegnantem in ſervitutem poterat revocari, §. 1. *Inſt. de cap. deminut. l. un. C. de ingrat. lib.*

CAP. V.

DE SOCIETATE COMPOSITA, QUAM FAMILIAM VOCAMUS, OFFICIISQUE IN ILLA OBSERVANDIS.

§. XC.

Quid familia?

QUemadmodum ipſas ſocietates minores ſimplicioreſque in magis COMPOSITAS coaleſcere poſſe, obſervavimus: (§. XVIII. 50.) ita ejus rei exemplum praebent ſocietates hactenus recenſitae. Quoties enim illae in majorem ſocietatem conſentiunt, naſcitur inde FAMILIA, quae eſt ſocietas, ex conjugali, paterna atque herili compoſita (*). Unde conjuges, parentes, & domini dominaeque ratione hujus ſocietatis PATRESFAMILIAS & MATRESFAMILIAS; liberi FILII FILIAEVE FAMILIAS; ſervi & ancillae SERVI SERVAEVE FAMILIARES adpellantur.

(*) Eodem fere redit definitio Ulpiani, *l. 195. §. 2. D. de verb. ſignif. Jure proprio* FAMILIAM *dicimus plures perſonas, quae ſunt ſub unius poteſtate, aut natura, aut jure ſubjectae, ut puta patremfamilias, matremfamilias, filiumfamilias, filiamfamilias, quique deinceps vicem eorum ſequuntur, ut puta nepotes & neptes, & deinceps.* Attamen nos paullo latius accipimus vocabulum. Quum enim jureconſultus eo conjuges tantum, parentes, & liberos cujuſcumque gradus, comprehendat: nos & ſervos ancillaſque familiae partem eſſe cenſemus, quos & ipſe paullo poſt familiae nomine venire, obſervat §. 3. *Servitium quoque ſolemus vocare* FAMILIAS. Alias veteribus FAMILIA proprie fuit ſervitium, quaſi *famulia*, ceu ex inſtituto oſtendit Claud. Salmaſ. *Exercit. Plin. p. 1263.* Parentes vero & liberi DOMUS vocabulo denotabantur: veluti apud Apuleium *Apolog. p. 336. edit. Geu. Elmenhorſtii: Ipſe* DOMI *tuae rector, ipſe* FAMILIAE *dominus.* Nobis ergo FAMILIA eſto, quidquid veteres *domum* & *familiam* vocabant.

Quem penes ſit in hac ſocietate directio.

§. XCI. Quum vero, quo major eſt ſocietas, eo minus fieri poſſit, ut tanta ſociorum multitudo media neceſſaria communi conſenſu ac ſuffragio inveniat: (§. XIX. 57.) nemo non videt, 1. hanc ſocietatem debere eſſe inaequalem & rectoriam, adeoque 2. uni ex his ſociis merito deferendam eſſe poteſtatem, reliquorum actiones ad ſocietatis illius finem dirigendi. Quumque patrifamilias & tamquam marito poteſtas quaedam competat in uxorem, (§. XLV. ſequ.) & ejus, tamquam patris, imperium in dubio materno praevaleat, (§. LIV. 4.) & denique ejuſdem, tamquam domini, indubium ſit imperium in ſervos cujuſcumque generis: (§. LXXXII.

LXXXII. & LXXXIV,) fieri non poteſt, 3. quin poteſtatem actiones totius familiae ad ſocietatis hujus finem dirigendi PATRIFAMILIAS vindicemus (*), at ita tamen, 4. ut MATERFAMILIAS, tamquam utriuſque fortunae ſocia, illum ope ac conſilio juvare omnino teneatur. (§. XLIII. 53.)

(*) Enimvero id quoque intelligendum eſt de eo, quod fit regulariter. Alias enim id aliquando aliter ſe habere, jam ſupra oſtendimus (§. XLVII.) Quis enim negaverit, Reginam, quae cui extraneo nupſit, eſſe caput familiae ſuae, maritique tunc non alias partes eſſe, quam quae regulariter uxoris eſſe ſolent, nempe, ut ope & conſilio reginae uxori adſit? Docent id exempla, quorum recens adhuc memoria eſt.

§. XCII. Ceterum hujuſmodi familia vel in ſtatu naturali vivit, nulli mortalium obnoxia, (§. VI.) vel cum aliis in civitatem coaluit. Priore caſu finis hujus ſocietatis non modo fuit rerum, ad vitam commode tolerandam neceſſariarum, adquiſitio, verum etiam mutua adverſus omnes hoſtes defenſio: ac proinde 5. eatenus recte rationes ſubduxerunt ii, qui hujuſmodi familiam minoris cujuſdam civitatis ſpeciem prae ſe ferre exiſtimant (*). Poſteriore, quia ſingulae familiae adverſus concivium injurias judicum auxilio; adverſus communes hoſtes reipublicae viribus tutae ſunt, non alius finis eſſe poteſt hujus domeſticae ſocietatis, quam adquiſitio rerum, ad ſuſtentandam beatioremque reddendam familiam neceſſariarum. Finis hujus ſocietatis in ſtatu naturali & civili.

(*) Ita vero rationes ſubduxit Ariſtotel. *Polit. III, 6.* ubi fatetur, *patresfamilias ſingulos ſegreges uti* τῇ ἰδίᾳ οἰκίᾳ, ὥσπερ πόλει, *domo ſua, tamquam civitate, & ſibi ipſis, tamquam ſi ſocii bellorum eſſent, auxilium ferre contra injuriam inferentes.* Nec aliter fere philoſophatus eſt Hobbeſ. *Leviath. Cap. XX.* Quamvis vero proprie haec non ſit civitas, ceu ipſe paullo poſt fatetur Ariſtoteles, οὐδ᾽ οὕτως ἂν εἶναι δόξειε πόλις τοῖς ἀκριβῶς θεωροῦσι. *Ne ſic quidem eſſe videretur civitas accurate rem contemplantibus*: civitati tamen ſimillima eſt hujuſmodi familia quin ſaepe, ubi in magnam hominum multitudinem excreverit, eam in civitatem vel rempublicam evaſiſſe, tradit Plato *in Politico, ſeu de regno Tomo II. Op. edit. Serrani.*

§. XCIII. Quum ergo in ſtatu naturali finis hujus domeſticae ſocietatis non ſolum ſit rerum neceſſariarum adquiſitio, verum etiam defenſio adverſus aliorum injurias: (§. XCII.) conſequens eſt, 6. ut paterfamilias omnia jura, ſine quibus hic finis obtineri non poſſet, exercere, adeoque 7. non modo rem familiarem, prout id commodiſſimum videtur, inſtituere, & 8. quid cuique in familia curandum adminiſtrandumque ſit, praecipere, & quemque 9. ad rationes reddendas compellere, verum etiam 10. omnia principis jura in familia ſua exercere, 11. leges ferre, 12. ſupplicia a Poteſtas patrisfamilias in ſtatu naturali.

 ſonti-

ſontibus ſumere, 13. foedera cum aliis pangere, quin 14. & bellum gerere, 15. pacemque facere cum hoſtibus poſſit (*).

(*) Exemplo erunt Abraamus, Iſaacus, Jacobus, qui tamquam principes familiarum ſegregum, omnia haec majeſtatis jura exercuerunt. Sic Abraamus, Lotho ab hoſtibus abducto, cum regibus victoribus juſtum bellum geſſit, junctis ſibi aliorum patrumfamilias foederatorum auxiliis. *Geneſ.* XIV, 14. *ſequ.* & 24. Idem foedus iniit cum Abimelecho, *Geneſ.* XXI, 22. quod deinde renovavit Iſaacus, *Geneſ.* XXVI, 26. *ſequ.* Sed & Jacobus eodem exemplo cum Labane foedus percuſſit, *Geneſ.* XXXI, 44. *ſequ.* ejuſque familia bellum, licet injuſtum, intulit Chamori, ejuſque filio, Sichemo. *Gen.* XXXIV, 25. Sed & legem de Diis peregrinis amovendis familiae fert Jacobus. *Gen.* XXXV, 2. Judas vero, ejus filius, nurum ad vivicomburii ſupplicium damnat. *Gen.* XXXVIII, 24. 25. Quorum non ignarus Nicolaus Damaſcenus *Excerpt. Peireſc.* p. 490. Ἀβράμης ἘΒΑΣΊΛΕΥΣΕ Δαμασκοῦ, ἔπηλυς σὺν στρατῷ ἀφιγμένος ἐκ τῆς γῆς, τῆς ὑπὲρ Βαβυλῶνος Χαλδαίων λεγομένης. *Abraamus* REGNAVIT *apud Damaſcum, advena, utpote qui cum exercitu venerit e regione ſuper Babylonem, quae Chaldaeorum dicitur.* Et Juſtin. XXXVI, 2. *Poſt Damaſcum Azelus, mox Adores, & Abraham, & Iſrahel* REGES *fuere.*

Itemque in ſtatu civili.

§. XCIV. Contra ea quum familiae, quae cum aliis in civitatem coaluit, non alius finis eſſe poſſit, quam rerum neceſſariarum adquiſitio: (§. XCII.) facile patet, 16. tam eminentia jura hic non competere patribusfamilias, ſed 17. ea tantum, ſine quibus res neceſſarias adquirere non poſſet familia, quaeque paullo ante (§. XCIII, 6. 7. 8. 9.) deſcripſimus; immo 18. hic etiam matrisfamilias aliquas partes eſſe, quum 19. ad ea jura, quae patrifamilias, tamquam familiae ſuae principi, competunt, eam vix concurrere patiatur verecundia ſexus, patriſquefamilias prae illa eminentia.

Simplices ſocietates huic compoſitae non debent eſſe impedimento.

§. XCV. Quandoquidem vero porro in ſocietatibus compoſitis ſimplicium vel minorum utilitas majorum fini non debet repugnare: (§. XXIV, 75.) facile patet, 20. ſocietates, conjugalem, paternam, & herilem, ita comparatas eſſe oportere, ut ne fini utilitatique totius familiae ſint impedimento (*), adeoque 21. hinc officia quaedam naſci, ſocietati huic compoſitae propria, quorum alia PATERFAMILIAS & MATERFAMILIAS ſibi invicem; alia UTERQUE reliquis familiae membris; alia haec familiae membra patri matriquefamilias; alia denique HAEC ipſa ſibi invicem praeſtare tenentur. Cel. Wolff. *de vita ſociali hom.* §. CXCIV.

(*) Quia enim unus homo hic plures perſonas ſuſtinet, (§. LXIII. *) idemque e. g. & patrisfamilias & domini, & patris, & mariti officio fungitur: diverſa etiam ſunt ejuſdem jura diverſaeque obligationes. Quum vero ex omnibus his ſtatibus compoſita ſit ſocietas, quam FAMILIAM vocamus: has diverſas obligationes tales eſſe oportet, ut una conſiſtere poſſint.

At

At conſiſtere non poſſunt, quae ſibi invicem repugnant. Non ergo diverſae obligationes debent ſibi invicem repugnare.

Officia patris matrisque familias, tum mutua, tum erga familiam.

§. XCVI. Quum ergo in hac ſocietate primae ſint partes patrisfamilias, (§. XCI, 3.) ſed ita tamen, ut materfamilias eum ope & conſilio juvare teneatur: (ibid. n. 4.) ſequitur, 22. ut PATRISFAMILIAS ſit, praecipere, quid facto opus ſit, 23. familiam univerſam, & ſingula ejus membra, prout cujuſque conditio exigit, alere, 24. eos, qui quid adverſus familiae decus communemque utilitatem admittunt, pro eo, ac ſocietatis ſimplicioris jura id permittunt, coercere, 25. matrisfam. dignitatem auctoritatemque tueri: HUJUS vero, 26. dare operam, ut a liberis ſerviſque omnia ex praeſcripto fiant (*), 27. abſente marito ejus vice fungi, denique 28. obſequii & venerationis exemplum praebere univerſae familiae, tanto majorem in domo habitura auctoritatem, quo magis mariti auctoritatem tueri atque amplificare ſtuduerit.

(*) Socrates apud Xenophont. *Oecon.* *Cap.* III. §. XV. Νομίζω δὲ γυναῖκα κοινωνὸν ἀγαθὴν οἴκου οὖσαν, πάνυ ἀντίῤῥοπον εἶναι τῷ ἀνδρὶ ἐπὶ τὸ ἀγαθόν, ἔρχεται μὲν γὰρ εἰς τὴν οἰκίαν διὰ τῶν τοῦ ἀνδρὸς πράξεων τὰ κτήματα, ὡς ἐπιτοπολὺ, δαπανᾶται διὰ τῶν τῆς γυναικὸς ταμιευμάτων τὰ πλεῖστα, καὶ εὖ μὲν τούτων γιγνομένων, αὔξονται μὲν οἶκοι, κακῶς δὲ τούτων πραττομένων, οἱ οἶκοι μειοῦνται. *Exiſtimo autem, uxorem, quae in domo bona ſit ſocia, tantumdem habere momenti ad utriusque utilitatem, quantum vir habeat. Nam plerumque viri opera facultates in domum veniunt, & maxima pars earum, uxore promente, conſumitur. Quae quidem ſi recte fiant, amplificantur domus: ſin male, deminuuntur.*

Officia utriusque ratione ſocietatum ſimpliciorum.

§. XCVII. Quumque ita temperandae ſint ſocietates ſimpliciores, ne univerſae familiae utilitati impedimento ſint: (§. XCV, 20.) facile patet, 28. contra officium facere patremfamilias, ſi matremfam. officio ſuo in educandis liberis functuram, impediat: 29. multoque minus hanc eſſe excuſandam, ſi liberos parum morigeros indulgentia ſua reddat deteriores: denique 30. utroſque peccare, ſi diſcordia ſua efficiant, ut liberi parentum vel incuria, vel exemplo, corrumpantur. Similiter inde intelligitur, 31. male ſe habere ſocietatem domeſticam, ſi ſervorum ancillarumque curae permittantur liberi, vel 32. cum his verſentur pro lubitu (*), vel 33. ſervi ancillaeque heris minoribus conſilium auxiliumque ad quaevis vitia impune praeſtare, vel 34. liberi hos atrocius tractare poſſint.

(*) Quum enim plerique ſervi ancillaeque ex faece hominum, ac proinde male educati ſint: fieri non poteſt, quin liberi eorum exemplo corrumpantur. Immo aliquando adſentari eos videas liberis, & auxilio eſſe ad quaevis nefanda, quales plerique ſervuli a Plauto & Terentio in ſcena ſiſtuntur. Prudenter Plutarchus *de inſt. lib. p.* 4. commendat proverbium, ὅτι ἂν χωλῷ παροικήσῃς, ὑποσκάζειν μαθήσῃ, *ſi cum claudo habites, fore, ut ſubclaudicare diſcas.*

cas. Ex quo colligit, *pluſquam deridiculum eſſe, quod pleriſque uſu veniat, parentes, quum, ſervorum quos habeant, probos, alios agriculturae, alios rei nauticae, alios mercaturae, alios adminiſtrationi rei familiaris, alios uſurae exercendae adhibere: ſi quod vero inveniant mancipium ebrioſum ac gulae deditum, & ad omnia inutile negotia, id eos liberis praeficere.* Perinde vero eſſe, patet, ſive liberis praeficiantur malae frugis homines, ſive parentes eos cum illis familiariter verſari patiantur.

In familia bene conſtituta omnia redeunt ad ordinem.

§. XCVIII. Ex eodem patet, 35. rem omnem redire ad ordinem, in univerſa familia cum cura ſervandum. Quum vero tunc omnia ORDINE fieri dicantur, ſi omnia fiant, iis obſervatis circumſtantiis, quas negotii indoles exigit: conſequens eſt, 36. ut ſingulis in familia certa munia deleganda, ab iiſque 37. penſum ſevere exigendum, quin 38. ſinguli ita adſuefaciendi ſint, ut partes ſuas non modo ea, qua par eſt, cura ac diligentia, verum etiam 39. juſto tempore, 40. locoque, quo decet, exſequantur, denique, 41. ut quodlibet inſtrumentum & quaelibet ſuppellex non modo nitida & integra ſit, ſed & 42. eo loco, quo oportet, reperiatur (*).

(*) Omnia haec ex inſtituto demonſtravit Xenophon in aureo *Oeconomici* libello, ubi ſiſtit Iſchomachum, de recta rem familiarem adminiſtrandi ratione cum uxore ſermocinantem, & *Cap. VIII.* hanc facientem cogitationum ſuarum ſummam, quemadmodum in choro, exercitu, nave, ita & in ſocietate domeſtica, primum, ſecundum, ultimum eſſe ORDINEM, ejus vero perturbationem evertere omnia, quin & maximum rerum pretioſiſſimarum adparatum inutilem reddere. Quo in primis pertinent, quae §. *VIII.* diſſerit: Ἡ δ᾽ ἀταξία ὅμοιόν τι μοὶ δοκεῖ εἶναι, οἷον περ εἰ γεωργὸς ὁμοῦ ἐμβάλοι κριθὰς, καὶ πυροὺς, καὶ ὄσπρια. κᾄπειτα, ὁπότε δέοι ἢ μάζης, ἢ ἄρτου, ἢ ὄψου διαλέγειν δέοι αὐτῷ, ἀντὶ τοῦ λαβόντα διευκρινημέναις χρῆσθαι. *Ordinis autem perturbatio quiddam mihi ſimile videtur eſſe, ac ſi agricola eodem loco conjiciat hordeum, triticum, legumina. Deinde, ſi vel offa, vel pane, vel obſonio ſit opus, neceſſe ſit eum ſingula ſeligere, pro eo, quod jam ſecreta ſumere ad uſum debebat.*

Officia inferiorum membrorum familiae.

§. XCIX. Denique ex his omnibus, quae totius FAMILIAE officia ſint, facile intelligitur. Quum enim omnes a patrefamilias exſpectent alimenta, conditione ſua digna: (§. XCVI, 23.) conſequens eſt, 42. ut omnia ad utilitatem ejus referre, 43. quiſque, quod ſibi delegatum eſt, diligenter curare, 44. patri matrique familias reverentiam & obſequium praeſtare, &, 45. quod primum ac praecipuum erat, nihil agere debeant, quod vel conjugum concordiam turbare, vel educationi liberorum impedimentum objicere, vel lucrum, quod ex ſervorum operis jure exſpectare poterat paterfamilias, intervertere poſſit.

CAP. VI.

DE SOCIETATIS CIVILIS ORIGINE, FORMA ET ADFECTIONIBUS.

§. C.

QUamvis ſocietates, quas adhuc deſcripſimus, ſufficere potuiſſe videantur hominibus ad vitam bene beateque tranſigendam: fuit tamen hominibus ratio conſultiſſima, cur in maximas illas ſocietates, quas CIVITATES vel RESPUBLICAS vocamus, coaleſcere mallent, conſenſuque tam communi hunc ſtatum civilem praeferrent naturali, ut vix ullam hodie reperias gentem tam barbaram, apud quam non aliquod ſaltim civitatis vel reipublicae ſimulacrum reperias (*). Status civilis fere omnibus gentibus placuit.

(*) Teſtes ſunt ii, qui terras olim ignotas tum ſeptentrionales, tum Americanas, luſtrarunt, & pleraſque in iis gentes vel regi cuidam parere, vel communi conſilio de negotiis publicis decernere animadverterunt. Quae enim quidam auctores de Cafris, populiſque in monte Caucaſo habitantibus, immo & inſulanis quibuſdam Americanis narrant, (Vid. Hert. *Elem. prud. civ. I*, 1. *p.* 45. Becmann. *Hiſt. geogr. IX.* 8.) ea ita ſunt comparata, ut parum explorata retuliſſe videantur, nulla ibi imperia eſſe ſuſpicati, ubi non viderent palatia regia, ſatellitia, aulaeque ſplendorem. Sane Cafros Petrus Kolbius, qui diutius in illo Africae angulo commoratus eſt, deſcriptos eſſe ait in XVII. nationes, quarum ſingulis praeſit princeps, quem *Kouqui* vocent, quemadmodum ſingulis pagis, quos *Kralle* adpellitent, aliquis praefici ſoleat, quem penes & jus ſit, delinquentes puniendi. Addit; de negotiis publicis omnes pagorum praefectos conſulere in medium, praeſide principe nationis, qui & exercitui praeeſſe ſoleat. Vereor, ne aeque falſa ſint, quae de Aboriginibus & Gaetulis refert Salluſt. Catil. *Cap. VI.* & *Jugurth. Cap. XVIII.* de Numidis Strabo *Geogr. Lib. XVII. p.* 1191. *edit. nov.* de Bebriciis Valer. Flacc. *Argonaut. Lib. IV. v.* 102. de Troglodytis Plin. *Hiſt. nat. V*, 8. de Siculis denique Homer. *Odyſſ. Lib. decimo v.* 112. ubi & ſtatum illum naturalem ita elegantiſſime deſcribit:

Τοῖσιν δ' οὔτ' ἀγοραὶ βουληφόροι, οὔτε θέμιστες.
Ἀλλ' οἵγ' ὑψηλῶν ὀρέων ναίουσι κάρηνα
Ἐν σπέσσι γλαφυροῖσι· θεμιστεύει δὲ ἕκαστος
Παίδων ἠδ' ἀλόχων οὐδ' ἀλλήλων ἀλέγουσι.

Nec fora conciliis fervent, nec judice: tantum
Antra colunt umbroſa: altiſque in montibus aedes
Quiſque ſuos regit uxorem natoſque; nec ulli
In commune vacat ſocias extendere curas.

An ob rerum indigentiam?

§. CI. Quamvis vero permulti ſint, qui de civitatum & rerumpublicarum origine ſolliciti, rerum plurium indigentiam homines ad ſocietates civiles ineundas impuliſſe, cenſeant: Plato *de rep. Lib. II.* vel ideo tamen id minus opinabile eſt, primo, quod civitatis veſtigium jam *Geneſ. IV*, 17. exſtat, (§. XIII. *) quum nondum ea hominum multitudo impleſſet mundum, ut adeo magna eſſe potuerit rerum neceſſariarum indigentia: deinde, quod nihil obſtitit, quo minus & extra civitates locus eſſet commerciis: (§. XI, 30.) denique, quod multo major rerum omnium indigentia fuit, ex quo, inſtitutis civitatibus, luxus & libido gliſcere coepit (*).

(*) Sic Abraamum, Iſaacum, Jacobum, quos aliquamdiu extra ſocietatem vixiſſe diximus, (§. XCIII. *) quamvis non niſi agriculturae & rei pecuariae darent operam, commode tamen & ſuaviter vixiſſe, maximaſque opes adquiſiviſſe, nullaque re indiguiſſe, animadvertimus. *Geneſ. XXIV*, 35. *XXXIII*, 11. Et ſane quum ſatis mature familiae etiam ſegreges agros colere, vites plantare, quin & aurum; argentumve noſſe, arteſque utiliſſimas invenire coeperint: *Geneſ. XIII*, 2. *XXIV*, 35. quid deſiderare ultra potuiſſent magnopere homines, etiam extra civitates viventes, ſi luxus abfuiſſet?

An ob vitae elegantiam cultumque morum?

§. CII. Deinde, elegantia vitae morumque cultus homines priſcae frugalitatis vix potuit ſubigere, ut libertati naturali ſtatum civilem praeferrent. Praeterquam enim, quod illa morum elegantia plerumque vanitatem ſapit, & adfectatum adulandi ſtudium ſere pro morum cultu venditatur: (§. XII. *) nihil etiam impedit, quo minus & homines, in ſtatu naturali viventes, & rationem excolere, & morem ad elegantiam componere poſſint. Quin exempla Abraami, Iſaaci, & Jacobi, qui cum familiis ſuis ſuas ſibi res ſolis habebant, nec in ſocietatem civilem coaluerant, denuo docent, & in naturali ſtatu viventes homines omnem barbariem deterſiſſe moribus, & decori fuiſſe obſervantiſſimos (*).

(*) Argumento eſſe poteſt morata Abraami oratio ad Melchiſedecum: *Geneſ. XIV*, 22. *ſequ.* ejuſdem inſignis humanitas in excipiendis hoſpitibus: *Geneſ.* XVIII, 2. *ſequ.* colloquium ejuſdem plane inſigne cum filii Chethi. *Geneſ.* XXIII, 7. *ſequ.* Quin & ſervos ita inſtituiſſe Abraamum, ut decori morumque elegantiae eſſent ſtudioſiſſimi, vel illa Eleaſaris legatio ad Nachorem probat. *Geneſ.* XXIV. 22. *ſequ.* Nec barbarorum hominum eſt ille Jacobi, ex Meſopotamia redeuntis, cum Eſauo congreſſus, quando fratres inter ſe veluti certabant non modo verbis humaniſſimis, ſed & donis, aliiſque amoris ſignificationibus. Si porro verum eſt, quod tradit Joſephus *Antiqu. Jud. I*, 9. Abraamum fuiſſe non modo arithmetices, verum etiam τὰ ἐπουράνια ἔμπειρον, *ſideralis ſcientiae* primum, nec non, quod alii addunt, ὀνειροκριτικὴν in familia ejus magnopere excultam ac ad ſummam paene perfectionem perductam eſſe: Vid. Suid. *voce* Ἀβραάμ. Juſtinus *Hiſtor.* XXXVI,

XXXVI, 2. nemo dubitaverit, quin artium ac ſcientiarum culturae etiam in ſtatu naturali fuerit locus, neque ideo in civitates fuerit diſcedendum.

An utilitatis juſtitiaeque fruendae cauſſa?

§. CIII. Tales & reliquae cauſſae ſunt, ob quas in civitates coaluiſſe homines, exiſtimant. Nam quod alii juſtitiae fruendae cauſſa, Heſiod. *Theogon. v.* 87. alii τοῦ συμφέροντος χάριν, *utilitatis cauſſa*, Ariſtot. *Ethic. VIII*, 11. alii denique veluti idem Ariſtot. *I*, 1. & 2. incitante natura; conſtitutas eſſe civitates, exiſtimant: id omne ita comparatum eſſe, arbitramur, ut quidem aliquid ex vero trahat, nec tamen ἀμέσως impuliſſe videatur homines, ad ſtatum libertatis aequalitatiſque cum civili commutandum (*).

(*) Quid enim obſtitiſſet, quo minus & patresfamilias ſegreges jus dicerent familiis? (§. XCIII, 11. 12.) Deinde cur non ad utilitatem ſuffeciſſe dicamus ſocietates ſimpliciores, maxime quum liberum cuique eſſet, adquirere, quidquid vellet, & contra plane ceſſarent vectigalia, tributa, aliaque munera perſonalia ac patrimonialia, quae nunc ſaepe civium facultates exhauriunt? Et ſane ſi natura a ſolitudine abhorret, eumque ſtatum tamquam miſerrimum depinxit Pufendorffius: an Abraamum vixiſſe in ſolitudine credimus, quem praeter uxorem, pellicem, & utriuſque liberos tam numeroſa ſervorum caterva ſtipabat, ut trecentos & octodecim vernas armatos in aciem educere poſſet? *Geneſ. XIV*, 13. Sane, ſi homines natura feruntur in ſocietatem, non illico feruntur in ſocietates illas maximas, quas multa habere, a quibus natura hominis quam maxime abhorret, ex inſtituto docuit Pufendorffius *jur. nat. & gent. VII.* 1, 4. Verum tamen eſt, in ſtatu civili & juſtitiam rectiſſime adminiſtrari, & eum ad publicam privatamque utilitatem, ſi bene ac prudenter ſit inſtitutus, permultum conducere, & hunc naturae hominis quam maxime eſſe conſentaneum. Sed haec conſequi magis hunc ſtatum dixeris, quam ut ad cauſſas προκαταρκτικὰς referri poſſint.

Vera cauſſa, quae homines movit, fuit vis improborum.

§. CIV. Quare, ſi rem omnem paullo accuratius, adhibita in conſilium ratione, conſideres: ii demum rem acu tetigiſſe videntur, qui VIM improborum & originem & occaſionem conſtituendis civitatibus dediſſe ſtatuunt. Quum enim in ſtatu naturali omnes ſint aequales ac liberrimi, (§. V. & VI.) & ea tamen ſit hominum improborum indoles, ut aliis dominari, eoſque ſub jugum mittere, rebuſque ſpoliare, mirifice cupiant: 1. fieri profecto non potuit, quin plures patresfamilias ejuſdem ingenii vires unirent, alioſque ſibi obnoxios redderent. Quumque magna ſocietas non poſſit non eſſe inaequalis & rectoria: (§. XVIII, 58.) conſequens eſt, 2. ut illa latronum turba ſibi ducem elegerit, certamque ei formulam imperii praeſcripſerit, atque inde 3. nata ſit SOCIETAS CIVILIS vel RESPUBLICA (*), quippe quae nihil aliud eſt, quam inſignis hominum multitudo, nulli alii mortalium obnoxia, & ſub communi imperante ſecuritatis ſuae cauſſa certis legibus conſociata.

 (*) Ita

(*) Ita ipſa recta ratio nos ad civitatum originem inveniendam veluti manuducit. Sed ei maximum omnino pondus accedit ex antiquiſſima hiſtoria, quam e ſacris litteris, tamquam ex limpidiſſimo fonte, hauriendam eſſe, inter omnes conſtat. Sane enim ante diluvium non בני אלהים *filios Dei*, uti vocantur *Geneſ. VI*, 1. ſed Caini poſteros primos civitatem condidiſſe, ſatis manifeſtum eſt ex *Geneſ.* III, 17. Et ſi vel maxime largiamur Jo. Clerico *Comment. p.* 40. *tenuem* hanc fuiſſe *caſarum collectionem*, *maceria forte, aut ſepe viridi cinctam*, (quod tamen non adeo certum & exploratum eſt,) multarum tamen familiarum ſocietas ſine qualicumque civili regimine intelligi vix poteſt. Deinde poſt diluvium primus Chuſi filius, Nimrodus, *in terris potens eſſe*, regnumque Babyloniae condere, id eſt, alios opprimere, &, ut imperata facerent, cogere coepit, *Geneſ. X*, 8. *ſequ.* nec antiquioris regni apud Moſen fit mentio, quum tamen aliquot ſaeculis poſt Abraami temporibus, plurium regum ac dynaſtarum nomina ac res geſtae occurrant. Et quis dubitet, quin principio rerum ex violenta illa hominum oppreſſione natae ſint civitates & respublicae, quum id multo poſt ſaepiſſime contigerit? Sane enim occaſione latrociniorum potentiſſima regna nata eſſe, petitis ex omni hiſtoria exemplis, ex inſtituto demonſtravit Hertius *Elem. prud. civ. I*, 3, 4. *p.* 77. *ſequ.*

Quae coëgit & innocentes, ut & ipſi conſociati vim vi repellerent.

§. CV. Tot ergo conglobatorum veluti hominum vim metuentibus etiam juſtiſſimis patribusfamilias, non aliud occurrere potuit remedium, quam ut vim vi repellerent. (§. X, 24.) Quumque, ubi pauciores non ſufficiunt fini obtinendo, ipſa neceſſitas hominumque malitia homines in ſocietates coaleſcere cogat: (§. XIII.) conſequens eſt, 4. ut & probos & juſtos patresfamilias, improborum metu, vires jungere, & ſub communi imperio certis legibus conſociari, adeoque 5. in ſocietatem civilem, vel rempublicam coaleſcere oportuerit (*). (§. CIV, 3.) Ex quo porro colligimus, 6. in ſtatu integritatis nullas futuras fuiſſe reſpublicas, adeoque 7. nugas agere, qui vel tales futuras fuiſſe, tamquam ex tripode pronunciarunt, vid. Becmann. *Meditat. pol. XV*, 5. vel 8. ſtatum illum integritatis, tamquam principium juris naturae & gentium obtrudere eruditis conati ſunt. (Lib. I. §. LXXIV, 26.)

(*) Facile ergo jam tranſigent, qui cauſſam civitatum dicunt eſſe vim & metum, uti Bodin. *de rep.* I, 6. II, 6. Hobbeſ. *de cive* I. nec non qui, ut ſua tenerent, homines civitates conſtituiſſe contendunt, veluti Cicero *de Offic.* II, 21. qui denique infirmitatem familiarum ſegregum homines putant ſubegiſſe, ut libertatem illam naturalem cum ſtatu civili permutarent, quod in mentem venit Grotio *de jure belli & pacis proleg.* §. XIX. & *Lib.* I. *Cap.* IV. §. VII. Omnia enim haec, licet verbis videantur diſcrepare, eodem tamen redeunt, hominesque metu hominum, & ſui tuendi cauſſa, civitates conſtituiſſe, ſatis perſpicue oſtendunt.

Duplex civitatum origo.

§. CVI. Itaque 9. duplex eſt civitatum origo. Aliae enim 10. ad vim aliis inferendam, opprimendoſque innocentes; 11. aliae ad vim vi repellendam, civeſque defendendos coaluerunt. 12. Illarum

larum finis injuſtiſſimus; harum juſtus eſt. Unde 13. illas rectius LATRONUM COETUM; has 14. JUSTAS RESPUBLICAS dixeris. Sed, quemadmodum ſaepe contingit, ut quarum rerum vitioſa origo eſt, eae deinde, animadverſo errore, emendentur, & contra, quae recte ſe habent, paullatim in pejus ruant: ita & fieri poteſt, 15. ut latronum coetus, poſito illo alios opprimendi conſilio, in juſtas reſpublicas; 16. hae vero, relicta poſt tergum humanitate, in latronum coetus abeant: attamen 17. & in illis, & in his, ratione civium, finis idem ſit, puta, eorum SECURITAS (*).

(*) Sic, quamvis piraticae illae Afrorum reſpublicae magis ad opprimendos ſpoliandosque alios, quam ad ſolam mutuam defenſionem, ſint comparatae, & eatenus parum a latronum coetibus differant: tamen aeque ſecuritatem civium, tamquam finem, ſibi ponunt ob oculos, ac aliae juſtae respublicae, ac proinde non modo quaevis praeſidia ſibi adverſus exterorum vim circumponunt, ſed & laeſis jus dicunt rigidiſſime, poenisque acrioribus efficere conantur.

Ne vaga proſiliat fraenis natura remotis.

Itaque communis quidem hic finis eſt omnium rerumpublicarum, ſed ita, ut priores, ſi illum finem obtineant, jus ac virtutem parum curent; hae ideo finem illum intendant, ut utroque bono ſine impedimento fruantur, vel, uti rem exprimit Apoſtolus, ἵνα ὑπὸ βασιλέων καὶ πάντων τῶν ἐν ὑπεροχῇ ὄντων ἤρεμον καὶ ἡσύχιον βίον διάγωσιν, ἐν πάσῃ εὐσεβείᾳ καὶ σεμνότητι, *ut ſub regibus, & omnibus in eminentia conſtitutis, tranquillam & quietam vitam ducant cum omni pietate & honeſtate.* 1. *Tim. II,* 2.

§. CVII. Quum ergo finis omnium civitatum rerumque publicarum ſit SECURITAS civium, (§. CVI. 17.) ex fine vero ſocietatum de mediis, ipſisque ſociorum juribus & officiis judicandum ſit: (§. XV, 42. 43.) conſequens eſt, 18. ut ea omnia agenda ſint ab iis, qui in civitatem coaleſcunt, ſine quibus finem illum communem, puta ſecuritatem, obtinere non poſſent. Quumque vis illa, ſecuritati inimica, in conglobatis improborum hominum viribus conſiſtat: (§. CIV, 1.) fieri non poteſt, 19. quin & alii, qui ſe adverſus illos ſecuros praeſtare cupiunt, vires unire, adeoque 20. tot homines in ſocietatem majorem ac maxime compoſitam coaleſcere debeant, quot probabiliter ſufficere videantur, ad vicinorum vim vi juſta repellendam (*). Finis civitatum ſecuritas civium.

(*) Hinc otioſa quaeſtio, quot perſonae conſtituant civitatem vel rempublicam? Quamvis enim quindecim liberi homines populum conſtituere videantur Apuleio *Apolog.* p. 304. alii tres familias paullo diffuſiores ſufficere exiſtiment ad rempublicam: Valer. Max. *IV*, 4, 8. *IV*, 6, 5. auctores tamen harum opinionum vix rationem habuiſſe videntur finis civitatum, puta SECURITATIS, ea vero, junctis perſonis quindecim, vix obtinetur, ſed numerus debet intendi pro multitudine eorum, a quibus nobis metuimus. Hinc & univerſa hiſtoria docet, initio minimas fuiſſe civitates, minima imperia, quae plerumque patriae limitibus finirentur. Neque enim in vicinia

potentiora imperia erant, quae illis metum incuterent. Simulac vero potentiores, oppreſſis vicinis, majora imperia conſtituerant: minores reſpublicae paullatim in ſyſtemata civitatum, vel majores reſpublicas, coaluerunt, ut pares eſſent vicinis potentioribus. Quod in Graecia poſt Perſicam cladem; in Germania poſt Druſi & Germanici victorias, contigiſſe, ſatis conſtat.

Reſpublica in hominum multitudine conſiſtit.

§. CVIII. Non ergo 21. civitas, ceu recte animadvertunt Nicias *apud Thucydidem VII*, 14. & Themiſtocles apud *Juſtin. Hiſt. II*, 12. in territorio, urbibus, moenibus, tectis, ſed in hominibus conſiſtit: nec 22. opus eſt, ut integrae familiae, ex utriuſque ſexus perſonis compoſitae, conſocientur, ſed 23. ſufficit, ſi vires animoſque jungant plures, quibus vel ſatis virium ſit ad hoſtes debellandos, vel ſatis ingenii ad eoſdem circumveniendos: quamvis 24. negari nequeat, unius aetatis fore reſpublicas, quas non familiae, ſed perſonae ſingulae, quantacumque ſit earum multitudo, conſtituunt (*). Flor. *I*, 1.

(*) Poſſe rempublicam ſine territorio, urbibus, moenibus, tectiſque conſiſtere, argumento eſſe poterit reſpublica Hebraeorum, ſine exemplo ſanctiſſima, quae quadraginta annos per deſerta Arabiae loca ſine certa ſede, ſine lare certo; ſine moenibus & tectis, oberravit, donec in promiſſa Palaeſtina certum veluti domicilium ſibi conſtitueret. *Num. XIV*, 33. Deinde fieri poſſe, ut reſpublica ſine familiis conſtet, nemo negaverit, qui monarchiam papalem, a Pufendorffio & Thomaſio accuratiſſime deſcriptam, paullo accuratius fuerit contemplatus. Neque enim ad Amazonum regnum jam provocare auſim, de quo, quae dicuntur, pleraque multi graviſſimi auctores in dubium vocant. Relinquitur ergo id unum, rempublicam conſtituere congruam hominum multitudinem, nec eam exſtinctam videri poſſe, occupato licet territorio, quamdiu populus, hoſtibus profligandis haud impar, ſuperſtes fuerit. Sic ſane perſtitit Athenienſium reſpublica, quamvis Attica terra univerſa a Perſis teneretur, quoad perſtitit claſſis, in quam ſeſe Themiſtocles cum univerſo populo, omnibuſque, quae moveri poſſent, contulerat. Nepos *Themiſtocl. Cap. II.* & ſtulta erat oratio Adimanti, jus dicendi ſententiam adimentis Themiſtocli, *τῷ μὴ ἔστι πόλις*, *quippe cui non ſit patria*, quum contra recte reſponderet Themiſtocles, *ὡς εἴη καὶ πόλις, καὶ γῆ μείζων, ἤπερ κείνοισι, ἔστ᾽ ἂν διηκόσιαι νῆες σφι ἔωσι πεπληρωμέναι· οὐδαμοὺς γὰρ Ἑλλήνων αὐτοὺς ἐπιόντας ἀποκρούεσθαι*, *ſibi eſſe & ſolum, & urbem multo majorem, quam illis, tantiſper, dum eſſent illis ducentae naves armatae. Nullos enim ex Graecis illos invadentes poſſe propulſare.* Herodot. *Hiſt. Lib. VIII. p. 305. edit. Henr. Steph.*

Eam oporteat conſentire in finem & media.

§. CIX. Quum ergo civitas conſiſtat in conſociatione tantae hominum multitudinis, cujus vires junctae non ſint impares vicinorum potentiae, (§. CVI, 20.) ſine conſenſu vero non intelligatur ſocietas: (§. XIV.) conſequens eſt, 25. ut & civitates vel reſpublicae, interveniente pacto, conſtituantur, ſive 26. homines ultro in hanc ſocietatem conſenſerint, ſive 27. is conſenſus initio vi fuerit extortus, ſive 28. aliqui conſtitutae jam reipubli-

cae ſive ultro, ſive coacti, acceſſerint: ſive 29. prognati ex civibus, eo ipſo, dum in ea, tamquam parentibus aliquando ſucceſſuri, educantur, conſenſiſſe praeſumantur (*). (§. XVII. 46. ſequ.)

(*) Sic Albanorum coloni & illa paſtorum praedonumque colluvies, quae Romulum ſectata, juxta Tiberim tuguriola poſuit, initio ſtatim in hanc novam rempublicam ultro conſenſit. Dionyſ. Halicarn. *Antiqu. Lib. I.* p. 72. Sic populo Romano, poſteaquam jam inſtituerat reip. formam, ultro & per modum foederis acceſſere Sabini. Liv. I, 13. Inviti contra, diruta patria urbe, Romanam civitatem auxere Albani. Liv. I, 29. Nec poſtea umquam dubitatum, prognatos ex civibus Romanis cives eſſe, niſi vel ultro ſolum verterent, vel aqua & igni interdictis etiam invitis eſſet in aliam civitatem migrandum.

§. CX. Ex eo ergo patet, 30. civitates quoque, uti alias ſocietates, vel conſenſu ULTRONEO, vel VI & COACTIONE interveniente, ſive conſtitui, ſive augeri. (§. XVI.) 31. Ubi ultroneo conſenſu coaleſcit illa multitudo, fieri non poteſt, quin *primum* ac praecipuum *pactum* praecedere debeat, nempe quo omnes conſentiunt in rempublicam aliquam ſeu civitatem conſtituendam. Quumque hoc pactum 32. & liberum eſſe debere, & 33. ſub conditione iniri poſſe, nemo non intelligat; per ſe patet, 34. eum, qui non conſentit, vel cujus conditioni non ſatisfit, extra ſocietatem hanc manere, reſque ſuas ſibi habere poſſe (*). Eorum, qui ultro civitatem conſtituunt, pactum primum.

(*) Id circa primum pactum & hodie obſervandum eſſet, ſi nova reſpublica per conſenſum conſtitueretur. At id paullo rarius, aliquem conſtituta jam republica ſibi ſtipulari, ut ei cum familia rem ſuam ſibi habere liceat, quia forma reip. democratica, quam ipſe ſuaſerit, non placuerit. Exemplum tamen Otanis, Perſae, eſt apud Herodot. *Hiſt. Lib.* III. *p.* 124. Quum enim occiſis Magis, qui furtim regnarant, principes Perſarum de republica conſulerent in medium, & ſententia Otanis de populari inſtituenda republica, reliquis omnibus diſpliceret: demum ita loquutus fertur: Ἄνδρες στασιῶται, δῆλα γὰρ δὴ, ὅτι δεῖ ἕνα γέ τινα ἡμέων βασιλέα γένεσθαι ἤτοι κλήρῳ γε λαχόντων ἢ ἐπιτρεψάντων τῷ Περσέων πλήθεϊ τὸν, ἂν ἐκεῖνοι ἕλωνται, ἢ ἄλλην τινὰ μηχανήν. ἐγὼ μέν νυν ὑμῖν οὐκ ἐναγωνιεῦμαι, οὔτε γὰρ ἄρχειν, οὔτε ἄρχεσθαι ἐθέλω· ἐπὶ τούτῳ δὲ ὑπεξίσταμαι τῆς ἀρχῆς ἐπ᾽ ᾧτε ὑπ᾽ οὐδενὸς ὑμέων ἄρξομαι, οὔτε αὐτὸς ἐγὼ, οὔτε οἱ ἀπ᾽ ἐμεῦ αἰεὶ γινόμενοι. *Viri factioſi, quoniam conſtat, neceſſe eſſe, unum aliquem e nobis regem fieri, ſive per ſortem, ſive permiſſu Perſarum per multitudinis electionem, ſive qua alia ratione: equidem ego vobis non refragor, quippe qui neque praeeſſe cupio, neque ſubeſſe. At hac lege vobis jus meum imperii cedo, ut nulli veſtrum aut ipſe ego, aut ullus meorum, ſubſit.* Addit Herodotus, ceteros ejus poſtulatis adſenſiſſe, & inde factum eſſe, ut ſola haec familia inter Perſas in ſtatu naturali viveret, nulli mortalium obnoxia. Καὶ νῦν αὕτη ἡ οἰκίη διατελέει μούνη ἐλευθέρη ἐοῦσα Περσέων, καὶ ἄρχεται τοσαῦτα ὅσα αὐτὴ θέλει, νόμους οὐκ ὑπερβαίνουσα τοὺς Περσέων. *Atque ad hunc uſque diem ſola haec familia inter Perſas libertatem retinet, ne imperio, niſi quantum ei viſum fuerit, paret, leges Perſarum non tranſgrediens.*

Eorumdem ſubſequens decretum.

§. CXI. Quum vero ſocios non modo in eumdem finem, ſed & in eadem media conſentire oporteat, (§. XIV.) iſque conſenſus in magna hominum multitudine magnaque ſocietate ſperari non poſſit, niſi ſit rectoria, adeoque regimen aliquod inſtituatur, cujus a voluntate totius populi voluntas pendeat: (§. XIX, 58.) conſequens eſt, 35. ut multitudo illa decernere debeat, quale ſit futurum illud regimen (*), &, 36. quamvis illi reliquorum decreto ſtare non teneantur, qui ſub conditione certi regiminis in futuram ſocietatem conſenſerunt, ſi alia reip. forma, quam velint, placeat populo: (§. CX, 34.) 37. ii tamen, qui pactum illud primum pure inierunt, ſuffragiis plurium ſeſe ſubmittere omnino debeant.

(*) Magnopere falluntur, qui tale decretum umquam factum eſſe negant. Nam hos vel ſola Romanae reip. origo erroris convincet. Quum enim inter illam urbis Albanae ſentinam, quam exhauriendam putabat Numitor, nec non paſtorum & praedonum turbam, quae ſe jam antea in Latio crebris excurſionibus locupletaverat, conveniſſet, ut in communem rempublicam coaleſcerent: Romulus, vocata concione, populum rogavit, ecquam reipublicae formam reliquis anteferendam exiſtiment? Dionyſius vero Halicarnaſſeus, qui rem omnem accuratiſſime deſcripſit *Antiqu. Rom. Lib.* II. *p.* 80. obſervat, populum, intellecto Romuli conſilio, illico reſpondiſſe: *Ἡμεῖς πολιτείας μὲν καινῆς οὐδὲν δεόμεθα. τὴν δ' ὑπὸ τῶν πατέρων δοκιμασθεῖσαν εἶναι κρατίστην παραλαβόντες οὐ μετατιθέμεθα, γνώμῃ τε ἑπόμενοι τῶν παλαιοτέρων, ὡς ἀπὸ μείζονος οἰόμεθα φρονήσεως αὐτὴν καταστήσασθαι, καὶ τύχῃ ἀρεσκόμενοι, οὐ γὰρ τήνδε μεμψαίμεθ' ἂν εἰκότως, ἣ παρέσχεν ἡμῖν βασιλευομένοις τὰ μέγιστα τῶν ἐν ἀνθρώποις ἀγαθῶν, ἐλευθερίαν τε καὶ ἄλλων ἀρχήν· περὶ μὲν δὴ πολιτείας ταῦτα ἐγνώκαμεν. Nobis nova reipublicae forma non eſt opus, nec a majoribus probatam, & per manus traditam mutabimus; ſed & priſcorum conſilium ſequemur, quos non ſine inſigni prudentia illam reip. formam inſtituiſſe credimus, & praeſenti fortuna contenti ſumus. Cur enim illam incuſemus, quum ſub Regibus nobis contigerint bona, quae apud homines habentur praecipua, libertas, & imperium in alios? Et haec eſt noſtra de republica ſententia.*

Nec non alterum pactum.

§. CXII. Denique, ubi de reip. forma convenit, 38. nihil populo deeſt ad perfectam rempublicam, quam ut eam eaſque perſonas, quas ſibi imperare velit, eligat (*), & ei iiſve 39. certam imperii formulam, jam tum ſuperiore decreto expreſſam, praeſcribat, quae formula tunc 40. recte Legis fundamentalis nomine venit, quum & ea, quae pactis caventur, paſſim leges appellentur, ac proinde 41. imperantes ſive unum, ſive plures, non minus, quam cives obligat, adeo, 42. ut nihil actum merito cenſeatur, ſi quid contra legem hanc reipubl. primariam, vel πόλεως συνθήκην κοινήν, actum ſit.

(*) Denuo hunc ordinem in inſtituenda Romanorum republica ſervatum eſſe, ex laudato Dionyſii Halicarnaſſ. loco intelligimus. Quum enim imperium

rium regium, cui jam Albae plerique adſueverant, retinere decreviſſent: illico de eligendo Rege ſolliciti, ſubjiciunt: τὴν δὲ τιμὴν ταύτην οὐχ ἑτέρῳ τινὶ μᾶλλον, ἢ σοὶ, προσήκειν ὑπολαμβάνομεν, τοῦ δὲ βασιλείου γένους ἕνεκα καὶ ἀρετῆς, μάλιστα δ' ὅτι τῆς ἀποικίας ἡγεμόνι κεχρήμεθά σοι, καὶ πολλὴν συνίσμεν δεινότητα, πολλὴν δὲ σοφίαν οὐ λόγῳ μᾶλλον, ἢ ἔργῳ μαθόντες. *Ceterum cum honorem non alii magis, quam tibi, convenire perſuaſum nobis eſt, tum ob genus regium ac virtutem, tum vero maxime, quod te hujus coloniae ducem habuimus, multamque in te gravitatem ac ſapientiam animadvertimus, non tam verbis, quam factis, edocti.* Similiter paullo poſt populo in curias & tribus deſcripto, electiſque centum patribus, cui ſenatum & commune reipublicae conſilium conſtituerent, ipſe Romulus, teſte eodem p. 87. inter eos ita partitus eſt reipublicae adminiſtrationem, ut penes REGEM eſſet cura ſacrorum, legum & conſuetudinum patriarum cuſtodia, judicia de criminibus gravioribus, jus referendi ad ſenatum, & populum in concionem convocandi, penes SENATUM jus, de rebus omnibus, quas rex ad eum referret, de plurium ſententia decernendi; denique penes plebem jus, auctore ſenatu, magiſtratus creandi, leges ſanciendi, & de bello, ſi Rex permitteret, decernendi. En formulam novi imperii, vel legem fundamentalem, quam accuratius, quam quiſquam alius, deſcripſit auctor πολιτικώτατος, quaeque tamdiu Romae viguit, donec Tarquinius adfectaret tyrannidem.

§. CXIII. Hoc modo naſci oportet civitatem, quoties populus ultro illam inſtituit. Quoties vero ille, perdomitus a populo potentiore, cum illa victrice gente in unam rempublicam coaleſcit: 43. in primum quidem pactum de communi conſtituenda republica procul dubio conſentit, quia, ſi diſſentiret, non acciperet oblatas a victoribus conditiones, ſed perire, quam ſub jugum mitti, mallet: at 44. de forma reipublicae vix audietur dedititiorum ſententia, nec 45. in eligendis perſonis regnatricibus ullae eorum partes ſunt, quibus in ſolo obſequio gloria relicta eſt (*). An eadem pacta interveniant, ſi coacti in civitatem coaleſcant?

(*) Res tamen omnis redit ad dedi-tionis leges, quae aliquando duriores, aliquando mitiores eſſe ſolent, prout vel certa, vel ambigua eſt victoria. Ita ſane, quum Sabini & Romani aequo paene Marte pugnaſſent, viſum eſt utriſque bellum foedere finire, cujus leges has cenſet Dionyſ. Halic. *Lib. II. p.* 111. *Ut Romae pari poteſtate, parique honore regnarent Romulus & Tatius: ut urbs deductum a conditore ſervaret nomen; & ſinguli cives Romani, ſicut antea, vocarentur, univerſi autem a Tatii patria, communi adpellationis complexu, Quirites denominarentur: ut Sabinis jus civitatis Romanae daretur, quicumque id cuperent: utque hi cum ſuis ſacris reciperentur in tribus & curias.* Tale fuit hoc foedus, ex cujus legibus Sabini & ad conſtituendam rempublicam quodammodo admittebantur.

§. CXIV. Aliquando 46. contingit, ut victo populo nova obtrudatur forma reipublicae (*), ſimulque 47. victor ſibi ſtipuletur, ut haec nova reſpublica, tamquam inaequali foedere juncta, ſe comiter veneretur. Quo caſu res ipſa docet, 48. & pacta illa, Nec non ſi victor populo victo novam rei-

publ. formam obtrudit?

quae ſupra deſcripſimus, (§. CX. CXII.) & decretum de reipublicae forma, (§. CXI.) intervenire debere: at 49. populum victum non ultro, ſed coactum, in haec omnia conſentire.

(*) Mos hic erat Athenienſium, ut civitatibus omnibus, a ſe perdomitis, ſtatum popularem; Lacedaemoniorum, ut regimen optimatium obtruderent. cujus inſtituti rationem reddit Xenophon *de republ. Athen. Cap. I.* §. *XIV.* & *Cap. III.* §. *X. ſequ.* Exempla paſſim collegit Ubbo Emm. *vet. Graec. Tomo III.* ſed ſuffecerit unicum p. 249. *ſequ.* Apud Samios ſtatum popularem inſtituerant, everſumque aliquoties, inſtauraverant Athenienſes. A Lyſandro vero, Lacedaemonio, expugnata urbe, pro populari imperio δεκαρχία illic inſtituta eſt. Quas fortunae viciſſitudines & aliae viderunt Graecae civitates, prout vel penes Athenienſes, vel penes Lacedaemonios erat maris imperium. Id vero ſine vi & coactione contingere non potuiſſe, facile unuſquisque animadvertit.

Omnes cives voluntates ſuas ſubmittere debent voluntati imperantium.

§. CXV. Ceterum, quemadmodum omnium ſocietatum una voluntas, unuſque intellectus concipi debet: (§. XX, 59.) ita 50. idem dicendum eſt de civitate vel republica, ita conſtituta. Quum vero plures ſocii eumdem finem eademque media intelligere & velle non aliter poſſint, quam ſi uni pluribusve id negotii detur, ut de fine, mediisque ad finem adſequendum neceſſariis diſpiciant: (§. XVIII, 55.) conſequens eſt, 51. ut idem fieri oporteat in civitate (*). Denique, quum aliis id negotium dare idem ſit, ac VOLUNTATEM SUAM ALTERIUS vel ALIORUM VOLUNTATI SUBMITTERE: per ſe patet, 52. cives reipublicae omnes voluntates ſuas uni pluribusve ſubmittere debere, adeoque 53. eum eosve imperare, cui quibusve cives voluntates ſuas ſubmiſerunt.

(*) Non aliter fieri poteſt, ut plures idem velint, quam vel per CONSPIRATIONEM, ut omnes idem ſentiant & velint, vel per SUBMISSIONEM, ut plures voluntates ſuas unius vel plurium voluntati ſubmittant. Prius nunquam ſperandum eſſe, facile ii intelligent, quibus perſpecta ſunt contraria hominum ſtudia, ingeniorum ſtupor, diverſaeque voluntatum inclinationes. Seneca *Epiſt. CII. Putas tu, poſſe ſententiam unam eſſe omnium? non eſt unius una.* Itaque ſupereſt modus poſterior, ut plures voluntates ſuas alterius vel plurium voluntati ſubmittant. Quemadmodum enim periret procul dubio navis, repleta quantacumque hominum turba, niſi illa multitudo communem ſalutem permitteret uni gubernatori, perito rei nauticae, & omnia acturo, ut navem ex hieme marique ſcopuloſo ſervet: ita fieri non poteſt, ut tot hominum myriades, quae in tam magnam ſocietatem coaleſcunt, ex tam gravibus procellis civilibus, quae quotidie ingruunt, ad incolumitatem perveniant, niſi ab uno pluribusve regerentur. Recte ergo Arrianus *Diſſ. Epict. I,* 12. τοὺς ἀγαθοὺς πολίτας τὴν αὑτῶν γνώμην ὑποτάττειν τῷ νόμῳ τῆς πόλεως, *bonos cives voluntates ſuas ſubmittere legi civitatis*, obſervat.

Inde naſcuntur reſpubli-

§. CXVI. Ex eo vero porro conſequitur, ut, quum voluntates ſuas cives ſubmittere poſſint vel UNI, vel PLURIBUS, vel UNI-

VERSAE

VERSAE MULTITUDINI, 54. non poſſint inde plures, quam tres regulares reip. formae naſci. Nam 55. quoties omnes cives voluntates ſuas unius perſonae phyſicae voluntati ſubmittunt, naſcitur inde MONARCHIA, REGNUM vel PRINCIPATUS (*). Sin 56. plurium voluntati ac decreto; ARISTOCRATIA. Denique 57. ſi id, quod univerſa civium multitudo communi ſuffragio decrevit, pro totius civitatis vel reipublicae voluntate habetur, ea reipublicae forma POPULARIS, vel DEMOCRATICA adpellatur.

cae vel monarchicae, vel ariſtocraticae, vel democraticae.

(*) Equidem Polybius *Hiſt. VI*, 2. diſtinguit inter μοναρχίαν & βασιλείαν, & utriuſque differentiam ita deſcribit: Πρώτη μὲν ἀκατασκεύως καὶ φυσικῶς συνίσταται μοναρχία· ταύτῃ δ' ἕπεται, καὶ ἐκ ταύτης γεννᾶται μετὰ κατασκευῆς καὶ διορθώσεως βασιλεία. *Prima*, MONARCHIA, *ſine ulla arte & naturae impetu conſtituitur: hanc vero ſequitur, atque adeo ex ea originem habet, quum acceſſit ars & emendatio*, REGNUM. Sed quum ea, quae magis minuſve expolita ſunt, ſpecie non differant: id diſcrimen hic inculcare nihil attinet.

§. CXVII. Enimvero, quum, ſive unus, ſive plures, ſive omnes, imperent, non alio jure praeſint reipublicae, quam quod reliqui cives eorum voluntati voluntates ſuas ſubmiſerunt: (§. CXV, 53.) conſequens eſt, 58. ut injuſte imperent, quibus ſuam voluntatem non ſubmiſerunt cives. Hinc, 59. ſi unus injuſte occupat rempublicam, monarchia in TYRANNIDEM; 60. ſi loco collegii optimatium pauci imperium invadunt, ariſtocratia in OLIGARCHIAM; denique, 61. ſi loco totius populi turba quaedam vel faex hominum omnia pro lubitu decernit, democratia in OCHLOCRATIAM degenerat (*). 62. Quas reipublicae formas vitioſas regularibus admodum ſimiles eſſe, & proinde 63. has in illas facile degenerare, recte obſervavit Polyb. *Hiſt. VI*, 1. idque ipſa experientia ſatis confirmat.

Quibus opponuntur tyrannicae, oligarchicae, & ochlocraticae.

(*) Id quoque eleganter vidit ſcriptor πολιτικώτατος Polyb. *ibidem p. 629.* Διὸ καὶ γένη μὲν ἓξ εἶναι ῥητέον πολιτειῶν· τρία μὲν, ἃ πάντες θρυλοῦσι, καὶ νῦν προσείρηται. τρία δὲ τὰ τούτοις συμφυῆ· λέγω δὲ μοναρχίαν, ὀλιγαρχίαν, ὀχλοκρατίαν. *Itaque genera rerumpublicarum ſtatui ſex debent: tria, quae omnium ore jactantur, quaeque modo poſita ſunt a nobis: tria cognatae cum his naturae; dominatum dico unius, paucorum, & turbae vulgaris.* Pro tyrannide quidem hic ponit monarchiam, quippe quam illum a regno diſtinguere, diximus: (§. CXVI. *) ſed ipſe paullo poſt ſubjicit: μεταβαλλούσης δὲ βασιλείας εἰς τὰ συμφυῆ κακά, λέγω δὴ εἰς τυραννίδα, κ. τ. λ. *Regnum ubi ad congenita mala degeneravit, nempe* TYRANNIDEM. Talis & reliquorum civilis prudentiae auctorum philoſophia eſt, quam hic pluribus inculcare non opus eſt. Cui non dictus Hylas?

§. CXVIII. Quum vero tres illae regulares rerumpublicarum formae in totidem vitioſas oppoſitas facillime degenerent: (§. CXVII, 63.) non mirum eſt, 64. pauciſſimas ſemper repertas fuiſſe

Quid reſpublicae mixtae?

ſe civitates, quae ex tribus illis unicam eligerent: ſed 65. pleraſque vel omnes illas formas veluti in unam conflaſſe (*), vel 66. duas certe ita commiſcuiſſe; ut una alteram veluti in officio contineret. Quumque 67. a potiore fieri ſoleat denominatio: inde non poſſunt non varia naſci regnorum, ariſtocratiarum, & democratiarum genera, quae 68. RERUMPUBLICARUM ne MIXTARUM, an irregularium nomine venire debeant, noſtra parum refert. Add. HERT. *Elem. prud. civ. I*, 11, 8. *p.* 2320. *ſequ.*

(*) Et hanc quidem optimam omnium rerumpublicarum formam eſſe, obſervat Polyb. *Hiſt. I*, 1. *p.* 628. Δῆλον γὰρ, ὡς ἀρίστην μὲν ἡγητέον πολιτείαν τὴν ἐκ πάντων τῶν προειρημένων ἰδιωμάτων συνεςῶσαν. *Manifeſtum eſt, eam rempublicam cenſeri debere optimam, quae ex omnibus iſtis, quas diximus, formis ſit compoſita.* Et *Cap. VIII. p.* 638. magnopere laudat Lycurgum, quod οὐχ ἁπλῆν οὐδὲ μονοειδῆ πολιτείαν, *non ſimplicem atque uniformem* conſtituerit *rempublicam*: ſed optimarum quarumque rerumpublicarum virtutes omnes ac proprietates in unum copulavit, ne, ſi qua iſtarum ſupra modum augeretur, ad vitia congenita deflecteret, ſed, dum cujuſque vis mutuo omnium niſu in contrarium retrahitur, nulla pars illarum vergat uſquam, aut nimium propendeat, verum aequis ponderibus librata & aequa lance ſuſpenſa quam diutiſſime reſpublica duret, non ſecus ac fieri ſoleat in navibus, quas hinc inde par vis ventorum impellat. Sic & Dionyſ. Halicarnaſſ. *Antiq. Lib. II. p.* 82. ubi rempublicam Romanam a Romulo eodem fere modo inſtitutam fuiſſe, refert, illam mixturam vocat κόσμον τῆς πολιτείας, additque: ὃν ἐγὼ πάντων ἡγοῦμαι πολιτικῶν κόσμων αὐταρκέστατον ἔν εἰρήνῃ τε καὶ κατὰ πολέμους, *hanc ego concinnam reipubl. formam ceteris omnibus reip. conſtitutionibus, praefero, ut paci aeque, ac bello, idoneam.* Omitto jam ejuſdem generis teſtimonia Zenonis apud Laërt. *VII*, 131. Ciceronis apud Non. Marcellin. *de verb. propr. IV*, 292. Tacit. *Annal. IV*, 33.

Quid civitatum ſyſtemata?

§. CXIX. Denique, quum & totae ſocietates in unam majorem coaleſcere poſſint: (§. XVIII, 49.) conſequens eſt, 69. ut & plures reſpublicae, ſalva cujuſque forma & independentia, icto foedere, in unam majorem ita coaleſcere poſſint, ut, quae ad communem omnium ſalutem ſecuritatemque pertinent, communi conſilio junctiſque viribus exſequantur (*). Quales conſociatae reſpublicae 70. FOEDERATAE, ACHAICAE, itemque SYSTEMATA CIVITATUM adpellantur.

(*) Puſendorffius tum ſingulari *de ſyſtematibus civitatum* diſſertatione, quae inter ejus *Diſſ. acad. ſelectas p.* 210. *ſequ.* occurrit, tum de *jur. nat. & gent. VII*, 5, 16. *ſequ.* exiſtimat, civitatum ſyſtemata emergere vel *mediante communi rege*, quando plura ſeparata regna vel ex conventione, vel ex occaſione matrimonii, hereditatis, aut victoriae unum & eumdem habeant regem, ita tamen, ut ideo in unum regnum non coaleſcant, ſed ſingula juxta ſuas leges fundamentales a communi rege adminiſtrentur, vel *per foedus*: eademque principia fere ſequitur Hert. *Elem. prud. civ. I*, 12, 6. *ſequ.* Enimvero aut unum regnum alteri ita ſubjicitur, ut in communi imperio

nul-

nullae ſint ejus partes: veluti olim regna Macedonicum, Syriacum, Aegyptiacum, Romanis ſubjecta: aut ſuas quodlibet res ſibi habet, ut hodie imperium Romano Germanicum, Hungaria & Boëmia: aut ita coaluerunt, ut veluti unum regnum conſtituant, uti hodie Anglia & Scotia, Polonia & Lithuania. Primo caſu regnum perdomitum in provinciae formam redigitur, nec cum altero ſyſtema aliquod conſtituit. Nec altero caſu dici poteſt, duo regna coaluiſſe in σύςημα, quum nihil commune inter ſe habeant, ſed princeps tantum duas perſonas ſuſtineat. Supereſt ergo tertius tantum caſus, ubi duo illa regna vel duo populi, quum voluntates vireſque ad communem defenſionem univerint, unam omnino ſocietatem majorem conſtituunt, adeoque ſyſtematis nomen ob definitionem, hoc paragrapho datam, jure meritoque ferunt. Addatur G. G. Titius ad Pufend. *de offic. hom. & civ. II, 8, 13. ſequ.*

§. CXX. Quum ergo MONARCHIA naſcatur, quoties omnes cives voluntates ſuas unius perſonae phyſicae voluntati ſubmittunt: (§. CXVI, 55.) conſequens eſt, 71. ut perinde ſit, quo dignitatis vocabulo, Imperatoris, Regis, Ducis, an Principis utatur. 72. Ut, quum neminem ſuperiorem agnoſcat, qualecumque dignitatis nomen recte de novo adſciſcat (*), quamvis 73. non aeque facile cogere poſſit exteros reges ac reſpublicas, ut ei novum illud dignitatis nomen tribuant, adeoque 74. ipſae prudentiae regulae ſuadeant, ut, priuſquam majus illud ἀξίωμα adſumat monarcha, aliorum regum rerumque publicarum audiat ſententias, ſibique novos illos titulos honoris diſerte ſtipuletur.

Monarcha titulum quemcumque honoris recte adſciſcit.

(*) Quum enim ſummi imperantes ſecum invicem vivant in ſtatu naturali, (§. IV. 3.) isque ſit ſtatus libertatis & aequalitatis: (§. V. & VI.) ſequitur, ut monarcha monarchae ſit aequalis, nihilque eum impediat, quo minus pari cum aliis dignitate in republica ſua frui velle, adeoque novum titulum, cui tuendo ſe parem eſſe intelligit, adſciſcere poſſit. Vidit noſtra aetas duo exempla, quae & poſteritas venerabitur, FRIDERICI I. Pruſſiae Regis, & PETRI I. Ruſſorum Imperatoris, quorum alter primus Regii nominis, alter Imperatorii dignitatem genti ſuae intulit, uterque poſtea ab aliis Imperatoribus Regibuſque his inſignibus nominibus ornatus. Equidem intolerabilem faſtum ſuum eo tempore, quo coronam ſibi impoſuerat ſempiterna gloria digniſſimus princeps, FRIDERICUS I. prodere non dubitaverat Clemens Papa XI. ſuae poteſtatis ſuique arbitrii eſſe ratas, Reges creare: ſed doctrinam illam Hildebrando aliquo, quam Clemente, digniorem, & ipſis Romanae eccleſiae alias deditiſſimis principibus abominabilem, magno adparatu profligavit illuſtris academiae noſtrae Cancellarius, Jo. Petr. a Ludewig, qui & totam hanc quaeſtionem variis opuſculis *de auſpicio regio* editis, praeclare illuſtravit, quibuscum & V. C. Everardi Ottonis diſſertationem elegantiſſimam *de titulo Imperatoris Ruſſorum*, quae ejus *diſſertationibus juris publici & privati Part. I. p.* 135. inſerta eſt, merito conjungendam cenſemus.

§. CXXI. Ex eodem patet, 75. monarcham omnia agere ſuo arbitrio, & 76. quamvis prudentiores merito adhibeat in conſilium, eo-

Jura omnia majeſtatis ſolus exercet.

eorum tamen ſuffragia non ſententias, ſed conſilia eſſe. 77. Eumdem agere ubique & ſemper, adeo, ut vere dici coeperit a temporibus Hadriani Imperatoris: ἐκεῖ τε ἡ Ῥώμη, ὅπου ποτ' ἂν ὁ βασιλεὺς ᾖ. *Roma eſt, ubi Imperator eſt.* Herodian. *Hiſt. I, 6.* 78. Nullum denique eſſe jus majeſtatis, quod non exerceat princeps: (§. CXII, 18.) immo 79. monarchiae nomen vix tueri regnum, in quo ullus alius jus quodcumque majeſtatis independenter a rege exercet (*).

(*) Reipublicae enim, tamquam unius perſonae moralis, unus debet eſſe intellectus, unaque voluntas (§. CXV, 50.) Jam ſi praeter monarcham alius quodcumque jus majeſtatis independenter a rege exerceret: non eſſet totius reip. unus intellectus & voluntas. Ergo nec futura eſſet reſpublica: ſed reſp. in republica. Salvum ergo fuit Meroueidarum imperium, quamdiu perſtitit regum auctoritas. Ea ſubruta, & jus belli & pacis ad ſeſe trahentibus majoribus domus, precario veluti imperabant reges, donec Pippino placuit regni decus genti ſuae inferre. Adeo eo ſenſu verum eſt dictum Homeri *Iliad.* β.

Οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη· εἷς κοίρανος ἔστω,
Εἷς βασιλεύς.
Non bonum eſt multos imperare; unus eſto imperans,
Unus rex.

quamvis tyrannos ſaepe eo abuſos eſſe, non ignoremus. Vid. Sueton. *Calig. Cap. XXII.*

Quid interſit inter monarcham & tyrannum?

§. CXXII. Quamvis vero omnia ſuo arbitrio agat monarcha: (§. CXXI, 75.) non tamen agere aliud debet, quam quod finis civitatis, (§. CVII, 18.) puta ſecuritas civium, (§. CVI, 17.) requirit. Ex quo conſequitur, 80. ut populi ſecuritas, & ſalus ſuprema monarchae lex eſſe debeat, 81. eoque ipſo hic differat a tyranno, qui ad ſuam tantum ſecuritatem utilitatemque omnia refert, 82. quumque ſcelere quaeſita bonis artibus retineri nequeant, parum penſi habet civium ſuorum perniciem, dum ipſe ſtatum ſuum conſervet (*).

(*) Huc pertinent omnes artes tyrannicae, de quibus accuratiſſime Ariſtot. *Polit. V, 10. ſequ.* Quum enim omnes tyranni, conſcii ſibi odii civium, meticuloſiſſimi eſſe ſoleant; non poſſunt, quin omnem eminentem virtutem opprimant, virorum excellentium, tamquam eminentium papaverum, capita demetant; ſeveriſſime animadvertant in innocentes ſub obtentu laeſae majeſtatis, criminis fere unius eorum, qui crimine vacant: inimicitias ac diſcordias inter cives ferant: litterarum omnem ſplendorem exſtinguant: peregrinos praeferant civibus: hos denique dignitatibus, opibuſque ſpolient, & redigant ad incitas. Quae omnia quam injuſta, quamque fini civitatis contraria ſint, facile unuſquiſque animadvertit. Unde recte Polyb. *Hiſt. II, 59. p. 202.* *Αὐτὸ γὰρ τοὔνομα (τυραννίδος) περιέχει τὴν ἀσεβεστάτην ἔμφασιν καὶ πάσας περιείληφε τὰς ἐν ἀνθρώποις ἀδικίας καὶ παρανομίας. Nam ipſum tyranni nomen ſummae impietatis ſignificationem conjunctam habet, injurias ſceleraque omnia complectens, quae inter homines ſolent verſari.*

§. CXXIII.

§. CXXIII. Deinde ex ARISTOCRATIAE definitione (§. CXVI, 56.) colligimus, 83. penes totum optimatium collegium eſſe debere majeſtatis jura omnia, eaque adeo 84. non aliter explicari poſſe, quam de communi totius collegii ſententia. 85. Opus ergo eſſe certo loco, ubi frequentes conveniant, & de republica conſulant in medium, nec non 86. certo definitoque tempore, quo ſenatus ordinarius habeatur, niſi, 87. quae quotidie ex improviſo incidere ſolent, negotia ſenatum extra ordinem indictum poſtulent. Praeterea, quum plurium conſenſus ſperari non poſſit, niſi per ſubmiſſionem: (§. XVIII, 55.) conſequens eſt, 88. ut & in ariſtocratia pauciores ſe ſubmittere debeant voluntati plurium, adeoque 89. plurium ſententiae vincant pauciores, 90. in pari vero ſententiarum numero, nihil actum videatur, niſi vel is, qui praeſidet collegio, pondus addat alterutri parti, vel 91. talis ſit cauſſa, ut locus ſit CALCULO MINERVAE (*). Denique, quum vitioſa forma, oppoſita ariſtocratiae, OLIGARCHIA vocetur, (§. CXVII, 63.) illaque in hanc facile degeneret: (ibid. n. 60.) res ipſa exigit, 92. ne quid decerni valide poſſit, niſi maxima optimatium parte, e. g. duabus tertiis, praeſente. Quomodo jura majeſtatis exerceantur in ariſtocratia?

(*) CALCULUS MINERVAE dicitur, quando in pari condemnantium atque abſolventium numero reus a poena criminis liberatur. Nam, quum Oreſtes, parricidii accuſatus, in Areopago cauſſam diceret, iique, qui damnandum cenſebant reum, uno calculo vincerent abſolventes, Minerva his unum calculum adjeciſſe fingitur, ut in pari ſuffragiorum numero abſolveretur. Quae poſtea lex paene omnibus gentibus placuit, uti praedixiſſe Minervam fingit Euripides *in Iphigen. Taur. v.* 1268.

Καὶ τοῖσι λοιποῖς ὁ δὲ νόμος τεθήσεται,
Νικᾷν ἴσαις ψήφοισι τὸν φεύγοντ' ἀεί.

Et ceteris lex iſta promulgabitur,
Ut uſque paribus calculis vincat reus.

Conf. Boecleri *diſſert. ſingularis de calculo Minervae*, & viri celeberrimi, Henr. Coccejii *diſſ. de eo quod juſtum eſt circa numerum ſuffragiorum*, & *de calculo Minervae. Cap. II.* ubi vir doctiſſimus §. X. hanc naturalem adfert rationem hujus juris, quod prior rei ſtatus condemnatione mutetur, abſolutione maneat, adeoque tunc vere nihil agatur. Quum ergo major tantum pars novi aliquid facere, & ſtatum priorem mutare poſſit: ſequitur, ſi pares ſint, ut nihil agatur, ſed prior rei ſtatus maneat, isque adeo abſolvatur.

§. CXXIV. Nec aliter ſeſe res habet in DEMOCRATIA. Quum enim in ea, quod univerſa civium multitudo communi ſuffragio decernit, pro totius civitatis vel reipublicae voluntate habeatur: (§. CXVI, 57.) ſequitur ſane, 93. ut majeſtas hic ſit penes totum populum, iſque 94. tunc omnia jura majeſtatis exerceat. Quumque id aliter fieri non poſſit, quam ſi populus confluat in comi- Quomodo in democratia?

tia

tia, & de negotiis obvenientibus conſulat in medium: per ſe patet, 95. hic quoque certum locum, ubi coëat populus, 96. ſtatoſque dies, quibus comitia habeantur, definiendos eſſe, 97. ratumque haberi, quod populus ſive curiatim, ſive tributim, ſive viritim, pluribus ſuffragiis decreverit. Denique 98. facile in OCHLOCRATIAM degeneraturam eſſe democratiam (*), ſi minori parti populi, abſentibus vel excluſis reliquis, ſuffragii jus permittatur, ex ipſa ochlocratiae definitione (§. CXVII, 61.) facile intelligitur.

(*) Tunc vero miſerrima eſt reipublicae conditio, maxime ſi accedant demagogi, quorum incitata ſtimulis tribuniciis plebs furit, omniaque ſurſum deorſumque verſat, donec demagogorum aliquis tyrannidem occupet, idemque contingat, quod Athenis contigiſſe refert Phaedrus *Fab. I, 2.*

Athenae quum florerent aequis legibus:
Procax libertas civitatem miſcuit,
Fraenumque ſolvit priſtinum licentia.
Hinc, conſpiratis factionum partibus,
Arcem tyrannus occupat, Piſiſtratus.

Ceterum de demagogorum artibus videndus eſt Hertius *Elem. prud. civ. Part. II. ſect. XXIV.* §. *XXIII. p. 496.*

Quomodo in rebuspublicis mixtis?

§. CXXVI. Quum vero & MIXTAE, quas vocant, reſpublicae aliquando optimae, & ideo inventae ſint, ut una forma alteram veluti in officio contineat: (§. CVIII.) res ipſa docet, 99. jura majeſtatis vel omnia, vel quaedam, in his civitatibus ita communicari debere vel cum optimatium collegio, vel cum multitudine populi, ut ordo unus, inconſulto altero, decernere nihil poſſit: non vero 100. ita dividi poſſe illud jurium majeſtatis exercitium, ut unus, altero inſcio vel invito, aliquid agat. Siquidem ita impediri non poſſet, quo minus reſpublica in republica naſceretur (*).

(*) Hinc informis omnino erat reipublicae Romanae ſtatus, quum eo delapſa eſſet, ut plebs, tribuniciis inſtincta furoribus, inconſulto reliquo populo, leges ferre, & de capite civium Romanorum jus ſuo arbitrio dicere, & omnia patrum magiſtratuumque decreta turbare poſſet, quum ſine plebe populus nec leges ferret, nec judicaret, nec de bello ac pace decerneret. Quum vero, ubi loco totius populi turba quaedam vel faex hominum pleraque pro lubitu decernit, in *ochlocratiam*, adeoque vitioſam reip. formam degeneret civitas: (§. CXXIII, 61.) Romanam remp. tum parum ab ochlocratia abfuiſſe, facile eſt ad intelligendum.

Quomodo in ſyſtematibus civitatum?

§. CXXVII. Quod ad SYSTEMATA CIVITATUM attinet, quum illa vel ex duobus pluribuſve regnis, quae ſub communi capite veluti in unum regnum coaluerunt, (§. CXIX. *) vel ex pluribus civitatibus, foedere junctis, (§. eod.) oriantur: facile patet, 101. priore caſu regna iſta, niſi plane ſint παμβασιλείαι, praeter communem regem communia etiam habere debere comitia, 102. ad eaque utriuſque regni ordines, certo numero, pro virium ratione eſſe evocandos. Poſteriore vero caſu 103. civitates ſingulas imma-

nentia

nentia majeſtatis jura ſuo arbitrio; 104. tranſeuntia, quae ad communem ſecuritatem pertinent, communi conſilio exercere, ac proinde 104. delegatos a ſingulis homines collegium aliquod, ſive perpetuum, ſive temporarium, debere conſtituere, quod de rebus ad communem ſecuritatem pertinentibus conſulat in medium, & quid factu opus ſit, re prius cum civitatibus ſuis communicata, decernat (*).

(*) Talis olim Amphyctionum, nec non civitatum Achaicarum, ſenatus, de quo plura Boecler. diſſ. *de Amphyction.* & Ubbo Emm. *vet. Graec. Tom. III. p.* 305. Sed quum hodie exemplum hujuſmodi ſyſtematis, ſenatuſque in eo neceſſarii, praebeant florentiſſimae Belgarum Helvetiorumque reſpublicae, quas Joſ. Simlerus, Templeus aliique viri docti accuratiſſime deſcripſerunt: non eſt, quod hic actum agere velimus.

§. CXXVIII. Enimvero cum pleraque ad foederis leges, quibus coaluerunt, redeant: (§. CXIX, 69.) fieri non poteſt, 105. quin hae reſpublicae ſint diverſiſſimae, 106. aliaeque arctiore, aliae paullo laxiore vinculo ſint conjunctae, 107. aliae plus, aliae minus inter ſe commune habeant: immo & 108. quibuſdam communia aeraria, officinae monetariae, armamentariaque ſint, quibuſdam non ſint: denique 109. quaedam praeſidem quemdam, communiſque foederis veluti cuſtodem, ſenatui praeficiant, aliae ab hoc inſtituto abhorreant: denique 110. nec jus ſuffragii, nec modus ea, quae ad communem ſecuritatem neceſſaria ſunt, contribuendi, nec reliqua inſtituta eodem ubique modo ſeſe habere poſſint.

Magna eſt ſyſtematum civitatum diverſitas.

Cap. VII.

DE SUMMA POTESTATE, EAMQUE ADQUIRENDI MODIS.

§. CXXIX.

Quum, qui coaleſcunt in rempublicam, antea in ſtatu naturali vixerint, (§. III.) iſque fuerit ſtatus aequalitatis & libertatis: (§. V. & VI.) conſequens eſt, 1. ut civitas & poſtea nemini mortalium ſubjecta ſit, 2. omniaque, quae conſervando ſtatui ſuo neceſſaria eſſe exiſtimat, libere peragere, nec 3. ab ullo in exercitio jurium ſuorum turbari, vel 4. ad reddendas geſtorum rationes adigi poſſit. Quum ergo haec omnia, conjunctim accepta

Imperium omnine ſummum & ἀνυπεύθυνον.

pta, vocentur IMPERIUM SUMMUM & ΑΝΥΠΕΥΘΥΝΟΝ: conſequens eſt, 5. ut in omni civitate vel republica ſit imperium ſummum & ἀνυπεύθυνον (*).

(*) Loquimur de REPUBLICA proprie ſic dicta, quam ſupra definivimus, quod ſit multitudo hominum, nulli alii mortalium obnoxia, & ſub communi imperante ſecuritatis ſuae cauſſa conſociata. (§. CIV, 3.) Quamobrem populus, ab alio victore in poteſtatem redactus, non rempublicam conſtituit, ſed PRAEFECTURAM vel PROVINCIAM, quia aliis eſt obnoxius. Ex eadem ratione non reip. ſed MUNICIPII nomine venit multitudo, ſub communi quidem imperante, conſociata, ſed regno tamen, vel reipublicae majori ſubjecta. Unde, quamvis jureconſulti municipia ſaepe vocent reſpublicas, & hinc mentionem faciant reipublicae Antiochenſium, *l.* 37. *D. de reb. auct. jud. poſſid.* Heliopolitanorum, *l.* 4. *C. qui pot. in pign.* Theſſalonicenſium, *l.* 23. *C. de evict.* Tuſculanorum, *l.* 38. §. 5. *D. de legat.* III. Sebaſtianorum, *l.* 21. §. 3. *D. de ann. leg.* Arelatenſium, *l.* 24. *D. de uſu & uſufr. leg.* Sardianorum, *l.* 24. *D. de ann. legat.* tamen, ubi accuratius loquuntur, *eos, qui pro civitate legatione funguntur* negant REIP. *cauſſa abeſſe. l.* 26. §. *ult. D. ex quib. cauſſ. maj.* Multum ergo refert, quo ſenſu accipias reip. vocabulum.

Monarchomachorum error.

§. CXXX. Quum ergo in omni civitate vel republica ſit imperium ſummum & ἀνυπεύθυνον, (§. CXXIX, 5.) & cives tamen voluntates ſuas vel uni, vel pluribus, vel univerſo populo ſubmiſerint: (§. CXV, 52.) conſequens eſt, 6. ut quibuſcumque voluntates ſuas ſubmiſerunt cives, ii & imperio illo ſummo & ἀνυπευθύνῳ gaudeant, adeoque 7. illi a nemine, praeterquam a Deo, judicari, multoque minus 8. a populo ſupplicio aliiſque poenis adfici poſſint, adeoque 9. peſtilentiſſimum ſit illud dogma monarchomachorum, quod populus ſit ipſo rege vel principe ſuperior, & 10. penes illum *realis*; penes hunc *perſonalis* tantum *majeſtas* reperiatur (*).

(*) Eſt haec doctrina Franc. Hotomani, Stephani Junii Bruti, cujus ſub nomine alii Hub. Languetum, alii Ge. Buchananum, alii alios latitare contendunt, Sidney, Althuſius, Pareus, Jo. Milton, & alii, de quibus praeter *Obſ. Halenſ. VI.* 1. legendus eſt Jo. Franc. Budd. *Hiſt. iur. nat. & gent.* §. LII. Ceterum πρῶτον illud ψεῦδος, quo in transverſum acti hi viri doctiſſimi populo omnia permittunt in reges & principes, in eo conſiſtit, quod conſtituentem ſemper ſuperiorem eſſe exiſtimant conſtituto, quodque adeo populus, qui ſibi regem & principem conſtituerit, (§. CXII, 38.) non poſſit non rege vel principe illo a ſe conſtituto eſſe ſuperior. Sed id non minus abſonum eſt, ac ſi ſervus, qui ſe ultro domino alicui in ſervitutem obnoxiam addixit, (§. LXXIX, 8.) ſeſe domino ſuperiorem dicere vellet, quia ſibi ipſe dominum conſtituerit. Vid. Grot. *de jure belli & pac.* I, 3, 8. V. A. Zach. Huber. *Diſſ. Lib. II. p.* 124. *ſequ.* Potius ratio ipſa ſatis agnoſcit, eum non poſſe dici ſuperiorem, qui alterius voluntati voluntatem ſuam ita ſubmiſit, ut voluntati ſuae veluti renunciarit. Quod quum faciat populus, ubi coaleſcit in rempublicam: (§. CXXIX, 5.) qua, quaeſo, fronte is ſe rege ſuperiorem dicet?

§. CXXXI. At, quia tamen eatenus tantum voluntati ſummorum imperantium voluntates ſuas ſubmiſerunt cives, quatenus id exigit finis ſocietatis civilis, vel reipublicae, (§. XV, 42. ſequ.) id eſt, communis, ob quam potiſſimum in civitatem coaluerunt, ſecuritas: (§. CVII.) non poſſumus non inde colligere, 11. nefarie illos blandiri ſummis poteſtatibus, qui illis perſuadent, licere, quod libeat, 12. nec civibus ab imperantibus fieri poſſe injuriam, immo 13. illorum vitam, exiſtimationem, facultates, ipſamque conſcientiam, ita in principum poteſtate ac arbitrio eſſe, ut illis in ſolo obſequio relicta ſit gloria. Ex quo fonte quum promanent omnia, quae magna adſeveratione humano generi obtrudere conati ſunt Nic. Machiavellus, Thomas Hobbeſius, & quicumque poſtea *obedientiam paſſivam* defenderunt in Britannia (*): 14. haec principia omnia non minus peſtilentia eſſe, ac monarchomachorum dogmata, nemo temere negaverit. Nec non Machiavelliſtarum.

(*) De Machiavello & Tho. Hobbeſio omnia nota ac pervulgata ſunt. Nec quisquam eſt, qui non meminerit, quid inter auctores librorum, quos *Julianum* & *Jovinianum* inſcripſerunt, aliosque viros doctos, contrariis ſtudiis agitatum ſit in Britannia. Quin & Grotium *de jure belli & pac. I, 3, 8. ſequ.* quodammodo praeluſiſſe huic doctrinae de paſſiva, quam vocant, obedientia, non pauci cenſent, quamvis ſecundum eum vindicias dederit vir laudatiſſimus, Zach. Huberus *ibid. p. 222. ſequ.* Sane ſive vi aliquis ſibi ſubjecerit populum, ſive hic ſibi imperantem ultro elegerit: nefas erit principi, injuriis adficere populum ſuum, eumque hoſtili animo opprimere. Priore enim caſu, dum in deditionem accepit populum, hoſtilem animum depoſuit. Poſteriore nihil poteſtatis habet, niſi quantum ei in ſe detulit populus: quem ſane principi dediſſe facultatem, civibus, tamquam mancipiis abutendi, nemo dixerit. Nec jus ſceleri datur loco 1. *Sam. VIII*, 11. Sive enim illud משפט המלך vel *jus regis*, de more & facto explices, uti *jus latronis*, *l. 5. D. ad leg. Pomp. de parricid.* ſive de dominio eminente, quod magiſtri Judaeorum faciunt, & cum eo celeberrimus Thomaſ. *ad Huberi de jure civit. I, 2, 7, 13. pag. 58.* ſive denique de jure, eatenus obligatorio, ut illi reſiſti nequeat, uti jus accipit Paullus *l. 11. D. de juſt. & jure*, & hunc ipſum locum erudite interpretatur V. A. Zach. Huberus *ibid. pag. 237.* inde ſane demonſtrari non poteſt, jus tale eſſe imperantibus, quale illis Machiavellus & Hobbeſius eorumque imitatores, ſervum pecus, attribuere auſi ſunt. Non ſane tale jus ſibi adrogabit princeps bonus,

> Οἷος Ὀδυσσεὺς ἔσκε ᾗ μεθ' ἡμετέροις τοκεῦσιν,
> Οὐδὲ τινὰ ῥέξας ἐξαίσιον, οὐδέ τι εἰπὼν
> Ἐν δήμῳ, ἥτ' ἐστὶ δίκη θείων ἀνθρώπων.
>
> *Qualis apud veteres divus regnabat Ulyſſes,*
> *Qui nulli civi dicto factove nocebat.*
> *Scilicet hoc hominem Dis immortalibus aequat.*

§. CXXXII. Quia ergo ſummi imperantes a nemine, praeterquam a Deo, judicari, multoque minus ſupplicio adfici poſſunt a Imperantes ſacroſancti.

 popu-

populo: (§. CXXX, 6. 7.) merito inde colligimus, 15. ſacroſanctum eſſe omne ſummum imperium, 16. ſacroſanctos & ipſos imperantes, adeoque 17. maximum crimen merito habendum eſſe illud, quod perduelles, rebelles & ſeditioſi admittunt. Quin, 18. quamvis forte in theſi concedendum ſit, iis, qui hoſtilem animum adverſus populum oſtendunt, tamquam tyrannis, poſſe reſiſti: 19. in hypotheſi tamen illam regulam fere inutilem eſſe, certiſſimum eſt, quia imperantes a nemine, praeter Deum, judicari, adeoque & ab illo ſolo decidi poteſt, verene hoſtilem animum adverſus populum gerant, nec ne (*).

(*) Plura eam in rem dixit Thomaſ. ad Huber. *de jure civ. I, 9, 2. 20. p. 316. ſequ.* Exemplum ſane Henrici IV. Imp. ſi paullo accuratius expendatur, ſatis ſuperque unumquemque convincet, quam periculoſum ſit populo ea de re permittere judicium. Erat ille princeps fortiſſimus, cujus id unum conſilium erat, ut jura imperii poteſtatemque regiam, ſibi impuberi paene extortam, vindicaret. Ringebantur epiſcopi & clerici, in quos faba illa cudi videbatur, quibus nihil facilius erat, quam juvenem ferociorem, juriumque ſuorum curioſiſſimum, tamquam hoſtem eccleſiae ac reipublicae traducere; & non modo plebi, ſed & principibus imperii, quos ſaeculares vocant, immo & Gregorio Papae perſuadere, eum hoſtili animo adverſus eccleſiam & rempublicam furere, ita denique inſtruere ſcenam, ut princeps optimus, quantumvis manu fortis & plerumque victor, ab ipſo demum filio regno opibuſque, tamquam hoſtis eccleſiae & reip. ſpoliaretur. Adeo periculoſum eſt, non modo plebi infimae, ſed & proceribus, judicium permittere de principum actionibus.

Nec tamen quidquid illis libet, licet. §. CXXXIII. Quum tamen nec omnia promiſcue liceant principi: (§. CXXXI.) conſequens eſt, 20. ut ille vim inferre non poſſit civium conſcientiis, nec 21. quidquam iis imperare, quod voluntati Dei, tamquam ſupremi legiſlatoris, refragetur. (Lib. I. §. LXXXVII. *) 22. Nec jure ſuo aliquem injuſte & ſine praegnante ratione privare, quum cives potius rerum ſuarum ſecure fruendarum cauſſa in ſocietatem civilem coierint. (§. CVI, 17.) 23. Ut civibus, in ſumma calamitate conſtitutis, liceat quidem omnia experiri, ut jus ſuum obtineant, immo &, 24. imminente majore periculo, patriam dulciaque linquere arva: (§. XXII, 71.) non tamen 25. arma corripere adverſus principem vel rempublicam. (Lib. I. §. CCXXXII, 19.)

Quid ſi regnum illis datum ſub lege commiſſoria? §. CXXXIV. Quamvis vero haec generatim de imperantibus dicenda ſint: contingere tamen poteſt, 26. ut imperium alicui tradatur, certis pactis adſtrictum, additaque lege commiſſoria, ſi pactis illis non ſatisfiat. Tunc vero 27. injuriam non fieri imperantibus, ubi ſubinde moniti civium libertatem opprimere non deſinant, ſi illis abrogetur imperium: ex natura pactorum facile intel-

ligi-

ligitur, quemadmodum 28. & vitio non verti poteſt civibus, ſi eos, qui ſibi imperium ſine juſto titulo adrogarunt, & quibuſcum nondum tranſegerunt, depactive ſunt (*), imperare prohibeant.

(*) Hinc male Brutus & conjurati occiderunt Caeſarem. Quamvis enim hic imperium uſurparet in civitate libera, idque ſine juſta cauſſa extorſiſſet civibus ſuis: hi tamen jam pridem in eo adquieverant, ac veluti renunciaverant libertati ſuae. Et ſane quum Brutus ipſe apud Ciceronem *Epiſt. ad Brut. IV.* non audeat Antonium, hoſtilis animi erga rempublicam manifeſtum, praejudicare, reque ad ſuum arbitrium tracta, eum tamquam hoſtem adgredi: quo jure interimere potuit Caeſarem, quem tantum abeſt, ut ſenatus populuſque Romanus hoſtem judicarit, ut potius ei ſollemniter dederit fidem? Quare nec rectae rationi ſatis convenit illud Caeſaris apud Lucan. *Pharſal. Lib. I. v.* 351.

Detrahimus dominos urbi, ſervire paratae.

Si enim urbs, id eſt, tota civitas dominos habere cupit: quo jure Caeſari aut cuicumque alii civi licuit bello civili illi *dominos detrahere?*

§. CXXXV. Quum vero omne imperium ſit ſummum atque ἀνυπεύθυνον: (§. CXXIX, 5.) conſequens eſt, 29. ut cum illo conjuncta ſint omnia jura, ſine quibus finis ſocietatis civilis, puta ſecuritas, obtineri non poſſet, quaeque conjunctim MAJESTAS, vel MAJESTATIS JURA adpellantur. Quum vero duplex ſit illa ſecuritas, INTERNA, qua cives a concivibus ſecuri praeſtantur, & EXTERNA, qua ab hoſtium vi atque armis defenditur reſpublica: facile patet, 30. duorum etiam generum eſſe jura majeſtatis, quorum 31. alia, quae ratione civium competunt, IMMANENTIA; alia, quae erga exteros exerceri poſſunt, TRANSEUNTIA adpellantur (*).

Imperium ſe exſerit per jura majeſtatis. Ea quid? & quotuplicia?

(*) Omnia haec turbarunt prudentes noſtri, qui, poſtquam ad jus publicum animum adpulerant, id ſibi negotii crediderunt ſolum dari, ut, tamquam coqui Plautini, diverſiſſima jura miſcerent. Quum enim *II. Feud.* 56. de JURIBUS REGALIBUS, quae cum feudis conjuncta eſſe ſolent, quaedam legerent: eadem illa eſſe exiſtimarunt cum majeſtatis juribus; quum tamen multum interſit, utrum regalia quis, tamquam vaſallus, *dependenter*, uti vocant; an jura majeſtatis, tanquam ſummus imperans, *independenter* exerceat. Deinde, quum eo juris feudalis loco non omnia jura, quae alias ab imperantibus exercentur, recenſeantur: crediderunt doctores, ibi tantum agi de juribus, quae ſalva majeſtate communicari cum vaſallis poſſint, atque hinc ea vocarunt REGALIA MINORA, quibus MAJORA, id eſt, uti illis viſum, incommunicabilia oppoſuerunt. Ita adhuc plerique ſubduxerunt rationes, quos ſolite refellit celeberrimus Thomaſ. *ad Huberi de jure civ. I, 3, 6, 3. p. 91. ſequ.* Quum ergo hic non ſit quaeſtio de jure clientelari, ſed publico univerſali, ſeu gentium: ſatius viſum eſt, cavere ab illa confuſione JURIUM MAJESTATIS & REGALIUM, & naturam jurium majeſtatis eorumque diverſa genera potius ex reipublicae vel ſocietatis civilis indole, id eſt, ex ipſo fonte, quam ex Henningii Arniſaei, Regn. Sixtini, aliorumque ejuſdem commatis, auctorum, lacunis derivare.

Quaenam ſint immanentia? §. CXXXVI. Si ergo INTERNA SECURITAS in eo conſiſtit, ut cives a civibus ſecuri praeſtentur: (§. CXXXV.) neceſſe ſane eſt, 32. ut cum ſummo imperio conjuncta ſint jura LEGES FERENDI, 33. eademque ad facta adplicandi, quam SUPREMAM JURISDICTIONEM vocare licebit, nec non jus 34. iis, qui quid contra leges admiſerunt, malum aliquod repraeſentandi, vel POENAS infligendi, 35. TRIBUTA & VECTIGALIA pro reipublicae neceſſitate EXIGENDI, 36. ADMINISTROS & MAGISTRATUS CONSTITUENDI, denique 37. circa ſacra aeque ac 38. COMMERCIA aliaque, quae ad decus civitatis pertinent, operam dandi, ne quid reſp. detrimenti capiat.

Quaenam tranſeuntia? §. CXXXVII. Quumque & EXTERNAM SECURITATEM ab hoſtium vi & armis intendant ii, qui in communem coaluerunt rempublicam: (§. CXXXV.) conſequens eſt, 39. ut a ſummo imperio ſejungi non poſſit jus FOEDERA percutiendi, 40. LEGATOS mittendi, 41. BELLUM gerendi, 42. faciendi PACEM, quippe ſine quibus fieri non poſſet, ut ſalva ſit civitas. Niſi enim foedera pangendi jus haberet: impar ſaepe eſſet reſpublica impotentior potentiori. Si legatos mittendi facultas denegaretur: foedera non pangerentur. Si belli paciſque jus ceſſaret: non ullum eſſet medium vim vi repellendi, adeoque nec obtineri poſſet finis, qui in ſecuritate conſiſtit.

An dividua ac communicabilia? §. CXXXVIII. Haec vero jura majeſtatis, quum ex ſummi imperii indole manifeſto fluant, 43. ab illo divelli nequeunt, ut non ſtatim unitas voluntatis tollatur, & naſcatur reſpublica in republica. (§. CXXI. *) At, quum tamen ſaepe ita miſceantur vel omnes, vel plures rerumpublicarum formae, ut una veluti alteram in officio contineat: (§. CXVIII, 66.) contingere poteſt, 44. ut vel omnia, vel pleraque majeſtatis jura non ab una peſona unove collegio, ſed communiter a pluribus, vel ab univerſo populo exerceantur, & tunc 45. opus ſit comitiis, in quibus ſummus imperans de communi ordinum ſententia haec jura exerceat (*).

(*) Exemplo eſſe poteſt florentiſſimum Britanniae regnum, in quo, ſalvis potentiſſimo Regi praerogativis circa bellum & pacem, nec leges novae feruntur, nec tributa & onera nova indicuntur, nec alia, quae ad totius regni decus ac ſalutem pertinent, ſtatuuntur, niſi in regni comitiis, quae ibi *Parliamentum* vocant. Ita & in Germania nihil, quod ad univerſum imperium pertinet, niſi de communi Imperatoris, Electorum, Principum ac Ordinum ſententia decerni, idemque fere in Polonia, & hodie in Suecia obſervari, ſalvis tamen auguſtiſſimo Imperatori regibuſque potentiſſimis praerogativis, quae in Germania *reſervata* adpellantur, in vulgus notum eſt. Immo in ipſis ſpecialibus Germanici imperii rebuſpublicis ſimile quid obſervavit Hert. *de legib. conſultat. & judic. in ſpecial. Imp. Rom. Germ. rebuſpubl.*

§. CXXXIX.

Imperium adquiritur, vel per electionem vel per ſucceſſionem.

§. CXXXIX. Ceterum, quia & forma reipublicae initio totius populi conſenſu, conſtituta, & ipſae perſonae imperantes ab eodem populo electae, iiſque certae leges fundamentales praeſcriptae ſunt: (§. CXI. ſequ.) facile patet, 46. neminem adquirere ſibi imperium poſſe in republica, niſi volente populo, & ſecundum fundamentales reipublicae leges. Secundum eas vero 47. aut ELECTITIA eſſe imperia, aut 48. SUCCESSIVA, 49. eamque diviſionem non modo ad *monarchias*, ſed & ad *ariſtocratias* & quodammodo ad *democratias* pertinere (*).

(*) Sic quando intra paucas familias ita veluti concluſum eſt imperium, ut illis ſolis, qui ex illis prognati ſunt, jure ſanguinis competat jus in ſenatu dicendae ſententiae: ARISTOCRATIA illa procul dubio eſt ſucceſſiva. Quales ariſtocratias hodie fere Venetiis, Januae, Epidauri, Noribergae, florere obſervavit Hert. *Elem. polit. I.*, 10, 16. *p.* 212. *ſequ.* Contra, ſicubi optimates vel a populo cum plena poteſtate eliguntur, vel ab ipſo collegio cooptantur, ELECTITIA erit ariſtocratia. Vid. Huber. *de jure civit. I*, 8, 1, 17. *p.* 292. Sic & ſi in qua DEMOCRATIA non aliis jus ſuffragii daretur, quam civibus ORIGINARIIS: illa quodammodo ſucceſſiva eſſet; ſin & *adſcititiis*, ELECTITIAE ſimilis.

Quid juſtum circa electionem imperantis?

§. CXL. Imperium ELECTITIUM eſt, quando populus, incidente interregno, ſibi imperantem creat, & in eum conſentientem confert imperium. Quumque populus jus illud eligendi vel ipſe in comitiis exercere, vel certis perſonis in perpetuum dare poſſit: conſequens eſt, 50. ut is, qui ab illis, quibus eligendi jus eſt, pluribus ſuffragiis eligitur, pro legitimo imperante ſit habendus (*), dummodo 51. oblatum ſibi imperium accipiat, & 52. ſecundum leges fundamentales habilis ſit ad regendam rempublicam, quin & 53. ipſa electio eo ritu ac ordine facta ſit, quem leges publicae vel mores civitatis ac reipublicae exigunt.

(*) Itaque vix legitimos dixerit principes, qui per ſeditionem a turba, vel ab exercitu, cui eligendi jus non eſt, ad imperium ſunt evecti. Quod poſtremum rempublicam Romanam ſaepenumero tantum non peſſumdediſſe, vel exempla Othonis, Vitellii, Veſpaſiani, nec non Peſcennii Nigri, Clodii Albini, & Septimii Severi docent. Hinc Plutarchus *in Galba p.* 1053. loquutus de tempore, quo, ut ait Tacit. *Hiſt. I*, 4. *evulgatum fuerit imperii arcanum, poſſe principem alibi, quam Romae, fieri*, quaſſatam, inquit, convulſamque tunc eſſe rempublicam Romanam, quaſi fabuloſis Titanum motibus (τοῖς λεγομένοις Τιτανικοῖς πάθεσι καὶ κινήμασι,) quum eodem paene tempore hinc inde transferretur principatus ex avaritia & licentia militum, qui largitione & praemiis corrupti imperatores imperatoribus, tamquam clavum clavo pepulerint. Vid. Petri Cunaei *Orat. IX. p.* 188. Adeo multum intereſt reipublicae, in qua electitium eſt imperium, perſonas eligentes, eligendaſque, & ipſum modum formamque eligendi certis legibus ita definire, ne ſimilia Titanicis illis motibus contingant.

§. CXLI.

Quid interregnum in republica electitia?

§. CXLI. Ex qua imperii electitii definitione (§. CXL.) porro patet, 54. in hujuſmodi imperio toties incidere INTERREGNUM, id eſt, ſtatum civitatis, a ſummo imperante ordinario deſtitutae, quoties ſummus imperans vel moritur, vel ipſe ſeſe abdicat, vel a populo illi abrogatur imperium, 55. niſi populus, vivo ac volente imperante, alium elegerit, ipſi ſucceſſurum. 56. Deſignatum illum ſucceſſorem nihil juris habere vivo imperante, niſi quantum, volente illo, ei detulerit populus, vel 57. quantum ipſe ei delegare velit imperans, ſive abſens, ſive alia juſta cauſſa impeditus, quo minus ipſe praeſit reipublicae (*).

(*) Quum enim aliud ſit, imperanti abrogare imperium, aliud, eidem ſucceſſorem deſignare: fieri non poteſt, ut ſucceſſori deferatur facultas imperium reipſa capeſſendi, quin ſimul abrogatum eidem imperium videatur. Hinc animadvertimus regibus Romanorum, quos, vivo Imperatore, aliquando eligunt Germani, nihil poteſtatis reipſa dari, niſi Imperatores abſentes iis aliquam delegent, quod Carolum V. aliquando feciſſe, novimus. Similis paene eſt *coadjutorum*, quos vocant, conditio, quibus, vivis epiſcopis ac praelatis, nihil omnino poteſtatis competit, ſed certum tantum tribuitur jus ſuccedendi, ſi ſedem vacare, uti loquuntur, contigerit, ut adeo coadjutorum nomen ſine omine ferant. Illuſtr. Boehmer. *Jur. eccleſ. proteſt. III, 6, 23.*

An tempore interregni adhuc ſuperſit reſpublica?

§. CXLII. Quum vero hoc interregnum ſit ſtatus civitatis, a ſummo imperante ordinario deſtitutae, (§. CXLI, 54.) nec tamen populus tunc ceſſare velit rempublicam, dum de novo eligendo principe conſultat: conſequens eſt, 58. ut interea reipublicae praeeſſe debeant magiſtratus extraordinarii, quocumque nomine veniant, iique 59. vel nova electione, ordinum ſuffragiis, conſtituendi, vel, 60. quod conſultius eſt, in anteceſſum lege publica deſignandi, 61. quorum tamen ceſſare oportere poteſtatem, novo imperante electo, facile unuſquiſque intelligit. Quum vero hi imperantium vice fungantur ad tempus: mirum omnino eſt, 62. diſputare viros doctos, an tempore regni vera ſuperſit civitas vel reſpublica? quaeque illi forma adſignanda ſit (*)?

(*) Puſendorff. *de jure nat. & gent. VII, 7, 7.* de hoc ſtatu ita philoſophatur: Quia per poſterius pactum, regem inter & cives initum, interna civitatis perfectio & ſummum imperium actu provenit: inde, ſubjecto proprio imperii ſublato, ad imperfectam formam regnum delabi, ſic, ut primigenio tantum pacto cohaereat, de quo ſupra pluribus dictum. (§. CX.) Illi tamen pacto tempore interregni non parum firmitatis addere vocabulum communis patriae, ſimulque quod plurimorum fortunae iſti loco ſint adnexae. Itaque interregni tempore regnum recte quidem cum Livio I, 17. vocari poſſe *civitatem ſine imperio, & quaſi exercitum ſine duce*: imperium tamen, quod & a Grotio *de jure belli & pac. I, 3, 7.* obſervatur, redire ad univerſum populum, adeoque formam quamdam democratiae prae ſe ferre. Ita Puſendorffius,

ſius, quem in pleriſque & Hertius ſequitur *Elem. prud. civ. I, 12, 14.* & Houtuyn. *Polit. gener.* §. *C. n. VI. ſequ.* Enimvero, quum plerumque vel in anteceſſum deſignatus ſit interrex, vel aliquis, vel plures, communi ordinum ſuffragio eligantur, qui ad tempus eadem cum poteſtate, immo & aliquando multo majore, praeſint reip. quam ipſe imperans, juraque majeſtatis ſaltim ea, quae circa res moram non ferentes verſantur, exerceant: vix excogitari poteſt ratio, cur non perfecta dici poſſit haec, licet temporaria, reipublicae conſtitutio, & monarchica quidem, ſi uni, dyarchica, ſi duobus, ariſtocratica, ſi pluribus, tamquam principibus intercalaribus, reipublicae cura demandetur.

§. CXLIII. SUCCESSIVUM imperium eſt, quando populi decreto electa eſt familia quaedam regnatrix, ut ex ea perſona aliqua ſemper praeſit imperio, quamdiu ex poſteris aliqua ſupereſt, quae per leges publicas praeeſſe poſſit. Quale imperium ſi conſtituere placuit: aut certum ſuccedendi modum definivit populus, aut nihil ea de re diſpoſuit. Poſteriore caſu 63. omnino praeſumitur, eum jus commune de ſucceſſionibus ab inteſtato probaſſe. At, quia tamen nec tanta prudentiae praeſumtio cadit in feminas, quanta in maſculos, (§. XLV. *) & praeterea facile contingere poſſet, ut per feminas regnum, veluti dotale, ad extraneos perveniret: hinc ſane 64. feminae non niſi in ſubſidium, & deficientibus demum maſculis, ad ſucceſſionem vocandas patet (*). Denique, quum & unitas voluntatis ſit veluti vita & anima reipublicae, (§. CXV, 50.) ea vero ſperari non poſſit, ſi duo pluresve regnum monarchicum vel pro indiviſo adminiſtrent, vel illud inter ſe partiantur: conſequens eſt, 65. ut e pluribus, regi ultimo aeque propinquis, primogenitus vel primogenita praerogativa jure meritoque donetur. (Lib. I. §. CCXCVII. *) Succeſſio qualis in regnis, ubi populus nihil in ſpecie diſpoſuit?

(*) Sunt, qui feminas ad imperia plane ineptas atque inhabiles exiſtimant, veluti Jo. Bodinus, ſed ex juris tantum Romani principiis, quae non ſtringunt gentes liberas. Et ſane quum in ipſa Hebraeorum theocratia judicis officio cum laude functa ſit Debora, & omnium fere gentium annales celebrent reginas, quae ſibi immortalem gloriam prudentia regnandi rerumque geſtarum magnitudine pepererunt: quis feminas indignas habeat imperio? Attamen, quum natura ut plurimum maſculos prae feminis quadam praerogativa donarit: non abſurdum eſt, exiſtimare, has tantum in ſubſidium eſſe ad ſucceſſionem vocandas. Ariſtotel. *Polit. I, 8.* τό τε γὰρ ἄῤῥεν φύσει τοῦ θήλεος ἡγεμονικώτερον, εἰ μή που συνέστηκε παρὰ φύσιν. *Mas enim natura magis aptus eſt ad regnandum, quam femina, niſi in hac aliquid praeter naturam extiterit.*

§. CXLIV. Ubi populus de ſucceſſionis ordine diſpoſuit, facile patet, 66. ſtandum eſſe populi voluntati. (§. CXII, 39.) Et hinc 67. ſive Francicam, quae feminas excludit, 68. ſive CASTELLANAM, quae eaſdem admittit in ſubſidium, praeferat: 69. ſive li- Qualis ibi, ubi populus diſpoſuit?

neae, ſive 70. gradus propioris habere malit rationem: ſive denique 71. extraordinariam plane & inſolitam ſuccedendi rationem lege publica firmet (*): rata erit populi voluntas, & ſacroſancta habebitur lex illa fundamentalis & publica. Ex quo porro colligimus, 72. poſſe etiam populum imperanti poteſtatem facere, ſucceſſorem, quem velit, ſibi deſignandi, nec non, 73. gliſcentibus de jure ſuccedendi litibus, partes ſuas interponere: quamvis experientia doceat, de cauſſa tam ardua plerumque, ut verbis Ennii utamur, non in jure manum conſeri, ſed mage ferro rem agi.

(*) Exempla quam plurima jam attulit Pufend. *de jure nat. & gent. VII*, 7. 14. Modus tamen maxime regularis eſt linealis, ut patri ſuccedat primogenitus, ejuſque poſteri primogeniti, quoad aliquis ex illa linea ſuperſit. Hinc, exſtincta linea regnatrice, admittatur ex proxima primogenitus, & ſic porro, quamdiu aliquis ex primi adquirentis poſteris ſupereſt. Quaeſitum etiam olim novimus, utrum is, qui primus liberorum, ſed ante regnum natus eſt, an is, qui, jam regnante patre, in lucem prodiit, primogeniturae juribus gaudere debeat? Sed quum in primogenitura tantum ordinis natalium habeatur ratio, nulla ratio eſt, cur frater natu minor ideo excludere debeat natu majorem, quod illum, vagientem in purpureis incunabulis, aula audiverit.

Interregnum ordinarium & extraordinarium.

§. CXLV. Itaque per electionem tantum perſona electa; (§. CXL.) ex jure SUCCESSIONIS tota familia regnatrix jus regnandi conſequitur. (§. CXLIII.) Quumque adeo prius jus cum perſona exſpiret, poſterius tamdiu duret, quamdiu durat regnatrix familia: conſequens eſt, 74. ut, exſtincta perſona electa, INTERREGNUM ORDINARIUM; 75. exſtincta familia regnatrice, EXTRAORDINARIUM (*) incidat, & tunc 76. in arbitrio populi ſit, cui genti hoc decus de novo conferre, & 77. utrum illam iiſdem legibus, imperio praeficere, an arctioribus limitibus ſuccedendi ordinem, ipſamque imperantium poteſtatem, circumſcribere malit.

(*) Tale incidiſſe ferebant Franci poſt annum DCCCCLXXXVII. mortuis Lothario & Ludovico, Carolingicae ſtirpis regibus. Hinc teſte Glabro Radulpho *Hiſt. II*, 1. *convenientes totius regni primates* Hugonem, Ducem Pariſienſem, *in regem ungi fecerunt*. Add. Aimon. *de geſt. Franc. V*, 44. Sed & Ruſſi, exſtincta Joannis Baſilidis prole, & principibus quibuſdam tragicis, Boriſio Gudenovio, Theodoro, Boriſii filio, Demetriis falſis, & Joanne Zuſkio, miſere pereuntibus, electione quoque Uladiſlai Poloni male cedente, novam elegerunt domum regnatricem Michaëlis, Theodori, patriarchae, filii, ex qua poſtea ad noſtra uſque tempora Alexius, Joannes, Petri duo & Anna, vaſtiſſimo illi imperio praefuerunt. Quod enim ad Catharinam imperatricem attinet, eam non ſucceſſionis jure, ſed extremo mariti, Petri I. judicio ad illud faſtigium evectam eſſe, nemo ignorat.

Quomodo vi ad-

§. CXLVI. Tales ſunt imperium adquirendi modi, quoties ipſe ſibi populus imperantes conſtituit. Saepe enim vi & armis ſibi aliquis

quis viam munit ad imperium. Quo caſu 78. populus devictus, licet coactus, tamen in novum illud imperium procul dubio conſentit: (§. XVI, 45.) ac, 79. ſive victor ſe eadem lege, qua antea principes uſi ſunt, imperium ſuſcepturum, polliceatur, ſive 80. novas ſibi ac ſucceſſoribus conditiones & plus poteſtatis ſtipuletur, ſive 81. quaedam, quae ſibi priores principes adrogarunt, victis remittat, id poſteris pro lege eſſe oportet (*). quiratur imperium?

(*) Hinc recte Grotius *de jure belli & pac. III, 8, 1, 3. Poteſt*, inquit, *imperium victori adquiri, vel tantum, ut eſt in rege vel alio imperante, & tunc in ejus tantum jus ſucceditur, non ultra: vel etiam ut in populo eſt, quo victor imperium habet ita, ut & alienare poſſit, ſicut & populus poterat.* Poſtremum tamen, quod de alienatione addit, paullo accuratiorem meretur inſpectionem. Nos dicimus, aut victorem cum rege tantum debellaſſe, aut cum ipſo populo. Si prius: eum in jura victi principis ſuccedere, nihilque mutare debere circa formam imperii, quemadmodum e. g. Guilielmus Arauſionenſis, uxoris nomine bello cum Jacobo confecto, nihil circa formam regni Britannici mutavit. Sin poſterius: eumdem ſuo jure tranſigere cum populo perdomito, adeoque in ejus arbitrio eſſe, velitne civitatem in provinciae formam redigere, quod Romani plerumque faciebant, an ei durioris imponere jugum, an clementiae edere ſpecimen, & quaedam iis remittere malit. Sic Alexander, clementiſſimus initio victor, Sidoniorum occupato regno, nihil mutavit circa imperii formam, illud Abdolonymo reſtituiſſe contentus. Curt. IV, 1. Turcae contra perdomito a ſe imperio Byzantino, jure victoriae multo duriorem conditionem impoſuerunt, idem ſentientes, quod apud Caeſarem *de bello Gall. I, 36.* Arioviſtus, *jus eſſe belli, ut, qui viciſſent, iis, quos viciſſent, quemadmodum vellent, imperarent.* Denique Ageſilaus, teſte Xenophonte de *Ageſilao Rege* Cap. I. §. 22. *quaſcumque civitates in poteſtatem ſuam redigebat, iis adimebat ea,* ὅσα δοῦλοι δεσπόταις ὑπηρετοῦσι, *quae ſervi dominis praeſtant,* προσέταττεν, ὅσα ἐλεύθεροι ἄρχουσι πείθονται· *eaque tantum imperabat, in quibus homines liberi magiſtratibus parent.* Sed id quidem hodie rariſſime fiet, multoque rarius id, quod de temporibus ante Ninum refert Juſtin. *Hiſt. I, 1.* eos, qui bella geſſerint, *non imperium ſibi, ſed gloriam, quaeſiſſe, & contentos victoria abſtinuiſſe imperio.*

§. CXLVII. Quae quum ita ſint, omnes utique modi adquirendi imperium a populi conſenſu, ſive ultroneo, ſive vi, eaque vel juſta, vel injuſta, extorto, pendent. Ex eoque recte colligere nobis videmur, 82. non adeo firmo talo ſtare diſtinctionem inter imperia PATRIMONIALIA & USUFRUCTUARIA. Quamvis enim eam primus invenerit Grotius *de jure belli & pac. II, 6, 3. & I, 3, 12.* eumque deinde magno agmine ſequuti ſint viri docti: tot tamen difficultatibus tota illa doctrina premitur, ut, quae imperia ſint patrimonialia, quae uſufructuaria, ſciamus juxta cum ignariſſimis. Vid. Thomaſ. *ad Huber. de jure civit. I, 3, 2, 15. pag. 69. ſequ.* Diviſio regnorum in patrimonialia & uſufructuaria.

§. CXLVIII. Nimirum Grotius exiſtimat, quaedam regna ita eſſe in imperantium dominio, ut inter vivos, & mortis cauſſa, libe- An recte ſe habeat haec diviſio?

libere poſſint alienari: eaque ille PATRIMONIALIA vocat. Quaedam contra ita eſſe comparata ſtatuit, ut illa alienandi facultas ademta ſit imperantibus, quae ipſe USUFRUCTUARIA vocat, quamvis Thomaſius *Juriſprud. div. III*, 6, 135. ea commodius FIDEICOMMISSARIA dici poſſe, moneat. Sed quum I. res, quae in patrimonio alicujus eſt, non amplius ſit communis, (Lib. I. §. CCXXXV.) adeoque nec publica, quippe quae communionem, ſaltim poſitivam, ponit: (Lib. I. §. CCXXXVII, 13.) facile patet, regnum deſinere eſſe rempublicam, & in familiam degenerare, (§. XC.) ſi ſit in unius dominio vel patrimonio. Praeterea II. quum omnes civitates non imperantis, ſed ſecuritatis communis cauſſa ſint conſtitutae: (§. CVI, 17.) ex hac quoque cauſſa regnum non poteſt eſſe patrimoniale, ut non ſtatim deſinat eſſe reſpublica. Vid. perilluſtris hujus provinciae praeſidis, Jo. Gothofredi de Cocceiis, *diſſertatio de teſtamentis principum Part. II. §. XVI. ſequ.*

(*) Itaque verè contradictionem involvit regnum patrimoniale, quia regnum ſpecies reipublicae: (§. CXVI.) regnum vero patrimoniale res privata eſt. At praeterea plerumque in circulum abit illa tot virorum doctiſſimorum ſuffragio probata doctrina de regnis PATRIMONIALIBUS & USUFRUCTUARIIS. Si enim quaeras, an princeps quidam gaudeat facultate alienandi imperium, nec ne? reſpondent, permultum intereſſe, ſitne regnum *patrimoniale*, an *uſufructuarium*. At, ſi porro inſtes, rogeſque, quid ſit *regnum patrimoniale*, quid *uſufructuarium?* per illud ſe intelligere, quod alienari poſſit, per hoc, quod non poſſit, reſpondent. Criterium vero certum, unde conſtet, quaenam regna in patrimonio ſint, quae non ſint, adhuc deſideramus. Nam & deſpotica, & bello adquiſita, inalienabilia eſſe, nihil vetat, ceu recte obſervat Huber. *de jure civ. I*, 3, 2, 18.

Regni alienatio, nisi conſentiente populo, illicita.

§. CXLIX. Ex quo recte colligere nobis videmur, 83. non poſſe ullum imperantem regnum vendere, 84. donare, 85. permutare, 86. dividere, 87. teſtamento alicui legare, vel 88. aliis modis, quibus alias de patrimonio ſuo inter vivos & mortis cauſſa diſponere ſolent homines, in alios transferre, 89. niſi vel conſentiat populus, vel 90. hic eam de regno diſponendi illudque alienandi facultatem in regem vel principem diſerte tranſtulerit (*).

(*) Neque obſtant exempla, quae ex omnis aevi hiſtoria magno numero adcumularunt Grotius, Puſendorffius, & alii. Jam enim alios regna diviſiſſe, jam teſtamentis eadem in alios tranſtuliſſe, legimus. Praeterquam enim, quod non exemplis, ſed rectae rationis principiis, aeſtimanda eſt harum alienationum juſtitia: recte jam reſpondit perilluſtris Baro de Cocceiis *de teſtam. princ. Part. II. §. XVII. Vel effectum non habuere illae alienationes: vel cum conſenſu populi, ſive tacito, ſive expreſſo, factae ſunt: vel etiam vis praevaluit.*

CAP.

Cap. VIII.

DE JURIBUS MAJESTATIS IMMANENTIBUS, QUIDQUE CIRCA EA JUSTUM SIT.

§. CL.

Jura majestatis immanentia ſunt jura, cum ſummo imperio inſeparabili nexu conjuncta, & ſine quibus cives a civibus ſecuri praeſtari non poſſent. (§. CXXXVI.) Quum ergo illa ſecuritas in eo conſiſtat, ut nemo ab altero cive laedatur, ſuumque cuique tribuatur, quod jure perfecto poteſt exigi: conſequens eſt, 1. ut ea praecipue poſita ſit in justitia externa, per quam intelligimus conformationem actionum externarum cum lege (*), adeoque 2. non male ratiocinentur ii, qui, civitates etiam juſtitiae fruendae cauſſa conſtitutas eſſe, contendunt, *ut data legibus vi, judiciis auctoritate, cultus agris, ſacris honos, ſecuritas hominibus, certa rerum ſuarum poſſeſſio cuique conſtaret:* Vellei. Pat. *Hiſt. II,* 80. ac proinde 3. actum eſſe aiunt de republica, ex qua exſulat juſtitia, qua civitates continentur. Ariſtot. *Polit. I,* 2.

Securitas interna in juſtitia externa poſita eſt.

(*) Quamvis enim nemo non faſſurus ſit, multo praeſtantiorem eſſe justitiam internam, quae in conſtante ac perpetua laedendi neminem, ſuumque cuique tribuendi, voluntate conſiſtit: eam tamen in tot hominibus, qui in eamdem civitatem coaleſcunt, optandam magis, quam ſperandam, eſſe, facile eſt ad intelligendum. Suffecerit itaque, legibus ita in officio contineri homines, ut actiones externas ad legum normam componant, & nec alteri denegent quidquam, quod jure perfecto poſſint exigere, nec aegre cuiquam faciant contra jus & aequum. Attamen nihil reliqui facere decet bonos imperantes, ut & internam juſtitiam accurata civium inſtitutione ac diſciplina promotum eant. Iſocrat. *in Areopagit. pag.* 27. Δεῖ δὲ τοὺς ἐυπολιτευμένους οὐ τὰς στοὰς ἐμπιπλάναι γραμμάτων, ἀλλ' ἐν ταῖς ψυχαῖς ἔχειν τὸ δίκαιον· Οὐ γὰρ τοῖς ψηφίσμασιν, ἀλλὰ τοῖς ἤθεσι, καλῶς οἰκεῖσθαι τὰς πόλεις, καὶ τοὺς μὲν κακῶς τετραμμένους καὶ τοὺς ἀκριβῶς τῶν νόμων ἀναγεγραμμένους τολμήσειν παραβαίνειν· τοὺς δ' ἀσφαλῶς πεπαιδευμένους καὶ τοῖς καλῶς κειμένοις ἐθελήσειν ἐμμένειν. *Decere prudentes magiſtratus, non porticus implere legibus, ſed efficere, ut cives animis inſitum habeant juſtitiae ſtudium. Non enim ſenatuſconſulta & plebiſcita, ſed praeclara inſtituta felicem efficere civitatem. Nam homines male inſtitutos leges etiam exquiſitiſſimas negligere audere: recte autem educatos demum bonis legibus obtemperare velle.*

Hinc imperantibus competit jus ferendi leges.

§. CLI. Quumque juſtitia externa, ad internam civium ſecuritatem comparata, in conformatione actionum externarum cum lege conſiſtat: (§. CL, 1.) conſequens eſt, 4. ut ad officium ſummorum imperantium pertineat, bonis LEGIBUS armare rempublicam, adeoque 5. illis non poſſit non competere JUS vel POTESTAS LEGES FERENDI, 6. earumdem ſuſcipiendi cuſtodiam, 7. quin & eas attemperandi fini, formae, utilitatique reipublicae (*), adeoque 8. aliquid iis adſtruendi, demendive, quin & capita quaedam vel plane abrogandi, vel ſaltim mutandi, prout id e republica futurum eſſe, animadvertunt: quod jureconſultis Romanis, formae reipublicae ſuae ſtilum adcommodantibus, eſt ROGARE, OBROGARE, DEROGARE, ABROGARE, SURROGARE. Ulpian. *Fragm. 1, 3.*

(*) Quia enim in eo poſitum eſt juris naturalis ac civilis diſcrimen, quod illud ad actiones natura bonas malaſque internas ac externas; hoc ad indifferentes atque externas, quatenus ſaluti populi cujuſque vel reipublicae attemperandae ſunt, pertinet: (Lib. I. §. XVIII, 36.) fieri non poteſt, ut uniformes ſint omnium gentium civitatumque leges. Et hinc judicatu difficillimum eſt, quaenam diverſarum gentium leges civiles ſint reliquis praeferendae, & recte potius Herodotus *apud Stobaeum Serm. XXI. pag.* 180. *Εἴ τις προθείη πᾶσιν ἀνθρώποισιν ἐκλέξασθαι κελεύων νόμους τοὺς καλλίστους, ἐκ τῶν πάντων νόμων διασκεψάμενοι ἀναλόιατο ἕκαστος τοὺς ἑαυτῶν· οὕτω νομίζουσι πολύτιμῳ καλλίστους τοὺς ἑαυτῶν νόμους ἕκαστοι εἶναι. Si quis omne genus legum proponeret hominibus, & optimas ſibi, conſideratis omnibus, deligere juberet: ſinguli ſuas recepturi eſſent. Ita quilibet, omnium longe praeſtantiſſimas ſuas eſſe leges, exiſtimat.* Quae enim leges optimae ſunt uni genti pro ſuo fine, ſuaque reipublicae forma: eae alteri parum commodae eſſent futurae, & uni reip. noxiae, alteri eſſe poſſent utiliſſimae.

Quid lex civilis, & quod ejus objectum ſit?

§. CLII. Nimirum, quum unum in republica intellectum, unamque voluntatem eſſe oporteat, (§. CXV, 50.) tunc demum vero unus intellectus unaque voluntas ſit, ſi omnes eumdem finem eademque media perſpiciant, ad eaque actiones ſuas referant, quod tamen pro ingenii humani indole aliter quam voluntatibus omnium imperantium voluntati ſubmiſſis conſequi non licet: (§. CXV. (*). ſequitur, 9. ut imperantem oporteat oſtendere, ad quid ſuas actiones externas, alioquin indifferentes, referre, & ad quam normam eas componere debeant. Quod quum fiat praeſcriptis legibus civilibus: facile patet, 10. LEGES CIVILES eſſe praecepta generalia ſummi imperantis de actionibus externis indifferentibus, ad decus utilitatemque reipublicae componendis, adeoque 11. poteſtatem illam legiſlatoriam ſe eo uſque non extendere, ut leges divinas evertere poſſit. (Lib. I. §. XVII, 33.)

Quid imperanti liceat circa leges divinas.

§. CLIII. Dicimus, leges civiles verſari in actionibus civium externis ac indifferentibus ad decus utilitatemque reipublicae attemperandis, (§. CLII, 10.) Quamvis enim ſaepe ipſa neceſſitas jubeat,

jubeat, imperantem 12. leges divinas, tum naturales, tum poſitivas, repetere, 13. eaſque extendere (*), 14. interpretari, 15. contra illas laeſis actiones & remedia civilia dare, immo & 16. poenas & ſupplicia comminari illis, qui leges, ab ipſo Deo immortali profectas, tam proterve violare auſi fuerint: res ipſa tamen docet, 17. tunc non ipſas has leges ſummo imperanti debere originem, ſed hunc, 18. veluti cuſtodem divinarum legum, dare operam, ut ſancta ſit earum in republica auctoritas.

(*) Equidem legi divinae & addi & detrahi quidquam vetuit ipſum ſummum Numen. *Deut. IV*, 2. Sed prius intelligendum procul dubio de laciniis legi divinae contrariis, vel de ἐθελοθρησκείᾳ, ad quam maxime proclivia erant Hebraeorum ingenia. Id vero non impedit, quo minus imperans prohibitionem divinam poſſit ulterius ad caſus, lege non expreſſos, proferre, ut veluti eo major cuſtodia circumponatur legi divinae. Solent id Hebraeorum magiſtri vocare סייג לתורה *ſepimentum legis*, quo longius arceantur homines, legem violaturi, & ipſi veluti primi aditus occludantur. De hoc legis ſepimento vid. Schickard. *jur. reg. Cap. V. theor. XVIII. p.* 391. & ibi Carpz. *in Notis* Jo. Selden. *de uxor. Hebr.* I, 2.

Legis partes.

§. CLIV. Quum vero leges civiles ſint praecepta ſummi imperantis de civium actionibus externis indifferentibus, ad decus utilitatemque reipublicae attemperandis, (§. CLII, 10.) tale vero ſit hominum ingenium, ut ſola obligatione interna parum moveatur: (Lib. I. §. VIII.) quin leges civiles, quae ad actiones indifferentes pertinent, ne poſſint quidem internam obligationem producere: (Lib. I. §. VII.) conſequens eſt, 19. ut omnes leges civiles ſanctione quadam poenali munitas eſſe oporteat, adeoque 20. duae ſint legis perfectae partes, PRAECEPTUM & SANCTIO poenalis: 21. praemia autem legi parentibus a republica non deberi, niſi aliquid non omnibus promiſcue civibus praecipiatur, ſed quidam eorum lege excitentur ad aliquid, publico bono, extra ordinem faciendum (*).

(*) Eſt hoc obſervandum contra Rich. Cumberlandum *de leg. nat. proleg. Cap. XIV. & Cap. V.* §. *XL.* ubi praemiorum promiſſionem non minus ad integritatem legis pertinere, ſtatuit, quam comminationem poenae. At legiſlator non debet praemia iis, qui faciunt, quod ſine crimine omittere non poſſent, ſed iis, qui quid extra ordinem faciunt reipublicae bono. (Lib. I. §. XCIX. *) Hinc fruſtra exſpectaret praemia, qui non occidit, adulterium non admittit, non furatur, quum id facientem poena potius maneret. At jure exigit praemium, qui a legiſlatore, praemiis propoſitis, excitatus, commeatum navibus advexit, qui ſuis impenſis novas fabricas armorum inſtituit, vel ſimile quid, ad quod non omnes & ſinguli tenentur, fecit. Ceterum inde inſignis Dei clementia elucet, quod, quum ſuo jure uti, hominibuſque, legem ſuam tranſgreſſis, poenam tantum minari potuiſſet, tamen & praemia polliceatur obtemperantibus, & quidem in mille generationes duratura. *Exod. XX*, 6.

Quotuplex ſanctio illa poenalis?

§. CLV. Quandoquidem porro per poenam intelligimus effectum malum actionis legi repugnantis: (Lib. I. §. XCIX, 7.) 22. ille effectus malus conſiſtere poteſt non modo in malo quodam paſſionis, quod vitam, ſenſum, exiſtimationem, fortunaſque hominis, adficit, verum etiam 23. in nullitate actus, contra leges ſuſcepti, immo & 24. in utroque: qualem legem, quae & actum contrarium irritum pronunciat, & transgreſſori legis malum aliquod paſſionis irrogat, jureconſulti Romani ſolam PERFECTAM: 25. reliquas modo IMPERFECTAS, modo MINUS, QUAM PERFECTAS, adpellabant. Ulpian. *Fragm. I*, 1. Quum porro factum illicitum aliud determinatum, aliud indeterminatum, & ob inſignem circumſtantiarum varietatem diverſum eſſe poſſit: (Lib. I. §. C, 9.) conſequens eſt, 26. ut poena vel DEFINITA eſſe poſſit, vel INDEFINITA, ſeu ARBITRARIA.

Imperanti competit etiam poteſtas judiciaria?

§. CLVI. Quum vero fruſtraneae futurae eſſent leges, niſi adplicarentur factis, id eſt, niſi inquiratur, imputandumne homini ſit factum, nec ne; (Lib. I. §. XCV.) conſequens eſt, 27. ut in republica eſſe aliquem oporteat, quem penes ſit cognitio de imputatione actionum. Et, quia haec cognitio nihil aliud eſt, quam judicium de aliorum actionibus: (Lib. I. §. XCVII, 3.) facile patet, 28. neceſſariam omnino in republica eſſe POTESTATEM JUDICIARIAM. Denique, quia inter aequales nec magiſtratus, nec poena intelligitur: (§. VI, 11. ſequ.) 29. haec poteſtas in republica competere non poteſt, niſi ſuperiori, id eſt, ſummo imperanti (*), adeoque 30. illa inter immanentia jura majeſtatis recte refertur. (§. CXXXVI, 33.)

(*) Equidem in ſtatu naturali & patremfamilias jus dicere poſſe familiae ſegregi, jam ſupra obſervavimus. (§. XCIII, 10. ſequ.) At in civitate id fieri non poteſt, niſi quatenus id patrifamilias indulgent leges. (§. XCIV, 16.) Competit ergo in rebuſp. judiciaria illa poteſtas ſummis imperantibus, quos etiam vel maxime ob id conſtitutos eſſe, obſervant veteres. Heſiod. *Theogon.* v. 88.

Τοὔνεκα γὰρ βασιλῆες ἐχέφρονες, οὕνεκα λαοῖς
Βλαπτομένοις ἀγορῆφι, μετάτροπα ἔργα τελεῦσι.

Hac una reges ſapienti lege creantur,
Dicere jus populis, injuſtaque tollere facta.

Quotuplex illa, & quomodo exerceatur?

§. CLVII. Quum vero judicis ſit, leges ad facta adplicare, (§. CLVI.) facta vero, contra leges admiſſa, vel privatis, vel ipſi reipublicae detrimentum inferant: ſequitur, 31. ut omnia judicia vel PRIVATA ſeu CIVILIA, vel PUBLICA ſeu CRIMINALIA ſint, 32. illaque in diſtrahendis civium controverſiis; haec in puniendis maleficiis conſiſtant: Cic. *pro Caecin. Cap. II.* Et 33. quamvis vitio verti non poſſit principi, ſi hanc judicandi poteſtatem viris pruden-

prudentibus juriumque peritis (Lib. I. §. CI, 11. ſequ.) demandet, adeoque ubique magiſtratus & judices conſtituat: ſemper tamen 34. ad imperantem iis patere oportet viam, qui, ſeſe injuſta ſententia oppreſſos, conqueruntur, adeoque penes illum eſſe debet ſuprema cauſſarum dubiarum ἀνάλυσις (*).

(*) Hinc in rebuspublicis MONARCHICIS ad reges & principes; in ARISTOCRATICIS ad ſenatum optimatium; in DEMOCRATICIS ad ipſum populum provocandi jus eſt: nec temere conſtituendus eſt magiſtratus ſine provocatione: quod ne in Regibus quidem dictatoribuſque ſuis diu tulerunt Romani. Liv. *I*, *26*. *II*, 8. *III*, *55*. *X*, *9*. Attamen, quum & provocationum abuſus haud exiguus ſit: non mirum videri poteſt, varia inventa eſſe remedia, quibus nimia provocandi temeritas coërceretur. Qualia ſunt privilegia de non adpellando, quibuſdam magiſtratibus conceſſa, certa ſumma, quam adpellabilem vocant, lege definita, jusjurandum calumniae, pecunia quaedam, a provocante in caſum, ſi ſuccubuerit, deponenda, & ſimilia, quae an proſint reip. magis in civili prudentia, quam in juriſprudentia naturali, diſquiritur.

Itemque jus poenas infligendi?

§. CLVIII. Quia judicis eſt, leges factis adplicare, &, an factum aliquod facienti imputandum ſit, diſquirere, (Lib. I. §. XCV.) imputatio vero conſiſtit in declaratione, utrum effectus, quem lex actioni adſignat, locum habeat, nec ne: (Lib. I. §. XCIX.) ſequitur ſane, 35. ut imperanti, cui ſumma eſt poteſtas judiciaria, competat etiam JUS POENAS INFLIGENDI. Et quandoquidem negari nequit, ei, qui legem fert, jus etiam eſſe, eidem ob juſtas cauſſas derogandi, quin eam plane abrogandi: (§. CLI, 8.) multo magis 36. eidem licebit, aliquem delinquentem ob juſtas & graves cauſſas ita lege ſolvere, ut ei gratiam poenae faciat (*).

(*) Negabant id Stoici, quorum pervulgatum erat illud dogma: *μηδέποτε συγγνώμην ἔχειν τὸν σοφόν. Sapientem non dare veniam, nec ignoſcere.* Diog. Laërt. *VII*, 123. Sen. *de clement. II*, *6. 7.* Sed quum & Deus ipſe, juſtiſſimus, gratiam delictorum faciat, ſalva juſtitia: quidni & ſapiens? quidni & imperans, qui, uti leges poenales fert, ita eas plane tollere, ac proinde & uni alterive veniam dare poterit? Sed *ob juſtas cauſſas:* quum, quemadmodum non niſi ob graves juſtaſque cauſſas leges feruntur, ita nec, niſi ob juſtas cauſſas, quidquam contra illas indulgeri poſſit. Quid vero, ſi poena ſit jure divino conſtituta? Tunc, ſi probetur, talem legem poenalem exſtare, in eam principi nihil licere, non diffitemur. (Lib. I. §. XVII, 33.) An vero exſtet, de eo dudum certant viri docti, & adhuc ſub judice lis eſt. Vid. Thomaſii *Diſſ. de jure adgrat. princ. circa poenam homicid.*

An hoc jus & inter pares obtineat?

§. CLIX. Ex eo vero porro colligimus, 37. inter pares nullum eſſe jus puniendi (*), & 38. nec integritatem vitae, nec 39. alterius inveteratam peccandi conſuetudinem ulli aequali jus dare poenas

poenas infligendi, adeoque 40. naturam poenae non exhaurire definitionem vel Grotii, cui POENA *eſt malum paſſionis, inflictum ob malum actionis*, vel Becmanni, qui per illam *dolorem, propter delictum illatum*, intelligit: immo 41. non poenam, ſed *vindictam privatam*, eſſe malum illud paſſionis, ab ipſo laeſo inflictum; 42. *laeſionem*, ſi a tertio, non ſuperiore, infligatur. 43. Neutrum vero permittendum eſſe in ſtatu civili, vel inde patet, quod poteſtas judiciaria ſoli imperanti, iiſque, quibus hic illam demandavit, competat. (§. CLVI, 29. §. CLVII, 33.)

(*) Loquimur enim hic de POENA CIVILI, proprie accepta, & ex lege irroganda, adeoque non de *conventionali*, ad quam ſe quis ipſe ſua ſponte obligat: nec de *ultione*, qua quis alterum ob flagitia beneficiis privat, ei amicitiam renunciat, ab ejus familiari conſuetudine ſe ſegregat: nec de *malis naturalibus*, quae ſibi quiſque peccando ſuo jumento invenit, veluti de morbis, doloribus, infamia. Denique multum intereſt inter *caſtigationem*, quam infligendi jus & parentibus, & aliquando marito, ac domino, concedunt leges. Haec enim ex arbitrio, per modum diſciplinae; poena proprie ſic dicta ex praeſcripto legum, per modum juriſdictionis, irrogatur. Inde vero ſua ſponte conſequitur, ut par parem punire nequeat, ſed is, quis fert legem, eamque factis adplicat. Quod quum ſolus imperans faciat: (§. CLIII. & CLVI.) huic quoque ſoli puniendi jus eſſe, manifeſtum eſt. Mira ergo eſt philoſophia Grotii *de jure belli & pac.* II. 20, 3, 1. ſatis indicare naturam, convenientiſſimum eſſe, poenas exigi a ſuperiore, non tamen demonſtrari poſſe, hoc eſſe neceſſarium, niſi vox *ſuperioris* eo ſumatur ſenſu, ut is, qui male egit, eo ipſo ſe quovis alio inferiorem cenſeatur feciſſe, & quaſi ex hominum cenſu detruſiſſe in cenſum beſtiarum, quae homini ſubjacent: quod a theologis quibuſdam ſit proditum. Quaſi vero ſuperioritas vel praeſtantia quaedam moralis ulli mortalium det jus puniendi, ac non potius exigatur ſuperioritas imperii. Thomaſ. *juriſprud. div.* III, 7, 31. Quare ſi laedens punitur a laeſo, non poena haec eſt, ſed vindicta, ſin a tertio, eſt nova laeſio. Utramque vero in ſtatu civili prohibitam eſſe, ipſe non diffitebitur Grotius. Quanto rectius ergo apud Terentium *Adelph.* II, 1. v. 34. Sanio, leno:

Leno ſum, fateor, pernicies communis adoleſcentium:
Perjurus, peſtis: tamen tibi a me nulla orta eſt injuria.

Quotuplex poenarum finis?

§. CLX. Nec difficile erit, ex ipſa poenarum inventarum ratione de fine earumdem judicare. Quum enim poena proprie dicta nata ſit, ſtatu civili invecto, (§. VI, 12.) & jus illam infligendi, inter jura majeſtatis immanentia ſit, (§. CXXXVI, 34.) quorum non alius finis eſt, quam ſecuritas civium: (§. CXXXV.) conſequens eſt, 44. ut idem ſit poenarum finis. Quum vero ſecuri praeſtentur cives; ſive eo redigantur peccantes, ut nolint amplius delinquere, ſive, ut non poſſint, id eſt, ſive illi emendentur, ſive in poſterum iis adimatur peccandi facultas: facile patet, 45. priorem finem intendere poenas, quae, ſalva vita, infliguntur;

guntur, 46. poſteriorem ſupplicia, quae cum animae amiſſione conjuncta ſunt (*), uti loquitur Juſtinianus §. 11. *Inſt. de publ. jud.* Et quia non conſultum eſſet ſecuritati reipublicae, ſi ii tantum, qui deliquerunt, delinquere deſinerent, ab aliis vero idem eſſet metuendum; facile patet, 46. eadem opera & alios hoc exemplo moneri, ut delinquere vereantur, ac proinde 47. publice ſumenda eſſe a ſontibus ſupplicia, niſi alia gravior cauſſa id impediat.

(*) Hinc ad poenas humanas non pertinet finis, quem vulgo jactant, expiatio puta reatus & ſatisfactio, quam juſtitiae divinae fieri debere, aiunt. Neque enim crudelitatis abſolveris Phalaridis ſimiles, qui ideo tantum delinquentes puniunt, ut miſeri dolores ſentiant. Nec juſtitiae divinae infinitae ſatisfieret nocentis hominis doloribus, niſi illi alia vere infinita ratione fuiſſet ſatisfactum. Sed talia qui jactant, vix rationem habere videntur poenarum originis, quippe quae eas in ſtatu tantum civili neceſſarias eſſe viſas, abunde doceret, immo nec inter juſtitiam divinam & humanam, poenaſque civiles & ſempiternas, quae impiis imminent, ſatis videntur diſtinguere.

§. CLXI. Quibus poſitis, facile etiam intelligitur, an in delinquente ſit obligatio ad poenam ſubeundam? Quum enim, qui in republica vivit, ad ea omnia obligatus ſit, ſine quibus reipublicae finis, id eſt, publica ſecuritas, ſperari non poſſet: (§. CVII, 18.) procul dubio 48. & delinquens obligatus erit ad poenam, quam lex definivit, ſubeundam, ſed non ad ſeipſum puniendum, adeoque 49. non tenetur quidem quiſquam, ut atrociſſimis ſuppliciis ſponte ſeſe offerat (*), nec tamen 50. ei ſit injuria, ſi convictus peccati juſtas det poenas, nec 51. fas ulli eſt, reſiſtere poteſtati ſupremae, poenam ex legis praeſcripto irrogaturae. An delinquens obligatus ſit ad poenam?

(*) Immo, quum poena ſit malum paſſionis, a quo natura omnium hominum abhorret, ne poena quidem foret, quae volenti infligitur. Quinctil. *Declam. XI. Fallitur, quisquis humana tormenta ſola nominum atrocitate metitur: nulla poena eſt, niſi invito. Non habemus ullum, niſi ab impatientia, dolorem, &, ut aliquid crudele ſaevum ſit metus facit. Supplicium quiſquam vocat, ad quod proſilitur? quod expoſcitur? Illo trahite damnatos, quo non ſequuntur.* Hinc barbarus mos eſt, cogere homines, ut ipſi ſibi manus inferant, abdomen incidant, venenum ſumant, vel aliud quodcumque mortis genus eligant. Non enim, ad quod malum aequo animo patiendum obligatus ſum, id mihi ſtatim ipſe ultro arceſſere jubeor.

§. CLXII. Ex fine vero poenarum (§. CLX.) colligimus, 52. poenas attemperandas eſſe fini reipublicae, ac proinde 53. ita comparatas eſſe debere, prout eas eſſe jubet interna civium ſecuritas. Ex quo porro ſequitur, 54. ut imperans, ad ea delicta punienda, ſit obſtrictus, quae ſecuritatem reipublicae turbant, aut efficiunt, ut cives commode & tranquille ſecum invicem vivere nequeant: non vero 55. puniri neceſſe ſit actus vitioſos mere internos, 56. An delicta omnia & quae punienda ſint?

 nec

nec lapſus minutiſſimos, a quibus nemo fere mortalium immunis eſt, 57. nec omiſſionem officiorum humanitatis, niſi 58. haec omnia in dedecus ac periculum reip. vergant, ac proinde ipſa neceſſitas & haec vitia coërceri jubeat (*).

(*) Sic ſane in crimine majeſtatis vel ſolam cogitationem & ſcientiam; apud gentes quaſdam & inhumanitatem, veluti inhoſpitalitatem, punitam animadvertimus. Exempla quaedam jam ſupra vidimus. (Lib. I. §. CCXVI. *) Jam addimus, & Germanos quondam humanitatem erga peregrinos legibus poenalibus ſanxiſſe. Sunt ſane ſanctiones tales in *lege Burgund.* XXXIII, 1. *Capitular.* I, 75. quibus trium ſolidorum mulcta irrogatur iis, qui hoſpiti advenienti tectum ſorumve negaverint. Quin Gothi aedes eorum, qui viatores tecto ter arcuerant, ex legis praeſcripto flammis conſumebant, teſte Joanne Magno *hiſt. Goth.* IV, 1. Add. *Elem. jur. Germ.* I, 18, §.420.*.

Qui puniendi? §. CLXIII. Ex ipſa porro poenae definitione (Lib.I. §.XCIX.) ſatis patet, 59. puniendos tantum eſſe, qui malum actionis commiſerint, 60. non eorum heredes, 61. multo minus totas familias (*), vel 62. vades, qui ſe ad ſupplicium pro alio ferendum praeter jus & fas obligarunt. (Lib. I. §. CXLVI, 15.) Denique, quum totae ſocietates unam veluti perſonam moralem conſtituant, (§. XX, 60.) adeoque & eas obligent leges, civibus reliquis praeſcriptae: (§. XXIV, 75.) nemo non videt, 63. univerſitates quoque & ſocietates delinquentes poſſe puniri, quamvis 64. ipſa humanitas ſuadeat, poenam ita temperari, ne eadem ſit noxiorum & innocentum conditio, & 65. ne ex infirmitate conſilii vel per errorem lapſi eamdem imperantium ſeveritatem ſentiant, ac ii, qui faces ac tubae fuerunt eorum tumultuum. Quin 66. in poenis univerſitatum, ne remedium ipſo morbo ſit gravius, id in primis agendum eſſe, *ut metus ad omnes, poena ad paucos perveniat.*

(*) Fuit haec Perſarum truculentia, de qua ex inſtituto Barn. Briſſon. *de regno Perſ.* II, 227. *p.* 591. *ſequ. edit. Lederl.* Ejus veſtigia etiam exſtant *Dan.* VI, 24. *Eſther.* IX, 14. Sed & hodie hanc crudelitatem paſſim imitari gentes orientales, jam pridem obſervatum eſt ab iis, qui illarum mores ac inſtituta paullo accuratius deſcripſerunt. Enimvero uti hic mos rectae rationi omnino refragatur: ita caveri nulla prudentia poteſt, quo minus indirecte poena, parentibus inflicta, etiam liberis detrimento ſit, maxime, ſi bona ex lege publicentur. Quod & moviſſe arbitramur legislatores humaniores, ut rariſſime locum eſſe voluerint huic poenae, & non niſi in crimine majeſtatis bona omnia a fiſco occupari juſſerint, ut, quantum in ipſis eſſet, ne indirecte quidem poenam ad liberos innocentes proferre viderentur.

Fundamenta de quantitate poenarum definienda. §. CLXIV. Quales denique & quantae irrogandae ſint poenae, ex fine poenarum ſatis patet. Quum enim ille in ſecuritate civium poſitus ſit: (§. CLX.) conſequens eſt, 67. ut tantam eſſe oporteat poenam, quanta ſufficit ad metum hominibus incutiendum,

repri-

reprimendamque peccandi libidinem. Quumque ea ſit ingenii humani indoles, ut infixa pectoribus cupiditas non aliter, quam propoſito majore malo bonove, cohibeatur: (Lib. I. §. LII, 45.) merito inde colligimus, 68. metum non incuſſuram eſſe ſanctionem poenalem, niſi majus malum judicent homines, poenam legibus propoſitam ſubire, quam delictum omittere, voluptateque vel lucro, quod inde ſperant, carere (*).

(*) Exemplo eſſe poterit poena injuriarum, legibus XII. Tabularum ſancita, quae tam parum metus incutiebat hominibus protervis, at bene numatis, ut voluptatem, quam ex aliorum contumelia capiebant, tam tenui mulcta libentiſſime redimerent. Rem omnem refert Gellius *Noct. Attic.* XX, 1. quem locum, utut longiuſculum, hic totum legiſſe non poenitebit: *Nonne tibi quoque nimis videtur eſſe dilutum, quod ita de injuria punienda ſcriptum eſt:* SI INJURIAM FAXIT ALTERI, VIGINTI QUINQUE AERIS POENAE SUNTO. *Quis enim erit tam inops, quem ab injuriae faciendae lubidine XXV. aſſes deterreant? Itaque Q. Labeo quoque veſter in libris, quos ad XII. Tab. conſcripſit, non probaret. Quidam, inquit L. Neratius, fuit, egregie homo improbus atque immani vaecordia, is pro delectamento habebat os hominis liberi manus ſuae palma verberare, eum ſervus ſequebatur, crumenam, plenam aſſibus, portitans, &, quemcumque depalmaverat, numerari ſtatim ſecundum* XII. *Tab. viginti & quinque aſſes jubebat. Propterea, inquit, praetores poſtea hanc aboleſcere & relinqui cenſuerunt, injuriiſque aeſtimandis recuperatores ſe daturos, edixerunt.* Tantum ergo abeſt, ut hujuſmodi dilutior ſanctio hominum vaecordiam cupiditatemque reprimat, ut eam irritet magis, & ad peccandum veluti invitet.

§. CLXV. Ex his vero principiis jam porro colligimus, 69. non ferre reipublicae ſecuritatem, ut poena talionis peccantibus irrogetur (*), adeoque 70. hec ſufficere regulam, poenarum debere eſſe proportionem cum delictis, niſi illa non tam de ipſis factis illicitis, quam de libidine hujuſmodi facinora patrandi intelligatur. Praeterea, quum unum delictum altero magis noxium ſit reipublicae, unumque altero magis gliſcat in dedecus publicum: facile reddideris rationem, 71. cur, quo magis delictum laedit ſecuritatem publicam, eo acrioribus poenis ab eo deterreantur homines, & 72. cur, gliſcente delicto, poena quoque intendi ſoleat. Concluſiones inde elicitae.

(*) Probaſſe talionem videtur ipſe Deus, *Exod.* XXI, 23. *Lev.* XXIV, 50. *Deut.* XIX, 19. Notum quoque eſt illud Decemvirorum: SI MEMBRUM RUPSIT, NI CUM EO PACIT, TALIO ESTO, apud Gell. *Noct. Att.* XX, 1. Sed uti legem divinam ipſi Hebraeorum magiſtri ita interpretantur, ut tales noxas pecunia potuiſſe expiari contendant: Conf. Joſeph. *Antiqu. Jud.* IV, 8. ita & apud Romanos hanc legem umquam in uſu fuiſſe, negat Caecilius, jureconſultus apud Gellium *ibid.* Et ſunt fortaſſis talia παροιμιώδη, quibus indicatur, non fieri injuriam illi, qui, quale alteri intulerit, tale ipſe quoque malum ferat, quamvis non ſemper idem ſuſtineat. Vid. Jo. Cleric. *ad Exod.* XXI, 22.

12. Quo ſenſu & Pythagoras poenam ἀντιπεπονθὸς ſeu *parem paſſionem* eſſe dicebat. Utcumque ſeſe res habeat, talionem non ſemper locum habere, inde probatur, 1. quod aliquando vix poenae nomen meritura ſit hujuſmodi talio, e. g. ſi ei, qui mihi decem nummos in via publica vi rapuit, totidem numos rapere jubear: ſi homo nullius dignitatis, qui magiſtratum percuſſit, ipſe quoque percutiatur. 2. Quod aliquando ne fieri quidem poſſit, ut idem patiatur delinquens, quod fecerat, e. g. ſi luſcus alteri utrumque oculum excluſerit. 3. Quod aliquando ita ſervari non poſſit aequalitas, ut non plus patiatur qui deliquit, quam is, in quem delictum admiſſum eſt. Sic e. g. ſcio noctuvagum occurrenti ſibi homini ita gladium adegiſſe per corpus, ut cuſpis ex tergo emineret, & hunc tamen, nullo inteſtino laeſo, brevi convaluiſſe. An vero vel omnes medici junctis conſiliis ita gladio trajeciſſent illum hominem, ut ſalvus evaderet.

In poenis definiendis circumſtantiarum habenda eſt ratio.

§. CLXVI. Quandoquidem tamen, uti in reliquarum actionum humanarum, ita & in delictorum imputatione, omnium circumſtantiarum habenda eſt ratio, earumque una ſaepe totam rem mutat: (Lib. I. §. C, 8. 9.) contingere ſane poteſt, 73. ut ob idem delictum in unum gravius, quam in alterum animadvertatur, adeoque 74. in definienda poena ratio ſit habenda non modo perſonae delinquentis, ſed & 75. ejus, cui delicto nocitum eſt, itemque 76. objecti, 77. effectus, immo & 78. loci, temporis, ſimiliumque περιστάσεων (*).

(*) Sic, quod ad perſonam delinquentem attinet, majorem omnino poenam meretur is, quem cognatio, prudentia, officium, aetas, dignitas a delicto revocare debuiſſet, quam extraneus, ſtupidus, nullo ſpeciali vinculo obſtrictus, puer vel adoleſcens, plebeius. (Lib. I. §. CXIII, 52.) Majorem quoque poenam feret robuſtus, quam infirmior, &, ſi mulcta irrogatur, plus merito imperandum erit homini pauperi, quam pecunioſo alicui *Neratio*. Ita & ſi perſonae in dignitate conſtitutae, vel ipſi magiſtratui, illata ſit injuria, quis eam ſeverius vindicandam neget, quam ſi quis ex faece hominum contumelioſius habitus ſit? Praeterea, ſi privati res lucrifaciendi cauſſa contrectare delictum eſt, poena digniſſimum: quanto magis, peculatum admittere, vel ſacrilegio ſeſe polluere? Ita acrius puniri animadvertimus deſertionem militis, e ſtatione ſeſe proripientis, quam ex hibernis aufugientis ob effectum triſtiorem. Denique injuriam, alicui in templo & inter ſacra illatam, deteriorem videri, quam quae in loco privato alioque tempore facta ſit, omnes aequi rerum arbitri cenſent. Ut adeo non ſit publici ſaporis dogma illud Stoicorum, ἴσα τὰ ἁμαρτήματα εἶναι, *omnia delicta eſſe paria. Cic. Paradox. III.* Diog. Laërt. *VII*, 120. Contra quos diſputans Horat. *Serm. I.* 3. *v.* 115.

Non vincet ratio hoc, tantumdem ut peccet, idemque,
Qui teneros caules alieni infregerit horti,
Et qui nocturnus divum ſacra legerit. Adſit
Regula, peccatis quae poenas irroget aequas:
Ne ſcutica dignum horribili ſectere flagello.

§. CLXVII.

§. CLXVII. Sed ne id quidem praetermittendum videtur, quod, quum non omnes poenae ad deſtruendum hominem facinoroſum ſint comparatae, ſed ſaepe & id agatur, ut, qui deliquit, emendetur, & cautius mercari in poſterum diſcat, (§. CLX, 45.) caveri debeat, 79. ne omnes, qui poenas dant delictorum, infamia notentur, ſiquidem eo ipſo fit, ut non amplius idonea reipublicae membra habeantur, adeoque illis vix occaſio ſit, victum amictumque ſibi honeſtis artibus comparandi.

Poenae, emendationis cauſſa infligendae, non debent famoſae eſſe.

§. CLXVIII. Inter immanentia majeſtatis jura eſt etiam jus TRIBUTA & VECTIGALIA imperandi civibus, quin & eorum bona, exigente neceſſitate, reipublicae uſibus adplicandi, quod jus DOMINIUM EMINENS adpellare mos eſt (*). Quum enim ea omnia licita eſſe oporteat ſummis imperantibus, ſine quibus finem reipublicae, puta internam externamque ſecuritatem, obtinere non poſſent, (§. CXXXV, 29.) ſecuritas autem illa obtineri vix poſſet, niſi cives conferrent pecunias, ferendis reip. communis oneribus neceſſarias, & aliquando eorum bonis uterentur imperantes: conſequens eſt, 80. ut imperantibus competere debeat jus exigendi collatitiam pecuniam, & 81. dominium aliquod eminens exercendi.

Principi competit jus imperandi tributa, & dominium aliquod eminens.

(*) Fatemur tamen, non ſatis commode hoc adhiberi vocabulum, quum diverſi ſint DOMINII & IMPERII conceptus, & non illud, ſed hoc, competat imperantibus. Unde quod Grotius *de jure belli & pac. I, 1, 6.* primus vocavit *dominium eminens:* id Seneca *de benef. VII*, 4. rectius denominavit *poteſtatem. Ad Reges*, inquit, POTESTAS *omnium, ad ſingulos proprietas pertinet.* Add. V. A. Corn. van Bynkersh. *Quaeſt. jur. publ. II, 15. p. 290.* Hinc non male quidem Wittebergenſes JCti poteſtatem illam ex imperio, non dominio quodam, derivandam eſſe, contendunt adverſus Jo. Fr. Hornium: (Vid. Guil. Leyſeri collectionem ſcriptorum eriſticorum, quam *pro imperio contra dominium eminens* inſcripſit, ediditque *Witteb. MDCLXXIII.*) Sed dum lis eſt de vocabulo reique origine, & de ipſo jure imperantium bona civium urgente neceſſitate reip. uſibus adplicandi, nemo dubitat, cur vocabulum ſemel receptum plane proſcribendum putaremus, nullam omnino idoneam rationem vidimus.

§. CLXIX. Quia ergo imperanti competit jus bona civium, urgente neceſſitate, reipublicae uſibus adplicandi: (§. CXXVIII, 81.) facile intelligitur, 82. eidem etiam, nondum urgente neceſſitate, jus eſſe, cuſtodiam veluti ſuſcipiendi bonorum privatorum (*), ut illa, urgente neceſſitate, in promtu ſint, ſufficiantque reipublicae, adeoque 83. & jus leges ferendi de bonis recte utendis, transferendis, & alienandis, (Lib. I. §. CCCXVII.) & 84. commercia tum foederibus firmandi, tum 85. certis legibus, prout e republica eſſe videtur, reſtringendi, quin &, 86. quae expor-

Jus ejus circa bona civium in ſtatu reip. ordinario.

exportari e territorio, quaeque invehi liceat, definiendi, 87. leges ſumtuarias ferendi, 88. opificia provehendi, 89. agendique omnia, quibus effici poſſit, ut gliſcant opes civium, & reip. uſibus ſufficiant.

(*) Quo fundamento etiam nititur jus imperantium ſupremum, ut & tutores curatoreſve conſtituere pupillis, minoribus, morbo aliquo ſontico laborantibus, furioſis, prodigis, abſentibus, feminis, deinde his adminiſtratoribus certas leges praeſcribere, eos ad rationes reddendas adigere, & non ex fide gerentes removere poſſint. Intereſt enim reipublicae, rem horum hominum, qui ipſi ſupereſſe rebus ſuis nequeunt, ſalvam eſſe. Unde Plato *de Legib. Lib. XI.* pupillos non ad privatorum, ſed publicam civitatis curam pertinere ſcribit, eoſque vocat *παρακαταθήκην μεγίστην καὶ ἱερωτάτην*, *depoſitum maximum & ſacratiſſimum* reipublicae. Quin ea re factum eſt, ut Germani jam inde ab antiquiſſimis temporibus ipſis imperantibus & magiſtratibus vindicarent ſupremam aliquam tutelam, de qua nos olim diſſerere meminimus in exercitatione *de ſuprema principum & magiſtratuum tutela.*

Nec non in extraordinario.

§. CLXX. Et talia quidem ſunt jura, quae imperanti in ſtatu reipublicae ordinario competunt. Quum vero dominium illud eminens potiſſimum ſeſe exſerat in ſtatu extraordinario, vel urgente neceſſitate: (§. CLXVIII.) conſequens eſt, 90. ut imperanti fas ſit, tempore belli privatorum agros caſtris occupare, 91. iiſdem munimenta operaque publica imponere, *l. 9. C. de oper. public.* 92. ſegetes pabulando colligere, 93. vias publicas novas, deficientibus vetuſtioribus, per civium fundos munire, *l. 14. §. 1. D. quemadm. ſerv. amitt.* 94. aedes ſuburbanas, ubi Hannibal ante portas eſt, deſtruere, & quae ſunt hujus generis alia.

Quando dominio illi ſit locus?

§. CLXXI. Quandoquidem vero id fieri tantum poteſt urgente NECESSITATE, (§. CLXVIII.) neceſſarium vero eſt, ſine quocumque reip. ſalus, quae ſuprema lex eſſe debet, (§. XXV, 78.) libertas, & ſecuritas, ſalva eſſe non poteſt: merito inde colligimus, 95. hanc poteſtatem non ſolum ſeſe exſerere, ſi quando id extrema reipublicae *neceſſitas* exigit, verum etiam, 96. quoties id vere eſt reipublicae *utile*: maxime, quum plerumque utilitas in neceſſitatem incidere ſoleat. V. A. Corn. van Bynkerſh. *ibid. p.* 292. Attamen 97. ei juri vix locus eſt, quando privata tantum principis utilitas in eo vertitur, ſi alicui jus quaeſitum auferatur, multo minus, 98. quando aliquid non neceſſitatis utilitatiſque, ſed voluptatis cauſſa, occupatur. Quin 99. hoc ipſum jus dominii eminentis ita comparatum eſt, ut bonus princeps facile patiatur, ejus fines regi, & illo non niſi modeſtiſſime uti velit (*). Bynkerſh. *ibid.*

(*) Limitationes has merito adjunximus, ne hoc jus abeat in ſummam injuriam. Hinc graviter Deum indignatum eſſe animadvertimus Achabo Re-

gi, Nabotho extorturo vineam, tamquam palatio proximum, tantum, ut eam in hortum olitorium converteret. I. *Reg. XXI*, 2. Nam & ad privatum regis improbi commodum, & ad voluptatem magis, quam ad utilitatem, pertinebat illa poſtulatio. Sed & Senatus Romanus litem ſecundum praetores, & contra M. Licinium Craſſum, dare noluit, quum illi per hujus fundum derivare vellent aquaeductum, qui ornatus & voluptatis magis, quam utilitatis, cauſſam habere dicebatur. Liv. XL, 51. Ita ſane cauſſam repraeſentavit Marc. Zuer. Boxhorn. *Diſquiſit. polit. caſu XXXI.* Et tamen laudatiſſimus Bynkershoek attulit diploma Guilielmi Arauſiaci, quo magiſtratui Leidenſi facta eſt poteſtas, areas privatorum, ſoluto poſſeſſoribus pretio, occupandi, & quidem non modo neceſſarias, ſed ex, quae ad ornatum aedium academicarum, voluptatemque ſtudioſorum facere videantur, (*tot cieraat der zelve, en de recreatien der Studenten eenig ſins dienlyk.*) Ubi tamen vir illuſtris prudenter addit: *Hac juris publici prudentia ego non uterer, nec uſus eſt Senatus Romanus in cauſſa Craſſi, nec etiam uſus eſſet Auguſtus*, de quo Sueton. *Aug. Cap, LVI. Forum anguſtius fecit, non auſus extorquere poſſeſſoribus proximas domos.*

§. CLXXII. Enimvero, quum communis reipublicae onera communibus erogationibus ferenda eſſe, ipſa aequitas doceat: (§. CLXVIII.) conſequens eſt, 100. ut unus civis prae reliquis non ſit onerandus, adeoque 101. ei, cui re ſua communis ſalutis utilitatiſve cauſſa carendum eſt, ex aerario vel arca publica ſatisfieri debeat (*), &, 102. ſi vel maxime id non in continenti fieri poſſit, id tamen poſtea ſuo jure exigant illi, qui re ſua exciderunt, niſi forte 103. contra legem prohibitivam aedificaverint, & aedificium illud, vel qualecumque opus, urgente reipublicae utilitate, deſtructum ſit. Tunc enim tantum abeſt, ut pretii refuſionem recte petant, ut & in poenam incidant, legibus expreſſam. V. A. Corn. van Bynkersh. *ibid. p.* 297. Qua conditione illo uti poſſint imperantes?

(*) Agnoſcunt hoc Grot. *de jure belli & pac. II*, 14, 7. Pufend. *jur. nat. & gent. VIII*, 5, 7. Huber. *de jure civit. I*, 3, 6, 44. & quicumque de hoc dominio paullo fuſius egerunt, inter quos palmam merito concedimus laudatiſſimo Corn. van Bynkersh. *ibid.* qui & Romanos id principium ſequutos eſſe, probat ex Tacito *Annal. I*, 75. & *l.* 9. *C. de oper. publ.* Et ſane pro eo eadem militat aequitatis ratio, quam pro lege Rhodia de jactu profert Paullus *l.* I. *D. ad leg. Rhod. ut omnium contributione ſarciatur, quod pro omnibus datum eſt.*

§. CLXXIII. Praeterea ex eadem definitione patet, 104. jus hoc tantum exercendum eſſe circa civium bona, non 105. circa bona extraneorum non hoſtium, apud nos reperta, adeoque 106. vix excuſandos eſſe principes, qui amicarum etiam gentium rebus & mercibus manus injiciunt, 107. dominos invitos ad pecunias ſibi credendas adigunt; 108. naves amicorum, in portubus ſuis repertas, ſiſtunt, iiſque ad trajiciendas copias ſuas, vel com- An illud & ad res exterorum non hoſtium proferri poſſit?

meatum avehendum, utuntur. Quamvis hae angariationes, quas vocant, & frequentes ſint, & eo colore excuſentur, quod naves etiam alienae, in alterius principis imperio repertae, quodammodo ſubditae ſint (*) eaeque angarientur ex recepta palam conſuetudine, qua civitates & imperia continentur.

(*) Quo colore quum ne uti quidem poſſent Graeci, a Cyri expeditione reduces, eorum facinus tanto videtur iniquius, quamvis id improbare non videatur Grotius *de jure belli & pac. II*, 2, 10. Auctor militibus fuerat Xenophon, uti ipſe teſtatur, *de expedit. Cyri V*, 1, 6. ut acceptis a Trapezuntiis navibus longis, ſubducerent naves tranſeuntes, eaſque, detractis gubernaculis, cuſtodirent, donec tantum habeant illorum numerum, ut iis vehi poſſint, ita tamen, ut ii, quos cum navibus ſubducturi eſſent, communi impenſa alerentur, quamdiu militum cauſſa manſerint, & mercedem pro vectura acciperent. Quod ſane facinus quodammodo excuſaſſet neceſſitas, ſi e publicis auſpiciis militaſſent. Jam vero vix ullam perſpicere poſſum rationem, ob quam hujuſmodi jus competere potuerit manui militum, qui, invitis civitatibus ſuis, expeditionem cum Cyro fecerant, rebus potius praeclare geſtis, quam juſtitia cauſſae memorabilem.

Quid fiſcus & aerarium.

§. CLXXIV. Haec de DOMINIO EMINENTE. Ad TRIBUTA & VECTIGALIA quod attinet, reipublicae dupliciter intereſt, quam maximam pecuniae vim in promtu eſſe: primum, ut non deſit, unde imperantes pro dignitate ſuſtententur: deinde, ut & belli & pacis temporibus ſuppetat pecunia, nervus rerum gerendarum, quo adeo opus eſt, ut ſine eo fiat nihil, quo opus eſt. Itaque in rebus publicis duplex eſſe ſolet arca publica, in quam opes publicae influant, quarum altera pecuniam imperantium, deſtinatam ſuſtentationi, continens, FISCUS, altera, pecuniae publicae deſtinata, AERARIUM adpellatur (*), quam utramque eſſe quam locupletiſſimam, reipublicae omnino intereſt.

(*) Merito haec diſcernimus, quamvis aliquando in monarchiis adeo ſibi omnia vindicare ſoleant principes, ut inter FISCUM & AERARIUM vix diſcrimen aliquod deprehendas. Auctor ſane eſt Dio Caſſ. *Hiſt.* LIII. *p.* 506. Auguſtum & pecuniam & milites in poteſtate habuiſſe, addita ratione: *Λόγῳ μὲν γὰρ τὰ δημόσια ἀπὸ τῶν ἐκείνου ἀπεκέκριτο, ἔργῳ δὲ ταῦτα πρὸς τὴν γνώμην αὐτοῦ ἀνηλίσκετο. Nam licet pecunias ſuas dicis cauſſa ab aerario ſeparatas haberet; re ipſa tamen his quoque ſuo arbitrio utebatur.* Sed quum hic non, quid fiat, diſpiciamus, ſed quid fieri oporteat: merito diſtinguimus utramque arcam publicam, quam & in ariſtocratiis, aliiſque rebuspublicis, accurate diſcerni, animadvertimus.

Quid ad locupletandum fiſcum ſit excogitatum?

§. CLXXV. Quum ergo in FISCUM inferantur pecuniae, imperantium ſuſtentationi deſtinatae: (§. CLXXIV.) aequum viſum eſt gentibus pleriſque, 169. non modo certa praedia, certoſque terrarum tractus, adſignari imperantibus, e quorum reditibus dignitatem tuerentur, quae hodie vocant DOMANIA, vel DOMANIA-

LIA,

ZIA, verum etiam 110. iiſdem relinqui portoria aliaque vectigalia: at 111. praecipue omnia ἀδέσποτα, intra reipublicae territorium, cedere imperantibus. (Lib. I. §. CCXLIII. ſequ.) Quam poſtremam fiſcum locupletandi rationem eo magis placuiſſe animadvertimus plerisque gentibus (*), quo minore cum ſingulorum diſpendio eſt conjuncta.

(*) Maxime gentes originis Germanicae, de quibus Grot. *de jure belli & pac.* II, 8, 5. *Germaniae populi, quum principibus ac regibus bona quaedam eſſent adſignanda, unde dignitatem ſuam ſuſtinerent, ſapienter exiſtimarunt, ab illis rebus incipiendum: quae ſine damno cujusquam tribui poſſunt, cujusmodi ſunt res omnes, quae in dominium nullius pervenerunt. Quo jure uſos & Aegyptios video. Nam & ibi Regum procurator, quem ἴδιον λόγον vocabant, vindicabat res ejus generis.* Enimvero, quae de Aegyptiis refert Grotius, petita ex Strabon. *Geogr. Lib. XVII. p.* 1148. *edit. noviſſ.* ea non tam ad Aegyptios, quam ad Romanos, Aegyptiorum dominos, pertinent. Ἴδιος enim λόγος non alius eſt, quam *procurator Caeſaris*, vel *rationalis*, & de eo refert Strabo, αὐτὸν τῶν ἀδεσπότων καὶ τῶν εἰς Καίσαρα πίπτειν ὀφειλόντων ἐξεταστὴν εἶναι. *Illum in ea inquirere, quae in nullius dominio ſint, & ſeorſum Caeſari cedant*, id eſt, in bona caduca & vacantia, ceu recte ad eum locum notavit Caſaubonus.

§. CLXXVI. Quandoquidem ergo bona domanialia ad tuendam imperantium dignitatem, ſunt comparata: (§. CLXXV, 109.) facile intelligitur, 112. ea eſſe inalienabilia, ac proinde 113. alienata a ſucceſſore, ſive univerſali, ſive ſingulari, poſſe revocari, nec 114. quidquam intereſſe, ſive pro parte, ſive univerſa ad alios privatos tranſlata ſint, ſiquidem, quod noſtrum non eſt, ejus nec exiguam partem alienare poſſumus, uti recte ait Grot. *de jure belli & pac. II*, 6, 11. ubi tamen 115. alienationes illas, cum conſenſu populi factas, ſubſiſtere (*), & 116. fructus hujus patrimonii ab ipſo patrimonio diſtinguendos eſſe, recte monet. Jura bonorum domanialium.

(*) Sive initio conſenſerit populus, ſive alienationem poſtea demum ratam habuerit. Cujus rei exempla innumera vidit Germania noſtra. Quum enim tam profuſa fuerit veterum Imperatorum & regum liberalitas in bonis domanialibus, maxime in eccleſias transferendis, ut ex iis hodie vix quidquam ſuperſit: nemo tamen dixerit, licere imperatori, ea vindicare, quum eas alienationes jam pridem ratas habuerint Imperii ordines. Immo quamvis Imperator promittere ſoleat, ſe Imperii jura & reditus recuperaturum, *Capitul. Caroli VI. art. X.* id tamen ita intelligendum eſſe, monent ii, qui jus publicum Imperii Romano-Germanici exponunt, ut id ſalvis legibus publicis fiat. Et male res ceſſit plerisque, qui de recuperandis imperii ſolliciti fuerunt, imperatoribus & regibus, veluti Henrico V. Rudolpho I. Alberto I. & aliis. Conf. Schwederi *Diſſ. de domanio imperii.*

§. CLXXVII. Quia praeterea & ἀδέσποτα imperantibus adſignare placuit: (§. CLXXV, 111.) non difficile erit, reddere ratio- Jus fiſci circa ἀδέσποτα.

 nem.

nem, 115. cur fiſcus ubique paene ſua eſſe contendat ea, quae jure Romano vel communia, vel publica habentur, veluti 116. marium, quae territorium adluunt, commoda (*), 117. flumina, 118. ſilvas majores, adeoque 119. & jura piſcandi, venandique, nec non 120. jus fodiendi mineralia & metalla, 121. bona vacantia occupandi, 122. gemmas & lapillos mari ejectos colligendi, 123. adluviones, 124. novas inſulas, 125. alveos derelictos, quin alicubi 126. & theſauros, 127. & errones ac ſpurios vindicandi. Tametſi haec omnia ſecundum uſus gentium aliter àliterque ſeſe habere, recte obſervet Huber. *de jure civ. II*, 4, 4, 48: *p.*468.

(*) Nota ſunt, quae inter viros doctiſſimos Hug. Grotium, Jo. Seldenum, Rob. Jonſtonum, Petr. Baptiſtam Burgum, Guil. Welwodum, Jo. Iſaacum Pontanum, Theod. Graſwinckelium, & noviſſime inter Pufendorffium, Huberum, Jac. Gothofredum, Jo. Henr. Boeclerum, Corn. van Bynkershoek & Chriſt. Thomaſium, alioſque de dominio maris diſceptata ſunt, quae jam repetere nihil attinet. Nos, uti mare nullius eſſe nemo negat, ita, quin illud occupari poſſit, occupantique cedat, nulli dubitamus, (Lib. I. §. CCXLI, 17.) maxime, quum id & olim eſſe factum, & hodie fieri, ipſa nos convincat experientia. At quum occupari non ſoleant res inexhauſti uſus, nec earum uſu alios excludere fas ſit: (Libr. I. §. CCXXXV, 9.) in mari vero quaedam ſint exhauſti uſus, veluti captura piſcium majorum, & unionum, vectigalia, ſimiliaque emolumenta: quaedam inexhauſti uſus, veluti navigatio: illis alios excludi poſſe, his non poſſe, merito ſtatuimus. Multo magis ergo iis, qui certas terras transmarinas, tamquam ſuas, poſſident, licebit alios navigatione, quam vel occupationis, vel commerciorum cauſſa eo ſuſcipiunt, excludere, niſi pactis & foederibus aliud cautum ſit, quum unius cujuſque gentis in arbitrio ſit poſitum, utrum commercia cum extraneis permittere velit civibus, nec ne. At navigatione, quae ad provincias tranſmarinas, non noſtras, commerciorum cauſſa inſtituitur, non magis quis alios ſine injuria prohibere poteſt, quam uſu viae publicae, niſi navigantibus obſtent pacta & foedera. Talis eſt noſtra de quaeſtione illa ſententia; qui tamen ſuo quemque ſenſu abundare facile patimur, maxime quum de maris dominio armis potius & ſolida vi, quam verbis & argumentis, diſceptari ſoleat. Adeo verum eſt, quod cecinit Horat. *Carm. I.* 3. *v.* 21.

Necquidquam Deus abſcidit
Prudens Oceano diſſociabiles
Terras, ſi tamen impiae
Non tangenda rates tranſiliunt vada.
Audax omnia perpeti
Gens humana ruit per vetitum nefas.

Alia fiſci jura. §. CLXXVIII. Quum porro omnino interſit reipublicae, fiſcum eſſe quam locupletiſſimum: (§. CLXXIV.) non mirum eſt, 128. & alia jura, quae ad quaeſtum, conſervationemque rerum pertinent, fiſco concedi, in primis 129. jus cudendae monetae, 130. jus mulctas, 131. commiſſa, & 132. quaevis ſcelere quaeſita occupandi, & quae ſunt hujus generis alia, quae vulgo, licet parum commode, regalibus minoribus accenſentur. (§. CXXXV.*)

At

At hic quoque mores variant, prout quaevis civitas plus minuſve concedit imperantibus ſuis, vel hi plus minuſve longo uſu ſibi adrogarunt.

Aerarium locupletant tributa & vectigalia.

§. CLXXIX. Quod ad AERARIUM attinet, illud fere tributis & vectigalibus locupletatur, niſi tantum ſit agri publici, ut ejus fructibus reſpublica poſſit ſuſtineri. Quum enim per (§. CLXXIV.) imperantes nihil ſine pecunia pace belloque recte gerant, Tacit. *Hiſt. IV*, 74. &, non ſufficiente agro publico, illa non aliunde, quam a civibus peti poſſit: conſequens eſt, 133. ut rectores civitatum poſſint civibus imperare tributa & vectigalia, 134. ſive ſoli, ſive reliquorum ordinum conſenſu, prout id reipublicae forma exigit. 135. Ut ea poſſint imponere perſonis, fundis, mercibus importandis & exportandis, rebus fungibilibus, opificiis & commerciis, prout id commodiſſimum videtur, 136. dummodo & facultatum habeatur ratio (*), & 137. cives non ita opprimantur, ut ſe tamquam ſervos, omnia imperantibus, non ſibi, adquirere, jure conquerantur.

(*) Aequiſſimum hoc viſum eſt Ser. Tullio, Romanorum regi, quem magnam eo ipſo gratiam à populo iniiſſe novimus, quod apud Dionyſ. Halic. *Antiqu. Rom. Lib.* IV. *p.* 215. permiſſurum ſe negaret, pauperes tributorum gravatos onere, aes alienum contrahere cogi, ac proinde ſe potius cenſurum bona omnium, & pro ſuo quemque cenſu conferre juſſurum, prout in magnis & bene inſtitutis civitatibus fieri ſoleat, addita ratione: Δίκαιόν τε καὶ συμφέρον τῷ κοινῷ τὸ αὐτὸ ἡγοῦμαι, τοὺς μὲν πολλὰ κεκτημένους πολλὰ εἰσφέρειν, τοὺς δ' ὀλίγα ἔχοντας, ὀλίγα. *Juſtum enim exiſtimo, & reipublicae utile, ut, qui multum poſſident, multum conferant, parum vero, qui ſunt in re tenui.*

Quid circa illa juſtum ſit?

§. CLXXX. Quod ſi ergo in imperandis tributis & vectigalibus facultatum habenda eſt ratio, nec cives his oneribus ſunt plane opprimendi: (§. CLXXIX, 136. ſequ.) per ſe profecto patet, 138. non exigi debere, quod a civibus praeſtari nequit, nec 139. eos pacis temporibus ita enervandos eſſe, ut in re trepida nihil conferre poſſint: praeterea 140. nemini temere concedendam eſſe immunitatem, niſi tanti ſit ejus opera, ut haec pars publici oneris illa facile penſetur. Denique 141. collatitiam iſtam pecuniam & ſine nimia acerbitate colligendam, & 142. bona fide adminiſtrandam, & 143. iis rebus, quibus deſtinata eſt, impendendam eſſe, vel ipſe finis, ad quem comparata eſt haec collatio, ſatis oſtendit.

Jus principis conſtituendi miniſtros & magiſtratus.

§. CLXXXI. Porro inter jura majeſtatis immanentia etiam eſt JUS ADMINISTROS & MAGISTRATUS CONSTITUENDI. (§. CXXXVI.) Ubi per ADMINISTROS intelligimus, qui partem reipublicae, ſibi creditam, nomine imperantium adminiſtrant: per MAGISTRATUS, qui

qui illam partem, nomine proprio, at dependenter a ſummo imperante, adminiſtrant. Quum ergo & adminiſtri vice imperantium; & magiſtratus dependenter ab iis rempublicam capeſſant: conſequens eſt, 144. ut ii a ſolo imperante conſtituendi ſint, 145. niſi hic vel aliis eligendi praeſentandive, vel 146. integro collegio cooptandi jus dederit. 147. Ut eidem obligentur ſpeciatim, ac proinde 148. illi & rationes reddere teneantur, & 149. ſi male fungantur munere, ab eo dignitate merito priventur, quin & 150. poenas dent, pro eo, ac merentur, ſi doli culpaeve majoris rei ſint (*).

(*) Non vero puniendum conſilium non fraudulentum, quod eventus deſtituit, quum hunc nemo praeſtet. Nec poenam meretur, qui principis ſui aut reipublicae mandatum exſequutus eſt, ſi illud in ſe juſtitiae, aut bonis moribus, non repugnat. Conf. V. A. Corn. van Bynkershoek. *Quaeſt. jur. publ.* II, 2. *p.* 196. *ſequ.* Barbarus ergo mos fuit Poenorum, praeſtantiſſimos duces mittentium in crucem, ſi quid praeter animi ſententiam accidiſſet. Nec minus deteſtabilis eſt Turcarum aliarumque gentium orientalium conſuetudo, qui & ipſi conſilium ex eventu aeſtimantes, capitis damnant omnes, quorum conſilium caruit eventu. Quin non modo juſti regulis refragatur haec truculentia, verum etiam prudentiae. *Si quis*, inquit vir laudatiſſimus, *rebus in arduis conſilium deſideret: plures ſunt, qui dare poſſunt, ſed nemo unus eventum praeſtiterit; ſi & hunc exigas, ecquis erit, qui conſilio ſuo tibi adeſſe velit? vel duo, vel nemo.*

Officia imperantium & ipſorum miniſtrorum & magiſtratuum.

§. CLXXXII. Quemadmodum vero adminiſtris aeque, ac magiſtratibus, pars aliqua reipublicae creditur: (§. CLXXXI.) ita 151. & principis erit virtus maxima, noſſe ſuos, & dare operam, ut non niſi idoneos munerique pares eligat: 152. civium contra, non ambire munera, quibus ſeſe impares eſſe intelligunt, multoque minus 153. ea largitionibus aliiſque turpiſſimis artibus aucupari, niſi 154. ipſis imperantibus e republica videatur, ut & officia ſint in commercio. Praeterea res ipſa docet, 155. quemlibet adminiſtrum & magiſtratum omnem fidem ac diligentiam praeſtare, & reipublicae ſalutem ſibi ſupremam legem ducere debere: tantoque magis 156. in eam curam incumbere decere adminiſtrum ſummum ac primarium, cujus humeris imperans univerſam reipublicae molem impoſuit (*).

(*) Vocari hi ſolent MINISTRISSIMI, & de iis quaeri ſolet, primum an e republica ſit, univerſae reipublicae curam uni demandari? deinde, an id ſalvo jure fieri poſſit? Prior quaeſtio ad prudentiae civilis ſcriptores pertinet, inter quos hic legi merentur Hert. *Elem. prud. civ.* I, 10, 11. nec non Guil. Schroeteri & Jac. Thomaſii ſingulares de eo argumento diſſertationes. De poſteriore facile tranſigent, qui juris gentium principia paullo accuratius expenderint. Quum enim nihil vetet, quo minus aliis mandemus id, cui ipſi nos non ſufficere animadvertimus: quidni & princeps vices

ſuas

ſuas aliis mandet, maxime quum aetas, imperii magnitudo, aliaeque juſtae cauſſae, eum ad id faciendum impellere poſſint? Et ſi in ſe injuſtum non eſt, tutorium eſſe aliquod regnum, quando rex per aetatem illud capeſſere nondum poteſt: cur injuſtum ſit, illud adminiſtro ſummo demandari? Attamen injuſte ageret princeps, ſi ideo conſtitueret talem adminiſtrum, ut genio tantum indulgeat, nullamque reip. curam animum ſubire patiatur, quum illo tamquam adminiſtro uti, non ipſum imperium in eum transferre, debeat. Praeclare hoc mihi videntur vidiſſe Perſae, dum primarios rerum adminiſtros eleganter τοὺς βασιλέως ὀφθαλμοὺς, καὶ τὰ βασιλέως ὦτα, *oculos & aures* Regis adpellarunt, teſte Xenoph. *Cyropaed. VIII*, 2, 7. *p.* 483. de quibus plura Barn. Briſſon. *de regno Perſ. Lib.* I. §. CXC. *p.* 264.

§. CLXXXIII. Inter praecipua quoque majeſtatis jura, quae ſummus imperans intra rempublicam exercet, eſt etiam JUS CIRCA SACRA, ſeu circa ECCLESIAM particularem, per quam hic intelligimus ſocietatem ſeu collegium, religionis gratia initum. Quum itaque omnia collegia & ſocietates ſimpliciores magis compoſitis ita ſint ſubordinata, ut nihil, quod majori illi ſocietati manifeſto refragetur, agere, ſalva juſtitia, poſſint: (§. XXIV, 66.) conſequens eſt, 157. ut & eccleſiam ſubordinatam eſſe oporteat reipublicae, adeoque 158. imperanti etiam competere debeat jus dirigendi res eccleſiae (*). Quod & inde ſolide probatur, quod reipublicae unam eſſe voluntatem oporteat, (§. CXV, 50.) talis vero non eſſet futura, ſi eccleſia particularis non ſubeſſet imperio, ſed ſinguli, alias imperio ſubjecti, eo ipſo, dum in hanc ſocietatem coaleſcunt, collegium liberum, & a ſummo imperante independens, conſtituere poſſent. Accedit, quod quum ea omnia jura cum majeſtate conjuncta ſint, ſine quibus ſecuritas civium obtineri non poſſet, (§. CXXXV, 29.) experientia vero doceat, ſecuritatem hanc, tum internam, tum externam, vel maxime turbaſſe homines obtentu religionis: quis principi deneget jus ſacra ita moderandi, ne quid reſpublica detrimenti capiat? Jus circa ſacra imperantibus competens.

(*) Itaque hoc jus competit imperanti, qua imperanti, non qua epiſcopo, quod vulgo ſtatuunt, quorum ſomnium erudite profligavit illuſtris collega, Juſt. Henn. Boehmer. *diſſ. de jure epiſcopali Principum evangel.* Ac proinde otioſa fere eſt quaeſtio de epiſcopatu, quem Conſtantinus M. apud Euſebium *in vita IV*, 24. in convivali ſermone ſibi tribuit, τῶν ἔξω τῆς ἐκκλησίας, *eorum, quae extra eccleſiam contingunt*, quemadmodum ſacerdotes ſint epiſcopi τῶν ἔσω. Nec magis rem acu tangunt, qui illud jus circa ſacra imperanti, vel tamquam primario eccleſiae membro, vel ex ſola conventione vindicant: quorum prius a Iaegero *de jur. ſuprem. poteſt. circa ſacra Cap. III. p.* 44. *ſequ.* factum novimus. Quum enim jus ſit majeſtatis: non alio titulo indigebit imperans, quo fretus illud exerceat, quam ſummi imperantis, unde & ipſi Romani, *jus publicum etiam in ſacris & ſacerdotibus conſiſtere*, jam pridem monuerunt. *l.* 1. §. 2. *D. de juſt. & jur.*

§. CLXXXIV.

An illud ſe exſerat circa articulos fidei?

§. CLXXXIV. Religio, ob quam homines in ſocietatem illam, quam eccleſiam vocamus, coaleſcunt, (§. CLXXXIII.) duobus conſtat capitibus priore, ut rectas de Deo habeamus ſententias: (Lib. I. §. CXXVII, 16.) poſteriore, ut eumdem perfectiſſimo amore proſequamur. (ibid. §. CXXX. ſequ) Inde facile patet, 159. circa prius caput nihil poteſtatis competere ſummo imperanti, quum intellectus cogi nequeat, (Lib. I. §. CXXIX. *) adeoque 160. eo uſque non porrigendum eſſe illud jus, ut imperans civibus novos fidei articulos imperare, vetereſque proſcribere, id eſt, 161. ipſis conſcientiis jugum imponere poſſit (*): quamvis, 162. ut illa, quae rationi & revelationi conſentanea eſſe credit eccleſia, recte doceantur, & potius ad pietatem adplicentur, quam 163. in ferales lites & jurgia convertantur, nec non, 164. ut ne hujuſmodi lites in reipublicae eccleſiaeque detrimentum evadant, omnino curare debeat.

(*) Procul dubio ergo proſcribendum eſt Machiavelli & Hobbeſii dogma peſtilentiſſimum, quo ipſa religio & conſcientia imperantium arbitrio ſubjicitur. (§. CXXXI.) Ut enim non urgeamus, quod paullo ante diximus, intellectum, utpote neceſſariam potentiam, coactionem non admittere, eique non magis imperari poſſe, ut, quod non credit, credat, quam oculo, ut, quod non videt, videat: quis non videt, quantam lanienam excitatura ſint haec principia, ſi Nero aliquis, aut Domitianus, aut Diocletianus, rerum potiatur, qui ſibi perſuadeat, religionem Chriſtianam minus prodeſſe reip. quam paganam, aut Mahumedanam, aut qui aliam plane novam comminiſcatur? Immo quis non videt, eam doctrinam, inſuper habito vero religionis fine, eam in inſtrumentum dominationis convertere?

An circa cultum Dei internum?

§. CLXXXV. Quod vero ad cultum divinum attinet, illum ſupra vel INTERNUM, vel EXTERNUM eſſe, obſervavimus. INTERNUS, quum ex ipſis Dei attributis, adeoque ex recta ratione, prono alveo fluat, (Lib. I. §. CXXX. ſequ.) ita comparatus eſt, 165. ut in eum nihil ulli mortalium liceat, (Lib. I. §. XVII, 32. ſeq.) ac proinde, 166. ne imperans quidem illum vel mutare legibus, vel abrogare poſſit: quamvis, 167. quum omnes homines ad gloriam ſummi numinis pro virili provehendam obſtricti ſint, (Lib. I. §. CXXVIII, 31.) nec principi denegandum ſit jus & officium curandi, ut cives praeclara illa doctrina de interno Dei cultu imbuantur, errantes reducantur in viam, impii, quoad ejus fieri poteſt, ad concipiendam ſummi Numinis reverentiam ſolidis demonſtrationibus & cohortationibus excitentur, immo & 168. dandi operam, ne vel atheiſmus vel ſuperſtitio gliſcat in republica.

An circa externum?

§. CLXXXVI. EXTERNUS cultus in actionibus externis, partim ex amore, timore, ac fiducia erga Deum profectis, (Lib. I.

§. CXXXV.)

§. CXXXV.) partim in actionibus arbitrariis, (ibid. §. CXXXVIII, 58.) conſiſtit. Priorum eadem eſt ratio, ac cultus interni, (§. CLXXXV, 165. ſequ.) adeoque 169. in eum ſibi nihil poteſtatis arrogabit bonus princeps: praeterquam 170. quod eum pro virili provehere ſtudebit (*). Poſteriores, 171. quum a ratione nec improbentur, nec praeſcribantur, (Lib. I. §. CXXXVIII, 61.) omnino ſubjectae ſunt imperantium arbitrio, adeoque 171. ea omnia his circa illas licita ſunt, quae nec rationi, nec revelationi refragantur.

(*) Hinc princeps non poteſt prohibere, quo minus homines de Deo colloquantur, eumdem hymnis celebrent, preces ad eumdem fundant, cetera: at poteſt praeſcribere, quo ordine, quaque ratione id publice fieri debeat. Hinc abſurda erat lex Darii, Medi, ne quis intra triginta dies aliquid petere audeat, ſive a Deo, ſive ab hominibus: *Dan. IV, 7.* at non abſurda cura Davidis, aliorumque piorum regum, ita inſtituentium cultum externum, ut nec hymnis carerent, nec eos cum gravitate decantandi rationem ignorarent.

§. CLXXXVII. Quum ergo circa actus cultus divini externi arbitrarios omnia licita ſint imperantibus, quae nec rectae rationi, nec revelationi refragantur: (§. CLXXXVI, 171.) conſequens eſt, 172. ut principi competat jus reformandi eatenus, ut ritus arbitrarios in melius formare, & abuſus, vere tales, tollere poſſit, quatenus ei leges publicae vel conventiones non obſtant: 173. jus publicandi emendandique leges eccleſiaſticas: 174. epiſcopos eccleſiaeque miniſtros conſtituendi, & minus idoneos dimittendi: 175. jus curam gerendi bonorum eccleſiaſticorum, operamque dandi, ut ſuis uſibus adhibeantur: 176. juriſdictio eccleſiaſtica circa perſonas, res, & cauſſas eccleſiaſticas, 177. jus indicendi dirigendique concilia & ſynodos (*): 178. jus coetus diſſentientium vel recipiendi, vel ob cauſſas praegnantes iis ſine injuria imperandi emigrationem. Juris circa ſacra praecipua capita.

(*) Poſſunt hae indici ob varias cauſſas: veluti, ut dogmata ab aliis in dubium vocata, novis decretis & ſymbolis ſtabiliantur: deinde, ut patres de ritibus adiaphoris conſulant in medium: demum, ut, quae ad diſciplinam pertinent, communi conſilio ſanciantur. Primi generis ſynodi omnino naturae ac indoli religionis adverſantur, primo, quod non ſemper verum eſt, quod pluribus videtur, & in rebus, ad intellectum pertinentibus, vincere non poſſit ſuffragiorum numerus, ſed pondus & robur argumentorum: deinde, quod decreta illa, formulae, & ſymbola publica auctoritate, adeoque per modum legis, obtruduntur membris eccleſiae, quum tamen leges intellectui ferre nemo poſſit: denique, quod plerumque pars una ſibi judicum partes adrogat in alteram, adeoque judicat in propria cauſſa, ac proinde fieri facile poteſt, ut vulnera eccleſiae non ſanentur, ſed potius nova infligantur. Quod adeo firmat experientia, ut jam pridem faſſus ſit Gregorius Nazian-

zenus *Epiſt. LV. ad Procopium: nullum ſe conciliorum exitum felicem*, (χρηστὸν) *deprehendiſſe*, *& habuiſſe illa potius* προσθήκην κακῶν, ἢ μείωσιν, i. e. *malum potius iis exaſperatum*, *quam imminutum eſſe*. Reliquae ſynodi poſſunt eae quidem aliquando utiles eſſe eccleſiae: ſed tunc, quia eccleſia non gaudet poteſtate legiſlatoria, decreta non obligabunt, niſi accedat ſummorum imperantium directio & auctoritas.

Jus imperantium circa ſcholas & academias.

§. CLXXXVIII. Eccleſiae aeque, ac miniſtrorum & magiſtratuum, quin & aliorum bonorum civium ſeminaria ſunt SCHOLAE atque ACADEMIAE, quippe quarum iſte finis eſt, ut juvenes ad omnes honeſtas artes, quibus aliquando illis in variis vitae generibus opus futurum eſt, nec non ad probitatem, moreſque elegantes, ſolide inſtituantur. Ex quo fine conſequitur, 179. ut principis ſit, hujuſmodi lycea inſtituere, 180. ea bonis legibus ornare, 181. cathedris viros, ſolide doctos, diligentes, munerique ſuo pares praeficere, 182. dare porro operam, ne doctrinae reip. noxiae inculcentur, 183. diſciplinae curam gerere, & 184. prudenter cavere, ne turbulenta ingenia lites ex litibus ſerant (*), idemque contingat in academiis, quod de Megaricorum ſchola dicere ſolebat Diogenes, eam eſſe οὐ σχολὴν, ἀλλὰ χολὴν, *non ſcholam*, *ſed meram bilem*. Diog. Laërt. VI, 24.

(*) Dici non poteſt, quanto cum ſtudiorum ipſiuſque reip. detrimento conjuncta ſint bella illa ſcholaſtica. Plerumque enim ea movent homines inſulſi & inertiſſimi, quibus aliorum doctrina & induſtria eſt ſudes in oculis. Hi enim quo doctiores ſunt, eo magis ab illis litibus abhorrent. Res deinde geritur calumniis, conviciis, inſidiis, accuſationibus, quibus id ſe conſequuturos eſſe ſperant, ut vel opprimant hoſtem, vel eum ſuſpectum reddant auditoribus. Hinc porro evenit, ut doctores bonas horas, quas auditorum ſtudiis conſecrare debebant, ſcribendis libellis eriſticis impendant, ut auditores quoque, ſaepe totius controverſiae ignaros, trahant in partes, & ſic in ſectas abeat ille litigandi pruritus, aliquando etiam in pugnas & verbera. Quae omnia quam facile evertere poſſint ſcholas etiam florentiſſimas, nemo eſt, quin intelligat.

Jus eorumdem circa commercia.

§. CLXXXIX. Supereſt JUS imperantium CIRCA COMMERCIA. (§. CXXXVI, 38.) Quum enim ſine illis ſubſiſtere vix poſſit genus humanum, nedum reſpublica: (Lib. I. §. CCCXXV, 4.) facile patet, 184. in eam quoque curam incumbere debere rectores reip. ut & floreant commercia, & 185. recte omnia circa illa fiant. Et quandoquidem iis jura omnia competunt, ſine quibus finem obtinere non poſſunt: (§. CXXXV, 29.) conſequens eſt, 186. ut poſſint illi leges de commerciis, opificiis, exportandis importandiſque, expungendis accurate nominibus, re quoque monetaria, ferre, 187. negotiis inſtantes privilegiis ornare, 188. mercatoribus peregre negotiantibus foederibus armiſque ſecuritatem prae-

praeſtare: 189. ſocietates mercatorum majores munire privilegiis, & 190. generatim ea omnia agere, quibus foedera & pacta, cum aliis principibus rebuſque publicis inita, non reſragantur (*).

(*) Totum hunc paragraphum mirifice illuſtrabunt binae diſſertationes, altera Jo. Fridr. L. B. Bachovii ab Echt *de eo quod juſtum eſt circa commercia inter gentes*, quae prodiit Ienae MDCCXXX. altera viri celeberrimi, Jo. Jac. Maſcovii *de foederibus commerciorum* Lipſiae MDCCXXXV. Quibuſcum ſi junxeris ſcripta criſtica, quibus de controverſia, inter Batavos & Belgas, auguſtae domui Auſtriacae ſubjectos, de ſocietate mercatoria Oſtendenſi diſceptatum, in primis *la Refutation des argumens avancés de la part de Mrs. les Directeurs des Compagnies d'Orient & d'Occident des Provinces-unies contre la liberté de commerce des habitans des Pais-bas.* Hagae MDCCXXIII. & V. C. Jo. Barbeyrac *Défenſe du Droit de la Compagnie Hollandoiſe des Indes Orientales contre les nouvelles prétentions des Habitans des Pays-bas Autrichiens*: nihil erit, quod hujusmodi de quaeſtionibus poſſis magnopere deſiderare.

CAP. IX.

DE JURIBUS MAJESTATIS TRANSEUNTIBUS.

§. CXC.

Bellum gerere omnino licitum.

QUia omne imperium eſt ſummum atque ἀνυπεύθυνον: (§. CXXIX.) ſequitur, ut & plura imperia vel reſpublicae nemini mortalium ſubjecta ſint. (§. eod.) Quumque, qui in communi ſocietate civili non vivunt, in ſtatu naturali vivere dicantur: (§. IV, 3.) conſequitur ſane, 1. ut imperia & reſpublicae inter ſe invicem vivant in ſtatu naturali, adeoque 2. in ſtatu aequalitatis, & libertatis. (§. V. ſequ.) Et quia porro in hoc ſtatu laeſis nullum, niſi in ſe ipſis, praeſidium eſſe poteſt, ac proinde unicuique jus eſt, vim omnem atque injuriam a ſe propulſandi, idque, quod alter jure perfecto debet, vi extorquendi: (§. X, 24. ſequ.) nemo non videt, 3. cuivis imperio ac reipublicae JUS BELLI omnino competere (*).

(*) Poteſt id & aliunde luculenter probari. Ipſa enim natura non modo hominibus, & brutis animantibus indidit cupiditatem, ſe ſuaque vi tuendi, ſed & haec armis quibuſdam ad vim propulſandam inſtruxit. Horat. *Serm.* II, 1. *v.* 50.

Ut, quo quisque valet, ſuſpectos terreat; utque
Imperet hoc natura potens, ſic collige mecum.
Dente lupus; cornu taurus petit. Unde, niſi intus,
Monſtratum?

Qualia veterum teſtimonia complura collegit Grot. *de jure belli & pac. I, 2, 1, 4.* Deinde, quum ipſis, qui in ſocietate civili vivunt, privatis ideo jus ſit, ſe ſuaque vi tuendi, quod ipſis in promtu non eſt aliud praeſidium: (Lib. I. §. CLXXXI, 18.) multo magis id licebit populo libero, quum in ſtatu naturali nullus ſit communis laedentis & laeſi magiſtratus, a quo defendi poſſit. (ibid. §. CLXXXIII.) Plura juri bellandi argumenta ex ſcriptura ſacra opposuerunt veteris eccleſiae patres, uti Tertull. *de idolol. Cap.* XIX. & *de coron. milit. Cap.* XI. Origen. *Lib.* VIII. *adv. Celſum p.* 425. Eraſmus *in Milite Chriſtiano*, & *Adagior. Chil.* IV. *Cent.* I. *adag.* I. nec non poſtea anabaptiſtae, de quibus Arnoldus *in Hiſt. eccleſ. & haeret. Part.* II. *Libro* XVI. *Cap.* XXI. *n.* XXIV. Sed horum argumenta ſuo more profligarunt Grotius *ibid.* §. *V. ſequ.* & Huber. *de jure civ.* III, 4, 4, 6. *ſequ.*

Quid bellum? §. CXCI. Per BELLUM vero intelligimus ſtatum liberarum gentium vel hominum, in ſtatu naturali viventium, juris ſibi perſequendi cauſſa vi dolove concertantium, propoſitumve concertandi retinentium (*). Ex qua definitione patet, 4. bellum non in ipſo tantum certandi actu, ſed & in hoſtili ſtatu certandique propoſito conſiſtere, adeoque 5. & inducias non ad pacis, ſed ad belli, ſtatum eſſe referendas: 6. non belli vero, ſed tumultus, vel vis publicae privataeve, nomine venire concertationem hominum, qui non ſuae poteſtatis, ſed ſub imperio ſunt.

(*) Ita definire viſum eſt bellum, quamvis alii definiant aliter. Ciceroni *de offic. I,* 11. omnis certatio per vim eſt bellum. At Grotius *de jure belli & pac. I,* 1, 2, 1. obſervans, uſu obtinuiſſe, ut non actus, ſed ſtatus, belli nomine veniat, eam Ciceronis definitionem ita emendat, ut bellum vocet *ſtatum per vim certantium, qua tales ſunt.* Sed quum haec definitio aeque in tumultum vel vim publicam privatamque, ac in bellum, cadat: paullo melior eſt illa Alberici Gentilis *de jure belli I,* 2. cui bellum eſt *publicorum armorum juſta contentio*, omnium optima vero ea, quam dedit V. A. Corn. van Bynkersh. *Quaeſt. jur. publ. I,* 1: *Bellum eſt eorum, qui ſuae poteſtatis ſunt, juris ſui perſequendi ergo, concertatio per vim vel dolum*, quam, quod ad ſenſum attinet, totam retinuimus.

Cui competat jus belli, & in quo conſiſtat? §. CXCII. Quum ergo bellum gerant liberae tantum gentes, iique homines, qui in ſtatu naturali vivunt: (§. CXCI.) conſequens eſt, 7. ut jus belli poſteriore caſu ſit promiſcue omnibus, quippe inter ſe aequalibus; (§. V. & X.) 8. priore non niſi ſummis imperantibus: (§. CXXXVII, 41.) adeoque horum ſit 9. milites legere, vel conducere (*), 10. urbes & caſtra munire, 11. aerarium militare pecunia; 12. armamentaria tormentis & armis; 13. granaria commeatu; 14. navalia navibus replere; 15. bellum decernere, 16. milites hoſti, etiam cum ſummo periculo, opponere, 17. leges de diſciplina militari ferre, & ſimilia. Quum enim finis & hujus juris ſit ſecuritas externa, (§. CXXXVII.) & imperantibus omnia jura competant, ſine quibus finis obtineri non

non poſſet: (§. CXXXV, 29.) jura haec omnia cum jure belli conjuncta eſſe oportere, facile unuſquiſque intelligit.

(*) Notum eſt, MILITIAM aliam LECTAM eſſe, quando unusquisque civis patriae militat, qualis olim Graecis civitatibus, ipſisque Romanis, libera adhuc civitate, placebat, hodieque placet Helvetiis: aliam MERCENARIAM, quando miles, etiam extraneus, certa mercede conducitur, quam Auguſtus ex politicis rationibus lectae praeferebat, conſilio Mecaenatis apud Dionem Caſſ. *Hiſt. Lib. LII. p.* 482. & quam hodie probant monarchae omnes, quibus non adductius eſt imperium: aliam denique SOCIAM, quando respublicae foederatae vel clientelares certum copiarum numerum ſubmittere tenentur, qualia olim erant Latinorum auxilia, Romanis ſubmittenda: de quibus militiae generibus legenda Herm. Conringii *diſſertatio ſingularis*. De mercenaria incidit quotidiana quaeſtio, an fas ſit principi amico in imperio populi amici militem conducere? Quod adfirmandum eſſe, niſi obſtet interdictum ſpeciale, & niſi conductitii illi jam patriae ſacramentum dixerint, erudite nuper defendit V. A. Corn. van Bynkersh. *Quaeſt. jur. publ. I*, 22.

§. CXCIII. Ex eadem belli definitione (§. CXCI.) ſatis perſpicuum eſt, 18. bellum decernere non poſſe magiſtratum, provinciae cuidam vel munimento praefectum, quamvis 19. eum urbem provinciamque, cui praeeſt, in repentino tumultu, etiam ſine juſſu ſpeciali, adverſus quemcumque adgreſſorem defendere debere, nemo dubitet. Immo & contingere poteſt, 20. ut provincia quaedam tam ſit diſſita a republica, ut praeſes non niſi tardius de imminente periculo certiores facere poſſit imperantes. Quo caſu, ſi jus decernendi bellum generali mandato praeſidi datum eſt, hunc recte etiam injuſſu ſuperiorum bellum gerere, extra omnem dubitationis aleam poſitum videtur (*).

An & magiſtratus bellum inferre poſſit?

(*) Hinc injuſtum erat bellum, quo Cn. Manlius Gallograecos adgrediebatur. Ob quam cauſſam etiam triumphum illi negatum eſſe, refert Liv. XXXVIII, 45. addita ratione, *quod quum nullam ibi cauſſam belli inveniret, quieſcentibus regiis, circumegerit exercitum ad Gallograecos, cui nationi non ex Senatus auctoritate, nec populi juſſu, bellum ab eo inlatum, quod quem umquam de ſua ſententia facere auſum?* Praeterea notum eſt, parum abfuiſſe, quin Senatus Germanis dedendum cenſeret Julium Caeſarem, quod injuſſu populi illis bellum intuliſſet. Sueton. *Jul. Cap. XXIV.* At, qui ab Hiſpanis, Luſitanis, Belgis, cum ſumma poteſtate in provincias Indicas & Americanas mittuntur, ii fere cum liberrima facultate belli paciſque mitti ſolent, adeoque ſaepe contingit, ut prius de confecto, quam de inchoato bello, nuncius domum perveniat.

§. CXCIV. Praeterea ex hac definitione diſcimus, 21. injuſtum eſſe omne ſingulare certamen, niſi juſſu ſummorum imperantium initum (*), adeoque 22. diſtinctionem Grotii inter bellum PUBLICUM & PRIVATUM otioſam eſſe, nec verae belli definitioni quadrare. 23. Multo minus juſti belli nomen mereri illud, quod

An privatis ſit jus belli?

cives inter ſe, vel cum ipſa republica gerunt, quodque vulgo BELLI CIVILIS nomine venit. Denique & 24. vim, quam piratae & praedones veluti univerſo generi humano inferunt, non bellum eſſe, ſed funeſtiſſimum latrocinium, adeoque 25. hos omnes homines non juribus belli perfrui, ſed 26. tanquam ſecuritatis publicae turbatores puniri debere.

(*) Tale enim ſingulare certamen eſt BELLUM REPRAESENTATIVUM, quo veteres utebantur, dum ſelectos quoſdam ex utroque exercitu homines committebant, ſtipulati ſibi imperium in hoſtes, ſi victoria penes ſuos ſtetiſſet. Complura hujus generis exempla ſuppeditant veteres annales, quae jam collegerunt Grot. *de jure belli & pac. III*, 20, 43. *ſequ.* qui tamen, iniqua eſſe illa certamina, exiſtimat, quia nemo ſit vitae membrorumque ſuorum dominus. Sed quum imperanti liceat, totos exercitus opponere hoſti: quidni & unum vel paucos? Alia eſt quaeſtio, an civilis prudentiae regulis conſentanea, ſint bella haec repraeſentativa? De eo enim vel ideo licebit dubitare, quod ita aleae exponitur univerſa reſpublica, nec viribus reliquis novam fortunam experiri licet, ceu malo ſuo experti ſunt Albani apud Dionyſ. Halicarnaſſ. *Antiqu. Lib. III.*

Cauſſae belli juſtificae. §. CXCV. Deinde, quum juris ſui perſequendi cauſſa bellum gerant gentes liberae: (§. CXCI.) conſequens eſt, 27. ut non niſi duae ſint CAUSSAE BELLI JUSTIFICAE: altera, ſi quis populus extraneus populum alterum injuſte laedat, vitaque, libertate, & opibus ſpoliare velit; altera, ſi jus perfectum deneget (*). 28. Ut prior ſit juſta cauſſa belli DEFENSIVI; poſterior OFFENSIVI, adeoque 29. tertia cauſſa, quam commentus eſt Grotius *de jure belli & pac. II*, 1. 2, 1. punitio nimirum ſcelerum, eo minus videatur admittenda, quo magis conſtat, parem a pari, adeoque gentem a gente, puniri non poſſe (*). (§. CLIX, 37.)

(*) Nec aliud evincit ratio Grotii *ibid. n.* 1. Ac *plane, quot actionum forenſium ſunt fontes, totidem ſunt belli: nam ubi judicia deficiunt, incipit bellum. Dantur autem actiones aut ob injuriam non factam, aut ob factam. Ob non factam, ut, qua petitur cautio de non offendendo, item damni infecti, & interdicta alia, ne vis fiat. Ob factam, ut aut reparetur, aut ut puniatur, quos duos obligationum fontes recte diſtinguit Plato, nono de legibus. Quod reparandum venit, aut ſpectat id, quod noſtrum eſt, vel fuit, unde vindicationes & condictiones quaedam, aut id, quod nobis debetur, ſive ex pactione, ſive ex maleficio, ſive ex lege, quo referenda, quae quaſi ex contractu & quaſi maleficio dicuntur, ex quibus capitibus naſcuntur condictiones ceterae. Factum, ut puniendum, parit accuſationem & judicia publica.* Hactenus Grotius. Sed quemadmodum a ſtatu naturali ad civilem vix licet ducere argumentum: ita non magis illud procedit, ſi quis ſtatum naturalem ex civili aeſtimare velit. Gens delicto ſuo aut gentem laedit, aut non laedit, e. g. ſi idola colat, carne humana veſcatur. Priore caſu gens laeſa delinquentem juſto ac pio bello adgreditur, non tamen *punitivo*, ſed *defenſivo.* Poſteriore nullum plane jus eſt belli gerendi, quia punire delinquentem non poteſt, niſi ſuperior.

§. CXCVI.

An jure geratur bellum ob denegatum jus imperfectum?

§. CXCVI. Quemadmodum vero juris tantum perfecti denegatio juſtam belli cauſſam praebet: (§. CXCV, 27.) ita ſua ſponte inde ſequitur, 30. ut, ob jus imperfectum vel officium humanitatis denegatum, arma corripere non liceat, (§. X, 26.) adeoque 31. non ſint hae juſtae belli cauſſae, ſi quis alterius exercitui tranſitum neget, novas ſedes quaerentes nolit admittere, commerciorum libertatem petentibus det repulſam, belligerantibus hoſpitia, commeatum, pecuniam ſufficere nolit, niſi 32. talia vel ex pacto antecedente, vel 33. in extrema neceſſitate, petantur, vel ita fiat innoxia, ut ſine omni detrimento praeſtari poſſint (*). (§. X, 27. ſequ.) Talium enim denegatio omnino in laeſionem incidit, ac proinde bello defenſivo cauſſam ſuppeditat juſtiſſimam. (§. CXCV, 28.)

(*) Id raro contingit. Periculum enim vel ab ipſo tranſeunte imminet, vel ab hoſte, qui victoria potitus, malam gratiam referet vicino, qui tranſitum conceſſit. Si tamen vere innoxius ſit tranſitus, quem quis petit, iſque tam neceſſarius, ut alia via non pateat: is omnino laedere videtur, qui iter facientibus reſiſtit. Et huc referimus bellum ab Iſraëlitis juſſu Dei geſtum. *Num. XXI,* 21, 22. At Idumaeos ob eamdem cauſſam bello non petierunt. *Num. XX,* 21. ſive quod non aeque innoxius futurus fuiſſet ille tranſitus, ſive quod non aeque videretur neceſſarius, quum alia via Kadeſum pateret.

An recte geratur pro aliis?

§. CXCVII. Quum vero aliquando perinde ſit, ſive nos ipſi laedamur, ſive per latus alterius petamur, itemque ſive nobis jus perfectum denegetur, ſive aliis, quibus vel ex pacto, vel noſtrum cauſſa ad opem ferendam obſtricti ſumus: recte inde colligimus, 34. poſſe etiam pro aliis ſociis & foederatis bellum geri, immo & 35. pro vicinis, ſi certis argumentis, aut non levibus certe indiciis, conſtet, illorum ruinis & nos oppreſſum iri. Quis enim vitio vertat vicino, properanti ad reſtinguendum incendium, dum proximus ardet Ucalegon? Quis non veriſſimum putet illud vetus: *Tunc tua res agitur, paries quum proximus ardet?* At, quum ne pro nobis ipſis quidem juſtum bellum geramus, niſi juſta belli cauſſa ſit: (§. CXCV, 27.) 36. multo minus ſanctum piumque erit bellum, quando aliorum cauſſae injuſtae patrocinium ſuſcipimus.

Soli colores non juſtificant bellum.

§. CXCVIII. Ceterum, quamvis hae cauſſae facile diſcernantur a coloribus, quibus & ii, qui injuſtiſſima bella ſuſcipiunt, utuntur: his tamen plerumque plus, quam illis, deferunt homines, qui utilitatis potius ſuae, quam juſtitiae, habent rationem. Quandoquidem tamen ſolae, quas ſupra adduximus, (§. CXCV.) belli cauſſae pro juſtis habendae ſunt: facile patet, 37. injuſta contra eſſe bella, quae vel ſola invitante occaſione, vicino quippe impara-

imparato, vel 38. ob utilitatem quamdam inſignem, vel 39. ob gloriam rerum gerendarum, 40. parandumque ampliſſimum imperium, vel 41. odio religionis, ſine alia juſta cauſſa, ſuſcipiuntur (*).

(*) Et neſcio ſane, an non jure huc referri poſſint bella iſta cruentiſſima, quibus medio aevo Mahumedanos laceſſebant Chriſtiani, quibusque poſtea Americanos, gentem imbellem, & Europaeis nulla injuria cognitam, opprimere Hiſpani non dubitabant. Illis ſane non quidquam praetexebatur aliud, quam quod loca ſacra, & Hieroſolyma inprimis, illi homines, a Chriſtiana pietate alieni, injuſte poſſiderent, intereſſetque Chriſtianae religionis, eam hoc modo conſervari ac propagari. His, quod idololatria, immo daemonolatria, ſeſe polluiſſent gentes impiae. Sed quum religionem Chriſtianam armis propagare, locaque, quae ſacra tantum videntur hominibus, bello vindicare, nec ratio nec revelatio jubeat: & praeterea omnia bella, poenae cauſſa indicta, injuſta ſint: (§. CXCV, 29.) haec quoque bella injuſtiſſima fuiſſe, ſtatuendum eſt. Unde recte Herm. Conringius *ad Lampad. p. 142. Quantumvis interea temporis quamplurima fortiſſime etiam geſta ſint, quaeque aeternam zeli pariter ac animoſitatis mereantur gloriam: ſi tamen, quod res eſt, fateri licet, non poſſunt non expeditiones illae omnes ſummae ejus aevi regum principumque & imprudentiae, & injuſtitiae, & ſuperſtitionis jure merito notari.* Add. Jo. Franc. Buddei *exercit. de expeditionibus cruciatis* §. *V. ſequ.* Sed & Hiſpanorum ſententiam de Mexicanis, ob delicta adverſus naturam admiſſa, jure punitis, cujus ipſe Grotius *de jure belli & pac. II*, 20, 40. *ſequ.* patrocinium ſuſcipit, ipſi rejiciunt doctores Hiſpani, Victoria, *Relat. I. de Indis n. XL.* Vaſquius *Controverſ. illuſtr. I*, 25. Azorius, Molina, & alii.

Diſtinctio belli ſollemnis & minus ſollemnis otioſa.

§. CXCIX. Semel decretum bellum ſollemniter eſſe indicendum, pluribus gentibus viſum eſt, ac proinde notiſſima eſt diſtinctio belli in SOLLEMNE, vel JUSTUM, & MINUS ſollemne, vel INJUSTUM, quorum illud ex plerorumque ſententia eſt, quod a liberis gentibus, praevia ſollemni indictione; hoc, quod ab eo, cui jus belli non eſt, ſuſcipitur, nec indicitur ſollemniter. Enimvero, uti facile largimur, id fere in mores gentium iviſſe, ſplendidioremque pleriſque videri victoriam, quae praevia denunciatione, vel propoſito edicto, vel per faeciales, vel aliis ritibus facta, obtineatur: ita, quia ritus & ſollemnitates ab arbitrio hominum pendent, nec mores hujuſmodi jus gentium conſtituunt, (Lib. I. §. XXII. *) inter bella quoque INDICTA & NON INDICTA, quod ad effectum attinet, nihil omnino intereſt, 42. hanc diviſionem nullius momenti eſſe, merito arbitramur (*).

(*) Magni hanc diſtinctionem faciunt Grot. *de jure belli & pac. III*, 3. & Alberic. Gentil. *de jure belli II*, 1. quos deinde Puſendorffius, Huberus & alii ſequuti ſunt, duplicem interſerentes cauſſam: alteram, quod ex hac interpellatione conſtet, alio modo fieri non poſſe, ut noſtrum aut nobis debitum conſequamur: alteram, quia ita conſtet, non privato auſu, ſed voluntate utriuſque populi capitum, geri bellum. Enimvero hae rationes, utilem & honeſtam eſ-

ſe

ſe indictionem, probant, non item, eamdem eſſe neceſſariam, quia de utroque & alio modo, quam ſollemni facta denunciatione, conſtare poteſt. Recte itaque Dio Chryſoſtom. *orat. ad Nicomed.* etiam ex juris gentium principiis: πόλεμοι ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον ἀκήρυκτοι γίγνονται· *Pleraque bella ſine indictione ſuſcipiuntur.* Cauſſam jam perorarunt Thomaſ. ad Huberum *de jure civ. III*, 4, 4, 27. &, qui de moribus etiam Europaeorum noviſſimis erudite diſſeruit, V. A. Corn. van Bynkersh. *Quaeſt. jur. publ. I*, 2. *pag. 5. ſequ.*

Cauſſae belli oportet eſſe liquidas.

§. CC. Id vero ipſa recta ratio ſuadet, 43. non illico proruendum eſſe ad arma, ſed tum demum, quando populus hoſtilem animum adverſus nos oſtendit. (Lib. I. §. CLXXXIII, 25.) Quum vero is hoſtilem adverſus nos animum oſtendat, qui omnes aequas pacis conditiones pertinaciter reſpuit: (§. eod. *) merito inde colligimus, 44. priusquam res manu ferroque geratur, rem, quam nobis abeſſe, vel deberi credimus, repetendam, 45. cauſſam dubiam, propoſitis utrimque argumentis, ad liquidum perducendam, 46. omniaque media bellum impediendi tentanda eſſe (*). Quo facto, 47. is procul dubio jure arma corripit, qui, juſtis propoſitis cauſſis, nihil aequi ab hoſte impetravit.

(*) Quorum mediorum tria potiſſimum commendant Grot. *de jure belli & pac. II*, 23, 7. *ſequ.* & Puſendorffius *de jure nat. & gent. V*, 13, 3. *& VIII*, 6, 3. colloquium, ſeu diſceptationem amicam, provocationem ad arbitros, & ſortem. Sed ſortis quidem in cauſſis publicis, praeterquam ſi res dividenda ſit, rariſſimus uſus eſt, nec ſolent facile principes & reſpublicae jura ſua fortunae arbitrio permittere. Reliqua media & inter gentes receptiſſima, & rectae rationi admodum conſentanea ſunt, quia nemo ſapiens vi & cum periculo repetere vult id, quod ſine vi conſequi poſſet: (Lib. I. §. CLXXXI, 20. *) ut adeo recte, quamvis ridicula occaſione, dicat miles Terentianus:

Omnia prius experiri, quam armis, ſapientem decet.
Qui ſcis, an, quae jubeam, ſine vi faciat?

Ad eumdem finem comparata ſunt ſcripta publico nomine edita, quae hodie vocant *Deductiones & Manifeſta*, quamvis poſteriora plerumque, ubi jam veluti intra teli jactum ventum eſt, non tam declinandi; quam indicendi juſtificandique belli cauſſa, publicari ſoleant. Vid. Jo. Hern. Boecleri *Exercit. de clarig. & manifeſtis.*

Quid hoſti in hoſtem liceat?

§. CCI. Quandoquidem vero juris ſui perſequendi cauſſa bella gerunt principes & gentes liberae: (§. CXCV.) conſequens eſt, 48. ut hoſti in hoſtem liceant omnia, ſine quibus ille jus ſuum obtinere non poſſet. Id vero quum obtinere numquam poſſit, niſi hoſtem in eum ſtatum redigat, ut vel non poſſit, vel nolit amplius hoſtilem animum oſtendere: 49. hoſtem quiſque ſuum & vi, & dolis, recte adgreditur, 50. ſternit, 51. ſpoliat perſonis rebuſque qualibuſcumque, 52. ceſſantibus omnibus officiis humanitatis, quibus hoſtis noſter adverſus nos fieri poſſet validior. (Lib. I. §. CCVIII, 14. *) Quin 53. ne injuſtum quidem dixeris hoſtem

veneno utentem, vel percuſſores immittentem, quamvis illum contra mores gentium humaniorum, quos RATIONEM BELLI vocant, egiſſe, recte dixeris (*).

(*) Diſſentit quodammodo Grotius *de jure belli & pac.* III, 4. 15. & XVIII. Sed non ſtatim, quae magnitudinis animi laudem ferunt, ita ſunt comparata, ut omiſſa pro injuſtis habeantur. Venenis non uti ſolent gentes humaniores: at utuntur Turcae, Tartari, aliique populi orientales, qui tela & ſagittas venenis inficiunt. Hos ergo parum humanos, at non ideo injuſtos dixeris, quia hoſti in hoſtem omnia licent. Ita recte ad animi magnitudinem refertur, quod Coſſ. Romani ad Pyrrhum regem ſcripſerunt: *Nobis non placet pretio, aut praemio, aut dolis pugnare.* Gell. *Noct. Attic.* III, 8. At ideo non dixeris injuſtum facinus Ehudi, percutientis Eglonem, *Jud.* IV, 20. *ſequ.* vel Jaelis, tempora Siſſerae clavo transfigentis, *Jud.* IV, 21. vel Judithae, Holofernem obtruncantis, ſi vera eſt illa hiſtoria. Praeterea mores gentium, quae reliquis humaniores videri volunt, aliquando parum abſunt ab adulatione. Qua de re illuſtr. Bynkersh. *Quaeſt. jur. publ.* I, 3. *p.* 17. *Adeo adulandi ferax fuit ſaeculum praeteritum, & hoc noſtrum, ut principes neque adulationis obliviſcantur inter ipſa arma. Unde nunc hoſtes hoſtibus precantur omnia proſpera, ſeque invicem vocant amicos, & hoſtium damno quaſi indolent. Atque ita eſt in Epiſtolis Ordinum generalium ad Angliae Regem* 10. *Jul.* 16. *Sept. &* 26. *Nov.* MDCLXVI. *& rurſus Angliae regis ad Ordines generales.* 4. *Aug. &* 4. *Octob.* MDCLXVI. *Quamvis autem utrique tunc temporis in mutuam perniciem accingerentur: at tamen inter ius belli & officia amicitiae ſatis convenire ſcribunt Ordines, d. epiſtola* 10. *Jul.* 1666. *Quin & Gallorum rex, qui tunc quoque bellum gerebat contra Anglorum Regem, anno* 1666. *ad eum miſit legatum, qui conflagrationi urbis Londinenſis indoleret. Humanitatem, clementiam, pietatem, ceteraſque animi magni virtutes in bello exercere glorioſum eſt, ſed oppido putidum, ſolis verbis ludere. Quid enim, niſi verbis ludis, quum indoles conflagrationi urbis, quam ipſe cuperes incendere?* En egregia humanitatis ſpecimina. An ideo his injuſtiorem dixeris C. Popilium Laenatem, qui ſalutatus ab Antiocho rege, eum, niſi amicum, reſalutare noluit, & ne dextram quidem a Rege hoſte porrectam prehendere voluit? Polyb. *Excerpt. legat. Cap.* XCII. Liv. XLV, 12. Duriuſcula haec ſunt, at non injuſta tamen, immo aliquanto minus indecora, quam hoſtiles illae blanditiae.

An hoſtes foederibus & pactis decipere liceat?

§. CCII. Quum vero adverſus hoſtem tantum vi & dolis uti liceat: (§. CCI, 49.) conſequens eſt, 54. ut idem non liceat adverſus eum, quocum paciſcimur, quippe cui tunc, non tamquam hoſti, ſed tamquam paciſcenti nobiſcum, fidem damus (*). Ex quo patet, 55. turpiſſimam eſſe eorum perfidiam, qui inducias, ſive breves, ſive diuturnas, tempore nondum elapſo, rumpunt: quamvis 56. interea actus mere defenſivos recte ſuſcipere utramque partem, omnino verum ſit. Pufend. *de jure nat. & gent. VIII*, 7, 10. Nec magis 57. excuſanda eſt eorum perfidia, qui leges deditionis, vel 58. pacta de ſecuro commeatu, vel 59. quae de redimendis captivis ineuntur, turpiter violant, hic quoque hoſti in hoſtem omnia licere, ſtolide perſuaſi.

(*) Recte

(*) Recte ergo dolum bonum, quo hoſtes circumveniuntur, a perfidia diſcrevit Ageſilaus apud Plutarchum *in vita p. 600.* ubi hoc elegans ejus dictum memoratur: ὅτι τὸ μὲν σπεισάμενον ἀδικεῖν, τῶν θεῶν ἐστι καταφρονεῖν· ἐν δὲ τῷ παραλογίζεσθαι τοὺς πολεμίους, οὐ μόνον τὸ δίκαιον, ἀλλὰ καὶ δόξα πολλὴ, καὶ τὸ μεθ' ἡδονῆς κερδαίνειν ἔνεστι. *Fidem in foedere fallere, nihil aliud eſſe, quam Deos contemnere: hoſtium vero circumventionem non cum juſtitia modo, ſed & cum laude, & jucundo conjunctam eſſe compendio.* Quid ſi vero hoſtis antea fidem fefellerit: an non licet data occaſione, par pari referre? Non videtur. Quamvis enim perfidia paciſcentis unius alterum obligatione liberet: (Lib. I. §. CCCCXIII, *) id tamen intelligendum eſt de eodem pacto bilaterali, cujus conditioni alter ex ſua parte non ſatisfecit. Si vero cum eo, qui pacto non ſtetit, de novo paciſcor: tunc remiſiſſe videor priorem perfidiam, ac proinde obligatus ſum ad fidem ſervandam.

Quid liceat adverſus alios non hoſtes?

§. CCIII. Ex eodem axiomate colligimus, 60. non poſſe quemquam jure belli adverſus amicos uti, eo obtentu, quod periculum ſit, ne hoſtis ejus caſtella, munimenta, portus, ſit occupaturus: 61. nec magis licere hoſtes vel eorum naves intra territorium, vel portus amici populi caedere, vel capere, ſi hi non data opera illis receptum dent, quia haec vis cum injuria populi amici, cujus territorium vel portus vi introitur, conjuncta eſt. V. A. Corn. van Bynkershoek *Quaeſt. jur. publ. I,* 8. Contra 62. nihil obſtare, quo minus eos, qui hoſtem noſtrum armis, commeatu, tormentis, ſimilibuſque rebus juvant, vi prohibeamus, & res iſtas pro commiſſis habeamus (*): Idem *ibid. Cap. IX. ſequ.* quamvis 63. ipſa omnino aequitas ſuadere videatur, ne promiſcue merces licitae cum illicitis, res amicorum cum hoſtilibus, in commiſſum cadant. Idem *I,* 12. *ſequ.* quocum jungenda diſſertatio noſtra *de navibus ob mercium illicitarum vecturam commiſſis.*

(*) Concedit hoc & Grotius *Lib. III. Cap. XVII.* §. III. ſed addita reſtrictione, nihil facere debere eos, qui a bello abſtinent, *quo validior fiat is, qui improbam fovet cauſſam, aut quo juſtum bellum gerentis motus impediantur.* Sed quum is, qui neutrarum partium eſt, quaeſtionem hanc, uter juſtum, injuſtumve bellum gerat, non poſſit trahere ad arbitrium ſuum, & veluti judex ſedere, contra ea vero is, qui neutrarum partium eſt, *nullatenus interponere ſe debeat bello:* Liv. XXXV, 48. facile patet, huic reſtrictioni locum non eſſe. Vid. V. A. Corn. van Bynkersh. *Quaeſt. jur. publ. I,* 9. *p. 69.*

Quomodo adquiratur per bellum?

§. CCIV. Supra oſtendimus, hoſtem ab hoſte & perſonis & rebus jure ſpoliari. (§. CCI, 51.) Ex eo vero patet, 64. victoris in arbitrio eſſe, malitne perſonas captas in ſervitutem rapere, an, quod hodie plerumque inter gentes Europaeas obſervari novimus, tamdiu cuſtodire, donec vel permutentur cum aliis, vel, ſoluto lytro, redimantur. 65. Res quoque hoſtium, tum mobiles, tum immobiles, tum corporales, tum incorporales cedere victori, & 66. mobiles quidem ſimul ac in praeſidia victoris perlatae, 67. immo-

immobiles & reliquas, ex quo occupatae fuerint: quamvis 68. firmam harum non eſſe poſſeſſiònem, priuſquam ſuper illis, inita pace, fuerit tranſactum, 69. mobiles vero aeque ac perſonas & fundos, recuperatos, vel in priſtinam libertatem ſeſe vindicantes, jure poſtliminii gaudere, facile unuſquiſque intelligat (*).

(*) Multae hic occurrunt quaeſtiones ſpeciales apud Grot. *III*, 5. *ſequ.* Pufend. *de jure nat. & gent. VIII*, 6, 20, *ſequ.* veluti, quomodo res bello captae adquirantur? an & incorporales? an & actiones & credita? quomodo recuperentur? an & quibuſnam in rebus locus ſit juri poſtliminii? Sed quum pleraque haec potius ex moribus gentium decidi ſoleant, quaedam etiam ex principiis hactenus explicatis facile poſſint explicari; illis immorari nolumus. Solide ſuo more & haec tantum non omnia expoſuit V. A. Corn. van Bynkersh. *ibid. Lib. I. Cap. IV. ſequ.*

Quid repreſſaliae? §. CCV. Sic juſtum bellum eſt, quoties gentes liberae inter ſe, juris perſequendi cauſſa, vi dolove certant; vel propoſitum certandi retinent. (Lib. I. §. CCXCV.) Itaque 70. ſi non inter ipſas gentes & civitates incidit controverſia, ſed, ob denegatam civi noſtro juſtitiam, perſonis aut rebus alterius reipublicae, alias amicae, civium manus injicimus: hoc non belli, ſed REPRESSALIARUM (*) nomine venit: quamvis, 71. quum hujuſmodi exſequutio facile poſſit bello occaſionem dare, eam non a quovis privato, ſed ex decreto ſummorum imperantium, fieri debere, nec 72. ulterius extendendum eſſe, quam ut civi noſtro, cui jus dictum non eſt, ſatisfiat, facile unuſquiſque intelligat.

(*) Ita vocari coepit illud jus, ex quo invaluit. Veteres enim id ignorarunt, adeoque nec vocabulum ſuppeditat Latina lingua, quod ejus indolem exprimat. V. A. Corn. van Bynkersh. *ibid. I*, 24. Ejus aequitatem ex jure pignorandi, quod ſingulis competere exiſtimant, oſtendere conantur Grot. *de jure belli & pac. III*, 2, 7, 3. & Bodin. *de Rep. I*, 10. Sed hanc ſententiam jure merito rejecit Hert. ad Pufend. *VIII*, 6, 13. & ante eum Ziegl. *de jure majeſt. I*, 34, 8. ubi hic §. XXXII. jus illud magis ex jure belli derivari poſſe, exiſtimat. Et ſane ſi reſpublica injuriam ſibi, civibuſque illatam, bello recte vindicat: (§. CCXLV.) poterit etiam procul dubio ob injuriam uni alterive civium illatam manus alterius rebus injicere, niſi exiſtimare velis, non id, quod minus eſt, licere reipublicae, quum plus omnino liceat.

An & quomodo imperium in victos adquiratur. §. CCVI. Ceterum, quum in ſtatu naturali defenſionis jus tantiſper duret, dum hoſtis animum hoſtilem nondum depoſuit, (Lib. I. §. CLXXXIII, 25.) eum vero non depoſuiſſe videatur, qui eo ſe adduci non patitur, ut nobiſcum redeat in gratiam, ſed quaſvis honeſtas pacis conditiones reſpuit: (ibid. *) 73. injuria ſane non fit victo, ſi perſequatur jus ſuum, donec debellatum ſit, 74. ipſumque ſibi imperium in victos vindicet, illudque 75. ſuo arbi-

arbitrio conſtituat, (§. CXLVI.) & 76. tamdiu exerceat, donec vel inita pace certi quid ſtatuatur, vel 77. gens, vi oppreſſa, re nondum compoſita, ſeſe in priſtinam libertatem vindicet, vel a priore imperante liberali cauſſa manu adſeratur (*).

(*) Et tunc quoque utroque caſu aequiſſimum eſt, ut urbes, provinciae, genteſque recuperatae gaudeant jure poſtliminii: (§. CCIV, 69.) adeoque priora jura recipiant, ſi illis nulla culpa, cur in hoſtium poteſtatem pervenerint, poſſit imputari, aut certe non admodum liquidum ſit, an hoſti acrius reſiſtere potuiſſent. Hinc, quum reipublicae Ultrajectinae, diſcedentibus Gallorum praeſidiis, de jure προεδρίας controverſia mota eſſet a Friſiis, eo, quod illa ſeſe ultro dediſſe diceretur: Ultrajectini tamen priorem locum & ſtatum recuperarunt. Huber. *Praelect. ad digeſt. Lib.* XLIX. *tit. XV.* §. *IX.* Aliud tamen dicendum omnino videtur, ſi urbs, vel provincia, quae immemor fidei, imperantibus datae, ad hoſtes ultro deſciverat, armis recuperetur. Tunc enim indigna omnino eſſet hoc beneficio, ac proinde victoris in arbitrio eſt, cujus illam conditionis eſſe velit. Tale exemplum a Romanis factum novimus in Brutios, Lucanos, Campanos, qui ad Hannibalem defecerant, & maxime in Capuam, quae tantum abeſt, ut priſtina jura receperit, ut jure municipii, magiſtratibus, agro privata, in praefecturae formam redacta ſit. Liv. *XXVI, 16. ſequ.*

§. CCVII. Alterum jus majeſtatis, quod tranſeuntibus accenſeri poteſt, eſt JUS PANGENDI FOEDERA, per quae intelligimus conventiones gentium liberarum de rebus, ad utriuſque, vel alterius reipublicae utilitatem pertinentibus. Ex qua definitione ſatis patet, 78. eorum alia eſſe AEQUALIA, in quibus par eſt omnium foederatorum conditio: alia 79. INAEQUALIA, in quibus non par & aequum jus omnibus tribuitur, ſed alius foederatus deterioris, alius melioris conditionis eſt: id quod 80. tum ratione PRAESTANDORUM, tum ratione MODI PRAESTANDI, contingere poſſe, exempla quam plurima docent (*). Quid foedus, idque vel aequale vel inaequale?

(*) Sic ſaepe foederatus potentior minus potenti promittit ſubſidia pecuniaria, vel certum copiarum, vel navium, & claſſiariorum numerum, & ſibi vel nihil, vel parum reſtipulatur. Tunc inaequale eſt foedus ratione PRAESTANDORUM. At ſaepe foederibus cavetur, ut reſpublica una alteram comiter veneretur, ne cui bellum injuſſu alterius faciat, ne claſſem habeat, ut tributum annuum pendat, ne fabros habeat, neque ferro, niſi in agricultura, utatur. 1. *Sam. XIII, 19, 20.* Quod & in primo foedere Porſenae cum populo Romano expreſſum eſſe, monet Plin. *Hiſt. nat. XXXIV, 14.* Quae omnia ſunt foedera inaequalia ratione MODI PRAESTANDI, ſiquidem alter foederatorum alterius veluti clientem ſe hoc praeſtandi modo profitetur.

§. CCVIII. Quumque gentes liberae de rebus omnibus, quae ad unius, vel utriuſque reipublicae, utilitatem pertinent, paciſci poſſint: (§. CCVII.) ſequitur, 81. ut & ea, quae jam antea ex juris naturae praeſcripto debentur, ſibi ſtipulari queant gentes & reſpu- Itemque vel ſimplex amicitiae, vel ſingularis praeſtationis.

reſpublicae: quae foedera SIMPLICIA vel AMICITIAE vocare licebit (*), & 82. alia, ad quae praeſtanda alias gens genti non eſſet obſtricta: qualia foedera SINGULARIS PRAESTATIONIS adpellamus: Et 83. priora quidem ideo non ſunt fruſtranea, quod & non alia eſt certa ratio alterum ad praeſtanda officia humanitatis obligandi, quam per pacta, (Lib. I. §. CCCLXXXVI, 2.) & ſaepe contingit, ut per bellum ceſſent officia humanitatis, (§. CCI, 52.) adeoque vel maxime neceſſarium eſt, ut per pactiones, & foedera redintegretur amicitia.

(*) Ad haec foedera Grotius *de jure & belli pac. III*, 15, 5. refert etiam ea, quae de jure hoſpitii, & de mutuis commerciis ineuntur, quatenus gentes utraque ſibi invicem jure naturali debeant. Enimvero, quum jus hoſpitii plura complecteretur officia, quae ex ſolo jure naturali non debebantur, de quibus accurate, ſuo more, egit Jo. Schilterus *de jure hoſpitii diſſ.* II. utrum vero extraneis, & quae commercia, concedenda ſint, in cujusvis reipublicae ſummorumque imperantium arbitrio poſitum ſit: (§. CLXXXIX, 186.) vix eſt, ut umquam haec foedera ad ea referri queant, quibus ſibi gens a gente nihil aliud, quam quod jure naturali debetur, ſtipuletur. Sane de nullis foederibus difficiliorem eſſe conſultationem, quam de foederibus commerciorum, exemplo ex Jac. Baſnagii *Hiſt. Belg. Tom. I. p.* 51. *&* 439. oſtendit vir celeberrimus, Jo. Jac. Maſcov. *diſſ. de foeder. Commerc.* §. *VI.* & foederum iſtorum memoriam in numis conſecrarunt Athenienſes, Smyrnaei, Epheſini & Alexandrini, ceu idem vir doctiſſimus probavit ex Ezech. Spanh. *de uſu & praeſt. numiſm. Diſſ.* III. *p.* 143. & *Diſſ.* XIII. *n.* IV. nec non ejuſdem *Orbe Rom. Cap.* IV. Vaillantio *de numis Imp. Graec. p.* 221. Quis vero foedus ſimplex amicitiae diuturnam conſultationem requirere, aut dignum videri, quod his monimentis aeternitati conſecretur, dixerit?

Foedera quaedam pacis tempore ineuntur.

§. CCIX. Utile alicui genti aliquid eſſe poteſt vel pacis, vel belli tempore: ex eoque conſequitur, 84. ut foedera alia ad PACEM, alia ad BELLUM pertineant. Quumque plerumque interſit reip. & pacem quam maxime ſtabilem & diuturnam eſſe, & cives fructum inde capere quam uberrimum: ad priorem finem merito referimus 85. foedera fidejuſſoria, quibus, pacis leges ſancte ſervatum iri, fide ſua promittunt, auxiliumque parti laeſae pollicentur ſponſores pacis (*): 86. foedera item de munimentis novis non exſtruendis, vel 87. praeſidiis noſtris in munimenta quaedam tuendorum finium cauſſa admittendis, quae vocantur *barriere tractaten*: 88. de ſubditis militibuſque fugitivis non recipiendis: 89. de receptu hoſtibus non dando, & ſimilia: ad poſteriora 90. foedera, quae commerciorum mutuorum cauſſa ineuntur.

(*) De his foederibus legi meretur Ulr. Obrecht *diſſ. de ſponſore pacis*, quae inter academicas ſeptima eſt, & Henr. Coccei, *de guarantia pacis. Francof. juxta Viadr. MDCCII.* Praecipua, quae hic moveri ſolet, quaeſtio haec eſt, an qui pro pace tuenda ſpoponderunt, generatim ad ineundam belli ſocietatem obſtricti

ſtricti ſint, ex quacumque cauſſa pacis leges violentur? Id quod recte jam pridem negavit Pufendorffius *de jure nat. & gent.* VIII, 8, 7. ſi ex nova cauſſa pax rumpatur. Uti enim omnes fidejuſſiones ſunt ſtricti juris, & abſurda futura eſſet creditoris poſtulatio, qui a fidejuſſore exigeret debitum, quod poſt fidejuſſionem demum contraxerit debitor principalis: ita non magis juſta eſſet poſtulatio principis, vel reipublicae, urgentis, ut pacis ſponſor arma corripiat, ſi bellum ex nova plane cauſſa exarſerit. Neque enim iſte ſpopondit, niſi in eum caſum, ſi pax conventa rupta fuerit. Pax autem, ceu recte obſervavit Grotius *de jure belli & pac.* III, 20, 27. *ſqq.* tunc demum rupta cenſetur, ſi aliquid factum eſt vel contra id, quod omni paci ineſt, vel contra id, quod pacis legibus expreſſum eſt, vel contra id, quod ex cujuſque pacis natura debet intelligi. Res procul dubio veriſſima eſt, quod ad theſin attinet: quamvis, ubi in hypotheſi quaeritur, ſitne hic *caſus foederis*, nec ne? tota haec quaeſtio innumeris implicata ſit erroribus, ceu exempla recentiſſima ſatis ſuperque oſtendunt.

§. CCX. Sed & belli temporibus varia foedera utilitatis ſuae cauſſa pangunt gentes liberae, ſive cum AMICIS, ſive cum ipſis HOSTIBUS. Uti enim cum illis paciſcuntur, modo 91. de jungendis adverſus communem hoſtem viribus, qualia ſunt illa, quae vocantur *offund defenſiv-allianzen*, modo 92. de libero tranſitu per territorium, & commeatu concedendo, modo 93. de ſe bello non interponendo, quae foedera dicuntur *neutralitäts-tractaten*: ita cum his ſaepe convenitur, modo 94. ſuper tributis pendendis, 95. vel dedendis urbibus, modo 96. de captivis redimendis permutandiſve, de quibus foederibus, quae vocantur *cartels*, ex inſtituto egit Hert. *diſſ. de lytro*: modo 97. de induciis aliquot horarum, dierum, vel menſium, concedendis (*), & ſimilibus, quae in bello incidere ſolent, negotiis. Quaedam tempore belli.

(*) Ubi quaeri ſolet, a quo momento tempus illud currat? Equidem Grot. *de jure belli & pac.* III, 21, 5. a quo die *menſura* aliqua temporis incipere dicatur, eum diem intra menſuram non eſſe ſtatuit: ſed eum jam ſolide refellit Pufendorff. *de jure nat. & gent.* VIII, 7, 8. Itaque rectius ac ſimplicius creditur, ſi induciae placuerint a kalendis Juliis ad kalendas Septembres, utraſque illas kalendas comprehendi: itemque, ſi a kalendis Juliis per triginta dies factae ſint, kalendas Julias primum illarum diem eſſe, & pridie demum kal. Auguſti jus arma corripiendi reviviſcere.

§. CCXI. Praeterea utilitas illa, ob quam foedera iniri ſolent, vel ad perſonam imperantis pertinet, vel ad ipſam rempublicam. Ex quo ſequitur, 98. ut foedera alia PERSONALIA, alia REALIA ſint, & 99. illa cum perſona exſpirent; haec, exſtinctis etiam populi rectoribus, qui illa inierunt, perdurent. Ex ipſis vero definitionibus, hoc paragrapho datis, facile intelligitur, 100. foedera omnia, quae ad conſervandum tantum principis vel familiae ſtatum ſunt comparata, perſonalia; quaecumque vero ad ipſius rei- Quaedam perſonalia, quaedam realia ſunt.

publi-

publicae utilitatem facta ſunt, realia eſſe (*). Ad quam unicam regulam ea omnia, quae Puſendorffius *de jure nat. & gent. VIII, 9, 6. ſequ.* diſſeruit, quam commodiſſime referri poſſunt.

(*) Aliquoties haec quaeſtio incidit, imperio Regibus a Romanis abrogato. Quum enim Sabinis foedus interceſſiſſet cum regibus: ſtatu reip. in popularem commutato, negarunt Sabini, Romanos ex foederibus illis, cum Tarquinio initis, fructum capere poſſe, bellumque indixerunt Romanis, ὡς λελυμένων σφίσι τῶν σπονδῶν, ἐπειδὴ βασιλεὺς Ταρκύνιος ἐξέπεσε τῆς ἀρχῆς, πρὸς ὃν ἐποιήσαντο τοὺς ὅρκους· *quasi ſoluto foedere, poſt ejectum regno Tarquinium, quocum foedus ictum fuerat.* Dionyſ. Hal. *Ant. Lib. V. p. 307.* Idem poſtea anno ab V. C. CCLXVII. cauſſati ſunt Hernici, negantes, foedus ſibi umquam interceſſiſſe cum populo Romano: quod autem cum rege Tarquinio ictum ſit, ſe jam finitum exiſtimare, quum is imperio exutus in exſilio ſit mortuus. Dionyſ. *Lib. VIII. p. 530.* Sed quum uterque populus, armis Romanorum victus, foedus hoc iniiſſet, (Vid. Dionyſ. *ibid. Lib. IV. p. 252. ſequ.*) nemo dubitare poterat, quin id non cum ſolo Tarquinio, ſed cum ipſa republica Romana eſſet initum, adeoque illud, & expulſo Tarquinio, perdurare oporteret.

An foedera & ſociis proſint? §. CCXII. Quod reipublicae utile eſt, id & ſociis foederatiſque illius reip. prodeſt: ac proinde 101. foederibus non modo nobis, verum etiam ſociis & foederatis, conſulere ſolemus, 102. ſive illorum generatim fiat mentio, ſive ſpeciatim & nominatim exprimantur. Ubi res ipſa docet, 103. poſteriore caſu non ad alios proferendum eſſe foedus, quam qui nominati ſunt in foederis legibus: 104. priore autem illud omnibus ſociis prodeſſe, qui tempore icti foederis ſocii fuerunt, 105. non illis, qui poſtea demum adſciti ſunt (*), quum pacta ad ea, de quibus non fuit cogitatum, non ſint producenda. (Lib. I. §. CCCXCIII, 21.)

(*) Ex facto haec incidit quaeſtio, quum Hannibal Saguntum obſidione premeret. Romani enim, Hannibalem eos injuſte adortum, querebantur, quia ex icto cum Carthaginienſibus foedere & a ſociis Romanorum abſtinere teneantur Carthaginienſes. Hi foedere comprehendi negabant Saguntinos, quia eo tempore, quo foedus eſſet initum, nondum fuerint ſocii. Polyb. *Hiſt. III, 29.* Liv. *XXI, 19.* Sed quamvis Romanorum cauſſam tueatur uterque ſcriptor: non dubitarem tamen ego accedere Grotio, qui *de jur. bell. & pac. II, 16, 13.* & Carthaginienſibus non obſtitiſſe illud foedus exiſtimat, quo minus Saguntinis bellum inferrent, & Romanis jus fuiſſe, novos ſocios adſciſcere, eoſque adverſus Carthaginienſium vim defendere, ſtatuit. Nam nec Romani futuris ſociis diſerte caverant, adeoque exigere a Carthaginienſibus non poterant, ut ea, quae expreſſa non fuerant, &, de quibus cogitare vix poterant, ſubintelligerent: nec Carthaginienſes ſibi ſtipulati erant a Romanis, ne novos ſocios adſciſcerent, ac proinde nec obſiſtere poterant Romanis, novorum etiam ſociorum cauſſam ſuſcipientibus.

Quid ſponſiones, & §. CCXIII. Ceterum per ſe patet, quia foedus eſt liberarum gentium vel rerumpublicarum conventio, (§. CCVII.) 106. foedus

dus neminem pangere poſſe, praeter eos, quibus ut ita paciſcerentur, vel expreſſe, vel tacite, vel praeſumtive, mandatum ſit. Quare 107. quod miniſtri ſummae poteſtatis, ſine ejus mandato, promiſerunt, ratihabitione non ſequuta, non foederis, ſed SPONSIONIS nomine venit. Hinc certum quidem eſt 108. rempublicam non teneri, ut ratum habeat pactum, injuſſu ſuo ictum: 109. certum quoque, miniſtrum reipublicae, quacum pactus eſt, ad ſatisfactionem eſſe obligatum, quae ex faeciali Romanorum jure in eo conſiſtebat, ut nudus, revinctis in tergum manibus, dederetur (*): at 110. certum quoque eſt, plerumque cavillationem ſapere exceptionem non dati a republica mandati, quum reſpublica, quae civem ſumma cum poteſtate praefecit exercitui vel provinciae, eidem merito omnia cenſeatur mandaſſe, ſine quibus exercitus, vel provincia, immo ipſa reſpublica, ſervari non poſſet. quid circa eas juſtum ſit?

(*) Exempla duo illuſtria ſunt apud Romanos, ſponſio puta Caudina, & Numantina, apud Liv. IX, 8. *ſequ.* *LV*, 15. Et Romani quidem tum irritum eſſe volebant foedus, quo Poſtumius Cos. & alii duces, exercitum ex Furculis Caudinis expediverant, quemadmodum nec ratum habebant turpem Hoſtilii Mancini pactionem cum Numantinis, cauſſati, utramque conventionem ſuo injuſſu factam eſſe. Sed quis dubitet, quin, exercitu in ancipiti periculo conſtituto, ducibus omnia conceſſa ſint, ſine quibus periculo explicari non poſſet, & quae tum e republica, tum e re militum eſſe, animadvertant? Omnino ergo aut ratae habendae ſponſiones illae, aut res in illum ſtatum, in quo ante ſponſionem fuerat, reſtituenda fuiſſet, ſi fidei ſervantiores, quam in excogitandis cavillationibus ingenioſiores eſſe voluiſſent Romani. Vid. omnino Chriſt. Thomaſii & Ge. Beyeri *diſſertationes de ſponſionibus Caudina & Numantina.*

§. CCXIV. Quia porro foedera ineunt gentes liberae: (§. CCVII.) facile intelligitur, 111. nihil intereſſe, noſtraene religioni addicti ſint, an alii, quam nos pro impia vel deteſtabili habemus: quia, quemadmodum privato non turpe eſt, cum alio, a religione ſua alieno, paciſci & contrahere: ita nec reipublicae, vel ejus rectoribus, vitio jure vertitur, ſi cum infidelibus ita paciſcantur, prout id exigit reipublicae utilitas. Nec jure divino (*) quidquam circa hanc veritatem, rectae rationis principiis ſubnixam, mutatum eſſe, erudite ac ſolide demonſtravit Grot. *de jure belli & pac. II*, 15, 9. *ſequ.* An foedera pangere liceat cum infidelibus?

(*) Sic ſane conſtat, ante legem Moſaicam foedera cum Abimelecho contraxiſſe Abraamum & Iſaacum, cum Labane, quem idola coluiſſe certiſſime conſtat, Jacobum. *Gen.* XXI, 22. *ſequ.* XXVI, 26. XXXI, 44. Nec legem Moſaicam, jam latam, obſtitiſſe novimus Davidi & Salomoni, quo minus foedus cum Hieromo, Tyriorum rege, facerent. 2. *Sam. V*, 11. 1. *Reg. V*, 12. Et quis, quaeſo, ignorat foedera συμμαχικὰ Abraami cum Eſcole & Anero? *Gen. XIV*, 13. Davidis cum Achiſo, rege Philiſtaeorum? 1.

Sam. XXVII, 2. *ſequ.* & cum Thoi, rege Hemathenſium? 2. *Sam.* VIII, 10. Aſſae cum Benadado? 1. *Reg.* XV, 18. *ſequ.* Quae obverti ſolent huic doctrinae, ex 2. *Paral. XIX*, 2. *XXV*, 2. iis jam ſatisfecit Grotius *ibid.*

Officia circa foedera. §. CCXV. Ceterum, quum foedera ſint conventiones: (§. CCVII.) conſequens eſt, 112. ut omnia, quae ſupra de pactis diximus, etiam circa foedera habeant locum: 113. Ut adeo nihil foederibus debeat eſſe ſanctius, 114. nihil foedifragorum perfidia deteſtabilius. 115. Ut tamen, quia nulla ſocietas alienam utilitatem ſuae anteponere tenetur, (§. XXIII, 74.) nec reſpublica foederata alteri ex foedere ſubvenire cogatur, ſi id ejus rationes non ferant, e. g. ſi ipſa bello prematur, vel alio modo periclitetur (*): nec 116. umquam foederatus ad bellum injuſtum, pro ſocio ſuſcipiendum, ſit obligatus.

(*) Attamen id tum demum juſtam rationem habet, ſi verum eſt periculum, non, ſi hujusmodi cauſſa perfidiae tantum obtenditur. Id vero plerumque fieri, tum inter rectores civitatum, tum inter privatos, quotidiana querela eſt: eamque amicorum ceſſationem ac tarditatem elegantiſſima fabula de caſſita, avicula, in ſegete nidulante, repraeſentavit Aeſopus apud Gell. *Noct. Attic. II*, 29. qui ideo monet, unicuique in ſe ipſo potiſſimum praeſidium eſſe debere, non in amicis & ſociis; hominibus, inani ſaepe opera, philoſopha ſententia, qui aureos montes plerumque polliciti, vix minima praeſtent. Quod & Ennius in ſatyris monuit apud eumdem Gellium, ubi haec ejus ſervatur ſententia:

Hoc erit tibi argumentum, ſemper in promtu ſitum,
Ne quid exſpectes amicos, quod tute agere poſſis.

Jus ſummorum imperantium circa pacem. §. CCXVI. Haec de foederibus generatim: quorum nobiliſſima procul dubio ſpecies eſt pactum, quo bella inter gentes finiuntur, quodque FOEDERIS PACIS nomine venire ſolet. Quum vero pax ſit ſtatus reip. ordinarius, ac veluti naturalis, bellum ſtatus extraordinarius, & praeternaturalis: nemo non animadvertit, 117. imperantes & ad conſervandam tuendamque pacem, & ad illam, 118. ſi forte rupta ſit, quamprimum reformandam teneri: adeoque 119. ferina eſſe bella, quae non geruntur propter pacem, quae *una triumphis innumeris potior.*

Quid foedus pacis? §. CCXVII. Per FOEDUS PACIS intelligimus conventionem inter gentes, bello mutuo implicitas, qua controverſiae per modum tranſactionis finiuntur. Ex qua definitione patet, 120. pacem omnem ſua natura eſſe debere perpetuam, adeoque, 121. ſi tantum ad certum tempus, quantumvis longum, tranſigatur, non pacem iniri, ſed inducias tantum (*), quia ita nec controverſia, quae gentes illas colliſit, finitur, & manet adhuc certandi propoſitum: qualem ſtatum non ad pacem, ſed ad bellum pertinere, jam ſupra obſervavimus (§. CXCI.)

(*) Et

(*) Et tamen ſaepe hujuſmodi induciae pacis nomen adſumunt, quia interea non ſolum actus belli, ſed & ſtatus, plane videtur ceſſare, perinde ac ſi hoſtilem animum plane depoſuiſſent belligerantes. Ita Lacadaemonios in annos L. Romanos in annos C. pacem feciſſe novimus. Juſtin. *Hiſt. III.* 7. Liv. *I*, 15. Sozom. *Hiſt. eccleſ. IX*, 4. Recentiora exempla Hiſpanorum & Luſitanorum, Suecorum & Danorum, Anglorum & Scotorum, Venetorum & Turcarum, qui vix aliter quam ad certum tempus de pace cum Chriſtianis conveniunt, collegerunt Pufendorff. *de jure nat. & gent. VIII*, 7, 4. & ibi Hertius p. 1149.

§. CCXVIII. Quum ergo pax coaleſcat per modum tranſactionis: (§. CCXVII.) conſequens eſt, 122. ut fiat dato aliquo, vel retento, vel promiſſo: nec 123. in pacis conditione requiratur aequalitas: neque adeo 124. alteruter paciſcentium jure conqueri poſſit de laeſione, quantumvis enormiſſima: quum plerumque victor victo conditiones qualeſcumque ferat, & ita natura eveniat, ut hic duriores quaſdam conditiones admittere, quam plane perire, malit (*). An ei obſiet exceptio laeſionis?

(*) Dummodo ex ipſis pacis legibus, victum has conditiones vere admiſiſſe, conſtet. Si enim per cavillationem calumnioſamque interpretationem, aut plane per vim apertam, duriores conditiones, in quas numquam conſenſit, victo obtruduntur: jure hic, ſibi injuriam fieri, conqueritur. Sic inſignis cavillator erat Q. Fabius Labeo, qui, quum Antiochus rex dimidiam partem navium Romanis tradere deberet, omnes ejus naves productas medias diſſecuit, ut Antiochum tota claſſe ſpoliaret. Valer. Max. VII, 3. quam decipiendi artem fortaſſis a Campanis didicerat, quos ipſos quoque arma, ab hoſtibus pro parte dimidia tradenda, diſſecuiſſe, memoriae prodidit Polyaen. *Stratagem. VI*, 15. Et quis non deteſtetur apertam vim, qua victis Romanis, quibuſcum tranſegerant tamen, inſultabant Galli Senones, quum illis mille pondo auri ex foedere adpendentibus, hi non modo pondera iniqua adferrent, ſed & ponderi adderent gladium, dicerentque: *vae victis eſſe*. Liv. *V*, 48.

§. CCXIX. Multo minus ergo 125. paci, paullo durioribus conditionibus initae, recte opponitur exceptio metus. Neque enim illi exceptioni umquam locus eſt, ſi jus cuidam fuit, alterum ad dandum aliquid faciendumque cogendi. (Lib. I. §. CVIII, 42.) Bellum autem inter gentes aeque juſtum eſt cogendi medium, ac judicis auctoritas inter ejuſdem reipublicae cives. (§. X, 24.) Neque obſtat, bellum injuſtum alterum geſſiſſe, adeoque vel eo nomine vim injuſtam adhibuiſſe videri victorem, victo duriſſimas conditiones extorquentem. Praeterquam enim, quod judicium de juſtitia belli neuter belligerantium ſibi jure adrogat, quippe in ſua cauſſa judex futurus: remiſiſſe omnino injuriam illam videtur victus, dum cum victore tranſegit, & ad ἀμνηστίαν, quae omnibus hujuſmodi foederibus inſeri ſolet, ſeſe obligavit. (*) Nec non exceptio quod metus cauſſa?

(*) Et ita facile intelliges, quid reponendum ſit Puffendorffio, qui, huic exceptioni locum eſſe, contra Grotium (*Lib. II. Cap. XVII. §. XX. & Lib. III. Cap. XIX. §. XI.* defendit *in jure nat. & gent. VIII*, 8, 1. Aliud enim eſt, exceptionem quod metus cauſſa paci opponere; aliud, ideo bellum redintegrare, quia pars victrix, uſa occaſione, vi aliquid contra pacis leges egerit. Poſteriore enim caſu juſtam belli cauſſam naſci, facile largimur: (§. CXVIII. *) prius autem fieri poſſe negamus. Et haec tamen parum diſtinxiſſe videtur Pufendorffius. Immo rem illud ipſum exemplum, quod ibi allegat, ſatis illuſtrat. Quaerit Polybius *Hiſt. III*, 30. an juſtum fuerit bellum Punicum ſecundum, quod adverſus Romanos ſuſceperint Carthaginienſes? Idque non obſcure adfirmat, ex ea ratione, quod Carthaginienſes καιρῷ πεισθέντες ἠμύναντο τοὺς σὺν καιρῷ βλάψαντας, *occaſione invitati, ultum iverint eos, qui per occaſionem temporum ipſis nocuerint*. Quod perinde eſt, ac ſi ſcripſiſſet, prodeſſe Poenis debuiſſe exceptionem quod metus cauſſa, quia Romani quondam, iis inter res domi ancipites verſantibus, Sardiniam magnamque vim pecuniae extorſerint. Sed ſane in pacis legibus inter Romanos & Carthaginienſes de Sardinia nihil fuerat cautum, ac proinde injuſte, & contra pacis leges, eam occupaverant Romani, ſola invitante occaſione, quod Carthaginienſibus domi eſſet, quod agerent, ceu ipſe fatetur Polybius *I*, 88. Quare non paci, qua bellum Punicum primum compoſitum, exceptionem metus opponebant Carthaginienſes, ſed, pacem illam a Romanis ruptam eſſe, occupata per occaſionem Sardinia, conquerebantur.

An & pax cum civibus rebellibus ſervanda?

§. CCXX. Quaerunt Grot. *III*, 19, 6. & Pufendorffius *de jure nat. & gent. VIII*, 8, 2. an & pax, cum civibus rebellibus inita, ſervanda ſit? Id quod contra Boxhornium *Inſt. polit. I*, 14, 19. & Lipſii ſententiam recte adfirmant. Quum enim pax coaleſcat per modum tranſactionis, (§. CCXVII.) is vero, qui cum eo, a quo laeſus eſt, tranſigit, remiſiſſe illi injuriam, cenſeatur: ſequitur ſane, 126. ut & imperantes his hominibus immorigeris gratiam fecerint delicti, adeoque 127. pax illa, niſi ex nova cauſſa, ſalva juſtitia, reſcindi non poſſit, praeterquam, 128. ſi illa ob inſignem rebellium dolum, vel ſtatum principis, cum illis paciſcentis, ab initio non conſtiterit (*).

(*) Ita quum a. MCCCCLXXXVIII. Brugenſes Maximilianum I. Regem ad ſe in urbem invitatum, inaudita paene perfidia, cepiſſent, & ad pactionem ſatis turpem adegiſſent: tantum abeſt, ut illa poſtea rata eſſe videretur Friderico Imp. ut Machliniae in procerum conventu decerneretur, Maximilianum promiſſis illis non teneri. Jo. Joach. Muller. *Reichstags-Theatr. in Maximil. I. Act. I. Cap. VIII.* Et ſane, quum dolo malo injuſtiſſimaque vi principem in captivitatem redegiſſent cives, eumque non prius dimitterent, quam omnia ex eorum ſententia promiſiſſet: promiſſum hoc vi injuſtiſſima extortum fuit, adeoque obligare illum non magis potuit, quam quod nobis latro aliquis extorquet.

Obligatio tum paciſcentium,

§. CCXXI. Ceterum, quemadmodum aliorum foederum, (§. CCXV, 3.) 129. ita & pacis leges ſumma religione ſervandas,

ac

ac proinde 130. & tempus, intra quod illas impletum iri, promiſſum eſt, ſtricte interpretandum, & 131. ne moram quidem purgare licere, facile patet. Vid. Grot. *III*, 20, 25. Sed & id nemo non intelligit, 132. MEDIATORES, qui officium conciliandae inter belligerantes pacis in ſe ſuſceperunt, & SPONSORES, qui, veluti pro paciſcentibus ſpoponderunt, ex pacto obligari paciſcentibus (*), ſiquidem, dum illi in ſe receperunt id officium, etiam ad id, quod exigit hoc officium, ſeſe obſtrinxiſſe cenſentur. Ex quo porro colligimus, 133. mediatorum eſſe, non uni parti favere prae altera, ſed 134. utriuſque cauſſam ſine amore vel odio expendere, 135. & aequa quaevis, atque utiliſſima utrique ſuadere: 136. ſponſorum vero, dare operam, ut pacis legibus ex utraque parte ſatisfiat, & 137. illi parti, quae contra illas laeditur, ope, ac conſilio, quin & copiis promiſſis, ſubvenire. tum mediatorum & ſponſorum.

(*) Idem dicendum de OBSIDIBUS, id eſt, perſonis, pro fide paciſcentis reipublicae veluti oppignoratis, ſive ultro & ſua voluntate acceſſerint, ſive ab eo, qui imperium habet, dati ſint. Grot. *de jure belli & pac. III*, 4, 14. Priore enim caſu ex ſuo conſenſu obligantur, poſteriore ex conventione inter imperantem ſuum, & alterum, quocum pax coaluit, inita. Hinc vero colligimus, 1. non eſſe obſidum fugere, nec 2. reipublicae, obſides veluti poſtliminio recipere. Unde Cloelia obſide fugiente, recte poſcebat Porſena, ut obſes dedatur, ſi non dedita fuerit, pro rupto ſe foedus habiturum, interminatus. Recte etiam Romani hoc pignus pacis ex foedere reſtituerunt. Liv. *II*, 13. 3. Obſides non eſſe pro ſervis aut bello captis habendos, adeoque 4. nec bona mortuorum, tamquam inteſtabilium, fiſco poſſe vindicari, quamvis duro illo ac aſpero jure uterentur Romani. *l.* 31. *D. de jure fiſci.* 5. Eorum obligationem cum perſona exſtingui, ac proinde uno obſidum mortuo, pro altero tantum λύτρον deberi. 6. Pace rupta, obſides in vinculis haberi libertateque & bonis ſpoliari poſſe, quamvis durius ſit, eoſdem occidere, ſi pax, ſine eorum culpa, rupta ſit. Sed de his plura Grotius *de jure belli & pac. III*, 20, 52. *ſequ.* Pufend. *de jure nat. & gent. VIII*, 8, 6. Schilter, opuſculo ſingulari *de jure obſidum.*

§. CCXXII. Quum imperantibus competat jus pangendi foedera, & pacem cum hoſtibus redintegrandi, (§. CXXXVII, 39. 42.) id vero ſine internunciis fieri non poſſit: conſequens eſt, 138. ut iiſdem competere debeat JUS MITTENDI LEGATOS. Et quum is, qui legatos alterius recipit, eo ipſo illis liberum acceſſum reditumque promittere merito cenſeatur: (Lib. I. §. CCCXCI, 10.) conſequens eſt, 139. ut legati & apud hoſtes debeant eſſe ſacroſancti, & non modo 140. juriſdictione ejus, ad quem miſſi ſunt, exemti, qua de re egregia ſunt, quae commentatus eſt V. A. Corn. van Bynkersh. libello eximio, *de foro legatorum*, verum etiam 141. facultate praediti, ea omnia loquendi, ſcribendi, agendi- Jus mittendi legatos, eorumque ſanctimonia.

gendi-

gendique, quae reſpublica loqui, ſcribere, agere juſſit, dumnê
142. hoſtilem animum adverſus principem vel rempublicam, ad quam venerunt, oſtendant (*).

(*) Hujus hoſtilis animi ſi luculenta argumenta exſtent, nec princeps vel reſpublica légatum admittere cogitur, & finibus excedere eum jure meritoque jubet, quod & tunc fieri ſolet, quando, rupto foedere, bellum cum iis, qui illum miſerunt, exardeſcit. Neque enim tenemur hoſtem intra fines, & veluti domum noſtram, recipere, adeoque nec ejus miniſtrum vel mandatarium.

Varii gentium mores circa legatos.

§. CCXXIII. Reliqua, quae de legatis dici poterant, & proliхiſſime traduntur a Marſelario, Wicquefortio, & aliis, aut ex paucis his principiis fluunt, aut ad mores potius gentium, quam juris gentium praecepta, pertinent. Qualia ſunt, quae de legatorum juriſdictione in familiam ſuam, de eorumdem ſacris domeſticis, immunitate, aedibus, earumque jure aſyli, itemque de ſollemni eorum receptione & dimiſſione, de ſalutationibus eorum, ipſiſque variis eorum ordinibus, honorum titulis, ſimilibuſque quaeſtionibus, diſputantur: nec non quod vulgo in mores ivit, ut tempore belli inviolabilitate gaudeant tubicines & tympanotribae, quemadmodum apud Graecos κήρυκες, quorum jam apud ipſum Homerum *Odyſſ.* κ. *v.* 59. & 102. & τ. *v.* 244. & *Iliad. Libro decimo v.* 14. & 178. ſaepius fit mentio. Sed iis nos quidem hic jam immorari nolumus.

Cap. X.

DE OFFICIIS CIVIUM.

§. CCXXIV.

Officia civium vel generalia vel ſpecialia.

Quid juris ſummo imperanti tum in republica, tum extra illam, competat, pluribus hactenus diximus. De CIVIUM OFFICIIS nobis eo brevioribus eſſe licebit: quo facilius illa ex ipſis imperantium juribus, tamquam correlata illorum, (Lib. I. §. VII.) derivantur. Nimirum quum cives, vel tamquam cives, vel prout aliquae partes reipublicae illis creditae ſunt, conſiderari poſſint: I. eorum OFFICIA vel GENERALIA ſunt, vel SPECIALIA, quorum *illa* ex communi obligatione, qua ſummo imperio obſtricti ſunt, *haec* ex peculiari, quo in republica funguntur, munere prono alveo fluunt.

§. CCXXV.

Generalia officia erga rempublicam.

§. CCXXV. Officia generalia debentur vel ipſi *reipublicae*, vel ejus *rectoribus*, vel reliquis, quibuſcum in ſocietate vivunt, *civibus*. Quum enim tota RESPUBLICA ſit ſocietas, unuſquiſque vero ſocius obligatus ſit ad actiones ſuas communi ſocietatis fini attemperandas: (§. XXII, 65.) ſequitur, 2. ut civis ſecuritate ac ſalute publica nihil prius, nihilque antiquius habere, & 3. nec vitam, nec opes ea cariores habere (*), ſed 4. ejus commodis, quavis juſta honeſtaque ratione, ſtudere debeat.

(*) Eſt haec illa obligatio erga patriam, quam eo uſque produxerunt veteres, ut eam omnes omnium caritate complecti, neminemque pro ea mortem oppetere dubitare debere, tradant. Cic. *de offic. I*, 17. *III*, 23. Nam notum eſt πολυθρύλλητον illud: *Dulce eſſe, pro patria mori.* Quod exagitans Jo. Clericus *Art. crit. II*, 2, 5, 16. neſcire ait homines, quid per vocabulum iſtud *patriae* intelligant. *Reipſa enim*, inquit, *quid erat patria Athenienſi aut Romano? Si ſolum intelligas, Italia & Attica; pro quibus cur pulcrum ſit mori, nulla ratio eſt, potius quam pro Africa, aut pro Aſia. Non magis enim ad te pertinet gleba, in qua natus ſis, quam alia quaevis, in qua commode vitam degere queas: ſtultumque adeo eſt, mori pro agello in occaſum, aut in ſeptentriones ſpectante, potius, quam vivas, in alio, qui magis ad orientem ſolem, aut ad meridiem vergat. Si homines malis: quae fuerunt reſpublicae Athenienſis & Romana, praeter ſocietates latronum, ſi eas probe introſpiciamus? Itaque qui pro iis moriebatur, latro erat, qui pro latronum globo vilem animam profundebat.* At inania haec ſunt, & de quibus vere dicas:

Nil intra eſt oleam, nil extra eſt in nuce duri.

Patriam enim nec agellus conſtituit, ad orientem vel occidentem ſitus, nec coetus hominum, qua hominum, cui plures ineſſe poſſunt latrones, nebulones, & ſtolidi: ſed ipſa illa ſocietas civilis, a cujus ſalute noſtra omnium ſalus pendet. Unde ſatius omnino eſt, ſalva republica mori, quam ruptum videre illud ſocietatis vinculum, quo ſolo vita, libertas, dignitas, & fortuna noſtra continentur. Sane Jeremias, propheta, aliter philoſophatur, quam Jo. Clericus. *Utilitati*, inquit, *ſtudete illius civitatis, in quam ego Deus vos abduci paſſus ſum, & orate pro ea ad Jehovam. Si enim illi bene eſt, & vobis bene erit. Jerem. XXIX*, 7. Nonne & hi captivi reponere potuiſſent: an ſtudeamus nos utilitati agri illius potius, quam alterius cujuſvis? An oremus pro tot latronibus, idololatris, impuris, laſcivis, quibus civitas illa Babylonica differta eſt? Sed non eos jubet Deus ſtudere utilitati agri Babylonici, nec hominum, illum colentium, ſed reipublicae, qua ſalva, & ipſi ſalvi futuri ſint.

Erga ſummos imperantes.

§. CCXXVI. Deinde, quum in eo poſita ſit veluti vita reipublicae, ut cives omnes voluntates ſuas voluntati ſummi imperantis ſubmittant: (§. CXV, 52.) conſequens eſt, 5. ut boni cives SUMMIS IMPERANTIBUS, tamquam ſuperioribus, obligentur ad amorem venerationis & obedientiae, (Lib. I. §. LXXXVI.) adeoque 6. non modo ſumma reverentia eos proſequi, (*) ſed & 7. eorum legibus & juſſibus promtum obſequium praeſtare, nec 8.

eos,

eos, tamquam ſacroſanctos, verbis factiſve laedere (§. CXXXII, 15. ſequ.) debeant. Quumque praeterea illis ex pacto ſint obligati: (§. CXII, 38.) facile intelligitur, 9. cives imperantibus obſtrictos eſſe ad fidelitatem, iiſque incumbere, 10. ut nec ſtatum reipublicae convellant, nec 11. novis rebus ſtudeant; nec 12. ulli alii magis, quam imperantibus ſuis adhaereant.

(*) Eaque non modo interna, ſed & externa, quae in certis honorum titulis geſtibuſve, in quavis republica receptis, conſiſtunt. Ita apud Perſas cives oportebat προσκυνεῖν, reges appellare βασιλέας βασιλέων, iiſdem acclamare: *Vivas aeternum*, cetera. De aliis honorum titulis, geſtibuſque, ex inſtituto egerunt alii, in primis Becmann. *Notit. dignit. diſſ. VI.* Quamvis vero, ut his ritibus verbiſque honoris utantur cives, jure exigant imperantes: non tamen ulla eſt ratio, quamobrem ad eadem cogi poſſint extranei, veluti legati principum & rerumpublicarum, qui, ſi ex ſuae gentis ritu reverentiam exhibuerint principi extero, officio ſuo omnino videntur defuncti. Conf. Corn. Nep. *Conon. Cap. III.*

Erga concives.

§. CCXXVII. Praeterea, quum ſociorum ſit, ita vivere cum ſociis, uti id communis ſocietatis finis exigit: facile patet, 13. bonorum civium eſſe, cives ſuos amare, 14. cum iiſdem pacifice vivere, 15. & non modo ſuum cuique tribuere, ſed & 16. civibus plus humanitatis, quam extraneis, exhibere: denique 17. non obtrectare inter ſe, aut invidere aliis, quos aut natalium ſplendor, aut imperantium benevolentia, aut eximia quaedam merita ad ſublimiorem dignitatem evexerunt, aut 18. qui eminent virtutibus (*), aut qui denique 19. in colligendis opibus fortunam paullo benigniorem, quam alii, experti ſunt.

(*) Eſt hoc vitium potiſſimum democratiis admodum familiare: quippe quae nec vitia pati, nec virtutes eminentiores ferre poſſunt. Hinc ferale illud Epheſinorum decretum, ob quod eos dignos eſſe aiebat Heraclitus, ut omnes adulti morerentur: Ἡμέων μηδὲ εἷς ὀνήϊστος ἔστω. εἰ δὲ τις τοιοῦτος, ἄλλῃ τε καὶ μετ᾽ ἄλλων. *Noſtrum nemo meritis excellat, quoniam, ſi quis erit talis, alibi degat, & cum aliis.* Diog. Laert. IX, 2. Quot viri praeclari Athenis labefactati ſint illa teſtula, quam ὀστρακισμὸν vocabant, ex hiſtoria eorum ſatis notum eſt. Vid. Corn. Nep. *Themiſtocl. Cap. VIII. Ariſtid. Cap. I. Cimon. Cap. III.* Sigon. *de republ. Athen. II*, 4.

Specialium officiorum fundamenta.

§. CCXXVIII. SPECIALIA civium officia omnia ex fine illius muneris, quo in republica funguntur, fluunt: ac proinde 20. res ipſa docet, ſingulos obligatos eſſe ad ea omnia facienda, quae fini muneris ſui conveniunt, 21. eaque omnia omittenda, quae fini illi muneris ſui repugnant: ſed & 22. ad nullum ambiendum munus, cui ſe impares eſſe intelligant. 23. Ex quibus paucis regulis, quae ſint officia ducum, conſiliariorum, legatorum, quae-

ſtorum,

ſtorum, magiſtratuum, judicum, miniſtrorum eccleſiae, profeſſorum & doctorum, militum (*), facile unuſquiſque intelligit.

(*) Itaque non neceſſarium fuerit, ad ſingulorum officia ſpecialia deſcendere. De iis tamen ſatis prolixe egit Pufendorff. *de offic. hom. & civ. II*, 18, 7. ſqq. quem hic conſuli velim ab iis, qui talia requirunt.

Civis aliquis eſſe deſinit, everſa republica.

§. CCXXIX. Ceterum 24. officia civium generalia tamdiu durare, quamdiu cives ſunt, 25. ſpecialia tamdiu, quamdiu certis muneribus praeſunt, facile intelligitur. Civis autem aliquis eſſe deſinit variis modis. Quum enim reſpublica conſtet ex hominum multitudine, (§. CVIII, 23.) quam *populum* adpellamus: ſequitur, 26. ut, exſtincto diſperſove populo, (quod terrae motu, bello, inundationibus, ſimilibuſque calamitatibus publicis contingere poteſt,) pauci ſuperſtites cives eſſe deſinant, niſi hi ſtatum ſuum tantiſper tueantur, dum in juſti populi numerum iterum excreverint: (*) 27. non autem deſinere quem civem eſſe, ſi populus debellatus alii civitati, tamquam provincia, adcreſcat, quia tunc alterius civitatis fit civis, nec 28. ſi formam mutet reſpublica, quia tunc idem populus manet.

(*) Paucos illos ſuperſtites ad modum privatorum ſibi adrogare poſſe dominium rerum, quas antea populus poſſederit, non autem imperium illius populi, cenſet Grot. *de jure belli & pac. II*, 9, 4. Sed quamdiu ſuperſtitibus manet animus, habendi communem imperantem, ei ſubmittendi voluntates ſuas, vireſque omnes ſecuritatis externae internaeque cauſſa uniendi: quidni maneret reſpublica? Ita ſane manſit Athenienſium reſpublica, quando praelio perditis & deſperatis rebus, ad tantam inopiam redacti fuerant Athenienſes, ut, conſumta militari aetate, peregrinis civitatem, ſervis libertatem, damnatis impunitatem darent, & libertatem ſuam vix tueretur illa hominum colluvies. Juſtin. *Hiſt. V*, 6.

Non mutata reipublicae forma.

§. CCXXX. Quum ergo mutata reip. forma idem maneat populus: (§. CCXXIX, 28.) conſequens eſt, 29. ut ſalva illi maneant foedera realia, quae populo illi antea cum aliis civitatibus interceſſerant: (§. CCXI, 99.) 30. ſalva etiam ſint pacta publica, priore adhuc ſubſiſtente reipublicae forma, cum privatis inita: 31. ſalvae denique obligationes populi iſtius, qui mutavit formam reipublicae. Non autem 32. cives teneri ex factis eorum, qui injuſte invaſerint rempublicam, vel 33. contra leges fundamentales aliquid egerint (*), vel inde patet, quod in horum imperium numquam conſenſerunt.

(*) Hinc Athenienſes, excuſſo triginta tyrannorum imperio, legem condiderunt: *ὁπόσα ἐπὶ τῶν τριάκοντα ἐπράχθη, ἢ δίκη ἐδικάσθη, ἢ ἰδίᾳ, ἢ δημόσια, ἄκυρα εἶναι. Ut quaecumque ſub triginta tyrannis acta, aut judicia facta ſint, ſive privatim, ſive publice, irrita eſſent.* Demoſthen. *in Timocrat.*

pag. 782. Et ſimilem fere Honorii Imperatoris conſtitutionem de actis Heracliani tyranni damnandis habemus in *l.* 13. *C. Theod. l. de infirm. quae ſub tyrann.* Attamen moderanda haec videntur, 1. ſi obligatio e re naſcatur, & populus inde fructum ceperit, vel in rem ejus verſum ſit, 2. ſi per errorem quis imperium tenuerit, a populo electus, *arg. l.* 3. *D. de offic. praet.* in quam legem diſſertationem elegantem *de electione magiſtratus inhabilis* ſcripſit Jac. Gothofredus, 3. ſi quis initio juſtum tenuerit imperium, & poſtea demum tyranni perſonam induerit, quo refero *l.* 2. *& l.* 3. *C. Theod. eod.* ubi Conſtantinus M. legitime geſta & reſcripta Licinii rata eſſe jubet.

An ſi diviſum imperium, vel in coloniam quis adſcriptus?

§. CCXXXI. Praeterea ex eodem principio (§. CCXXVIII. 23.) colligimus, 34. non deſinere aliquem civem eſſe, ſi per diviſionem ex una civitate plures fiant, vel 35. plures in unum ſyſtema coaleſcant: quamvis 36. priore caſu contingere poſſit, ut quis non prioris, ſed novae civitatis, civis ſit. Si coloniam deducere decrevit reſpublica: permultum intereſt, qualis illa ſit colonia. Quum enim aliae ita exeant majore patria, ut ſingularem conſtituant rempublicam, ad nihil aliud obſtrictam metropoli, niſi ut eam comiter venerentur: aliae, ut pars civitatis matricis maneant (*): facile patet, 37. priore caſu idem contingere, quod, diviſo imperio, fieri diximus, 38. poſteriore autem nullam mutationem circa obligationem priorem civium, qui coloniis adſcripti ſunt, fieri.

(*) Tales colonias mittere ſolebant Graeci veteres. Unde apud Thucydidem *Lib. I. p.* 25. Corcyraei: Ου γὰρ ἐπὶ τῷ δοῦλοι ἀλλ᾽ ἐπὶ τῷ ὅμοιοι τοῖς λειπομένοις εἶναι ἐκπέμπονται. *Neque enim coloni in colonias mittuntur, ea conditione, ut ſint ſervi: ſed ut iis, qui in antiqua patria relinquuntur, pares ſint.* Quibus reſpondent Corinthii apud eumdem *p.* 28. Ἡμεῖς δὲ οὐδ᾽ αὐτοὶ φαμὲν ἐπὶ τῷ ὑπὸ τούτων ὑβρίζεσθαι κατοικίσαι, ἀλλ᾽ ἐπὶ τῷ ἡγεμόνες τε εἶναι καὶ τὰ εἰκότα θαυμάζεσθαι· αἱ γοῦν ἄλλαι ἀποικίαι τιμῶσιν ἡμᾶς καὶ μάλιστα ὑπὸ ἀποίκων στεργόμεθα. *Nos vero reſpondemus, ne nos quidem idcirco ipſorum coloniam collocaſſe, ut ab ipſis contumelia adficeremur, ſed ut ipſorum duces eſſemus, ac conveniens nobis honor ab illis redderetur. Ceterae enim coloniae nos comiter venerantur, & ab iis maxime diligimur.* Itaque colonorum horum tantum erat τιμᾶν τὴν μητρόπολιν, καὶ ἐν πανηγύρεσι ταῖς κοιναῖς γέρα τὰ νομιζόμενα διδόναι, *comiter venerari metropolim, eique in ſollemnitatibus conſuetos honores dare*, uti idem loquitur Thucydides *ibid. p.* 18. addens, quod & ſcholiaſtes monet, in eo praecipue conſtitiſſe τὰ γέρα, ut in publicis ſacrificiis, diſtribuentes viſcera, civibus metropoleos primam partem, vel καταρχὰς darent. Plura de honore, quo hujuſmodi coloni antiquae patriae cives proſequebantur, dixit Henr. Valeſ. *not. ad Excerpta Peireſc. p.* 7. At alia omnia obſervabant Romani, *quorum coloniae jura inſtitutaque omnia populi Romani, non ſui arbitrii, habebant*, teſte Gellio *Noct. Attic. XVII.* quum tamen ipſi, Albanorum coloni, plane ſui juris ab ipſa origine fuiſſent, & non tantum non comiter venerarentur veterem patriam, ſed & plane ſub ſuam redigere poteſtatem, non dubitarent. Quod ipſis merito exprobrat Metius Fufetius apud Dionyſ. Halicarn. *Antiqu. Rom. Lib. III. p.* 143.

§. CCXXXII.

§. CCXXXII. Deinde, quum civis, quis ſit ratione reipublicae, quam cum aliis conſtituit, vel in quam ſe ultro contulit: (§. CIX, 26. & 28.) ſequitur ſane, 39. ut civis quis eſſe deſinat, ſimul ac civitate patria ultro eo conſilio emigravit, ut in alteram ſeſe civitatem conferat, ibique conſtituat Lares fortunaeque domicilium 40. niſi leges publicae vel migrare cives plane vetent, veluti apud Argivos, apud quos, ut ait Ovid. *Metamorph. Lib. XV. v.* 28. — An per migrationem.

Prohibent diſcedere leges,
Poenaque mors poſita eſt patriam mutare volenti.

vel 41. eam libertatem, non niſi deducta certa bonorum parte; indulgeant, quod apud pleraſque Europae gentes in mores iviſſe, novimus. Ut 42. civitatem quidem, at non obligationem erga patriam mutent ii, qui ad hoſtes transfugiunt, ac proinde 43. retracti ex fuga jure puniantur.

§. CCXXXIII. Denique, quum eos, qui in ſocietate aliqua vivunt, nec ſeſe ſocietatis legibus accommodant, recte abs ſe ſegregent reliqui ſocii: (§. XXII, 70.) 44. idem & civibus procul dubio licebit, adeoque 45. malis civibus exſilium jure irrogatur: eoque facto, 46. illi procul dubio cives eſſe deſinunt, quod tamen 47. non perinde dicendum videtur de relegatis, maxime, qui adhuc fundos poſſident in republica, nec non 48. de interdictis, qui in certum locum, reipublicae noſtrae ſubjectum, deportantur, ut ibi vitam inſuavem ducant, vel certas operas praeſtent. Quin 49. generatim exiſtimarim, eos, qui ob delictum jure civitatis excidunt, privilegiis quidem civium privari, non autem eo ipſo liberari ab obligatione erga patriam rempublicam, eatenus ſaltim, 50. ne illi aegre faciant, aut Coriolanum imitati, cives ſuos infeſtis armis perſequantur. Liv. *II*, 35. *ſequ.* — An per exſilium?

F I N I S.

INDEX RERUM ET VERBORUM.

Numeri Romani librum, Arabici paragraphum; Aſteriſci * ſcholion indicant.

A

ACADEMIAE. Circa illas jus principis. II. 188
Acceptatio an neceſſaria? I. 284
quotuplex? *ibid.*
Acceſſio quid? I. 250
Quid naturalis, induſtrialis, mixta? *ibid.*
naturalis fundamentum. I. 251
induſtrialis inducit communionem poſitivam. I. 256. 257
fortuita ſpecies occupationis. I. 250 *
Acceſſorium an ſemper ſequatur principale? I. 258
Acclamationes fauſtae plerumque in adulationem abeunt. I. 205 *
Achaicae civitates quae? II. 18. II. 119
Actio quid? I. 25
bona vel mala. I. 1. I. 116
interna & externa. I. 25
humana, naturalis, libera, neceſſaria. I. 29
ſpontanea, invita, ultronea, coacta, mixta, I. 58
juſta & injuſta, honeſta, inhoneſta, turpis, inhumana. I. 118
quae objectum juris naturae? I. 28 *ſeq.*
an externa tantum? I. 193 *
quae imputetur? I. 112
an invita & coacta? I. 109
an urgente temperamento, adfectu, conſuetudine, edita? I. 110
an de aliorum actionibus judicare ſit cujusvis? I. 97 *
an quaedam ſua natura juſta? I. 76
Addictio in diem quid? I. 357
Ἀδέσποτα ſibi vindicant imperantes. II. 175
quid circa ea juſtum? II. 177
Adfectionis ratio habetur in acceſſione induſtriali. I. 258
pretium quid? I. 332
ejus quando ratio habeatur in ſatisfactione? I. 212
Adfectus an impediant libertatem voluntatis? I. 55
quibusnam facilius reſiſtatur? I. 110 *
a ratione regendi. I. 149
Adferruminatio quid? I. 260
Adgratiandi jus principi competens. II. 158
Adgreſſorem quando occidere liceat? I. 185
Adjunctio quid? I. 260
cui res, cui quid adjunctum, adquiratur? I. 260
Adminiſter quis? II. 181
circa eum quid juris ſit principi? II. 181

Adoptio

Adoptio an juris naturae? II. 55
Adpellatio. vid. *provocatio.*
Adplumbatura, quid circa eam juſtum. I. 260
Adprobatio ſubſequuta pro conſenſu eſt. I. 263
Adquirendi modi originarii. I. 239
derivativi. I. 240
Adſcendentium ſucceſſio. I. 301
Adſecuratio quid? I. 203
quid circa eam juſtum? I. 204
Aedificium cujus ſit, in alieno ſolo, vel aliena materia exſtructum? I. 261
Aequalitas hominum, fundamentum officiorum erga alios. I. 272
quaenam ſervanda in ſocietate? I. 381
Aequitas quid? I. 103
fundamentum interpretationis reſtrictivae. I. 103
Aerarium quid? I. 174
in illud influunt tributa & vectigalia. II. 179
Agentis conditio conſideranda in imputatione. I. 113
Agere homo ſemper cupit bene. I. 3
cur aeque facile male, ac bene agat? I. 3
Agri arcifinii & limitati. I. 254 *
Aliena res domino reſtituenda. I. 323
quid ſi ejus dominus non adpareat? I. 324
Alienatio quid? I. 267
neceſſaria & voluntaria, pura & conditionalis. I. 267. 278 *
praeſens & futura. I. 268
Allianzen, foedera offenſiva & defenſiva. II. 210
Alluvio cui adquiratur? I. 254
Alveus derelictus cui adquiratur. I. 255
Ambigue quando loqui liceat? I. 204
Amneſtiae lex omni paci inſeri ſolet. II. 219
Amor quid? I. 80
quotuplex? I. 82. & 85
juſtitiae. I. 82
humanitatis & beneficentiae. I. 83
devotionis & obedientiae. I. 86 ſequ.
amicitiae. I. 86. & 88
benevolentiae. I. 86. & 89
purus quid? I. 130 *
Amor erga Deum. I. 91. & 130
erga ſeipſum I. 136 ſequ.
erga alios. I. 172
noſtri, non debet major eſſe amore Dei. I. 155
principium eſt juris naturae. I. 79.
ejus objecta. I. 90
Angariationes inter gentes an juſtae? II. 173
Animalia quando fiant capientium? I. 246
vulnerata an intercipi poſſint? I. 246 *
Antichreſis quid? I. 369
quid circa eam juſtum? I. 372. 283
Ἀπηλγηκότης, qui? I. 33 *
Arbor in confinio poſita: ex ea quis fructus adquirat? I. 265
Ariſtocratiae origo. II. 116
quomodo in ea exerceantur jura majeſtatis? II. 123
in ejus Senatu ſententiae plurium vincunt pauciores. II. 123
Atheiſmi & ſuperſtitionis comparatio otioſa. I. 133 *
ejus plures falſo ſuſpecti. I. 129 *
Atheus an juſte agere poſſit? I. 14
Auctio quid? I. 359
Averſatio quid? I. 52
Auerſio, per illam quando contrahatur? I. 359
Αὐθχειρία, vid. mors voluntaria.

B.

Arriere-Tractaten. II. 209
Bellum gerere licet. II. 190
quid? II. 191
cur ejus jus? II. 192
an & a magiſtratu recte indicatur? II. 193
an & a privatis? II. 194
an recte dividatur in publicum & privatum? *ibid.*
quid civile? *ibid.*
quid repraeſentativum? *ibid.*
ejus cauſſae juſtificae. II. 195
defenſivum & offenſivum. *ibid.*
punitivum an detur? *ibid.*
an ob jus imperfectum denegatum poſſit indici? II. 196
an pro aliis recte ſuſcipiatur? II. 197

injuſti ejus colores. II. 198
ſollemne & juſtum, vel minus ſollemne & injuſtum. II. 199
cauſſae ejus liquidae eſſe debent. II. 200
Belli ratio (*la raiſon de guerre*) quid? II. 201 *
per illud quomodo adquiratur? II. 204
ejus jus. I. 183
in ſtatu naturali omnibus competit. II. 10
Benedictio quid? I. 203. 205
Beneficentia. Ad eam obligatio. I. 221
quid? I. 222
unde proficiſci debeat. I. 223
Beneficentiae amor. I. 83
ad eum quomodo obligemur? I. 84
Beneficia quid? I. 113. * I. 222
ſapienter diſpenſanda. I. 224
neceſſitati & conditioni alterius attemperanda. I. 225
in iis obſervandi gradus neceſſitudinis. I. 226
Blaſphemiae crimen. I. 128
inexcuſabile. I. 160 *
Bruta an jure naturae obligentur. I. 20
an ab hominibus jugulari queant? I. 232 *
aliquando digna amore benevolentiae. I. 90 *
an iis certa officia debeamus. I. 90
Buccinatores in bello inviolabiles. II. 223

C.

Cadaverum oppignoratio. I. 384 *
Caelibatus an contra J. N.? II. 34
Calculus Minervae quid? II. 123 *
Calumnia quid? I. 154
an eam refellere debeat vir bonus? I. 154
Capti bello in ſervitutem non injuſte detruduntur. II. 80
Carne humana an veſci liceat in extrema neceſſitate? I. 166
Carnifex an vi coactus recte occidat innocentem? I. 168
Cartel quid? I. 210
Caſtigationis a poena differentia. II. 159 *
Caſum fert dominus. I. 211
Cauſſa actionis phyſica & moralis quid? I. 112
Cauterio uſta cur dicatur conſcientia? I. 48 *
Ceſſio quid? I. 266
ejus differentia a delegatione. I. 418
aliquando latius accipitur. I. 266
rei communis quid? I. 273
quid circa eam juſtum? *ibid.*
Cives voluntates ſuas ſubmittere tenentur imperantibus. II. 115
in eorum bona quid juris imperanti? II. 169. ſequ.
officia eorum generalia & ſpecialia. II. 224
generalia erga remp. II. 225
erga ſummos imperantes. II. 226
erga concives. II. 227
ſpecialia. II. 228
Quando eſſe quis deſinat? II. 229 ſequ.
Civitates quomodo oriantur? II. 18 *
earum ſyſtema quid? II. 119
vid. & *Reſpublica.*
Coacta actio. I. 58
eſt actio voluntaria. I. 59
voluntas nihilominus voluntas. I. 59
I. 109 *
Coactio quando jure fiat? I. 109 *
Cogitatione etiam laedi quis poteſt. I. 193
Collateralium ſucceſſio. I. 302
Coloniarum varia genera. II. 231 *
Commercia circa ea jus imperantium. II. 169. II. 189
eorum origo. I. 325 *
neceſſitas. I. 326
quid? I. 327
per contractus tantum potuerunt inſtitui. I. 327
Commiſſoria lex. I. 357. 130.
an jure nat. illicita in pignore? I. 373
ſub ea & imperium dari poteſt. I. 134
Commixtio qualis modus adquirendi? I. 263
Commodantis officia. I. 349
Commodatarii officia. I. 343

Commodatum qualis contractus? I. 342
Communio quid? I. 231
poſitiva & negativa, aequalis, inaequalis, perfecta, imperfecta. I. 231
poſitiva unde nata? I. 237
in negativa initio fuerunt omnia. I. 238
quae in ea permanſerint, introducto dominio? I. 235
cur ex ea diſceſſum? I. 234
cur & ex poſitiva? I. 238
bonorum inter conjuges. I. 238.
Communis res dividua vel individua. I. 270
in commune poſcebantur res, inventae. I. 248 *
Compenſatio quid? I. 409
quid circa illam juſtum? I. 410
locum tantum habet in debitis liquidis. I. 410
Concilia de rebus eccleſiaſticis. II. 187
Concubina a pellice diverſa. II. 50 *
Conditio quid? I. 401
cur impoſſibilis & turpis jure Rom. in ultimis voluntatibus pro non adjecta habeatur? I. 402 *
ea non exſiſtente obligatio ſolvitur. I. 414
Condonatio quid? & quomodo fiat? I. 408
Conductoris officia. I. 362
Confuſio, modus adquirendi. I. 263
Conjugium ſocietas licita & ſimpliciſſima. II. 26
ejus finis. II. 27
quid? II. 28
an in eo certos gradus prohibeat jus naturae? II. 41
Conjugum habilitas ratione aetatis. II. 31.
eorum officia ex fine matrimonii derivata. II. 44
nec non ex pacto. II. 43
Conſcientia quid? I. 33 ſequ.
bona & mala. I. 35
antecedens & conſequens. I. 36
tenera. I. 37
inſtigans, revocans, admonens. I. 38
recta, erronea. I. 39
certa, probabilis. I. 40
dubia vel ſcrupuloſa. I. 51
libera, minus libera. I. 42
dormitans, expergefacta, cauterio uſta. I. 43
tranquilla, remordens, irrequieta, anxia. I. 44
remordens an ex metu ſupplicii? I. 44 *
an actionum humanarum norma? I. 45
an, dubia illa, actus ſuſpendendus? I. 46
Conſenſus omnium gentium non ſemper juſtitiae argumentum. I. 71 *
nec principium juris naturae. *ibid.*
quid ſit? I. 263 *
paciſcentium. I. 396
Conſervare hominem quid dicatur? I. 2
Conſpiratio. Per eam an conſenſus civium ſperandus? II. 115 *
Contractus quid? I. 385. & 405
oneroſi, benefici, & aleam continentes. I. 328 *
a quibus ineantur? I. 384
de quibus rebus. I. 384
Cordi inſcriptum cur dicatur jus naturae? I. 15 *
Corpus ad hominis eſſentiam pertinet. I. 141 *
aeque ac mens perficiendum eſt. I. 142. 150
ejus exercitationes an apud omnes eaedem? I. 150 *
alterius non laedendum. I. 190
Correalis obligatio quid? I. 374
ejus effectus. I. 377
Corruptio quid? I. 189
Creatae res, in eas quod jus habeant homines? I. 232
Cultus Dei externus an ex ratione demonſtrabilis? I. 135 *
fluere ille debet ex amore Dei. I. 136
& timore ejus. I. 137
nec non ex fiducia in Deo collocata. I. 138
publicus qualis? I. 138
vid. & *Dei cultus*.

D.

D*Amno* cum alterius nemo debet fieri locupletior. I. 257 *
damnum quid? I. 321 *

Debitoris

Debitoris obligatio. I. 366
Decipere quid? I. 199
hoſtem licet, falſo rumore ſparſo. I. 200 *
Deductiones quid? II. 202 *
Defenſio ſui cur licita? I. 182
ejus requiſita. I. 184 ſequ.
pro quibus rebus permiſſa? I. 286 ſequ.
vid. & *Moderamen inculpatae tutelae.*
Deformitas an & quando imputetur? I. 106 *
Defraudatio quid? I. 322
Dejectio violenta. I. 321
Delegatio quid? & quid circa illam juris? I. 321
Delicta an omnia punienda? II. 162.
Delinquens an obligatus ad poenam? II. 161
Demagogi qui? II. 124 *
Democratia quomodo oriatur? II. 116
in ea quomodo excerceantur jura majeſtatis? II. 124
ea in ochlocratiam facile degenerat. II. 117. & 124
Deponentis officium. I. 349
Depoſitarii officia. I. 345
Depoſitum qualis contractus, & quid in eo juſtum? I. 344
Deſtruere quid dicatur hominem? I. 2
Deus. Ad ejus agnitionem ſibi comparandam omnes obligati. I. 126
de ejus exiſtentia gentes omnes perſuaſae. I. 126
de eo recte ſentiendum. I. 127
ejus unitas. I. 128 *
ejus gloria provehenda. I. 129
quomodo colendus? I. 135
amandus? I. 91. 125. I. 130
ei obſequendum. I. 131
Idem timendus. I. 131
in eo collocanda fiducia. I. 134
auctor eſt juris nat. I. 7.
ejus jus in res creatas. I. 10 *
eo non exſiſtente, futurum non eſſet jus naturae. I. 14
cogitationes etiam hominum perſpectas habet. I. 98
Diſpoſitio libera, effectus dominii. I. 306
ejus effectus. I. 307
Diſſenſus mutuus, modus ſolvendi obligationes. I. 412
Diſſimulatio quid? & an licita? I. 199
Divinatio an licita? I. 133
Diviſio rerum quid & quomodo fiat? I. 266
I. 269
cur ad eam quilibet recte provocet? I. 269 ſequ.
ea vel aequalis, vel ineaqualis. I. 271
an aliquis condominorum in ea ſibi praecipuum recte petat? I. 271
rerum imperfecte communium diviſio quomodo fiat? I. 272
Divitiae quid? & an ad eas quaerendas quis obligatus? I. 151
Divortium an, & quando licitum? II. 49
Dolores an morte a ſe amoliri liceat? I. 165 *
Domania quid? & cur inventa? II. 175
Dominium quid? I. 231
communioni negativae oppoſitum. I. 234
cur interdictum? I. 235
aliud in communione poſitiva, aliud in proprietate conſiſtit. I. 235. & 237
plenum & minus plenum. I. 280
directum & utile. *ibid.*
minus pleni ſpecies. I. 281
triplex dominii effectus. I. 306
aliquando per leges civiles reſtringuntur. I. 317
itemque per pacta & diſpoſitiones priorum dominorum. I. 318
eminens quid? II. 168
quando ei locus ſit? II. 161. & 172
an & ad res exterorum non hoſtium porrigatur? II. 173
Dominus omnem ex re ſua utilitatem merito capit. I. 307
eam & deſtruere & corrumpere poteſt. I. 308
itemque alienare. I. 309
& poſſeſſionem adprehendere & retinere. I. 310
nec non vindicare. I. 311
quatenus ſibi vindicet acceſſiones & fructus? I. 312 ſequ.
in uſu rerum ſuarum non eſt impediendus. * I. 319
Dominus qua poteſtate gaudeat in ſervos mercenarios? II. 82. 83

qua in ſervos obnoxios? II. 84 ſequ.
ejus officia erga ſervos mercenarios. II. 83
& obnoxios. II. 86
Donatio quid? I. 383
inter vivos & mortis cauſſa. I. 222
Dotium origo. II. 48 *

E.

EBrietas quae imputetur? I. 106
Ebrius an recte paciſcatur? I. 392
an delinquens duplicem mereatur poenam? I. 50 *
Eccleſia circa eam quodnam jus imperantis? II. 183. 187
Educatio liberorum finis conjugii. II. 27
qualis eſſe debeat? II. 60
Elargiri quando dicamur beneficia? I. 221
Electio imperantis. Quid circa eam juſtum? II. 140
Electitium regnum. II. 139
Emancipatio liberorum qualis apud Romanos? II. 71 *
Emphyteuticum jus. I. 281
Emtio venditio in uſu eſſe coepit invento numo. I. 350
in ea neuter contrahentium laedendus. I. 352
an illam vitiet error. I. 352
ei quaevis pacta recte adjiciuntur. I. 357
in ea & quidvis recte excipitur. I. 358
poteſt ſub quacumque conditione fieri. I. 358
per auctionem, ſub haſta, per averſionem ſpei. I. 359
Ἐνέχυρα quid veteribus? I. 106 *
Epiſcopale jus an imperanti recte tribuatur? II. 183
Error quid? I. 17
an omnis culpabilis? I. 18
cum ignorantia ratione imputationis convenit. I. 107
juris vel facti quando imputetur? I. 108
an pactum vitiet? I. 393
an emtionem? I. 352
Vid. & *Ignorantia.*
Evictio debetur ſocio. I. 274
ut & emtori. I. 356
Exheredatio quando juſta? I. 62
Exiſtimatio quid? I. 153
ad eam tuendam, amplificandamque obligati ſumus. I. 153
an vi defendi poſſit? I. 187
alterius non laedenda. I. 191
ſimplex & intenſiva. I. 191
Exponere infantes impium. II. 62
Expromiſſor quid? I. 374
ejus obligatio. I. 378
Exſecratio quid? I. 203
ea uti non licet. I. 205

F.

FAbulis quando uti liceat? I. 206
Facti circumſtantiae in imputatione conſiderandae. I. 100
Facultates, quae dicantur? I. 151
Falſiloquium quid? I. 201
eo quando uti liceat? I. 200
Famam tueri quiſque tenetur. I. 153
Fames extrema an det homini jus carne humana veſcendi? I. 166
an res alienas contrectandi? I. 170
Familia quid? II. 90
quem penes ejus directio ſit? II. 91
ejus finis in ſtatu naturali & civili. II. 92
ei impedimento eſſe non debent ſocietates ſimpliciores. II. 95
in ea quae officia patrisfamilias? II. 96
& reliquorum. II. 98
in ea omnia redeunt ad ordinem. II. 98
Felicitas in quo conſiſtat? I. 79
noſtram intendit Deus. I. 77
ad eamque nos obligat. I. 78
Feudi origo. I. 281
Fictio quid? I. 201
quando ea uti liceat? I. 200 *
Fidejuſſio quid? I. 374
pro quibus rebus admittenda. I. 375
Fidejuſſorum obligatio. I. 376
eorum beneficia an juris nat.? I. 376
Fiducia in Deo collocanda. I. 134
ejus judicium apud Romanos famoſum. I. 204 *
Filiae nuptae & dotatae an jure excludantur hereditate paterna? II. 72
Filiusfamilias quis? II. 90

Finis Dei in creatione hominum. I. 77 *
Fiſcus quid? II. 174
eum quid locupletet? II. 175
ejus jura circa ἀδέσποτα. II. 177
Fluminis vis qualis adquiſitio? I. 254
Foedus quid? II. 207
aequale & inaequale, *ibid.*
inaequalia quotuplicia? II. 207
ſimplicia & ſingularis praeſtationis. *II.* 208
belli & pacis tempore inita. *II.* 209. ſequ.
perſonalia & realia. *II* 211
an ea & ſociis, & quibus, proſint? *II.* 212
an pangere liceat cum infidelibus? *II.* 214
circa ea officia. *II.* 217
Foedus pacis. vid. *pax.*
Foetura animalium, modus adquirendi. *I.* 252
Fructus ex arbore, in confinio poſita, cui adquirantur? *I.* 265
Fuga, ad eam num quis obſtrictus ſit, qui ſe adverſus adgreſſorem defendit? *I.* 185
Fugienti an liceat proterere obſtantem? *I.* 169
Fungibiles res quid? *I.* 364 *
Furtum quid? *I.* 321
an & ab eo admittatur, qui urgente extrema neceſſitate, aliquid contrectat? *I.* 170 *

G.

Genere in eodem reddere, quid? *I.* 364 *
Geſtibus quoque nemo laedendus. *I.* 195
Gradu non modo, ſed & linea, propiores in hereditate praeferendi. *I.* 296
Gratitudo quid? *I.* 227
ad eam obligatio. *ibid.*
de ea regulae. *I.* 228
Guarantia pacis. *II.* 209

H.

Heredes neceſſarii an jure naturae? *I.* 304
eorum ſucceſſio in jura & obligationes defuncti. *I.* 305
propiores non modo ratione gradus, ſed & ratione lineae habentur. *I.* 296 *
Hereditas. De ea quatenus diſponere liceat jure naturae? *I.* 291
an ſibi deſtinatam heres accipere teneatur? *I.* 284
Herilis ſocietatis origo. *II.* 76
Herus & *hera* qui? *II.* 77
Homo homini natura aequalis. *I.* 172
ergo aequaliter tractandus ab aliis. *I.* 177
Honor quid? *I.* 87 *
an vi defendi poſſit? *I.* 187
Hoſpitii jus an ad foedera amicitiae referendum? *II.* 208 *
Hoſtiles res per fictionem pro nullis habebantur apud Romanos. *I.* 247 *
Hoſtis. Quid illi in hoſtem liceat? *II.* 201
an foederibus & pactis decipi poſſit. *II.* 202
an ei debeantur humanitatis officia? *I.* 218
Humana carne an veſci liceat in extrema fame? *I.* 166
Humanitatis amor quid? ejuſque differentia ab amore juſtitiae? *I.* 83
an & amicis & quibus prae reliquis debeatur. *I.* 220
ad eum quomodo obligemur? *I.* 84
hoſtibus denegari poteſt, ſi nobis inde damnum imminet. *I.* 218
Hypotheca quid? *I.* 283. *I.* 369
quid circa illam juſtum? *I.* 283. & 369
an in territorio conſtitui poſſit a gentibus liberis? *I.* 371

I.

Jactus mercium alienarum quando licitus? *I.* 170
Ignorantia quid? *I.* 47
an omnis culpanda? *I.* 48. *I.* 107
voluntaria, involuntaria. *I.* 107. 150
juris & facti. *I.* 108
vincibilis & invincibilis. *I.* 50. *I.* 107
juris naturae quando non imputetur? *I.* 47
principiorum boni & mali inexcuſabilis. *I.* 49
ex ea ſaepe aliquid boni fit. *I.* 16
Immunitas a tributis non temere pluribus concedenda. *II.* 24 *
Imperantes ut eligantur? *II.* 40
ſunt ſacroſancti. *II.* 132
iis tamen non, quidquid libet, licet. *II.* 133

eorum

eorum officium circa miniſtros & magiſtratus. *I.* 182
jus circa ſacra. *II.* 183
Imperium quomodo adquiratur. *II.* 146. & 239
an recte diſtinguatur in patrimoniale & uſufructuarium? *II.* 147. ſequ.
alienari nequit, niſi populo conſentiente. *II.* 149
in eo etiam jus naturae obſervandum. *II.* 21 *
in omni republica eſt ſummum & ἀνυπεύθυνον. *II.* 179
ejus vis ſeſe exſerit per jura majeſtatis. *II.* 135
vel electitium vel ſucceſſivum. *II.* 139
Impietas quid? ea rectae rationi repugnat. *I.* 128
Impudentia vitanda. *I.* 106 *
Imputatio quid? *I.* 95. ſequ.
quomodo differat a conſcientia? *I.* 97
fit vel in foro divino, vel in humano. *I.* 98
ejus effectus meritum. *I.* 99
quando habeat locum? *I.* 100
quando ceſſet. *I.* 105
Quae actiones imputentur vel non? *I.* 105. ſequ.
quid in ea ſpectandum? *I.* 113. ſequ.
omiſſionis actionum. *I.* 115
Inceſtus quis juris gentium? *II.* 41. 47
Incluſio, ſpecies acceſſionis. *I.* 260
Induciae ad ſtatum belli pertinent. *II.* 191. & 210
quomodo earum tempus computandum. *II.* 210 *
Induſtria. Ad eam unuſquiſque obligatus eſt. *I.* 152
Infamia non omnia delicta ſequi debet. *II.* 167
Ingratitudo ſimplex & praegnans. *I.* 227 *
an ob eam detur actio forenſis? *I.* 227
Inimicis non deneganda humanitas. *I.* 219
Injuria quid? *I.* 191
ea laeditur alterius exiſtimatio. *ibid.*
Inſula nova cui adquiratur? *I.* 253
Intellectus quomodo ad actiones humanas concurrat? *I.* 30. & 32
ejus imbecillitates. *I.* 47. ſequ.
ad ejus culturam unuſquiſque obligatus. *I.* 146. ſequ.
alterius non eſt laedendus. *I.* 188
Interpretatio legis an in J. N. neceſſaria? *I.* 101 *
ejus fundamenta. *I.* 102
reſtrictiva, extenſiva, declarativa. *I.* 103
authentica, uſualis, doctrinalis. *I.* 104
Interregnum quid? *II.* 142
ordinarium & extraordinarium. *II.* 145
an eo durante ſubſiſtat reſpublica? *II.* 142
Intextura ſpecies acceſſionis. *I.* 260
Inventio rerum nullius. *I.* 248
& pro derelictis habitarum. *I.* 249
Invita actio quae? *I.* 58
eadem ac involuntaria? *I.* 159
Inundati agri dominium non exſtinguitur. *I.* 255
Judicia privata & publica. *II.* 157
Judiciaria poteſtas jus majeſtatis. *II.* 156
Jurare qui & quomodo debeant? *I.* 207
Juriſdictio in perſonas & res eccleſiaſticas penes principem. *II.* 157
Juriſprudentia naturalis quid? *I.* 12
eadem & divina recte dicitur. *ibid.*
Jus & obligatio correlata. *I.* 7
pro lege acceptum quid? *I.* 9
ſine lege concipi non poteſt. *I.* 9 *
Jus civile, quomodo differat a naturali. *I.* 18
utilitati reip. attemperandum eſt. *I.* 36 *
in eo maxima juris naturae utilitas. *I.* 19
Jus gentium quid? *I.* 21
an a jure naturae diverſum? *I.* 22
an ex moribus gentium aeſtimandum? *ibid.* *
Jus jurandum quid? *I.* 203
ejus uſus. *I.* 206
variae ſpecies. *ibid.*
cujuſvis religioni eſt attemperandum. *I.* 207
ex mente deferentis interpretandum. *I.* 208
an ſervandum ſemper ab eo, qui juravit, alterum nullius rei a ſe repulſam laturum. *I.* 208 *
ejus effectus. *I.* 209
an ei per cavillationem ſatisfiat? *I.* 209 *
Jus majeſtatis, vid. Majeſtas.
Jus Naturae quid? *I.* 12
ejus auctor Deus. *I.* 10

ejuſdem norma recta ratio. I. 11
an ad actiones tantum externas pertineat? I. 193 *
homines & in ſtatu naturali obligavit. II. 7
praeceptivum & permiſſivum. I. 13
an futurum eſſet, ſi non exſiſteret Deus? I. 14
cur dicatur cordibus hominum inſcriptum? I. 15
an & in infantibus reperiatur? I. 15
ejus harmonia cum S. S. I. 16
eſt immutabile. I. 17
quomodo differat a jure civili? I. 18
& a jure gentium. I. 22
an ex utilitate naſcatur? I. 18
an & bruta obliget? I. 20
Jus omnium in omnes, an principium juris Naturae? I. 73
an omne ex pacto oriatur? II. 9
perfectum & imperfectum. I. 197
talionis I. 190
vitae & necis an competat parentibus in liberos? II. 57
an dominis in ſervos? II. 84
Juſtitia quid? I. 220
diſtributiva. I. 279 *
interna & externa. II. 150
in hac conſiſtit ſecuritas reipublicae interna. II. 150
expletrix & attributrix. I. 119
Juſtitiae amor quid? I. 82
ad eum perfecte obligamur. I. 84
divinae & humanae fundamentum eſt voluntas Dei. I. 65
divinae & humanae differentia. I. 66
Juſtum natura tale. I. 11 *
quid? I. 12

K.

Καθῆκον quid Stoicis? I. 119 *
Κήρυκες ſacroſancti & inviolabiles, apud Graecos. II. 223

L.

Labor, ad eum obligati ſumus. I. 152
ab inmodico tamen abſtinendum. I. 145
Laedens tenetur ad ſatisfactionem. I. 210
Laedere quid? I. 175
nemo laedendus. I. 128. 78. 192
Largitas quid? I. 221 *
Legatos mittendi jus. II. 222
eorum jura. II. 222. 223
an indemnes illi praeſtandi, ſi quid caſu damni paſſi ſint? I. 349 *
Leges ferendi poteſtas jus majeſtatis. II. 151
civiles quid? II. 152
circa divinas quid liceat imperanti? II. 153
earum ſepimentum quid? II. 153 *
perfectae, imperfectae, minus, quam perfectae. II. 155
humanae an admittant exceptionem neceſſitatis? I. 159
an divinae adfirmativae? I. 159
an divinae negantes? I. 161. ſequ.
divinae quid & quotuplices? I. 64
naturales Deum auctorem habent. I. 10
Lex imputaturo actionem perſpecta eſſe debet. I. 100
& rite interpretanda. I. 101
ejus, ſi perfecta ſit, quot partes, & quae eſſe debeant? II. 154
ei adnexa ſanctio poenalis definita, indefinita, arbitraria. II. 155
fundamentalis reip. quid? II. 112
ſine ea boni fuiſſe dicuntur primaevi homines. I. 8 *
Liberi parentibus debent amorem devotionis. II. 67. 68. 70
erga eos officia parentum. II. 66
eorum obligatio erga parentes, ſoluta horum poteſtate. II. 72. & 74
eorum ſucceſſio in bona parentum. II. 297. ſequ.
Libertas quid? I. 4. II. 6 *
virtute praeditorum. I. 42 *
voluntatis. I. 53. ſequ.
naturalis, politica, vel civilis & juris gentium. II. 6 *
Libertus quis? II. 89
ejus officia. *ibid.*
Licita non omnia honeſta. I. 38 *
Linea facit heredes propiores. I. 296 *
Litteris loco ſermonis utimur. I. 195 *
Locatio conductio, invento numo, invaluit. I. 350. I. 360
quid circa eam juſtum? I. 360. ſequ.
Locatoris officia. I. 361

M.

M.

MAcchiavelliſtarum principia. II. 131
Magia ſuperſtitioſa fugienda. I. 133
Magiſtratus qui? II. 181
quid circa eos juſtum? *ibid.* & ſequ.
Maieſtas realis an penes populum in monarchia, perſonalis penes principem? II. 130
ejus jura quis in monarchia, ariſtocratia, & democratia exerceat? II. 123 ſequ.
quis in rebuſp. mixtis? II. 125
quis in ſyſtematibus civitatum? II. 126
ejus jura quid? II. 135
an eadem ac regalia? II. 135 *
immanentia & tranſeuntia. II. 136. ſequ.
an ſint dividua? II. 138
Maledictio quid? I. 203
illicita. I. 205
Mandantis officia. I. 349
Mandatarii officia. I. 347
Mandati contractus, ejuſque indoles. I. 346
Manifeſta, ſcripta, quid? II. 200 *
Manumiſſio quid? II. 88
Mare an in dominio? II. 177
Mariage de conſcience. II. 50 *
Maritalis poteſtas qualis? II. 46
an pacto mutari aliquid circa illam poſſit? II. 47
Maritus an caſtigare poſſit uxorem? II. 46
onera matrimonii ferre tenetur. II. 48
an gaudeat imperio in uxorem? II. 45
Maſculi an feminis in ſucceſſionibus praeferendi? I. 297
Mater obligata eſt ad infantes lacte ſuo alendos. II. 61 *
Materfamilias quae? II. 90
Matrimonium quatenus indiſſolubile? II. 49
imperfectum, putativum. II. 50
ſenum veluti honorarium. II. 32
extra id omne genus libidinum vetitum. II. 35
ejus onera ferre tenetur maritus. II. 48
Mediatorum pacis officium. II. 221
Membrum an abſcindi poſſit vitae ſervandae cauſſa? I. 165
Mendacium quid? I. 199
quomodo a falſiloquio differat? I. 201
Mens perficienda pro virili. I. 350
Meritum effectus imputationis. I. 99
Metalla nobiliora cur adhibita, ut pretio eminente fungerentur? I. 335
Militia lecta, mercenaria, ſocia. I. 192 *
Milites an quidam fugientes excludi poſſint caſtello, ne ſimul hoſtes irruant? I. 167 *
Miniſtriſſimus quis dicatur? II. 182
Miſſilia cui adquirantur? I. 249
Mixtae actiones an dentur? I. 58
Moderamen inculpatae tutelae quid? I. 163 166. & 180
ejus limites. I. 181
adverſus quos eo uti liceat? I. 182
quamdiu ei locus ſit in ſtatu naturali? I. 183
& civili? I. 184
Monarcha quemvis honoris titulum ſibi recte adſciſcit. II. 120
in monarchia ſolus exercet jura majeſtatis. II. 121
quomodo a tyranno differat? II. 122
Monarchiae origo. II. 116
Monarchomachorum error. II. 130
Monetam cudendi jus ad fiſcum pertinet. II. 178
Mores quid? I. 55
an libertatem voluntatis impediant? I. 55
Morganatica lex. I. 50
Mori quid? I. 143
Mors quando intrepide obeunda? I. 143
voluntaria ſemper injuſta. I. 144
Mulctae ad fiſcum pertinent. II. 178
Municipium an ſit reſpublica? II. 129 *
Mutſchirung quid? I. 270 *
Mutuum quid? I. 364
in eo transfertur dominium. I. 365

N.

NAufragium. In eo quid juſtum pro vita ſervanda? I. 167
Neceſſitas an habeat legem? I. 155
ejus favoris quodnam fundamentum ſit? I. 156
quid & quotuplex? I. 157
quae favorem mereatur? I. 158
regulae de favore neceſſitatis. I. 159 ſequ.
an ea urgente quis contrectare vel perdere

dere poſſit res alienas? I. 170
Negotiorum geſtoris officia. I. 348
Negotiorum geſtio. I. 346
ejus, cujus negotia geſta, officium. I. 349
Nepotes quomodo avis ſuccedant? I. 299. ſequ.
Neutralitäts - Tractaten. II. 210
Noachi praecepta an norma J. N.? I. 16. & 72
Nobilitatis gentilitiae origo. I. 105 *
Nolle & non velle an ſynonyma? I. 52
Norma actionum an indigeat homo? I. 4
quid? I. 8
ejus requiſita. I. 5. ſequ.
juris naturae an eadem cum ejuſdem principio? I. 60
non in nobis ipſis, ſed extra nos quaerenda. I. 61
an illa ſit voluntas Dei? I. 62
Novatio. I. 389
quid ſit? I. 418
Nummi definitio Ariſtotelica. I. 329 *
ejus loco variis rebus uſae ſunt aliae gentes. I. 335 *
quantum illi pretii ſtatuendum? I. 336
eo nondum invento, quale commercii genus in uſu fuerit? I. 337
Nuptias facit conſenſus. II. 29
an iis ritus quoſdam deſideret J. N.? II. 42
qui eas facere poſſint? II. 32. ſequ.

O.

OBedientia quid? I. 87 *
Obligatio quid? I. 6
externa & interna. I. 7
ejus correlatum jus? I. 7
ſpecie obligationis nobiliſſima eſt interna, attamen jus naturae & externam deſiderat. I. 8 * & 9
perfecta & imperfecta. I. 9
ſolvitur variis modis. I. 406
ſolutione. I. 407
compenſatione. I. 409
condonatione. I. 411
mutuo diſſenſu. I. 412
temporis lapſu & non exſiſtente conditione. I. 414
morte. I. 425
ſtatus mutatione. I. 416
rei interitu. I. 417
novatione & delegatione. I. 418
Obſequium erga Deum quid? I. 131
Obſidum jura & obligationes. II. 221 *
Occaſio quid? I. 114 *
peccandi vitanda. I. 114 *
Occidendum non eſt. I. 179
Occupatio quid? I. 222
quomodo fiat? I. 242
per univerſitatem, & per fundos. I. 243
bellica unde derivanda? I. 147
Ochlocratia. In eam facile degenerat democratia. II. 117. 124
Odium, quid? I. 80
Officioſitas quid? I. 222
ad eam obligamur. I. 229
Officium quid? I. 113. 120. 172
perfectum & imperfectum. I. 173. ſequ.
abſolutum & hypotheticum. I. 175
fundamentum perfectorum officiorum. I. 175
hypotheticorum. I. 176
imperfectorum. I. 214
imperfecta aliquando in perfecta tranſeunt. I. 216
naturalia, Chriſtiana, civilia. I. 123
Oligarchia, in eam degenerare poteſt ariſtocratia. II. 177. 123
Optimum. Ad id eligendum ſumus obligati. I. 92 * I. 181 *
Ordo in familia bene conſtituta præcipuum. II. 98
naturae an principium juris naturalis? I. 76

P.

PAcis externae ſtudium an principium juris Naturae? I. 73
Paciſcentium conſenſus mutuus eſſe debet. I. 396
Paciſci qui poſſint? I. 392
an & pro aliis liceat? I. 403
Pactum. Ex eo officia hypothetica. I. 176
quid? I. 385
a contractu quomodo differat? I. 385
an utile, quod initum ex ignorantia vel errore? I. 393
an, quod dolo malo elicitum? I. 394
an, quod vi extortum? I. 395
an quod factum de rebus impoſſibilibus? I. 397
vel de turpibus? I 398

an-

an, ſi conjunctum ſit cum alterius detrimento? I. 399
cur pacta ſint neceſſaria? I. 386
maxime in ſtatu naturali. II. 11
ea ſervanda. I. 387 ſequ.
alia unilateralia, alia bilateralia, alia obligatoria, alia mixta. I. 389
& nuda obligant. I. 390
alia expreſſa, alia tacita. I. 391
alia pure, alia ſub conditione, alia ex die vel in diem ineuntur. I. 401
ſub conditione impoſſibili vel turpi inita non valent. I. 401 ſequ.
Pactum de ſucceſſione an valeat? I. 292
reddendae viciſſitudinis quid? I. 341
de commodando. I. 357
protimiſeos, de evictione praeſtanda, vel poena in caſum poenitentiae ſolvenda. I. 357
de retrovendendo. I. 357
antichreticum. I. 369
de rebus factiſve alienis. I. 300
Pagus qualis ſocietas? II. 18 *
Parentes jure divino an ad ſucceſſionem vocati? I. 301 *
inter eos & liberos ſocietas. II. 51
eorum poteſtas in liberos unde, & quanta ſit? II. 53. 63 ſequ.
quibus competat? II. 54 ſequ.
an & jus vitae & necis comprehendat? II. 57
an jus venumdandi noxaeve dedendi? II. 58
officia eorum erga liberos. II. 58 ſequ.
iis quid debeant liberi? II. 67. ſequ.
poteſtas eorum quomodo ſolvatur? II. 71 ſequ.
an ea ſoluta ceſſent liberorum officia? II. 72. 74
Paſſio quid? I. 25
an eam dirigat jus naturae? I. 27
Paterfamilias quis? II. 90
ejus poteſtas in ſtatu naturali. II. 93
& civili. II. 94
ejus ac matrisfamilias officia. II. 96 ſequ.
in ſtatu naturali jus dicit familiae. II. 93
II. 156 *
Patriae quid debeamus? II. 225
an dulce pro ea mori? *ibid.* *
Patria poteſtas, vid. *Parentes.*
Paupertas an recte imputetur? I. 152
eam bonus vir aequo animo ferre debet. I. 52 *
Pax quid? II. 217
circa eam jus imperantium. II. 216
ei an obſtet exceptio laeſionis. II. 218
nec non exceptio quod metus cauſſa. II. 219
an & cum rebellibus inita valeat? II. 220
ejus ſponſores quinam? II. 209. 221
Peccatum exiguum nullum putat virtutis ſtudioſus. I. 37 *
quid? I. 117
Pecunia pretium eminens. I. 329
ejus definitio Ariſtotelica. I. 329 *
Pellex quid? II. 50 *
Perfectionis definitio. I. 2 *
Perficere quid dicatur hominem? I. 2
Perfidia an obligationem perimat? I. 443
Periculo ſeſe offerre improbum. I. 155 *
alterum exponere ſine ratione, injuſtum. I. 79
Periculum rei venditae & nondum traditae quem penes eſſe debeat? II. 353
Permutatio, antiquiſſimum commercii genus. I. 333 *
contractus antiquiſſimus. I. 337
apud omnes gentes recepta. *ibid.*
quid ſit? I. 338
vel ſimplex, vel aeſtimatoria. I. 338
quid circa utramque juſtum? I. 339 ſeq.
aeſtimatoria quomodo differat ab emtione venditione? I. 350 *
Phariſaeorum vita auſtera, jejunia, largitiones, an actiones bonae? I. 116 *
Pignoris jus quid? I. 293
Pignus quid circa jus contractum, juſtum? I. 370
an, eo intereunte, liberetur debitor? *ibid.* *
Piſcatio, ſpecies occupationis. I. 244
Plantatio ſpecies acceſſionis & quid circa eam juſtum ſit? I. 264
Poena quid? I. 29
ejus definitio Grotiana. II. 159
vel naturalis, vel poſitiva. I. 66
conventionalis. II 159 *
eam aliquem mereri declaratur per

impu-

imputationem. I. 99
qualem tranſgreſſoribus minetur jus naturae. I. 66
eam infligere an poſſint pares? II. 159
eam irrogandi jus eſt penes imperantem. II. 158
qui & gratiam ejus facere poteſt. I. 158
ejus finis. II. 160
an ad illam obligatus ſit delinquens? II. 161
quanta ea eſſe debeat? II. 164 ſequ.
an famoſam eam eſſe expediat? II. 167
Πολυανδρία apud omnes gentes prohibita. II. 36
Πολυγυνία an licita? II. 36 ſequ.
pro ea qui ſcripſerint? II. 37 *
Poſſeſſio quid? I. 231
effectus dominii. I. 306
domini a nemine debet interverti. I. 320
Poſſeſſor bonae fidei loco domini eſt. I. 312
quos fructus percipiat? II. 314 ſequ.
malae fidei quos fructus reſtituat? I. 316
etiam caſum ferre tenetur. I. 317 *
Praefectura an reſpublica? II. 129 *
Praemium an & quando quis mereatur. I. 99 *
Praeſcriptio an praeſidium reperiat in jure nat. & gentium. I. 323 *
Pretium quid? I. 328
vulgare & eminens. I. 329
quomodo vulgare definiendum? I. 330 ſequ.
adfectionis quid? I. 332
eminens cur inventum? I. 333
ejus requiſita. I. 334 ſequ.
vulgare, vel legitimum, vel conventionale. I. 345 *
Primogenitus an natu minoribus praeferendus in regno? II. 297. I. 143
Princeps. vid. *imperans*.
Principium juris naturae, quid? I. 60 * I. 67
ejus requiſita. I. 68
non conſiſtit in ſanctitate Dei. I. 69
nec in interna actionum juſtitia. I. 70
nec in conſenſu omnium gentium. I. 71
nec in ſeptem Noachi praeceptis. I. 72
nec in jure omnium in omnes. I. 73
nec in pacis externae cuſtodia. *ibid.*
nec in ſtatu integritatis. I. 74
nec in ſocialitate, I. 75
nec in ordine naturae. I. 76
nec in utilitate humani generis. *ibid.*
nec in theocratia morali. *ibid.*
ſed in amore, I. 79
idque eſt principium verum, evidens, & adaequatum. I. 94
Probabiliſmi lubricum fundamentum. I. 40
Promiſſio perfecta & imperfecta: an illa tantum obliget? I. 389 *
Promittere an poſſumus pro aliis? I. 403
Proprietas quid? I. 231
ejus origo. I. 237
Provincia an ſit reſpublica? II. 129 *
Provocatio ad quem ſuprema dirigenda ſit? II. 157 *
Ψεῦδος Graecis & mendacium & falſiloquium denotat. I. 201 *
Pudicitiam an vi liceat defendere? I. 186
alterius non laedenda? I. 192
ejus ſollicitationi a quibuſdam gravior poena propoſita, quam ſtupro violento. I. 192 *
Pupillorum & tutorum mutua obligatio. II. 75
Puniendi qui ſint? II. 163
an & univerſitates? II. 163

R.

Rapina quid? I. 321
Raptorem inter & raptam an nuptiae ratae ſint? II. 29
Recht quid Germanis? I. 9 *
Reformandi jus imperanti competens. II. 187
Regalia quid? II. 135 *
majora & minora. *ibid.*
Regnum. vid. *imperium*. an a monarchia differat? II. 116
hereditarium cujus ſit originis? I. 105 *
Religio non conſiſtit in ſola probitate vitaeque integritate. I. 127 *
Relocatio tacita. I. 363
Remiſſio quid? & quomodo fiat? I. 411
Repraeſentationis jus aequitati naturali conſentaneum. I. 299
ei an & inter collaterales ſit locus? *ibid.*
Repreſſaliae quid? & quid circa eas juſtum ſit? II. 205
Reſervationes mentales reſpuit jusjurandum. I. 208
Res nullius quaenam? I. 241

amiſſae & furtim; vel vi ſurreptae manent in dominio prioris domini. I. 241
alienae dominis reſtituendae. I. 323
dividuae & individuae quomodo dividendae. I. 270
Reſpublicae quomodo oriantur? II. 18. & 194. ſequ.
Achaicae. II. 119
cur inſtitutae? II. 106
quomodo juſtae a latronum coetibus differant? II. 106
earum finis. II. 106 ſequ.
mixtae quid? II. 118
earum forma quae veteribus viſa ſit optima? II. 118 *
foederatae quae? II. 119
quot perſonae conſtituant rempublicam? II. 107. ſequ.
an ſine territorio conſiſtat? II. 108
pacta & decretum, per quae populus coaleſcit in rempublicam. II. 109 ſeq.
ejus formam novam aliquando victores victis obtrudunt. II. 114
in omni rep. eſt imperium ſummum & ἀνυπεύθυνον. II. 129
ea everſa, cives eſſe deſinunt. II. 229
an & forma priore mutata. II. 230
Reſtitutio rei alienae, quando neceſſaria, vel non? I. 323 ſequ.
Retrovenditionis pactum. I. 357
Reus ſtipulandi vel promittendi. I. 374

S.

SAcra. Circa ea jus majeſtatis. II. 183
in quonam illud conſiſtat? II. 184 ſequ.
Sanctitas Dei non eſt juris naturae principium. I. 69
Sanitas alterius non laedenda. I. 179
Satio, ſpecies acceſſionis. I. 264
Satisfactio quid & quotuplex? I. 211
quomodo praeſtanda? I. 212
Scholarum cura pertinet ad principem. II. 188
Scotatio, ſpecies traditionis ſymbolicae. I. 276
Scriptura ſacra an principium cognoſcendi J. N.? I. 16
Scriptura loco ſermonis eſt. I. 195
quid circa eam juſtum? I. 262
Scrupuloſa conſcientia quid? I. 41
Scrupulus quid? *ibid.* *
Securitas civium, finis rerumpublicarum? II. 107
in quo conſiſtat. II. 150
Senes an recte contrahant nuptias? II. 32
Sermonem homo prae brutis peculiarem habet. I. 194
quid ſit ſermo? I. 195
quomodo illo utendum? I. 196 ſequ.
Servi mercenarii cujus conditionis? II. 82
itemque obnoxii? II. 84 ſequ.
utrorumque officia erga dominos. II. 87
familiares qui? II. 90
Servilis hominum vitiis deditorum ſtatus. I. 42 *
Servitus in re aliena quid? I. 282
perſonalis & realis. I. 282
Servitus hominum obnoxia an ſit contra jus naturae? II. 78
an quis in eam ſe ipſe addicere poſſit? II. 79
quomodo finiatur? II. 88
quotuplex? II. 77
Servus quis? II. 77
Socialitas an principium J. N? I. 75
Socidae contractus. I. 363 *
Societas quomodo conſtituatur? II. 13
quid? II. 14
ratione finis diverſae ſunt ſocietates. II. 15
aliae juſtae & licitae, aliae injuſtae & illicitae, II. 15
aliae ultroneae, aliae coactae. II. 16
ſimplices aliae, aliae compoſitae. II. 18
aequales vel inaequales. II. 19
initur conſenſu. II. 17
habetur pro una perſona. II. 20
Ejus obligationes eaedem ac ſingulorum hominum. II. 21
quales illae ſint ratione ſociorum? II. 22
ratione aliorum. II. 23. 24
Societas contractus. I. 379
ea eſt vel univerſalis, vel generalis, vel ſingularis. I. 380 ſequ.
an ea liceat excedere, invito ſocio? I. 382
conjugalis. vid. *conjugium.*
paterna. vid. *parentes.*

herilis. vid. *ſervitus.*
familiae. vid. *familia.*
Sociorum officia. II. 25
ſibi invicem tenentur ad praeſtandam evictionem. I. 274
Solutio quid? & quid circa eam juſtum ſit? I. 407. ſequ.
Somnia an imputentur? I. 106 *
Specificatio, ſpecies acceſſionis & quid circa illam juſtum ſit? I. 259
Sponſalia quid? II. 30
Sponſio quid? & quid circa eam juſtum ſit? II. 213
Sponſoris pacis officium. II. 209. 221
Spontanea actio quae? I. 58
Spontaneitas quid? I. 53
Status quid? II. 2
phyſicus & moralis. II. 2
naturalis & adventitius. II. 3
naturalis an hic opponatur ſtatui brutorum? II. 4
eſt ſtatus aequalitatis. II. 5
& libertatis. II. 6
in eo vigere debuit jus naturae. II. 7
non ergo in eo jus omnium in omnes. II. 9
in eo viventibus jus belli eſt. II. 10
pacta in illo maxime neceſſaria. II. 11
an tanta ejus miſeria quanta vulgo illi tribuitur? II. 12
ei cur ſtatum ſocialem praetulerint homines? II. 13
ſocialis quid? II. 14
Status integritatis an principium juris naturae? I. 74
civilis omnibus fere gentibus placuit. II. 100
vera ejus rei cauſſa. II. 101 ſequ.
Status mutatio modus ſolvendi obligationes. I. 416
Submiſſio voluntatum quid? II. 115 *
Succeſſio teſtamentaria an & quatenus juris naturae? I. 268
Succeſſio ab inteſtato, ejus fundamentum. I. 285 ſequ.
liberorum. I. 297 ſequ.
adſcendentium. I. 301
collateralium. I. 302 ſequ.
qualis in regnis ſucceſſivis obtineat? II. 142 ſequ.
Francica & Caſtellana. II. 143
Succeſſivum imperium quid? II. 143
Superficiei jus. I. 281
Superſtitio quid? I. 132.
ejus effectus & cum atheiſmo comparatio. I. 133 *
Suum quid quiſque dicat? I. 175. 231
Συμβολαὶ, *σύμβολα*, *συμβόλαια* commercia cur Graecis dicta? I. 328
Synodi cur & quomodo indicendae? II. 187 *
Syſtema civitatum quid? II. 18 * II. 119
iſtorum diverſiſſimae ſpecies. II. 128

T.

Tacere quando liceat interrogatis? I. 200
Taciturnitas, quid? I. 201
Talionis jus an locum inveniat? II. 165
Temperamentum an impediat libertatem voluntatis? I. 54
Territorium occupatum cujus ſit? I. 243
Teſtamentum. vid. *Succeſſio.*
ejus origo. I. 268
quid ſit? *ibid.* & 286
an ex jure naturae? I. 287 ſequ.
quid ex mente Grotii? I. 290
Theocratia moralis an principium juris naturae? I. 76
Theſaurus inventus cui cedat? I. 249
Tignum junctum an ſolvi queat? I. 261 *
Timor Dei quid? I. 131
Tractatus quid? I. 389 *
Traditio quid? I. 266
an ad transferendum dominium neceſſaria? I. 275
quotuplici modo fiat? I. 276. & 284
ſymbolica. I. 276
quis per eam transferre poſſit dominium? I. 277
ex qua cauſſa per eam transferatur dominium? I. 278 ſequ.
fieri debet accipienti. I. 284
ante eam cujus in venditione ſit periculum? I. 353
Tranſactio quid? I. 389. II. 75
Tributa indicere jus majeſtaticum. II. 168
quid circa ea juſtum? II. 179 ſequ.
Tutela quid? II. 75
& quamdiu duret? II. 75

ſuprema jus imperantium. II. 169 *
Tutorum & pupillorum mutua obligatio. II. 75
Tyrannis quid? II. 117
inter eam & monarchiam quid interſit? II. 121
Tyrannicae artes. II. 121 *

V.

VAletudinis cura unicuique incumbit. I. 44
Vectigalia. vid. *tributa.*
Venatio, ſpecies occupationis. I. 244 ſequ.
Venditae, & nondum traditae rei penes quem periculum? I. 353
Venditor emtori rei venalis qualitates indicare debet. I. 351
ad evictionem praeſtandam eſt obligatus. I. 356
Veneratio quid? I. 87 *
Veracitas quid? I. 201
Verbis nemo laedendus. I. 193
eorum notione recepta utendum. I. 197
Veritas quid? I. 202
Verna quis? II. 87
Victi, in eos quomodo adquiratur imperium? II. 206
iis victor aliquando novam imperii formam obtrudit. II. 114
Vindicans rem quid b. f. poſſeſſori reſtituat? I. 311
Vindicatio effectus dominii. I. 306. 311
Vis externa an impediat libertatem voluntatis? I. 56
quando illi cedendum? I. 111
Vita ejus ſervandae cauſſa an membrum abſcindere liceat? I. 165
ad eam ſervandam unuſquiſque eſt obligatus. I. 143 ſequ.
Vitia ad ea animo evellenda unuſquiſque obſtrictus eſt. I. 149
Ultronea actio quid? I. 58
Univerſitates an puniendae? II. 163
Vocatio divina ſpecialis quid? I. 147 *
Volenti an fiat injuria? I. 399 *
Voluntas quid? I. 51
nihil decernit, niſi praelucente intellectu. I. 30
ejus actus & natura. I. 52
ſpontaneitas & libertas. vid. *libertas.*
antecedens & conſequens. I. 57
efficax & inefficax. I. 112
excolenda eſt. I. 148
& emendanda. I. 149
alterius non laedenda. I. 189
Voluntas Dei, norma actionum humanarum. I. 62 ſequ.
eadem eſt juſtitiae divinae fundamentum. I. 65
nihil aliud intendit, quam felicitatem noſtram. I. 77 ſequ.
Urbs qualis ſocietas. II. 18 *
Uſucapio an juris naturae? II. 323 *
Uſurae quid? I. 367
an jure naturae licitae? I. 368
Utilitas an fons juris? I. 76. 78
Uxor an ad majorem, quam maritus, obſtricta ſit caſtitatem? II. 44
in eam an marito imperium competat? II. 45 ſequ.

ΠΑΝΤΑ ΚΑΛΩΣ ΕΣΤΑΙ.

00078443

Digitized with financial assistance from
Observer Research Foundation
on 01 June, 2019